UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S. Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica, Seu Libri, De Theologicis Disciplinis

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

urn:nbn:de:hbz:466:1-83684

Visual Library

Th. 889a.

C. IX. 9.

Rev. Patr.

JOAN. LAURENTII BERTI

Ord. Eremit. S. Augustini,

THEOLOGIA HISTORICO-DOGMATICO-SCHOLASTICA,

SEU LIBRI DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS:

OPUS

CALCULO DOCTISSIMORUM VIRORUM SANE PRÆSTANTISSIMUM,

IN OCTO TOMOS DIVISUM

JUNCTO AD QUODVIS CAPUT SUMMARIO MATERIARUM NEC NON NUMERIS MARGINALIBUS. AC IN FINE CUJUSVIS TOMI INDICE LOCUPLETISSIMO:

TOMUS V.

IN QUO AGITUR

DE VERBO FACTO HOMINE,

ET

DE MIRABILI HUMANÆ REPARATIONIS OECONOMIA.

Editio prima in Germania multum auctior atque correctior.

CUM LICENTIA SUPERIORUM.

Monachii & Pedeponti,
Sumptibus JOANNIS GASTL, Bibliopolæ.
Typis Maximiliani Simonis Pingizer, Typogr. Aug. 1749.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER VICESIMUS QUINTUS,

Demonstrans adversus Judæos, & Gentiles divini Reparatoris adventum.

SIVE illam Theologiæ partem spectemus, quæ virtutum, humanorumque Officiorum tradit institutiones, & in qua perexiguas ingenii mei vires exercendo quartum conscripsi Operis hujus volumen; sive inspiciamus partes scientiæ, atque sapientiæ nobiliores, in quibus illustrandis, vindicandisque versatur præcipuum studium clarissimorum Theologorum: nulla res est propter argumenti dignitatem, amplitudinem, atque utilitatem præstantior, nulla proinde, in quam intendere magis debeamus assiduam meditationem, mentisque conatus, quam redemptionis nostræ mirabilis Oeconomia, & divinæ *Incarnationis* altissimum, sacratissimumque mysterium. Quid enim nobis ad formandos mores, ad vitam instituendam, ad singularum virtutum percipiendam normam, ac perfectionem potest majoris esse adjumenti, quam divinum reparandi homines consilium, Dei erga nos charitas ineffabilis, æterni Verbi ex Virgine conceptio & nativitas, sanctissima cum hominibus conversatio, exinanitio & obedientia usque ad mortem crucis, gloriosa ad perennem vitam resurrectio, & assumptæ in consortium divinitatis naturæ humanæ ad Majestatis dexteram exaltatio? In his quidem apparet primum charitatis ordo, in quo diximus omnem sitam esse virtutem; quoniam in Christi *Incarnatione* demonstratum est homini, quem ipse locum teneat in rebus à Deo conditis, dum ita Deo conjungi potuit humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona: commonstratumque quomodo deceptores spiritus nequeant eo titulo, quod carent corpore, se nobis præponere, atque suadere, ut ipsis, tanquam immortalibus diis cultum exhibeamus, dum in carne mortali nasci dignatus est ipse Deus. Deinde gratia virtutum effectrix, & quæ nullis præcedentibus meritis rependitur, in ipso homine Christo summopere commendatur; quia nec ipse, ut tanta unitate Deo vero conjunctus una cum illo persona, & naturalis Dei filius fieret, ullis est præcedentibus meritis assecutus, recte propterea ab Augustino appellatus præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ. Præterea superbia hominis, quæ maximo impedimento est, ne rationalis animus Deo inhæreat, & ne sceleribus inquinatus atque depressus surgat ad pœnitentiam, per Incarnati Verbi humilitatem redarguitur, & sanatur, animadvertens quam longe recesserit à Deo, & quam affici debeat medicinali dolore, quando tali Mediatore indiguit, atque is ad peccatorum nostrorum expiationem

nem subiit teterrimum crudelissimumque supplicium. In hoc autem perferendo factus obediens Patri usque ad mortem, etiam magnum obedientiæ præbuit nobis exemplum: ejusdemque obedientiæ præmium ubinam, quæso, melius ostendi potest, quam in tanti Mediatoris carne, quæ ad vitam resurrexit æternam, & in augustissimo, sanctissimoque Ipsius nomine, in quo omne flectitur genu, cœlestium, terrestrium, & infernorum? Valde itaque affinis est præcedentis voluminis lucubrationibus hæc de Verbo facto homine pertractatio, qua edocemur præceptiones, adjumenta, exemplum, & retributionem virtutis. Atque his accedit tanta argumenti hujus dignitas & præstantia, ut istud præ cæteris trahat contemplantium mentes *in omnes divitias plenitudinis intellectus*, scribente ad Colossenses Apostolo, latere in Mysterio Christi Jesu thesauros omnes *sapientiæ & scientiæ*. Enim vero scientiam in iis, quæ Verbum caro factum temporaliter & localiter egit ac pertulit, sapientiam in iis, quæ sine tempore ipsi Verbo immortali, æterno, & ubique toti conveniunt, bene sapienterque Augustinus in tertiodecimo libro de Trinitate distinguit. Revera neque in rebus, quæ temporaliter fiunt, potest aliquid mirabilius excogitari, quam partus Virginis, Conditoris universorum nativitas temporalis, mors quam pertulit Auctor vitæ, ac tanto pretio soluta filiorum Adæ captivitas: neque in sempiternis divinisque aliquid difficilius inquiri, quam persistens in humilitate Virginei partus gloria antiquæ nativitatis, in corporis circumscriptione divinitatis immensitas, in carnis infirmitate potestas omnipotentiæ: ita nimirum differentes de Christo acquirunt scientiæ & sapientiæ thesauros, dum versantur in humanarum divinarumque rerum sublimiori contemplatione. Id vero, ut nos majori cum voluptate assequamur, extra Scholarum fines per spatia Scripturarum sanctarum, per loca Patrum, historicorum, nec non impie dogmatizantium hæreticorum excurrentes curabimus divina intueri mysteria, fidem Orthodoxam exponere, hæreses profligare, & magnum opus recolere perfectæ Reparationis. At cum Judæis adhuc ducem suum præstolantibus videamur annuntiare *scandalum*, Gentibus autem ignorantibus mysteria Crucis prædicare *stultitiam*; cumque in qualibet disputatione primum in quæstionem veniat rei de qua agitur, veritas & extantia: institui priori hoc libro ipsorum Judæorum pervicaciam retundere, & gentium refutare perfidiam, demonstrans invictis argumentationibus advenisse juxta Prophetarum oracula prænuntiatum humani generis Redemptorem, & hunc esse eundem Dominum Jesum Christum: in cujus Nomine, ut minimus filius Isai adversus Goliath, minimus & ego Augustini discipulus contra veritatis hostes certabo.

CAPUT I.

Demonstratur ex Vaticinio Jacob *Genes.* XLIX. v. 10. venisse Messiam in lege promissum.

SUMMARIUM.

1. Variæ DD. opiniones, cur sceptrum de Juda dudum ante Christum non defecerit. 2. usque ad 10. Affertur vaticinium, & explicatur. 10. Propositio cum sua probatione.

1. Variæ DD. opiniones, cur sceptrum de Juda non defecerit.

Arduam principio hujus libri provinciam suscipio, Propheticum de Christo vaticinium omnium celeberrimum explicandi, & ad veram planissimamque reducendi intelligentiam. Illud namque primum pervicaces Hebræi interpretamentis compluribus tentarunt excutere, postmodum Christiani ipsi implexas instituendo disputationes obscurissimum reddiderunt. Animadvertentes enim sceptrum à domo Juda per longa temporum intervalla defecisse, præsertim tempore Babylonicæ captivitatis, & imperium tenentibus Hasmonæis, mirum est in quot opinationes deflexerint, ut probe tuerentur facto prophetiam cohærere. Quidam ideo de Juda sceptrum non defecisse propugnant, quod licet Hasmonæi paterno genere pertinerent ad tribum Levi, materno tamen essent ex Tribu Juda prognati: quas duas tribus Sacerdotalem, & regiam, id est, Tribum Levi, & Tribum Juda fuisse conjunctas liquet ex matrimonio Aaron, qui uxorem duxit filiam Aminadab, & ex Jojada, qui in matrimonium sibi

sibi copulavit filiam regis Joram. Hanc sententiam post Origenem tenuere complures, etiam Lyranus, Tostatus, & Dionysius Carthusianus. Ut facilius nodum hunc solverent Genebrardus & Baronius affirmarunt Machabæos ex Juda etiam paterno genere ortos, nonnullis Scripturæ verbis proculdubio decepti. At alii opinantes faciliori negotio difficultatem omnem posse expediri, si Judæ nomen ob singularem prærogativam ad universam Hebræorum gentem extendatur, conati sunt propugnare nunquam nisi Herodis tempore ablatum sceptrum de Juda; quod tenuerunt Justinus, Eusebius, Diodorus Tarsensis, Casaubonus, Pererius, & alii; qui diversam tamen rationem explicandi propheticum vaticinium adinvenere. Alii quippe causam proferunt, quod Tribus Juda cæteris fuerit gloria, & dignitate præstantior; alii, quod cæteris tribubus nomen dederit; alii, quod in Tribu Juda solium, sceptrumque perstiterit, etsi persona regia non semper ex eadem Tribu duxerit genus suum. Denique permulti Tribum Juda singulari prærogativa distinctam agnoscunt, sed non ita, ut Rector ac Princeps Judaici populi ex femore Judæ prodierit; sed, vel quia Tribus illa semper jus habuit ad regnum cum temporale, tum æternum instaurandum à Christo, ut docuerunt Cajetanus, & Daniel Huetius: vel quia ipsa Tribus Juda sponte Machabæis, quasi loco depositi Imperium contulit, ut inquit Melchior Canus: vel quia Principes regnaturi, etsi externo sanguine procreati, priusquam regni insignia capesserent, in tribum Juda adlecti erant, & jure hæreditatis, honore germinis, atque civitate donati, ut arbitratur Petavius: vel demum, quia sola tribus Juda fuit regno destinata, sola post captivitatem integra perseveravit, & de hac tribu erat major pars populi Regi Judæorum obtemperantis, in in eadem tribu sedes Regni, Thronus, Magistratus, ac forma civilis regiminis, ita ut necessarium non sit ad demonstrandam sceptri Judaici in una Tribu Juda persistentiam, quod semper Moderator ac Princeps fuerint ex semine Judæ, sed sufficiat si una ex his conditionibus ad Messiam usque in ipsa Tribu perstiterit.

Aſthi Authores non convincunt Judæos.

Quamquam vero hæc omnia à suis Auctoribus magna cum eruditione defendi videntur, unum est obvium, ac planissimum quod possunt Judæi pugnaciter contendere, promitti à Jacobo Legislatorem ac Ducem *ex femore Judæ*: quibus verbis & ego certissimum puto designari, non regionem, non thronum, non adlectum ex aliis tribubus Magistratum, sed virum aliquem Principem, & Jusdicentem vera & propria generatione ex lumbis Judæ progenitum. Quod verissimum esse paulo infra commonstrabo. Si ergo longe ante Jesum Nazarenum Persona hæc principatum tenens defecerit, poterunt Hebræi affirmare, etiam longe ante Christum Jacobi vaticinium fuisse completum; quandoquidem Machabæi, etiamsi dicantur de Tribu Juda ob genus maternum, si non sunt quoque ob paternum, nequeunt appellari *de femore;* & multo minus id competere potest aut Civitati, aut Throno, aut formæ Regiminis, aut Magistratibus ex omni Tribu conflatis: cum apertissima linguæ sanctæ expressione *Dux de femore* aliquam individuam personam principantem, & jus dicentem profectam carnali generatione ex lumbis Judæ, & nihil aliud designet. Hanc vero personam cum in serie plurimorum Regum viri Eruditi minime invenerint, varias opiniones superius expositas promulgarunt: quibus singulis cum non assentiantur Catholici, frustra conabimur, ut subscribant Judæi. Postquam ergo literalem Prophetiæ sensum tradidero, demonstrabo ex ipsis Hebraicis monumentis, nunquam à Davide ad Christum defuisse Principem aliquem ex femore Judæ prognatum, qui judicia exerceret, leges ferret, & sceptri teneret auctoritatem. Diluam postea innumeras Hebræorum cavillationes, & illorum quoque Catholicorum, à quibus recedo, argumentationibus satisfaciam.

Vaticinium Jacob affertur et explicatur.

Vaticinium itaque his verbis continetur: *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Ita Vulgata. Hebraica autem lectio habet: כִּי יָבֹא שִׁילֹה וְלוֹ יִקְּהַת עַמִּים׃ לֹא־יָסוּר שֵׁבֶט מִיהוּדָה וּמְחֹקֵק מִבֵּין רַגְלָיו עַד כִּי *Non recedet virga de Juda, & Legislator de inter pedes ejus, usquequo veniat Silo, & illi congregatio populorum.* 2. Affertur vaticinium.

Particula שֵׁבֶט *Scevet* vel significat sceptrum, & regiam auctoritatem, ut Ps. XLIV. שֵׁבֶט מַלְכוּתֶךָ *Virga regni tui.* Item Num. XXIV. 17. & Ezech. XXI. 13. Vel significat Tribum, ut Judicum 3. Explicatur vaticinium.

dicum XVIII. 19. & Esaiæ XIX. 13. Ea enim vox שבט proprie significat baculum, ideoque vel accipitur per metonymiam signi pro indicio regiæ potestatis, & idem est ac sceptrum, vel per metaphoram pro stirpe à primo parente derivata, ut baculus germinat è radice, & idem est ac progenies vel tribus. Castigationem, & virgam tribulationis hoc loco significare contendunt Rabbinorum nonnulli. Verum apertissime revincuntur. I. Ipsorum Hebræorum testimonio: omnes enim veteres Rabbini, ipsumque Talmud *Scevet* pro Virga Dominationis accepere. II. Chaldæus pro שבט legit, עָבַד שׁוּלְטָן *faciens potestatem*. III. Nullibi particula illa *Scevet*, si solitaria sit, & absque adjuncto epitheto, afflictionem imperiumque tyrannicum sonat; sed tantum ubi ponitur cum adjuncto exprimente furorem, & indignationem, ut Psal. II. 9. & Isaiæ X. 5. IV. Cum illa particula conjungitur in cap. XIX. Gen. altera demonstrans, ut mox dicam, Legislatorem, & quidem natum ex femore, ut nequeat intelligi Dominator exterus, & Tyrannus. V. Quæcunque Judæ promittuntur faustissima sunt, laus fratrum, victoria inimicorum, agrorum fertilitas, vindemiarum ubertas: perperam ergo fingitur infaustum aliquid prænuntiari. VI. A Davide ad Sedeciam, atque post solutam captivitatem usque ad Herodem non fuerunt Judæi sub virga tyrannici dominatus: ideoque non prædixerat Jacob perseveraturam usque ad Christum illorum servitutem & vexationem. Non ergo virgam tyrannici imperii, sed sceptrum, atque proprii Principis regimen particula illa שבט demonstrat. Quod si eamdem particulam accipias pro ipsa Tribu, ita ut sensus sit, tribum Judam usque ad adventum Messiæ nunquam ablatum iri, quemadmodum contigit cæteris in longinquas regiones asportatis; infertur apertissime Messiam venisse, cum jam ipsa tribus Juda patria, penatibusque relictis dispersa, & ejecta experiatur miserabile ac diuturnum exilium.

4. Explicatur vocula Dux.

Sequitur in Prophetico Oraculo Hebraica vox וּמְחֹקֵק Latine *Dux* & Græce ἡγέμενος. Auctore R. Kimchi significat *Dominatorem, qui legem sancit, & exercet judicia.* Juxta Rab. Salom. *Magnum Principem leges præscribentem.* Per Onckelon *Saphram*, idest, *Scribarum Magistrum*, vel *Doctorem.* Nequit hæc interpretatio in dubium verti. I. Ob communem Sapientum consensionem. II. Ob radicalem חקק, unde participium illud fluit, quæ idem est, ac *determinare, & præscribere*, unde à Græcis vertitur, ὑφοεάζειν, διαγράφειν, διατάπτειν, *describere, & ordinare.* III. Ex apertissimo Scripturæ contextu, videlicet Judicum v. 15. ubi מחקקים Mechokekim, *Duces*, appellantur *Scribæ* Issachar, Quare apertissimus Prophetiæ sensus est, permansurum semper in familia, ac progenie Judæ Legislatorem ac principem, sive amplissima præditum auctoritate, qualem habent absoluti Monarchæ, ac Reges, sed quam minime hæc Prophetia in Tribu Juda diuturnam fore promittit; sive Dominatorem virgam tenentem, & civilem potestatem judicia etiam capitalia exercendi, atque Scribarum Præsidem; sive fungentem Legislatoris officio. Quem virum si præfuisse Judæis usque ad Christum adinvenerimus, & de illo vaticinatum Jacobum, non de Principe, qui semper Rex fuerit, & arma tractaverit, id enim neque prophetica verba, neque ipsi Hebræorum Magistri ullatenus exigunt, obstructæ erunt omnes cavillandi rimæ, neque aliquod erit perfugium perfidis obcæcatisque Judæis

5. Explicantur verba De inter pedes ejus.

At proxima verba מבין רגליו *De inter pedes ejus* commonstrant hunc virum principem, judicem, ac legislatorem, futurum ex stirpe, germine, ac semine Judæ: ideoque nunquam revinci potuerunt Judæi, si contendas salvari sensum propheticum vel per Thronum, vel per Urbem, vel per Jura Magistratuum, vel per Principes Tribui Judæ adlectos: quod probatur I. Quoniam illa circumlocutio, *De inter pedes ejus* significat posteritatem, & honesta phrasi genitalia ipsa describit, ut liquet ex Deut. XXVIII. 57. ubi de secundinis legitur: *Quæ egrediuntur de inter pedes ejus.* II. Ex Latina, & Græca versione, quarum illa habet *de femore*, hæc vero ἐκ τοῦ μηρῶν αὐτοῦ, *ex femoribus ejus.* III. Ex communi Doctorum interpretatione. Vertit enim Thargum, *A filiis filiorum ejus:* Jonathan, *De semine ejus;* R. Kimchi, *De medio pedum ejus:* Talmud Jerosolymitanum, *De filiis filiorum ortis ex semine ejus.* Habeo consentientes fere omnes Hebræos, Latinosque.

Princeps iste ex femore Judæ fuit proles Synedrii.

Observandum hoc loco quinam fuerit iste Princeps ex Judæ femoribus ortus *virgam* tenens, atque *legem* præscribens,

bens, & quomodo auctoritatem exercuerit ad Christum usque. Præcepit Dominus ad Moysen Num. XI. 16. ut congregaret *septuaginta viros de senibus Israel*, quibus judicandi potestas, & regimen populi commissum est. Posteriores Judæi Græco vocabulo Synedrion appellaverunt. Cum autem Deuter. XVII. 9. fiat mentio Sacerdotis, & Judicis, duos Magistratus institutos esse colligitur, Ecclesiasticum unum, politicum alterum: quorum primum Synagogam dixerunt, secundum, ut dixi, Synedrion, Præfuisse Synagogæ Principem Sacerdotum ex Tribu Levi nequit in dubium revocari. Synedrio præsidem fuisse ex Tribu Juda, & maximam ad Christum usque auctoritatem habuisse etiam tempore Machabæorum demonstro.

6. Probatur, fuisse Ducem hunc usque ad tempora Christi.

Ac primo de auctoritate hujus principis dicturus sum, & de ipsius genere, postmodum de duratione. Itaque in Chronico, quod inscribitur *Sepher Olam*, & extat ad calcem Genebrardi legitur: *In templo secundo hæc fuit consuetudo, ut Rex ex familia Hasmonæorum, & servis eorum filiis Herodis educeret & reduceret exercitum, curaretque omnia, quæ ad regnum pertinerent. Verum quæ ad legem spectabant statuta ac judicia ad os, seu mandatum Principis de domo David fuere facta.* R. Zemach. fol. 33. *Nam mos erat Hierosolymis, quamdiu esset regnum ex familia Hasmonæorum, & post eos ex familia Herodis, ecce semper fuit Princeps de domo David. Nam Rex curabat exercitum, & res bellicas; sed quæ ad legem pertinebant, statutaque, ac judicia ad nutum Pontificis, & Principis ex familia Davidis administrabantur.* In Bereschith Rabba ita explicatur Prophetia: *Non recedet*, &c. *Isti sunt sedentes Jabbet, docentes sententias in Sanhedrim magna . . . Et quid est, Non recedet sceptrum de Juda? Hoc plane sibi vendicat, quod non est concessum Sanhedrim potestas judicandi judicia, nisi omni tempore, quo sedebant in camera dolata. Cum enim migraverunt inde ad locum alium, cessaverunt judicia animarum, sicut scriptum est Deut.* XVII. *v.* 10. Atque ne omnia exscribam, quæ legi poterunt apud Galatinum, Martinum Helvicum, Bartholaccium, Imbonatum, Raymundum Martini, aliosque; in Talmud Cod. Sanhedrim ita Prophetia explicatur, ומהקקמבין לא יסור שבט שרורין את ישראל בשבש אלו ראשי גליות שבבבל שמלמרין תורה ברבים מיחרוה רגלין אלו בני בניו שלהלל *Non recedet Virga ex Juda: Hi sunt Capita captivitatis, id est, qui sunt in Babylone, & regunt Israelem virga. Et legislator de inter pedes ejus: Hi sunt filii filiorum Hillel, qui multos docent legem.* De Principe ergo Synedrii judicia exercente accipiendum est oraculum Jacobæum: quem principem semper fuisse ex progenie Davidis liquet ex dictis, & manifeste fatentur Hebræorum Chronologiæ, nec non Rabbini complures apud Helvicum, & Imbonatum.

Illustrissimus Daniel Huetius Demonst. Evangel. Prop. IX. respondet hanc sententiam cæteris esse infirmiorem, utpote ex Rabbinorum commentationibus derivatam. Sed primum quis facile sibi persuadeat concorditer Rabbinos omnes in sui perniciem tam splendide fuisse mentitos? Deinde apud Joseph Ben-Gorion lib. V. cap. 4. & Josephum Antiq. XIV. cap. 9. habetur oratio R. Sameas Principis Synedrii, qui compulit Herodem cædis accusatum ad dicendam causam coram Hircano. Ex qua oratione apparet Synedrium in judiciis etiam Capitalibus majorem habuisse auctoritatem, quam Regem. Vide orationem illam Tom. I. Operum Josephi cum notis Hudsoni pag. 701. Præterea etiam Patres communiter docent usque ad Christum permansisse Sceptrum apud posteros David, quod nisi de Principe Synhedrii accipiatur, falsum erit omnino. *Davidica Sedes* (inquit Epiphanius H. XXIX. quæ est Nazaræorum) *perpetua successione ad Christum usque permansit, cum nullo unquam tempore de Judæ tribu Principes defuissent, donec ille venit, cui reposita erant.* Tandem quem ex semore Judæ Principem ac dominatorem regnantibus Hasmonæis & Herode adinvenies, nisi sit ille Dux, Aechmalotarcha, & Caput Synhedrii?

7. Probatur Ducem hunc non defeciisse.

Demonstrandum est jam hunc Ducem non defeciisse nisi sub adventum Messiæ, id est, Christi. In Codice Jotta pag. 53. habetur sceptrum & honorem legis cessasse sub Gamaliele, quem Julius Bartholaccius Tom. I. Biblioth. Rabbinicæ pag. 729. demonstrat obiisse ante Jerosolymitanum excidium an. 18. Hujus autem Camalielis Epistolæ, & Decreta pleniissimæ auctoritatis extant in Codice Synhedrim cap. I. p. II. & in eadem Bibliotheca Rabbinica loco nuper citato. In Bereschith Rabba, ut vidimus, habetur permansisse usque ad migrationem Synhedrii in alium locum, quod contigit juxta Talmud Jerosolymitanum anno ante

te Templi excidium quadrageſimo. Quod Petrus Galatinus lib. IV. cap. 6. ex communi Rabbinorum traditione confirmat. Et ne hæc quoque ad fabulas amandentur; certum eſt ex Joſepho loco ſuperius citato, atque ex Hiſtoricis aliis fide digniſſimis, quod *Herodes regnum adeptus, omnes qui tum fuerant in Synhedrio, atque adeo Hircanum ipſum interfecit, excepto Samea: ipſum enim propter ejus juſtitiam magno habebat in honore; quod poſtea obſeſſa urbe ab Herode, & Soſio, populum monuiſſet, ut Herodem admitteret dicendo ipſos eum propter peccata effugere non poſſe.* Ita Ioſephus lib. XIV. Antiq. cap. 9. Recte ergo Galatinus ibidem: *Tunc proprie & vere de Tribu Juda regni ſceptrum ablatum fuit, cum nemo de regio genere remanſiſſe crederetur: tunc etiam judiciaria poteſtas ab eis amota eſt, cum omnes Sanhedrin Herodes ipſe interimi fecit.* Sed revertendum ad textus expoſitionem.

8. Explicantur verba. *donec veniat Silo.*

Proxima verba ſunt בי יבא שילה עד, *Donec veniat Silo.* Quidam Hebræorum ſic vertunt, *In æternum poſteaquam venerit Meſſias*, ut ſenſus ſit, nunquam ſceptrum poſt Meſſiæ adventum de Tribu Juda defuturum. Hoc probat Rab. Bachai, ex quo ſub particula עד *Aad* ſit accentus *Jethibh*, illam disjungens à ſequenti vocula בי *Cbi*. Sed revincitur apertiſſime. I. Ex cap. XVI. Geneſ. v. 13. ubi non alium ſenſum habet utraque particula, niſi latinæ *donec, usquequo*, aut conſimilis. II. Ex communi aliorum interpretatione: Onkelos enim, Jonathan, Jeroſolymitanus, Abenezra, aliique verterunt, *Donec.* III. Ex probata ab omnibus regula Davidis Levitæ circa accentus. Nam Hebraica ſcriptura ſex diſtinctionis accentus connumerat, *Silluc, Athnach, Segoltha, Zakeph, Rebbia, & Jethibh.* Diſtinguit *Silluc periodum: Athnach*, & *Segoltha* periodi membra; reliqui accentus ſigna ſunt minimæ diſtinctionis. Eſt autem in hoc textu ante particulam עד accentus *Athnach*; ideoque particula illa pertinet ad membrum conſequens.

9. Explicatur particula: *Silo.*

Reſtat poſtrema particula שילה *Silo.* Aliqui hanc derivant a שיל & affixo fœminini generis ה, ita ut ſignificet *Filium ejus*, ex fœmina tantum progenitum; idem eſt enim שיל ac operimentum, vel *fecundina* mulieris: unde vertit Jonathan, *Donec veniat Meſſias, parvulus filiorum ejus.* Deducunt alii ab שלה, quod ſignificat *felicem*, vel *ſoſpitatorem eſſe*, ita ut idem ſit שילה, ac *Salvator, & Auctor felicitatis.* Propterea vertit Sammaritanus, *Donec veniat Pacificus*, Permulti à relativo ש, ac pronomine לו ut ſenſus ſit, *Donec veniat cujus eſt regnum*, ut habet Onkelos; ſive, *Donec veniat cui repoſitum eſt*, aut, *Donec veniant quæ repoſita ſunt ei*, quomodo legerunt LXX. necnon antiquiores Eccleſiæ Patres, ut Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Euſebius, Cyrillus, & Auguſtinus. Arbitrantur permulti alii legendum eſſe שילח ab שלח quod eſt *mittere*, ut ſenſus ſit, *Donec veniat qui mittendus eſt*, quemadmodum habet Latina Vulgata: atque hinc inferunt mendum irrepſiſſe in Codices Hebræorum Huntlæus, Salmeron, & Morinus. Sed Hebraicum Codicem facile eſt hoc loco defendere. Primo quoniam laudatæ Paraphraſes antiquiſſimæ, & Græci, Latinique Interpretes videntur potius attigiſſe ſignificationem שילה quam שלה Deinde quia non videtur Hebraicum Codicem habuiſſe hæc omnia verba שלה אשר יש לה *Qui mittendus eſt.* Tertio quia etiam participium *Miſſus*, non שילח ſcribendum videtur, ſed שלוח. Nec proinde detrahitur Vulgatæ verſionis auctoritati; quin maxime eſt commendanda, quod inter varias illius vocis שילה ſignificationes elegerit propriiſſimum characterem Meſſiæ, qui Iſaiæ XVI. 1. appellatur *Mittendus*: maxime, quod cum Vulgata conſentiat etiam præclariſſimus Doctor Hieronymus. Si tamen mavis ſcriptum olim שילח, probabo maxime, & Hæreticis Romanos arguentibus opponam Grotium in hunc locum, & in cap. IX. Joannis, & quod caput eſt, ipſa Evangelii verba, *Vade, lava in natatoria Siloe, quod interpretatur Miſſus.*

Verum quæcunque ſit origo illius vocabuli *Silo*, certiſſimum eſt ſignificare promiſſum in lege Meſſiam. I. Quia Onkelos reddidit *Donec veniat* משיח *Meſſias*; & Jeroſolymitanus, *Donec veniat* משיחא מלכא *Rex Meſſias.* II. Quia *Silo* eſſe nomen Meſſiæ fatentur R. Johanan, & R. Schela cum cæteris innumeris, nec non ipſum Talmud Codice Sanhedrin cap. 11. fol. 98. III. Quoniam omnis allata Interpretatio Meſſiæ quadrat, cum ipſe ſit *parvulus*, ac *filius Virginis*, Iſaiæ VII. 14. & IX. 6. Ipſe *Dominator, & throni Davidici hæres*, Pſalm. CXXXI. 11. & Daniel VII. 14. *Ipſe princeps pacis, & ſalvator populi*, Iſaiæ IX. 7. & Micheæ

Micheæ v. 5. Ipse *venturus* olim, *mittendus*, ac *desideratus*, Habacuc II. 3. & Aggæi II. 8. De Messia ergo explicanda est particula שילה *Scilo*, undelibet derivata dicatur. Atque pro explicatione prophetici oraculi hæc dixisse sufficiat.

10. Propositio cum sua Probatione.

PROPOSITIO: Ex laudato vaticinio invicte demonstratur jam advenisse promissum in lege Messiam.

Jacobus enim prænuntiavit non recessurum Principem ac legislatorem, sive regia majestate fulgentem, nationemque Judaicam pleno regimine moderantem, sive Synhedrii Rectorem ac Præsidem ex successione ac germine Davidis, quoadusque veniret Silo, id est, desideratus cunctis gentibus, Princeps pacis, cujus potestas æterna, & regnum quod non auferetur. Hunc quippe sensum exhiberi præmisso vaticinio liquet ex positis notationibus, Scripturarum divinarum contextu, linguæ sanctæ proprietate, traditione Rabbinorum, cohærentia Versionum, aliorumque documentorum præsidio firmatis. Atqui jam ab annis plurimis, atque à Regno Herodis Ascalonitæ cessavit in Tribu Juda Dominator, Scribarum princeps, Synedrii Nasci, nec remansit aliquis ex Davidico genere, qui in posterum polleret auctoritate, & exerceret judicia; ut pariter demonstratum est. Ergo à tempore Messias in lege promissus advenit.

CAPUT II.

Rabbinorum commenta dispelluntur.

SUMMARIUM.

1 & 2. Frustra Rabbini probare nituntur, particulam *Scevet* significare virgam in ficto vaticinio.
3 & 4. Inaniter asserunt, sceptrum in tribu Juda fore perpetuum post adventum Messiæ.
5 & 6. Alius sensus Rabbinorum exploditur.
7 & 8. Ex particula donec infirmum argumentum confellitur.
9 & 10. Infundatè dicitur, sceptrum à tribu Juda recessisse tempore captivitatis Babylonicæ.
11 & 12. Ineptè obtrudunt, per particulam Silo non significari Messiam.
13 & 14 Aliuma dhuc habere sensum Prophetiam allata somniant Rabbinc.
15 & 16. Alia frivola objectio solvitur.
17 & 18. Sceptrum necdum ablatum esse à Juda, ad fabulas pertinere ostenditur.
19 & 20 Ultimæ objectioni Rabbinorum satisfit.

1. Objectio I.

SUNT quidem præcedenti capite interpretamenta quælibet Rabbinorum dispuncta: sed ut penitus refutentur, ipsos adversum nos argutantes æquo animo patiamur. Primum ergo eorum objectamentum est: Particula שבט *Scevet* Virgam significat, atque *Virgam* reddidere Pagninus, & alii, ideoque hunc sensum exhibet, Non recedet à Judæis afflictatio, Tyrannorum potestas, & calamitosa vicissitudo, quoadusque veniat Messias Sospitator, ac Dominator pacificus. At fuere Judæi ad hæc usque tempora captivi, dispersi, Gentiumque ludibrium sub virga illa gementes. Non ergo venit Auctor illorum felicitatis, atque repromissus Dominator.

2. Responsio.

Resp. falsam esse hanc illius particulæ שבט interpretationem; ut super argumentis pluribus demonstravi, 1. ex paraphrastis. 2. ex solitaria hujus particulæ positione. 3. ex adjuncta voce *Vmechokek*. 4. ex prophetiæ contextu. 5. ex rerum eventu. Significat ergo ea vox vel Dominatorem, ut vertit Hierosolymitanus, *Non deficiet exercens dominium*, vel ducem scribarum, Synhedrii Magistrum, ut habet Beresceith Rabba, *Non recedet Synhedrim*, & R. Rambam, *Non deficient Aechmalotarchæ*.

3. Objectio II

Deinde opponunt: Sensus prophetici oraculi est perpetuum futurum esse Sceptrum in Tribu Juda postquam Messias adveniet, cum particula עד à sequenti accentu divulsa sit, præsertim cum Messiæ regnum Esaias, & Daniel sempiternum fore prænuntient. At perenne illud ac faustissimum regnum nondum consecuta est Tribus Juda. Jure ergo præstolatur glorioſissimum illum Dominatorem.

Resp. à vero sensu particulam עד detorqueri: quod pariter demonstratum est, 1. quod nullibi particula עד & כי reperiuntur ita divulsæ, ut una ad præcedens membrum, altera ad sequens sit referenda, 2. ex regulis accentuum, 3. ex veterum omnium interpretamentis.

Explodenda est itaque illa Rab. Bachai commentatio, & somnium aliorum Judæorum expectantium perpetuum quoddam Imperium à Messia instaurandum, cum huic regnum spiritale, & alterius generis, ut post dicemus, fuerit repromissum.

5. Objectio III. Præterea objiciunt: Ad complexam illam particulam עד־כי sequitur verbum יבא, quod non significat *veniat*, ut communiter redditur, sed *destruatur*, ut liquet ex Psalmo LXXVIII. 61. *Et repulit tabernaculum Silo &c.* ideoque sensus est, *Non auferetur Sceptrum de Juda, usquedum destruatur urbs Silo*, aut, *Transferetur sceptrum in Juda, postquam Silo vastabitur.* Non spectat igitur ad Messiam hæc Jacobi vaticinatio.

6. Respondetur Resp. commentum istud cæteris esse deterius. 1. quia nusquam reperies verbum בוא pro *devastari*, aut *everti*. 2. quia Silo quando urbem significat, ac præsertim Psalmo ac versu citato, scribitur שילה non, שילה. 3. quia urbs Silo permansit etiam post Babylonicam captivitatem, ut liquet ex Jerem. cap. XLI. 5. Tandem quia, ut probatum est, nec Judæi inficiantur, ante dirutam urbem Silo regnarunt David, ejusque posteri, & post solutam quoque captivitatem ad Herodem usque imperarunt Aechmalotarchæ.

7. Objectio IV. Quarto loco objiciunt: Particula עד *donec* non significat ubique rei, de qua sermo est, intermissionem vel finem, sed frequentissime continuationem, ita, ut in propositionibus affirmantibus idem valeat ac *semper*, & in negantibus idem ac *nunquam*. Usurpatur pro *semper* Ps. CX. 1. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Esaiæ XLVI. 4. *Usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo.* Matthæi XXVIII. 20. *Et ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Act. III. 21. *Quem oportet cælum suscipere usque in tempora restitutionis eorum.* His enim locis perpetuum Christi regnum, perpetua protectio, perpetuum cæleste habitaculum designatur. Econtra usurpatur particula *donec* pro *nunquam* Genes. VIII. 7. *Non revertebatur donec siccarentur aquæ.* 11. Regum II. 23. *Michol filiæ Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ.* Matth. I. 25. *Joseph non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Certum quippe est nunquam corvum rediisse ad arcam, nunquam post mortem Michol peperisse, nunquam Deiparam feciisse jacturam virginitatis. Eapropter Helvidio hunc postremum locum objicienti respondet Hieronymus, *Scriptura quod factum non sit, ostendit.* Illa ergo particula *donec* in Vaticinio Jacobi demonstrat *nunquam* à Juda post adventum Messiæ sceptrum ablatum iri.

8. Respondetur Respondeo eandem particulam *donec* significare etiam terminum temporis, quo exacto evenit, quod ante illud tempus removetur; ut Gen. XIX. 22. *Non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc.* Levit. XII. 4. *Non ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ*, aliisque in locis. Porro in Prophetia Jacob ea particula non idem valet ac *semper*, aut, *nunquam*, quoniam aliquando sceptrum ablatum est. Significat ergo terminum temporis. Deinde, etsi particula illa *donec* nihil affirmet vel deneget post terminum prænuntiati temporis, definit tamen dubium quod maxime scire ex ipsa oratione cupimus, circa tempus præcedens. Ex hac enim Oratione, *Corvus non revertebatur, donec siccarentur aquæ*, etsi non inferatur quod corvus ad arcam redierit exsiccatis jam aquis, deducitur tamen apertissime, nunquam corvum in arcam introiisse, priusquam aquæ exsiccarentur: quemadmodum ex altera enunciatione certo colligimus nunquam Michol peperisse; atque ex tertia perspicuum est Mariam semper virginitatem servasse ante partum. Quamquam ergo particula *donec* in prophetico Jacobi oraculo non enuntiaret quid de sceptro Judæ futurum sit post tempora adventus Messiæ, declarat tamen apertissime semper permansurum in domo Juda usque ad Messiæ adventum; ideoque si ablatum est, Messias jam venit. Omnia ergo allata exempla pervicaciam Judæorum redarguunt. Ad hæc supponit ista argutati oparticulam *donec* idem valere ac *postquam*; quod refutatum est supra. Insuper etsi עד, *donec*, solitarium foret significationis ambiguæ, hic tamen conjunctum est cum בי, atque ad certum sensum contractum. Præterea Rabbinorum omnium consensu Iacobi scopus fuit tempus futuri Reparatoris præfigere, certamque adventus ejus notam proponere. Prætermitto haberi in Hebræorum Codice de corvo Gen. VIII. 7. *Exiit exeundo, & redeundo,* יצא יצוא ושוב

Obji-

9. Objectio 5. Objiciunt rurſus Judæi: Tempore captivitatis Babylonicæ ſceptrum à Tribu Juda receſſit, atque poſt captivitatem regnarunt usque ad Herodem Machabæi, qui erant de Tribu Levi; nec tamen credunt Chriſtiani eo tempore advenſſe Meſſiam. Non ergo præbet certum hujus adventus characterem prænuntiatio Jacobi.

10. Solvitur. Reſp. Capitvitatis tempore non ſolum Evilmerodachum iterum ad Thronum ſublevaſſe Regem Joachim, ut habetur poſtremo capite librorum Regum, nec ſolum detento in carcere Joachimo conſtitutum ſuper Judam & Jeruſalem à Nabuchodonoſore Sedeciam Joachimi patruum, ut legitur in fine Paralipomenon; quod argumento eſt Judæ ſceptrum tunc imminutum fuiſſe, non ablatum: ſed præterea tam in captivitate, quam ea ſoluta habuerunt Hebræi legislatorem, ſive Aechmalotarcham & Caput Synhedrii, in quo perſtitiſſe Judæ ſceptrum, conſentiunt, ut vidimus, Rabbini. De hac Sceptri continuatione explicat Targum ea verba, Cantic. VI. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum*, dicens, *Deſcendit in Babyloniam ad ſapientes Sanhedrim.* Atque hujus Senatus Principes fuiſſe ex femore Juda usque ad Herodem exploratiſſimum eſt apud Hebræos. Et quidem usque ad Nehemiam præfuiſſe ex ſacris literis invenimus Zorobabelem filium Salathielis, de quo 2. Eſdræ XII. 1. & Aggæi I. 12. Commemoratur & Daniel, quem fuiſſe *de filiis Juda* conſtat ex cap. I. v. 6. adeptum vero ſummam auctoritatem & præfecturam Magiſtratuum, ex cap. II. v. 48. Nehemias autem Cap. v. 15. memorat alios ante ſe *Duces*, eosque appellat vocabulo פַּחַת deſignante ſupremum Præfectum. Ipſum Nehemiam fuiſſe de Tribu Juda conſtans eſt opinio Hebræorum, à qua nec alieni ſunt Græcorum Hiſtorici, ſcribente Euſebio Cæſarienſi in Chronico: Νεεμιας ἐκ φυλῆς Ἰυδα, & Cedreno expreſſius, Νεεμίας ἐκ τῦ σπέρματος Δαβίδ, *Neemias ex Tribu Juda, & ex ſemine David.* Qui enim Nehemiam annumerant Sacerdotibus, ducuntur capite X. Eſdræ, & 2. Machabæorum I. 18. ubi videtur cum Sacerdotibus recenſeri. At in lib. Machab. aſſeritur tantum Nehemiam ædificato templo ſacrificia obtuliſſe, & aperte diſtinguitur à Nepotibus Sacerdotum, quos miſit ad requirendum ignem: & in Esdra annumeratur ſacerdotibus ut Princeps, & populi Rector, non ut unus eorum; ſcribitur enim ibidem fœderis literas obſignaſſe Principes, Levitas, & Sacerdotes. Sed & Scaliger reſpondet plures fuiſſe Nehemias, Principem unum, Sacerdotem alterum, & hunc laudari c. X. Esdræ probat ex adjuncto cognomine *Atherſatha:* quod mihi nulla ratione probatur, cum juxta Abenezram *Atherſatha* ſignificet Pincernam regis, vel Perſica lingua Ducem ac Principem; idque colligitur etiam ex 1. Esdræ I. 8. & II. 63. ubi eo vocabulo appellatur Zorobabel Princeps dubio procul ex Tribu Juda. Atque his magis corroboratur ſententia noſtra, quod Magiſtratuum Præfectus ſemper usque ad Herodem fuerit de Judæ femoribus: unde ait Rab. Salomo: *Scevet ſignificat principatum inferiorem: ſuntque ii, qui gubernant populum indultu Regum Perſarum;* & Rambam, *Aechmalotarchæ locum regis obtinent: iisque competit jus in populum dominandi, quia dictum eſt, Non auferetur ſceptrum, &c.*

11. Opponunt Judæi VI. Præterea opponunt: Fruſtra detorquetur particula שִׁילֹה *Scilo* ad ſignificandum Meſſiam; cum potiori jure pluribus aliis conveniat. Ac primo deſignare poteſt Moyſen, quem fuiſſe Legislatorem Hebræorum nemo ignorat. Competit & Sauli, is enim omnium primus regiam dignitatem obtinuit, cum in Silo ſervaretur ſacrum oleum, & Arca. Propriiſſime etiam quadrat David, parvulo filio de tribu Juda, & minimo natorum Iſai. Peculiari quoque charactere demonſtrat Jeroboamum, à quo decem Tribus à regno Salomonis fuerunt diſciſſæ: quod 3. libro Regum XI. 29. prædixit Ahias *Silonites* ſcindens in 12. partes pallium ſuum. Denique explicari poteſt Prophetia de externis Regibus miſſis ad Judæorum ſcelera punienda; quales fuerunt Nabuchodonoſor, Pompejus, Herodes, Veſpaſianus.

12. Obviatur illis. Reſp. Per vocabulum *Silo* non niſi Meſſiam ſignificari probat omnis etymologia, omnis ſcripturarum collatio, omnis Rabbinorum conſenſio. Legant pervicaces Hebræi Targum, Onkelon, Jeroſolymitanum, Talmudiſtas, & quos ſuperius commemoravimus. Legant & Maſorethas, nec non Gematricæ Cabbalæ Auctores, qui eundem numerum 358. animadvertentes in יבא שילה atque in משיח, vel ipſis ineptiis traditionem universorum comprobarunt. Revera Sauli nulla ratione competit particula שילה I. quia ante Saulem non fuit ſceptrum in Tribu Juda, ſed ab ipſo Saule pertranſit in Davidem. II. Sauli à Deo, à ſuis, à gentibus reprobato nequit competere

petere ſpecioſum illud cognomen *Expectatio gentium.* III. Saul inunctus fuit in Regem, ut habetur lib. 1. Regum IX. & X. in Maſphath, non in Silo. IV. Tempore unctionis Saul Arcam Domini viri Cariathiarim aſportaverunt in domum Aminadab. Neque *Silo* deſignare poteſt Moyſen. I. Quia non eſt Moyſes de femore Judæ, ſed Levi. II. Quia ante Moyſen nulla fuit penes Judæ tribum ſceptri auctoritas, vel poteſtas. III. Quia non principium dominationis, ſed ablationem ac terminum Jacob prænuntiavit. IV. Quia ab illo prædicta ſunt, quæ compleri debebant *in noviſſimis diebus*, & exitum de Aegypto non ſolius tribus Judæ, ſed Hebræorum univerſorum jam prædixerat Deus Abrahamo Gen. XV. 14. Quid vero de David? In Davide tranſiit ſceptrum ad tribum Juda, non inde divulſum eſt. Jeroboamus autem Judæ ſceptrum diminuit, non abſtulit, neque in *Silo* unctionem Regis accepit, ſed in *Sichem*, ut liquet ex III. Regum XII. 1. Ineptiſſimum præterea eſt *Silo* ſcriptum שילת pro viro *Silonite* accipere, cum ex hiſce literis nec urbem, nec urbis civem poſſimus deprehendere. Cæteri neque *de femore Judæ* dici poſſunt, nec *deſiderium gentium*: atque, ut vidimus, per Nabuchodonoſorem ſceptrum de Juda non fuit ablatum, quemadmodum nec per Pompejum, qui devicto Ariſtobulo conſtituit regem Hircanum, nec Magiſtratuum jura delevit. Imperante Veſpaſiano, atque ſub Herode ſceptrum defeciſſe dictum eſt ſupra.

13. Arguunt VII. Arguunt ulterius Rabbini עמים יקהת, quod Latini reddiderant *Expectatio gentium*, ſignificat gentium *contuſionem*, atque *oppreſſionem*; eſt enim à radicali קהה quod eſt *obſtupeſcere & contundere*, ut ſenſus ſit adveniente Meſſia gentes omnes evertendas, & conterendas. Id vero nondum completum eſt, & conſequenter promiſſus Meſſias non advenit.

14. Satisfit. Reſp. non commentum iſtud eſſe, ſed craſſum ſomnium, & ſingularem dementiam. I. Quia litera *Jod* demonſtrat derivatam vocem יקהת à radicali יקה, quod eſt *audire* & *obedientiam præſtare*; unde nulla extat Verſio, quæ illam vocem *Ichead* non expreſſerit hac alia *expectatio*, vel *aggregatio*, vel *obedientia*. II. Onkelos diſerte vocabulum illud exponit ſequentibus aliis רליה ישתמיזרן פממיא *Et illi obedient populi.* III. In Bereſcith Rabba, ſive magna Expoſitione Geneſeos ad illam dictionem legitur; *Futurum eſt, ut Gentes ſæculi deferant munera Meſſiæ filio David.* IV. Cum de ablatione ſceptri Judaici ſermo fit, enuntiarentur pugnantia, ſi יקהת *oppreſſionem gentium* ſignificaret, & non potius *aggregationem.*

Objiciunt alii: Si יקהת ſignificat *obedientiam*, עמים non Gentes deſignat, ſed Judæos. Expectandus eſt ergo Rex ad quem Hebræi omnes confluentes feliciſſimo, ampliſſimoque regno fruantur. 15. Inſtant VIII.

Reſp. Judæos unum populum eſſe, non plures, ideoque appellari עם, non עמים, neque conſtare cum ablatione ſceptri auſpicium majeſtatis, & tribuum aggregationem. 16. Reſpondetur

Adhuc opponunt: Nondum de Juda ſceptrum ablatum eſt; regnat quippe adhuc in Aſia ortus de tribu Juda Aechmalotarcha: poſſident Judæi & regnum florentiſſimum in Syria ultra Sabbaticum flumen: ipſe Turcarum Imperator aliique Principes maximi ex Judæorum populo originem trahunt. Extant alibi illuſtria Judaici regni inſignia; & dato, quod nullibi regnarent, retinent jus ad regnum, eoque jure ſumma adhuc auctoritas perſeverat. 17. Objiciunt IX.

Reſpondeo has recentiorum Judæorum fabulas etiam à ſuis irrideri. Refutantur autem I. Ex Talmude Jeroſolymitano, cujus in libro Sanhedrim extat ſincera confeſſio: *Væ nobis, quia ablatum eſt ſceptrum;* & ex Rab. Bachai ſcribente, *Hodie non habemus regem, neque principem.* II. Ex proloquio Hebræorum, quod *mentiri dicendus eſt, qui procul facit teſtes ſuos.* III. Ex quo univerſi Orientis Principes, licet exorti forent ex decem Tribubus à Salmanazare trans Euphratem adductis, neque ſervant Moſaicam legem, neque pertinere ullatenus poſſunt ad Tribum Juda, quæ permanſit in terra Chanaan. IV. Quia ſimilia Judæis ſomniantibus circa annum Chriſti XCV. imperator Domitianus undique conquiſitos qui ex regia Davidis ſtirpe genus ducerent, duos tantum reperiit ex ipſa cognatione Chriſti, ſed adeo pauperes, ut ſuis manibus arva colerent, ad tributa ſolvenda, & comparanda ſibi ad vitam neceſſaria. De qua re vide Euſebium lib. III. H. E. cap. XX. V. Jus, quod jactant ſe habere ad regnum, cum tota ſtirps Davidica ceſſaverit, & univerſa gens Hebræorum dirutis Jeroſolymis, Temploque everſo per orbem diſperſa ſit, nonniſi craſſum ſtultumque 18. Reſpondetur

figmen-

figmentum potest censeri: maxime quod talia comminisci poterunt usque ad mundi finem, si fas sit somnia istiusmodi venditari. Propheticum denique vaticinium Oseæ III. 4. ישראל אין ואין שר ימים רבים ישבו בני מלך *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, & sine principe*, quandonam, nisi forte in tam diuturna captivitate, complebitur?

19. Objectant X. Insuper objectant: Plures sunt in sacris literis prædictiones, quæ ob hominum peccata minime implentur, atque hujus generis esse promissionem Reparatoris, regnique Judaici perpetuam instaurationem.

20. Eliminantur. Respondeo quandoque ab invitis pectoribus erumpere veritatem. Judæi utique ob gravissimum aliquod crimen tot, tantisque calamitatibus premuntur. Sed gravius erit peccatum filiæ Sion flagitiis Patrum suorum, qui adoraverunt idola, ac dæmoniis natos suos immolarunt, quoniam superat præteritas clades atque infortunia postremum Jerosolymorum excidium, & præsens captivitas. Peccatum istud maximum est occidisse Christum Domini, cujus mortem juxta Danielis oraculum IX. 26. subsecuta est *vastitas, & post finem belli statuta desolatio.*

Ex his Judæorum effugiis colligimus, etiam oppositionibus suis ipsos damnari, & refelli. Dum enim coarctantur tam aperta de sceptro Judaico prophetia, reponunt non de sceptro regni, sed de virga afflictionis locutum esse Jacobum. Exploso hoc mendacio, Moysi vaticinium attribuunt. Refutati Saulem intrudunt. Implicati magis in scenam producunt nunc Jeroboamum, nunc alios, coacti ad proprios hostes confugere. Dum vexationem maximam experiuntur, somnia narrant de felicitate regni, ad quod prohibentur accedere. Quasi à somno excitati pœnam non denegant, sed pervicaciam non frangunt. Frustra ergo excutere argumenta nostra conantur. Erit fortasse qui dicat, Eccur tam manifestum signum adventus sui Christus non prædicavit? cur sceptrum jam ablatum minime ostendit? Id miseri propriis oculis spectabant, & persuasum singulis erat proximum esse Christum venturum, aut jam adventasse. Nam & Judæorum quidam se Messiam esse ambitiose jactarunt, quidam alii Messiam latitare dixerunt. Etiam apud Gentiles percrebuerat fama egressurum eo tempore ex Judæa magnum Regem, qui rerum potiretur, ut inquit Hist. lib. v. Tacitus. In characteribus Messiæ dignoscendis decepta principio est Judaica superbia, quæ glorioſum, non humilem Regem præstolabatur, opibusque & armis clarissimum, non sanctitate & virtutibus. Propterea hortabatur illos piissimus Salvator, ut Moysi crederent, & scrutarentur scripturas, revocans, inquit Huetius Prop. IX. cap. IV. *in memoriam vaticiniorum ad se pertinentium.*

CAPUT III.

Respondetur Catholicis aliarum sententiarum auctoribus.

SUMMARIUM.

1. & 2. Judæi non satis urgentur per hoc, quòd Machabæi genere materno spectarent ad tribum Juda.
3. & 4. Machabæos paternâ etiam lineâ ad tribum Juda spectâsse, intolerabilis est opinio.
5. & 6. Tribum Juda commisisse sceptrum Assamonæis quasi locò depositi, frustra asseritur.
7. & 8. Nomine tribus Juda comprehendi etiam reliquas tribus, non est verisimile
9. & 10. Hæc verba: *sceptrum de Juda, & Dux de femore*, ad alias significationes inaniter detorquentur.
11. & 12. Tribum Juda à jure sceptri non excidisse, minimè convincit Judæos.
13. & 14. Ultima objectio enodatur.

1. Objectio I. AT inquiunt quidam Catholici: Via ad revincendos Judæos magis expedita est, si dicamus usque ad Herodem sceptrum permansisse in Tribu Juda, quod ad ipsam Machabæi genere materno spectarent, & post ipsos regno potitus sit Herodes Ascalonita, sub quo idcirco regia potestas à Judæorum gente defecit.

2. Diluitur. Respondeo parùm hac sententia urgeri Judæos. Nam I. Huetius demonstrat nullo numero apud Judæos ipsos mater-

nam stirpem censeri. II. Incertum est, atque inverisimile omnes Sacerdotes mulierem de Tribu Juda in uxorem duxisse, spretis contribulibus suis nobilissimis. III. Quemadmodum Christus, licet Maria genere materno esset ex tribu Levi, non censetur nisi de Tribu Juda: ita Machabæi, licet materno genere ex Tribu Juda prognati, non possunt censeri, nisi de Tribu Levi. IV. Ea verba *De femore Judæ* paternam, non maternam stirpem commonstrant, cum designent generationis stipitem, rectamque posterorum germinationem.

3. Objectio 2. Propugnemus, inquiunt alii, si prædicta sententia minus valida est, alteram longe probabiliorem, quod Machabæi ad tribum Juda paterna quoque linea spectabant. Nam id aperte deducitur ex libro 1. Machabæorum cap. v. 63. ubi de Machabæis legitur: *Et viri Juda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israel.*

4. Rejicitur. Resp. hanc alteram opinationem nec tolerabilem esse. I. Quia hoc loco *Juda*, non significat aliquam Tribum, sed est proprium Machabæi nomen, ut constat ex præcedenti versu 61. *Non audierunt Judam, & fratres ejus;* & ex seq. 63. *Et exivit Judas, & fratres ejus, &c.* II. Quia versus ille 65. ita habetur in Græco: Καὶ ἀνὴρ Ἰούδας, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, *Et vir Judas, & fratres ejus.* III. Quia Machabæi officio sacerdotali fungebantur, ut constat de Mathathia lib. 1. cap. 2. 1. *In diebus illis surrexit Mathathias filius Joannis, filii Simeonis, Sacerdos ex filiis Joarib ab Jerusalem:* de tribu autem Juda *nullus* (inquit Paulus ad Hebræos cap. VII. 13.) *altari præsto fuit.* IV. Quia non hæreditario jure, sed ex populi electione Machabæi consecuti sunt regnum, ut constat ex 1. Mach. IX. 28. V. Quia etsi detur, quod falsum est tamen, Machabæos fuisse de Tribu Juda; quid de iis affirmabimus, qui ante Machabæos post solutam captivitatem, id est, ab anno mundi 3475. usque ad annum 3837. regnaverunt?

5. Objectio 3. Ergo, dices, adhærebimus iis, qui tenent sceptrum non ablatum de domo David, quoniam ipsa Tribus Juda Assamonæos elegit, eisque quasi loco depositi proprium regnum asservandum commisit.

6. Solvitur. Resp. His nunquam Judæis satisfactum iri. I. Quia Sacerdotum Principes ante Mathathiam non electione Tribus Judæ, sed Regum Persarum concessione novum Templum atque res sacras curarunt. II. Quia Mathathias ipse Assamonæorum primus non electus à viris Juda thronum conscendit, sed collecto piorum exercitu, & cæso Antiochi præsidio, ut habetur cap. 2. prioris libri Machabæorum, versu 45. III. Quia Judas Machabæus, ut ibidem legitur v. 66. ab eodem Mathathia morti proximo constitutus est Dux belli, & Princeps militiæ: quæ provincia cap. IX. v. 28. commissa est Jonathæ ab omnibus amicis, & commilitonibus fatris sui, Simoni vero cap. XIII. 8. ab universo Exercitu, ac populo conclamante: *Tu es Dux noster loco Judæ, & Jonathæ fratris tui.* IV. Quia si defuit Tribui Judæ Contribulis ad regendum sceptrum idoneus, defuit dux מבין־רגליו, *De femore.*

7. Objectio 4. Cum ita res se habeat, ais, amplectamur pervulgatam sententiam eorum, qui tradunt in vaticinio Jacobi nomine Tribus *Juda* cæteras etiam comprehendi, eoquod fuerit illa præ aliis filiorum numero, divitiarum copia, regnique gloria præstantior, ita, ut Hebræi omnes fuerint *Judæi* ab hac una tribu promiscue appellati.

8. Frustratur. Resp. neque hac via insistentes nos aberrantibus Judæis obviam ituros. I. Quia Ducis & Legislatoris nomine non gentis suæ multitudinem, sed singularem personam de femoribus Juda exeuntem designari contendunt. II. Quia reliqua omnia à Jacob de Juda prænuntiata ita uni Tribui conveniunt, ut cæteris nequeant esse communia. III. Quia Duces diversarum Tribuum dici non possunt ex femore uno progeniti. IV. Quia nec certum est semper Tribum Juda fuisse cæteris præstantiorem, soluta præsertim captivitate, quando vix ei remansit pristinæ dignitatis imago. V. Quia ideo Tribus Juda universæ Hebræorum genti de se nomen fecit, quia sola cum parte aliqua tribuum Simeon ac Benjamin, discisso sub Jeroboam regno, adhæsit Roboamo; non autem ob sceptri dignitatem, divitiarumque amplitudinem.

9. Objectio 5. Accedamus itaque, asseris, ad scitum recentiorum affirmantium per ea verba, *sceptrum de Juda*, & *dux de femore*, significari vel personam Dominatoris, vel regiam urbem, vel thronum, vel formam regiminis, ita, ut, semper salvetur aliqua illius Tribus proprietas sub Assamonæorum imperio.

10. Invalidatur. Respond. Neque hoc ariete frangi pervicaciam Judaicam. I. Quia neque urbi, neque throno, neque regimini, neque adlectis aliunde Magistratibus competit

petit eſſe *de femore Judæ*. II. Quia vel hæc omnia Tribui Judæ conveniunt ſimul, & ablatum eſt ſceptrum, cum pertranſiit ad regiam alienæ Tribus perſonam; vel ſat eſt ſi conveniant disjunctim, & ſic neque ablatum eſt ſub Herode: qui licet dicatur alienigena, quod non omnes conſentiunt, Jeroſolymis tenuit principatum, inter filios poſtea diviſum; regnumque in familia Herodis permanſit usque ad Agrippam illius generis ſeptimum, qui obiit tertio Trajani anno. III. Quia in Prophetia Jacob nomen *Juda* ſignificat duntaxat unum ex filiis ipſius Jacob, quem Patriarcha alloquitur, & cui fratrum laudes, & terræ Chanaan poſſeſſionem prænuntiat; & conſequenter ea verba *de femore ejus* commonſtrant ſolam illius viri legitimam poſteritatem.

11. Objicitur 6. Itaque aſſerendum erit eo ſenſu ſceptrum permanſiſſe in Tribu Juda usque ad Chriſtum, quod illa Tribus à Jure ſceptri ad illa usque tempora non exciderit?

12. Infirmatur. Reſp. non obſtrui juxta hanc ſententiam os Judæorum. I. Quoniam de hoc ad regnum jure etiamnum gloriantur. II. Quia, etſi modo per orbem diſperſi jus ad ſceptrum amiſerint, fuerunt tamen usque ad annum Chriſti XCV. quo Domitianus Imperator juſſit ad ſe adduci regiæ Judæorum ſtirpis reliquias, adinventi poſteri quidam Davidis pænes quos comminiſci poterunt extitiſſe jus ſceptri. III. Quia etſi jus ad regnum ſermonis conſuetudine alicui tribuit Regis nomen ac dignitatem, quamvis regnum ipſum actu non adminiſtret; Hebraica tamen vocabula שבט, & מחקק, virum ſignificant actu judicia exercentem, ſaltem juxta interpretationem veterum Rabbinorum.

13. Objectio 7. Sed præmiſſa, inquis, de Synedrio ſententia multiplici capite excutitur. Primum derivata eſt à Rabbinorum commentis. Deinde Synedrii Aſſeſſores non fuerunt ex una Tribu Juda ſelecti. Hi tandem, ſi Reges imperabant, ſceptrum profecto non tenuerunt.

14. Refellitur à Propoſitione Probationibus ſuffulta. Reſp. Sententiam noſtram eſſe cæteris præferendam. Atque ad 1. dico facilius retundi Judæos, ſi pro nobis pugnet Magiſtrorum ſuorum auctoritas; quamquam non hæc ſola nos movet, ſed propria Jacobæi oraculi interpretatio, & reliquarum opinionum incohærentia. Ad alterum vero reſpondeo, non de ſingulis Aſſeſſoribus à nobis Vaticinium exponi, ſed de naſci, ſive Æchmalotarcha, quem in Captivitate, & usque ad Nehemiam fuiſſe de Tribu Juda colligimus ex ſacris literis; de ſubſecutis autem temporibus ipſa Judæorum convenientia arripimus teſtimonia. Ad poſtremum denique aſſerimus, neque verborum ſignificationem, neque antiquos interpretes, neque Rabbinorum aliquem à nobis exigere, ut de ſola Regia perſona interpretemur nomina *Legislatoris ac Ducis*, ideoque etiam ſub alienis Regibus potuit in Tribu Juda perſeverare שבט, & מחקק, usque ad diſperſionem Synhedrii.

CAPUT IV.

Refelluntur Judæi ex vaticinio Danielis Cap. IX. v. 24. & ſeqq.

SUMMARIUM.

1. Variæ Auctorum ſententiæ.
2. Propoſitio.
3. Differentia inter Hebraicum, & Latinum Codicem.
4. & 5. Ponuntur quædam prænotanda.
6. usque ad 11. Probatur, & confirmatur propoſitio.
11. usque ad finem afferuntur, & ſolvuntur objectiones.

1. Variæ Auctorum ſententiæ. PERDIFFICILEM aggredimur diſſertationem de LXX. Danielis hebdomadibus, quarum præſcriptio ut invictiſſime probat Meſſiam veniſſe, ita Chronologorum illas ſupputantium magnopere torquet ingenia. Revinci enim enuntiato oraculo recutitos Hebræos fere omnes propugnant, ſed ubi eos ad Chronotaxin appellas, adeo diſcordant, & nutant, ut conciliari non valeant. Putandas hebdomades ab anno primo Monarchiæ Cyri docuit Euſebius lib. VIII. Demonſtrationis Evang. ita ut ſeptem priores hebdomadæ expletæ ſint anno ſexto Darii, & conſummato Templi ædificio, reliquæ LXII. exierint cum Hircanus jugulatus eſt ab Herode, poſt quæ tempora advenit prænuntiata Redemptio,

demptio, postmodum sempiterna abominatio urbis ac templi. Idem opinatur circa initium hebdomadarum Jo. Frischmuth, nec est, ut quidam putant, hæc sententia fidei Christianorum adversa, cum minime deneget prædictum à Daniele adventum Christi post exactum circulum hebdomadarum, quamvis ad ipsum Christum definita supputatio non referatur. Joseph Scaliger, & Protestantium multi septimanas supputant ab anno 2. Darii Nothi, & producunt usque ad urbis excidium, cum tamen ab illo anno Darii fluxerint hebdomades LXX. principio regni Herodis, ut contra Scaligerum demonstrat Petavius lib. XII. de Doctr. Temp. cap. 35. Numerant alii ab exitu divini sermonis, sive à revelatione facta Danieli, ut Paulus Burgensis, Lyranus, Galatinus. Sed missis aliis sententiis duæ sunt inter Recentiores magis receptæ: quarum una septimanas putat ab anno septimo Artaxersis Longimani; cui subscribunt Jacobus, & Ludovicus Cappelli, Cornelius à Lapide, Nicolaus Abrahamus, Ayrolus, Gravesonius, noster Gulielmus Bonjour, & viri alii graves Chronologicæ disciplinæ peritissimi: altera supputat ab anno ejusdem Artaxersis vicesimo cum Usserio, Huetio, Natali Alexandro, nostro Bouges, Lamy, aliisque viris gravissimis. Ab his omnibus discrepat Chronologia Hebræorum existimantium Monarchiam Persarum vix annis LIV. stetisse, nec alios post Balthasarem habuisse Reges præter Cyrum, Cambysem, Assuerum, & Darium. Statuimus in tanta opinionum varietate tria præstare: primum erit Judæos revincere ex prophetico oraculo, missis tricis Chronologorum: alterum illos magis urgere Chronologica illa supputatione, quæ nobis vibebitur magis exacta; tertium eos refutare ex propria etiam Chronologia, licet in multis falsa, ac merito reprobata.

2. Propositio unacum Propheria Danielis.

Propositio. Ex Vaticinio Danielis constat Messiam jam venisse.

His verbis Prophetia comprehenditur.

שִׁבְעִים שָׁבֻעִים נֶחְתַּךְ עַל־עַמְּךָ
וְעַל־עִיר קָדְשֶׁךָ לְכַלֹּא הַפֶּשַׁע
וּלְחָתֵם חַטֹּאוֹת וּלְכַפֵּר עָוֹן וּלְהָבִיא
צֶדֶק עוֹלָמִים וְלַחְתֵם חָזוֹן וְנָבִיא
וְלִמְשֹׁחַ קֹדֶשׁ קָדָשִׁים׃ וְתֵדַע
וְתַשְׂכֵּל מִן־מֹצָא דָבָר לְהָשִׁיב וְלִבְנוֹת

יְרוּשָׁלִַם עַד־מָשִׁיחַ נָגִיד שָׁבֻעִים
שִׁבְעָה וְשִׁבְעִים שִׁשִּׁים וּשְׁנַיִם
תָּשׁוּב וְנִבְנְתָה רְחוֹב וְחָרוּץ וּבְצוֹק
הָעִתִּים׃ וְאַחֲרֵי הַשָּׁבֻעִים
שִׁשִּׁים וּשְׁנַיִם יִכָּרֵת מָשִׁיחַ וְאֵין
לוֹ׃ וְהַעִיר וְהַקֹּדֶשׁ יַשְׁחִית עַם
נָגִיד הַבָּא וְקִצּוֹ בַשֶּׁטֶף וְעַד־קֵץ
מִלְחָמָה נֶחֱרֶצֶת שֹׁמֵמוֹת׃ וְהִגְבִּיר
בְּרִית לָרַבִּים שָׁבוּעַ אֶחָד׃ וַחֲצִי
הַשָּׁבוּעַ יַשְׁבִּית וּמִנְחָה׃

Hebdomadæ septuaginta decisæ super populum tuum, & super civitatem sanctitatis tuæ ad consumendum prævaricationem, & ad sigillandum peccata, & ad expiandum iniquitatem, & ad adducendum justitiam sæculorum, & ad siggillandum visionem, & prophetiam, & ad ungendum sanctitatem sanctitatum. Ei scies, & intelliges ab exitu sermonis ad reverti faciendum, & ad ædificandum Jerusalaim usque ad Unctum ducem, hebdomadæ septem, & hebdomadæ sexaginta & duæ: redibit, & ædificabitur platea, & fossa, & in coarctatione temporum. Et post hebdomadas sexaginta, & duas excidetur Unctus, & non ei: & civitatem, & sanctitatem corrumpet populus Ducis venturi, & finis ejus in inundatione, & usque ad finem belli decisæ desolationes, & roborabit pactum multis hebdomada una: & dimidio hebdomadæ cessare faciet sacrificium, & munus, &c.

3. Differentia inter Hebraicum & Latinum codicem.

Differt aliquantulum ad Hebraico Codice Latina vulgata. Primo legit pro *decisæ*, *abbreviatæ sunt* recte exprimens Græcam versionem συνετμήθησαν, id est, in unam summam contractæ, ac definitæ: unde parum, aut nihil occurrit hic discrepantiæ. Deinde habet pro *super urbem sanctitatis tuæ* Interpres noster, *super urbem sanctam tuam*; nec aliquid est discriminis: nam familiare est Hebræis substantivum pro adjectivo adhibere, atque hoc idem extat Ps. 11. 6. & 89. 21. Pro verbis illis, *ad sigillandum peccata*, nos legimus, *ut finem accipiat peccatum*: quod idem profecto est, ut constat ex verbis proximis, *ut consummetur prævaricatio, & deleatur iniquitas*; unde ipsi Majorethæ legerunt להתם ad *consumendum*, atque ita vertit etiam Aquila. Ubi legunt Hebræi *ad ungendum sanctitatem sanctitatum*, habent

habent Latini, *ut ungatur Sanctus sanctorum*, nulla sane differentia, propter consuetudinem nuper laudatam substantiva locandi pro adjectivis. Verba Hebraici Codicis, *ad reverti faciendum & ad ædificandum Jerusalem*, nos reddimus, *Ut iterum ædificetur Jerusalem*, & profecto optime, nam infra reædificatio Urbis exprimitur iisdem verbis, *Redibit & ædificabitur platea.* שוב ergo hoc loco significat iterationem, & Vulgatæ consentit Syriaca quæ legit, *Ab egressu verbi usque ad reædificationem Jerosolymæ. Excidetur Unctus*, extat in Hebræo; in Latino autem, *occidetur Christus*; nam etsi Græcus reddit *Peribit unctio*, ἐξολοθρευθήσεται χείσμα, ירכת denotat mortem, neque de arboribus dicitur, nisi dum excidantur securi: ideoque prænuntiata est à Daniele mors Christi, cui solum respondet vocabulum משיח *Unctus*, phrasi consimili, ac apud Jerem. XI. 19. Quod sequitur in Vulgata, *Et non erit populus ejus, qui eum negaturus est*, apposite exprimit hebraicas particulas, *Et non ei*: quid enim potest his denotari, nisi quod *non erit ei auxilium*? aut, *non obediet ei populus*? aut, *non servabitur illi judicium*? At hæc omnia quadrant optime lectioni Vulgatæ, & cohærent cum citato Hieremiæ loco. Reliqua Prophetiæ verba, si discrepare videantur constat sensum non immutare, imo, ut infra dicam, hebraica manifestius commentationes Rabbinorum infringunt.

4. Prænotandum 1.

Præmissa Vulgatæ cum hebraico textu cohærentia, observandum est non alias à Daniele numerari hebdomadas, nisi annorum. Quod primo fatentur omnes Hebræi cum Abenezra scribente: *Hebdomades hic intelliguntur de annis, ac si dixisset Angelus, Septuaginta sabbatici sunt decisi.* Et demonstratur primo, nam שבוע *septimana*, non significat hebdomadam dierum, nisi *dies* ipsi exprimantur, ut constet ex seq. cap. X. 2. & 3. atque ex Ezech. XLV. 21. Præterea Levitici XXV. 8. anni 49. appellantur שבע שבתת *septem hebdomadæ*, sive *septem sabbata*: ex quo apparet consuetum fuisse Hebræis supputare annorum hebdomadas. Insuper nil eorum, quæ Daniel prænuntiat, evenit intra dies 490. undecunque supputentur, cum sola Templi ædificatio spatio annorum viginti fuerit peracta, quamquam muri, & exteriores parietes fuerint excitati brevi temporum intervallo. Jubilæorum autem septimanæ, quas aliqui commenti sunt, nec ullibi à Scriptura recensentur, nec possunt in hoc vaticinio locum habere, cum à Daniele ad excidium templi impossibile sit connumerare annos MMMCCCCL.

5. Prænotandum 2.

Constat supputandas esse LXX illas annorum hebdomadas ab *Exitu sermonis*; sed an per hæc verba intelligatur revelatio facta Danieli, an edictum Cyri, vel Darii, vel Artaxersis, res est, quæ aliquid habet difficultatis. Interim ergo incerta hæc prætermittimus, & adversus Judæos argumentum fabricamus.

6. Probatur 1.

Prædixit Daniel ab exitu sermonis usque ad Christum præterlapsuros annos 490. sive hebdomadas, aut annos sabbaticos LXX. post quas hebdomadas, seu complete exactas, seu percurrente postrema, erat Christus ipse occidendus. At certissimum est jam definitum illud annorum spatium præteriisse, neque *Christi* nomine potest aliquis intelligi præter verum Messiam. Verus ergo Messias jam advenit. Probatur minor 1. ex characteribus hujus Christi à Daniele prænuntiati: appellatur enim *Messias* absolute, & absque addito, quod nullibi, nisi de vero Messia scriptum adinvenitur. Dicitur & *Dux*, sive rector populi, quo nomine Messias appellatur apud Isaiam LV. 4. & Michæam V. 6. Vocatur *Sanctus sanctorum*, id est summa sanctitatis excellentia præclarus, quod Messiæ scripturæ omnes attribuunt, Psalm. XL. 10. Is. XII. 6. XLV. 8. LXII. 1. Jerem. XXXII. 6. &c.

7. Probatur 2.

Probatur II. ex adjunctis, quæ Daniel commemorat. Ait septimanis illis transactis consumendam prævaricationem, delendam iniquitatem, & expiandum peccatum: id vero de Messia prædictum Is. I. 18. & IV. 4. Psalm. CXXIX. 7. &c. Ait ipsum Messiam firmaturum esse *pactum*: quod pariter de Christo ac Redemptore nascituro ex stirpe Davidis prædixerat Psalmista Ps. LXXXVIII. 29. Eccl. XLV. 7. Is. LV. 3. Jerem. XXXII. 40. Bar. II. 25. Ait cessaturum eo tempore sacrificium, idque in textu Hebraico ita expressum est, ut ipse prænuntiatus Messias debuerit abrogare veteres expiationes; legitur enim pro *deficiet hostia & sacrificium* ומנחה ישבת זבח *Cessare faciet sacrificium & munus*: unde Syriaca, *Abolebit sacrificium & oblationem.* Hoc de promisso Liberatore prædictum quoque Is. I. 11. Jerem. VI. 20. Amos V. 21. Ait denique tunc adducendam esse justitiam sempiternam; atque id Messiæ temporibus futurum prædixit Psalmista Ps. LXXI. 7. Is. LIII. 11. & Jerem. XXXIII. 15.

8. Probatur 3. Tertio probatur ex prænuntiata Christi morte. Occidendum enim Messiam prophetarunt David Ps. II. 2. Is. LIII. 8. Jer. XI. 9. Fore ut derelinqueretur à suis prænonuerunt Psaltes LXVIII. 21. Is. LXIII. 5. Zach. XIII. 7. Immolandum pro peccatis nostris diserte prænarrarunt Isaias LIII. v. 4. & seqq. ac Jerem. Thr. IV. 20. Christus ergo, quem Daniel prædixit occidendum & deserendum à suis, est verus, atque olim expectatus Messias.

9. Confirmatur 1. Insuper probatur ex desolatione, quam post Christi mortem Daniel prædixit, neque enim possumus aliam desolationem hic accipere, quam excidium Urbis sub Tito ac Vespasiano, juxta ipsius Domini expositionem Matth. XXIV. 15. Et probatur primo, quoniam desolationem Urbis post occisionem Christi prædixere etiam Isaias VI. XXV. 2. Zach. XIII. 8. & XIV. 2. Confirmatur, quia statuta desolatio usque in finem perseveratura prædicitur, quod nonnisi de hac desolatione completur: ut Orat. III. contra Judæos aperte demonstrat Chrysostomus ex quo *tam diuturnum tempus jam elapsum nullum Judæis vestigium vel initium felicis mutationis ad hunc usque diem ostentet; cum tamen instaturare templum sæpius tentaverint. Hoc enim semel bis, ac tertio aggressi, sub Hadriano, & Constantino, & Juliano repressi sunt, tunc quidem à militibus, postremo tandem ab igne è fundamentis erumpente, & intempestive eorum conatus reprimente.*

10. Confirmatur 2. Accedit Rabbinorum confessio. Nam in Bereschit Rabba ad v. 18. cap. XIV. de Melchisedech, extat: *Rex Messias est, de quo scriptum Dan. IX. Ad adducendum justitiam sæculorum.* R. Moses filius Nachman Gerundensis in idem caput Dan. *Sanctitas sanctitatum est Messias sanctificatus de filiis David.* Idem tradiderunt Rabbini reliqui, quorum testimonia suppeditabit Raymundus Martini in Pugione Fidei P. II. cap. 3. n. XVI. Raymundi expilator Galatinus lib. IV. cap. VIII. Hadrianus Fini lib. V. cap. 5. &c. Sive ergo in vaticinio Danielis attendantur Christi characteres, sive præstanda ab eo beneficia, sive mortis ejus supplicium, sive subsecuta Jerosolymæ desolatio, sive antiquorum Rabbinorum confessio, revinciturinde Judæorum cæcitas, ac pervicacia.

Dispelluntur Hebræorum cavilli.

11. Objicitur 1. Objiciunt Hebræi: Messias de quo vaticinatus est Daniel, est Cyrus monarchiæ Persarum Fundator: de ipso enim legitur apud Isaiam XLV. 1. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, &c.*

12. Respondetur. Resp. facile retundi hanc Judæorum insaniam. I. Quia Messias, de quo Daniel, est משיח נגיד *Messias principalis, & Dux Judæorum.* Cyrus autem non est ille, cui Messiæ nomen conveniat principaliter. II. Quia de Cyro citato cap. Isaiæ v. 4. legitur, quod non cognoverit Dominum; ideoque non est ille *Sanctitas sanctitatum*, & Auctor *sempiternæ justitiæ.* III. Quia Cyrus, neque oleo Spiritus sancti, neque oleo corporali inunctus est. IV. Quia ab eversione primi Templi, unde septimanas Hebræi supputant, usque ad templum secundum, nequeunt enumerari septem, & sexaginta duæ annorum hebdomadæ, cum septem exactæ jam fuerint postremo anno Evilmerodachi, reliquæ tantum post monarchiam Persarum, atque Græcorum. V. Quia præter allata Rabbinorum testimonia, Aben-Ezra Comment. in Danielem ait: *Opinio ejus, qui dixit Cyrum esse Messiam, non est congrua.* At cur Cyrus, inquis, apud Isaiam Messias appellatur? Aliud interroganti Catholico respondebimus, aliud Judæo objicienti. Catholicis respondemus Cyrum dici Christum, sive *Unctum* allusione ad Reges Hebræorum, qui unctione consecrabantur, & quoniam erat figura Christi, qui nos à spirituali Babylonis captivitate redemit. Hebræis autem respondeo verba Isaiæ explicari in Talmud, libro qui inscribitur *Megilla*; ut nullatenus ad Cyrum, sed ad solum Messiam referantur: quod tamen non probo propter ea, quæ attulit in hunc locum Hieronymus. Septuaginta tamen, quos plures Patres sequuntur, reddiderunt & ipsi pro *Cyro*, χυρίῳ, *Domino*, quæ versio nequit à Talmudistis refutari.

13. Objicitur 2. Objiciunt 2. Dispescens Daniel septem hebdomadas à duabus & sexaginta, duos venturos Messias prædicit, unum post hebdomadas priores VII. alterum post hebdomadas LXII. Si autem quæras quinam sint duo illi Messiæ, diversa est, pro diversa supputatione hebdomadarum, responsio. Si supputandas censeas ab excidio templi prioris, juxta Hebræorum Chronicon, earum initium est reptendum ab anno M. 3338. quibus si addas septem annorum sabbata, erit annus M. 3387. ac primus Cyri. Si vero connumeras ab eodem anno 3338. hebdomadas 62. sive annos 434. perveniens ad annum M. 3772. cum Romani, qui templum vastarunt, Jerosolymam ascenderunt,

derunt, & ad tempora Agrippæ, qui ante Urbis excidium occisus est. Ergo juxta hanc supputationem primus Messias erit Cyrus, alter Agrippa. Si vero supputes hebdomadas septem ab anno primo Darii, qui est in Chronologia Hebræorum an. M. 3389. pervenies ad tempora Josue & Nehemiæ, qui sub Artaxerse ad urbem reædificandam perrexerant, & ad annum 3438. Putatis autem ab eodem anno Darii septimanis LXII. sive annis 434. explebuntur in ipsa Jerosolymorum vastatione. Atque ita prior Messias erit vel Nehemias, vel Josue, posterior Agrippa filius Aristobuli.

14. Respondetur. Resp. hæc omnia esse portentosa mendacia. Ac I. de Cyro satis dictum supra. II. Juxta Chronicon Hebræorum, ut ostendam cap. 6. si hebdomadæ supputentur ab anno septimo Nabuchodonosoris, si ab excidio templi, si à verbo quod egressum est de ore Hieremiæ, si à revelatione facta Danieli, si ab Edicto aut Cyri, aut Darii, aut Artaxersis, neque divisim acceptæ, neque simul terminant sive in Cyro, sive in Nehemia, sive in Josue, sive in Hircano, sive in Agrippa, sive in postrema templi eversione. III. Illa Judæorum Chronotaxis erroribus, ut videbimus, scatet innumeris. IV. Expositi supra characteres Messiæ nequeunt commemoratis viris competere, non enim dici possunt vel Sancti sanctorum, vel justitia sæculorum, vel Auctores novi fœderis, vel sacrificiorum veterum Abolitores; imo nec *Uncti*, cum non extiterit post primi templi eversionem apud Judæos oleum, vel chrysma. V. Repugnant etiam Rabbini, qui propheticum oraculum fatentur ad verum Messiam pertinere.

15. Objicitur 3 Objiciunt 3. Exactæ sunt septem ac sexaginta duæ annorum hebdomades, quomodo post Hebræorum perpaucos nititur demonstrare, Auctor Chronici Ægyptiaci Marshamus, in Antiocho Epiphane, quem Sacra Jerosolymorum profanasse narrat liber primus Machab. cap. 1. 23. & seqq. Quod probatur ex Chronologia; nam à visione Danielis usque ad finem captivitatis fluxerunt anni 49. sive septem priores hebdomadæ. A templo autem à Chaldæis incenso usque ad Antiochum præteriere Sabbatici anni LXII. id est an. 434. Nam templum à Chaldæis profanatum est anno P. J. 4107. M. 3397. quibus si addas annos 434. exurget annus P. J. 4541. M. 3831. Post decennium autem, id est anno M. 3841. & P. J. 4551. Judas Machabæus pollutum ab Antiocho templum purgavit, & in medio utique hebdomadæ, id est, tribus post profanationem annis ac sex mensibus.

16. Respondetur. Resp. plurimis ac validissimis argumentis expungi opinationem Marshami. I. Prædicit Daniel post hebdomadarum circulum, & ante abominationem desolationis, peccati finem, ac sempiternam justitiam: quemnam vero ex his, aliisque præmissis characteribus in viro scelestissimo Antiocho invenies? quam sanctitatem adduxit, quam expiationem fecit, quam iniquitatem delevit? II. Si Judas post dimidium hebdomadæ purgavit Templum ab Antiocho pollutum, neque à Chaldæis civitas eversa est, ac penitus diruta; quo pacto sub Antiocho defecit hostia, & post illatum ab ipso bellum erupit sempiternum urbis excidium? III. Non ad purgationem Templi, sed ad reædificationem Civitatis referenda sunt verba temere à Marshamo è proprio loco divulsa, *Et rursum ædificabitur platea*; neque in Danielis prophetia hebdomades LXII. præceduut Urbis ædificationem, sed mortem Christi. IV. Prædixit Daniel plateam ac muros ædificandos, postea occidendum *Unctum*; ideoque non tantum sententia Marshami falsa est, quod reædificationem ad purgationem, Civitatem ad Templum, & sacrorum abolitionem ad profanationem detorqueat; verum etiam quod pervertens Angeli verba comminiscatur prius defecisse sacrificia, postmodum Urbem ædificatam, cum nequeat ante profanationem constitui peracta à Juda purgatio. V. Cum Angelus unum demonstret hebdomadarum initium iis verbis, *Ab exitu sermonis*; quare hebdomadæ septem à Visione Danielis supputandæ sunt, reliquæ autem LXII. ab invasione Chaldæorum, Templique incendio? VI. Unde in nos Marshami obtruditur Chronologia, cui, ut in proximo evincam, repugnant cum Hebræorum calculi, tum accuratæ recentiorum Chronologorum rationes?

17. Objicitur 4. Ob. 4. Ad templi excidium spectant hebdomadæ Danielis, ac de Templo accipienda sunt ea verba *excidetur Christus*, tum quia unctio *Sancti*, vel *Sanctuarii*, de qua v. 24. proprie spectat ad Templi consecrationem: tum quia v. 26. ubi legimus, *Occidetur Christus*, sive, *Excidetur Unctus*, habent Græci, *Peribit unctio*, id est Sacerdotum ministerium, & series Pontificum, quemadmodum interpretatur etiam Eusebius: tum demum, quia Christus Matth. XXIV. 15. & Marci XIII. 21. adhuc futuram ait abomination-

nem desolationis, *quæ dicta est à Daniele Propheta*, ita ut referri nequeat, nisi ad eversionem Urbis ac Templi.

18. Respondetur. Resp. Non posse Danielis vaticinium ad Templi ruinas pertinere I. Quoniam יכרת *Ichared* denotat supplicium mortis, ut diximus supra, & liquet ex collatione hujus loci cum Lev. XVII. 14. & III. Regum XVIII. 4. ubi eodem verbo designatur mors per Judicis sententiam inflicta. Etiam Rabbini, quos vide apud Raym. Martini loco cit. tradunt notari verbo illo mortem infamem, ac turpem. II. Quoniam Templum nullibi appellatur *Unctum*, vel *unctio*; nulla autem ratione dici potest *Messias Nagbid*, Christus princeps. III Quoniam repetitur Messiæ nomen v. 25. & v. 26. ac priori loco per Adversarios significat Cyrum, aut virum alium principem, ideoque non commonstrat secundo loco Templum, vel Urbem. IV. Quoniam secundum Templum unctione caruit, nec *Unctum* dici potest. V. Quoniam Sanctuarium sanctuarii non erat Templum, sed sola Tabernaculi pars interior. VI. Quoniam in excidio Templi non apparet peccati finis ac redemptio, sed supplicium, & pœna. Eusebium ergo in errorem impulit Græca versio, in qua debebat animadvertere positum hebraica phrasi nomen substantivum pro adjectivo, ut hic v. 23. *Desideria* חמורות pro *Cupidus*, sive *vir desideriorum*. Melius ergo Symmachus ἐκσπήσεται χελεὸς, *Excidetur Christus*, & Aquila, ἐξολοθρευθήσεται ἠλειμένος, *Peribit Unctus*: optime autem Vulgata, *Occidetur Christus*. Verum denique est, fuisse *abominationem desolationis* à Daniele prædictam literaliter completam in eversione Urbis ac Templi: sed hebdomadæ supputandæ sunt *usque ad Christum*; non usque ad inundationem Romani exercitus, & Jerosolymorum vastationem. Hanc prænuntiat Daniel recensita Christi occisione, & post hebdomadas jam exactas.

19. Objicitur 5. Ob. 5. Christus à Deo prænuntiatus est Onias summus Sacerdos, qui typus fuit Christi venturi; non ergo ad ipsum Christum, sed ad Oniam pertinent Danielis hebdomadæ. Antecedens probatur ab Harduino; qui tamen ad Christum prophetiam spectare non negat, etsi contendat in Onia, tanquam Christi typo literaliter fuisse completam. I. Quoniam post occisionem Oniæ populus desertus est, & Antiochus invasit Hierosolymam, Templumque expoliavit. II. Quoniam post Oniæ cædem profanato Templo *periit unctio*. III. Quoniam ipse Onias *pactum confirmavit*, nam eo tempore Mathathias ait I. Machab. II. 27. *Omnis, qui zelum habet legis, statuens Testamentum, exeat post me.* IV. Quoniam septimanæ supputandæ sunt ab *exitu sermonis*, scilicet à divina prædictione facta Jeremiæ de proximo fine captivitatis, id est, ab anno IV. Joakim, à quo usque ad Cyrum fluxerunt anni 49. & hebdomades septem; & rursus putatæ reliquæ septimanæ ab eodem anno 4. Joakim usque ad annum Græcorum 148. quo Judas constitutus fuit Dux populi, & pulso Antiochi exercitu Templum purgavit, anni sunt 441. sive hebdomades sexaginta tres. Templum, ut diximus, expoliatum ac profanatum fuerat ante dimidium hebdomadæ; Onias autem jugulatus ante integram hebdomadam anno Græcorum 141. Ita ergo omnia concordant adamussim; neque deest, neque redundat dies una: septuaginta hebdomades complentur in purgatione Templi, & in Juda Machabæo: septem in Cyro; sexaginta duæ in occisione Oniæ; dimidium hebdomadæ in Templi profanatione.

20. Respondetur. Resp. Illud novum Harduini systema esse aliorum omnium quæ refutavimus monstrosissimam compaginem; nam, si recte advertas, intrudit fere omnes Messias ab aliis confictos, Cyrum præsertim, ac Judam, simulque commentum Marshami de Templo, & de fine unctionis. In omnis ergo suis partibus jam expunctum est & contritum. Addamus tamen in patrocinium veritatis aliqua. Ac primum detur Harduino Oniam gessisse Christi typum; quamquam id neget P. Lamy in App. Chronolog. P. 2. cap. 4. propterea quod Onias non Jerosolymis occisus sit, sed in templo Apolinis secus Daphnem; non suorum livore, sed insidiis Menelai; non ab amicis, sed ab Andronico; non derelictus à populo, sed vindicta, & lacrymis honestatus. Verum non est necesse, ut omnia in Typis conveniant. Dicimus ergo quod post Oniæ cædem populus non fuit à Deo derelictus, cum paucos post annos surrexerit Judas, qui debellavit impios, templumque purgavit; neque sub Antiocho defeciisse sacra, & irrupisse statutam desolationem censendum est, si illa restituit Machabæus; hæc autem paucis annis perduravit. Atque hæc ad primum, & secundum dicta sunto. Nam quod sequitur nullius est roboris, cum loquatur Daniel de *pacto* firmando, per Christum, & Mathathias de *zelo legis* demonstrando per populum.

Unicum

21. Argumento chronologico Harduini reſp.

Unicum reſtat argumentum Chronologicum, in quo non uno tantum capite peccat Harduinus. Principio non ait Daniel ſupputandas hebdomadas *ab exitu verbi*, quod fortaſſis foret ambiguum, ſed ait, *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem.* Neque enim verum eſt *exitum ſermonis*, ut Harduinus contendit, non poſſe ſignificare Regis decretum: cum verbum דבר ſignificet *ſermonem, aliquid, cauſam, negocium, præceptum, &c.* ut Pagninus, aliique demonſtrant ex 2. Reg. III. 12. Deut. IV. 36. Exodi XVIII. 16. XXIII. 4. &c. atque in hoc loco omnem ambiguitatem tollant ea verba, *ad reverti faciendum, & ad ædificandum, &c.* quæ nequeunt intelligi niſi de Edicto Urbem reædificandi. Deinde ſi velit expendere ea tantum verba, *Ab exitu ſermonis*, ut ea detorqueat ad divinam revelationem; cur non potius refert ad revelationem factam ipſi Danieli, de qua Angelus eodem cap. IX. v. 23. inquit, *Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo?* Aut cur non ad revelationem Iſaiæ XLIV. 28.? Rurſus hoc idem Harduini ſomnium fuit quorundam Hebræorum, quos confutarunt R. Aben-Ezra Comm. in Danielem, & R. Azarias in lib. Meor Enajim, eo quod non debeant anni captivitatis in deciſis ſeptimanas ſimul à Propheta comprehendi, atque ad unum referri terminum. Corruit itaque fictitium illud initium hebdomadarum à prophetia Jeremiæ. Male etiam conſtituitur terminus ſeptem hebdomadarum in Cyro, peſſime in exitu captivitatis, nam juxta Recentiorum Chronologiam annus IV. Joakim incidit in annum Mundi 3398. Cyrus Mediam occupavit an. 3466. & monarchia potitus eſt defuncto poſt biennium Dario Medo, anno 3468. qui eſt captivitatis poſtremus; ita ut IV. annus Joakim ſit ſervitutis primus, & primus Cyri, ut dixi, ſervitutis ultimus; ideoque ab anno IV. Joakim usque ad Cyrum non fluxerunt anni 49. ſed 70. Quam Chronologiam ſi reſpuas, ſaltem annorum 70. intervallum debes admittere.

CAPUT V.

Statuitur Epocha Regni Artaxerſis, & demonſtratur Hebdomadum Danielis initium, ac finis.

SUMMARIUM.

1. Præliminaria ad propoſitionem.
2. Propoſitio 1. cum probationibus.
3. Propoſitio 2da cum ſuis probationibus.
4. Chronologia Authoris.
5. Usque ad 10. propoſitio tertia demonſtratur.
10. Usque ad finem ſolvuntur objectiones.

1. Præliminaria ad propoſitionem.

Liquet ex præcedenti hebdomadas Danielis ſupputandas ab Edicto Regis Perſarum de urbe Jeroſolyma reædificanda, & complendas in morte Chriſti, quam conſignare neceſſe ſit anno ab illarum hebdomadarum exordio 486. concurrente cum dimidio hebdomadæ ſeptuageſimæ. Quatuor autem Regum Perſarum pro Judæis decreta colligunt nonnulli ex Scripturis. Emanatum eſt primum initio Regni Cyri conditoris Perſarum Monarchiæ, de quo Iſaias cap. XLIV. 28. & Eſdras cap. I. 1. Promulgatum eſt alterum anno 2. Darii, quem Scaliger Nothum putavit, conſtat autem fuiſſe Hyſtaſpidem: de quo edicto vide I. Eſdræ IV. 24. & VI. 1. Emiſſum eſt III. diploma anno Artaxerſis VII. quo Eſdras cum plena Regis facultate Jeroſolymam aſcendit, ut habetur eodem libro cap. VII. 6 & 7. Edictum poſtremum obtinuit Nehemias ejusdem Artaxerſis pincerna anno Regis viceſimo, ut habetur 2. Eſdræ cap. II. 1. Nullum jam dubium eſt hunc Artaxerſem fuiſſe Longimanum filium Xerſis filii Darii Hyſtaſpidis.

Conveniunt recentiores accurati Chronologi annos ante Chriſti nativitatem coarctantes ad 4000. fundatam à Cyro Monarchiam Perſarum anno M. 3468. P. Julianæ 4178. ante Vulgarem Aeram, ſive Natale Chriſti Dionyſianum 536. & Darium Hyſtaſpidem regno potitum an. M. 3483. P. Jul. 4193. ante Aeram Chriſtianam 521. De Artaxerſe autem nequeunt Chronologi convenire. Nam ſupputantes hebdomades Danielis ab anno ejus ſeptimo, ajunt obtinuiſſe regnum an. M. 3540. P. J. 4250. ante Ae. Ch. 464. ita ut annus ſeptimus ſit M. 3547. P. Jul. 4257. ante Ae. Ch. 457. quibus ſi addantur anni 29. Ae. Dionyſianæ, quo anno Chriſtum affixum cruci Chronologi illi propugnant, reſultat annus ab initio hebdomadarum 486. qui dimidium eſt hebdomadæ ſeptuageſimæ. Qui autem ſeptimanas putant ab anno Artaxerſis viceſimo, contendunt regno potitum anno M. 3531. P. Jul. 4241. ante Ae. V. 473. ita ut an-

nus xx. incidat in annum M. 3551. P. Jul. 4261. ante V. Ae. 453. Ab hoc autem anno usque ad 33. Ae. V. in quo statuunt Christi mortem, fluxerunt pariter anni 486. & rectissimè eadem hebdomadarum coalescit supputatio. Pendet ergo totius difficultatis enodatio ab Epocha Regni Artaxersis Longimani, quam figere modo constitui.

2. Propositio I. cum suis probationibus.

PROPOSITIO I. Artaxerses regno potitus est an. M. 3540. P. Jul. 4250. ante Ae. V. 464.

Demonstratur I. Eusebius in Chronico, quem sequuntur Sigonius de Republic. Athenienssium, aliique complures, & quem in hoc non errare commonstrant proxima momenta, statuit principium regni Artaxersis Longimani an. 1. Olympiadis LXXIX. Annus 1. Olymp. LXXIX. omnium consensu est ante Ae. V. 464: & juxta supputationem, quam etiam Adversarii nostri sequuntur, M. 3540. Ergo hoc ipso anno regnum iniit Longimanus. II. Julius Africanus antiquissimus temporum supputator, ut ait Hieronymus in cap. IX. Danielis, scribit annum vicesimum Artaxersis esse *octogesimæ & tertiæ Olymp. annum quartum.* At si retro enumeras ab anno 4. Olymp. LXXXIII. viginti annos, pervenies ad ann. 1. Olymp. LXXIX. legitur anno 1. Olymp. LXXIX signandum est initium regni Artaxersis. III. Diodorus lib. XI. Biblioth. scribit Xersem patrem Artaxersis fuisse interfectum ab Artabano anno 4. Olymp. LXXVIII. At Artaxerses omnium Historicorum testimonio statim defuncto Patri successit. Fuit ergo regni ejus primus annus ineunte Olympiade LXXIX. IV. Idem Diodorus libro XII. inquit Artaxersem vita functum *anno 4. Olymp.* LXXXVIII. *cum regnasset annos quadraginta.* Atqui anni 40. non desinunt in anno 1. Olymp. LXXXVIII. nisi supputentur ab anno 1. Olymp. LXXIX. Ab hoc ergo anno Regnum Artaxersis inchoandum est. V. Xerses Darii filius, & Artaxersis pater juxta accuratam recentiorum chronotaxim adeptus est regnum anno Mundi 3519. ante Ae. Vul. 485. At regnavit annis XXI. aut saltem XX. mensesque aliquot, ut tradunt Eusebius in Chronico, Severus Sulpitius lib. 2. Georgius Syncellus pag. 76. edit. Parisiensis, Diodorus Siculus apud Salianum, ad annum Mundi 3589. 11. Sigonius in libro de Athenienssium Temporibus, aliique communiter. Computati autem anni XXI. aut XX. ab anno Mundi 3519. & ante Aeram Vulgarem 485. desinunt in anno Mundi 3540. aut in postremos menses anni præcedentis. Anno ergo Mundi 3540. sive P. J. 4250. regnare cœpit Artaxerses Longimanus Xersis filius. Atque id, inquit doctissimus Gravesonius differt. XV. de Myst. & An. Christi, paragrapho primo, *extra omnem dubitationis aleam positum esse debet.*

3. Propos. II. cum suis probationibus.

PROPOSITIO II. Nullo pacto consignari potest annus vicesimus Artaxersis anno M. 3551. P. Jul. 4261. ante Ae. V. 453.

Demonstratur I. Initium regni Artaxersis est, ut vidimus, an. M. 3540. P. Jul. 4250. ante Ae. Ch. 464. Ergo annus vicesimus Artaxersis erit an. M. 3560. P. Jul. 4270. ante V. Ae. 444. & labitur nova Chronologia annis IX. II. Xerses occisus est, ut liquet ex dictis, anno 4. Olymp. LXXVIII. postquam regnaverat annis 21. regnum enim auspicatus est juxta probatam ab adversariis nostris Chronologiam anno M. 3519. à quo usque ad annum 3540. & ad 1. Olymp. LXXIX. fluxerunt anni 21. Igitur annus 20. Artaxersis est ann. M. 3560. III. Ut annus 20. Artaxersis statuatur an. M. 3551. vel, ut alii putant, anno proximo præcedenti, cum Xerses regnare cœperit. an. 3519. consequens est, ut obierit anno 3531. vix exacto anno regni sui duodecimo. Atqui Xerses regnavit annos XXI. aut saltem XX. communi Veterum consensione. Ergo Xerses, ut etiam supra demonstratum est, obiit anno Mundi 3539. aut 3540. qui est annus 1. Regni Artaxersis. IV. Ut Adversarii nostri hunc nodum solvant, contendunt cum Usserio supputandum annum primum Artaxersis ab anno, quo Xerses omnes Græcos adversus se concitavit, & ante expeditionem ad Bellum Persicum designavit juxta patrias leges hæredem regni, ita ut Artaxersi regni sui anni 48. tribuendi sint, patri vix 12. At hoc unum Adversariorum nostrorum præsidium validissimis argumentis concutitur. Primo si fateamur Artaxersem jam ab anno XII. patris designatum fuisse Regni successorem: ergone ab eo anno regnavit? Deinde processit Xerses ad Bellum Persicum anno 1. Olymp. LXXV. regnare autem cœpit anno 3. Olymp. LXXIII. interfectus est anno 4. Olymp. LXXVIII. ut constat ex præcedenti propositione, & ex Sigonio de Republ. Athen. & Meursio de Archontibus Athenarum. Igitur si regnum Xersis perduravit duntaxat usque ad Bellum Persicum, quinque tantum annis regnavit, non 12. si vero

vero ad annum 4. Olymp. LXXVIII. regnavit annis 21. quod nos cum probatissimis Chronologis affirmamus. Præterea detur usque ad Persicam expeditionem fluxisse Xersis annos XII., nequeunt ab anno XII. Xersis supputari anni Artaxersis 48. Vel enim asseris cum Pererio & Petavio à Xerse filium in regni communionem fuisse adscitum, vel cum Usserio detrahis ab annis Xersis annos 8. addendos annis 40. Artaxersis. Atqui Artaxerses non fuit à Patre assumptus in regni communionem, cum ex Justino lib. III. constet fuisse puerum cum Xerses occisus fuit ab Artabano. Quam ergo Artaxerses ætatem duxit vertente anno paterni regni duodecimo? Accedit quod Petavius sententiam suam nititur probare ex fuga Themistoclis, qui, ut demonstrat Huetius D. E. Prop. IX. cap. VIII. non Artaxersem, sed Xersem, nondum imperante filio, convenit: &, si ad Artaxersem scribunt aliqui confugisse, id factum narrant post mortem Xersis. Neque statuenda est Epocha regni Artaxersis cum Usserio an. M. 3531. P. Jul. 4241. ant. V. Ae. 473. Nam Ptolomæus in Canone Math. Diodorus lib. XI. Bibl. Eusebius in Chron. & omnes veteres tribuunt Xersi annos XXI. Artaxersi XL. aut Artaxersi XLI. Xersi XX. Cur ergo uni XII. alteri XLVIII. tribuamus? Denique mortem Xersis incidere in annum 4. Olymp. LXXVIII. apertissime à nobis demonstratum est supra, ideoque perperam anni hujus Regis detruncantur.

6. Chronologia Authoris.

Ex his colligitur emendandas esse tabulas Chronologicas, & supputationes Regum Persarum ad hunc modum:

Cyrus Monarchiam Persarum fundavit an.	3468.	ante Ae. V.	536.
Cambises iniit regnum.	3475.		529.
Darius Hystaspis.	3483.		521.
Xerses.	3519.		485.
Artaxerses Long.	3540.		464.
Xerses II.	1580.		424.
Darius Nothus.	3581.		423.
Artax. Mnemon.	3600.		404.
Ochus.	3643.		361.
Arsen.	3666.		338.
Darius Codom.	3668.		336.
Regnavit annis 6.	3674.		330.

Cyro itaque tribuuntur anni VII. Cambisi VIII. in quibus comprehenduntur Magi 7. menses. Dario Hystaspidi XXXVI. Xersi XX. Artaxersi Longimano XL. Xersi II. & Secundiano 1. Ocho, qui & Darius Nothus, XIX. Artaxersi Mnemoni XLIII. Ocho XXIII. Arsen III. Dario Codomano VI. Hunc expugnavit Alexander Philippi Macedo.

5. Propositio III.

Propositio III. Hebdomades Danielis initium ducunt ab an. VII. Artaxersis Longimani.

Demonstratur I. Annus Artaxersis VII. est annus M. 3547. ante Ae. V. 457. P. Jul. 4257. & annus 4. Olymp. LXXX. Ab hoc anno supputandæ sunt hebdomadæ Danielis. Ergo hebdomadæ Danielis supputandæ sunt ab anno VII. Artaxersis. Probatur minor. Christus, ut suo loco demonstrabitur, mortuus est anno Ae. V. 29. P. Jul. 4742. anno 1. Olymp. CCII. mortuus est autem in medio hebdomadæ LXX. sive post annos 486. jam exactos ab hebdomadarum initio. Atqui si ab anno Ae. V. 29. P. Jul. 4742. & primo Olymp. CCII. retrocedas per annos 486. jam exactos, pervenies ad annum M. 3547. P. Jul. 4257. & ad an. 4. Olymp. LXXX. qui est VII. Artaxersis. Igitur ab anno VII. Artaxersis hebdomadæ Danielis supputandæ sunt. Demonstratur 2. Quoniam prædictæ hebdomadæ, ut constat ex capite præcedenti, referuntur ad mortem Christi. Si ergo Christus, ut nunc supponimus, mortuus est anno Ae. V. XXIX. debent supputari ab anno ante Ae. V. 457. addas annos 29. resultat dimidium hebdomadæ LXX., incidens in an. 486. Hæc in nulla alia Chronotaxi possunt convenire, nisi aut pervertas Epocham Regum Persarum, aut retrahas annum Passionis Christi.

6. Demonstratur I.

Idem demonstratur revocando nos ab abaco rationali ad prophetiam Danielis. Supputandæ sunt hebdomadæ ab amplo Regum Persarum diplomate, atque à facultate Judæis facta redeundi in patriam, reædificandi templum, urbemque Jerusalem: id enim sonant verba Prophetæ, *Ab exitu sermonis ad reverti faciendum & ad ædificandum Jerusalem.* Atqui plena illa, & ampla facultas facta est anno Artaxersis Longimani septimo. Igitur ab hoc anno sunt prædictæ hebdomades supputandæ. Probatur minor. Decretum enim concessum Esdræ anno

Regis

Regis septimo est: *A me decretum est, ut cuicunque placuerit in regno meo de populo Israel, & de Sacerdotibus ejus, & de Levitis ire in Jerusalem, tecum vadat.* En facultas, ut omnes pro libitu reverterentur. Sequitur decretum: *A facie enim Regis, & septem consiliatorum ejus missus es, ut visites Judæam & Jerusalem in lege Dei tui, quæ est in manu tua.* En data Esdræ Αυτονομία, & potestas utendi suis juribus. Sunt in regio diplomate & hæc verba: *Libere accipe, & studiose eme de hac pecunia vitulos, arietes, agnos, & sacrificia, & libamina eorum, & offer ea super altare templi Dei vestri, quod est in Jerusalem. Sed & si quid tibi, & fratribus tuis placuerit, de reliquo argento & auro ut faciatis, juxta voluntatem Dei vestri facite.* En restitutus Dei cultus, & data facultas in quodlibet opus erogandi pecuniam: & postremo concessa est Esdræ immunitas ab omni tributo, & plenissima judicandi auctoritas. Vide regium Edictum lib. 1. Esdræ cap. VII. à v. 12. ad 28. Dedit ergo Rex Esdræ omnem, ac plenissimam facultatem, atque ut ibidem legitur v. 6. *omnem petitionem ejus.*

8. Occurritur effugio Adversariorum.

Qui repetunt hebdomadarum initium ab anno Artaxersis XX. inquiunt nullum in tam amplo decreto extare verbum de Urbe reædificanda. Non extat quidem expresse, sed, si diploma expendas, extat majori, quam si expressum foret, munificentia. Primo enim, quid est *dare omnem petitionem*, nisi supplicationibus Esdræ nihil penitus denegare? Deinde cui populo à vectigalibus & tributis immuni, consistenti in patria, atque facto αὐτονομῶ, suique juris, urbem construendi facultas aut lege aliqua, aut consuetudine denegatur? Præterea si potuit Esdras insumere argentum in omni opere, quod ei placuisset, cur non potuit sumptus facere in mœnibus construendis? Ad hæc revera ab anno Artaxersis VII. cœpit Jerusalem ædificari; nam ideo Nehemias anno Artaxersis XX. novum de reædificanda Urbe diploma impetravit, quod veniens Hananus retulit Judæos in afflictione magna esse, & murum Jerusalem dissipatum, & portas combustas: quo accepto nuncio Nehemias amare flevit, & ad Artaxersem accedens doloris sui causam exposuit, obtinuitque facultatem proficiscendi in Judæam. Vide 2. Esdræ cap. I. & II. Sane non fuit hujus luctus, novique decreti causa devastatio Urbis facta à Chaldæis sub Nabuchodonosore; cur enim de hac, quam noverat, Nehemias interogasset Hananum? cur audita dissipatione murorum fuisset tam acerbe contristatus? Iterum ergo ab iis, qui ægre ferebant prosperitatem Israel, sive Moabitæ fuerint, sive alii finitimi, ædificium cœptum ab Esdra fuit dissipatum. Hinc anno XX. Artaxersis potius Nehemias facultatem obtinuit proficiscendi in Jerusalem, & vi decreti ab anno jam septimo emanati ædificandi Urbem, quam decretum novum, & à præcedenti diversum. Legimus quippe lib. 2. Esdræ c. p. II. 5. ita dixisse Nehemiam: *Si videtur Regi bonum, & si placet servus tuus ante faciem tuam, ut mittas me in Judæam ad civitatem sepulchri patris mei, & ædificabo eam.* Legimus v. 6. Regem annuisse. Legimus v. 7. & 8. petiisse Nehemiam Epistolas Regis ad duces Regionis trans Flumen, ut nulla accepta molestia traduceretur in Judæam, & Epistolam ad Asaph custodem saltus, ut ei ligna concederet. Decretum non legimus, nisi promulgatum anno VII. Regis, & ad verbum in cap. XII. libri primi Esdræ enarratum. Vi ergo hujus Edicti Nehemias Jerosolymam ædificaturus à Rege Artaxerse discessit: aut si novum obtinuit diploma, fuit innovatio prioris.

9. Confirmatur.

Demum in sententiæ nostræ confirmationem accedit, quod præter exactissimam hebdomadarum supputationem & exitum in anno passionis Christi, ac præter literalem prophetiæ sensum, absque ullo nexu distinguitur facta à Daniele hebdomadarum partitio. Primo enim Daniel absolute connumerat septimanas LXX. Deinde ab Edicto de reædificanda urbe usque ad Christum VII. & LXII. Postea ait occidendum Christum post hebdomadas LXII. tandem inquit confirmandum à Christo *pactum* in hebdomada I. & in medio hebdomadæ esse occidendum. Revelavit quippe Danieli Gabriel Angelus decisa esse super populum & super urbem sanctam Jerusalem sabbata LXX. id est, à populo Israel in Urbe Jerosolyma celebranda fore LXX. Sabbata sabbatorum ante finem peccati, & humani generis Redemptionem. Atque tot celebrata revera sunt. Nam si primum sabbatum incipit anno ante Ae. V. 457. septuagesimum incipit anno Ae. V. 26. Posita ergo Judæorum *Autonomia* in anno VII. Artaxersis habes septuaginta hebdomadas decisas super populum Israel, & super Civitatem sanctam; nam proximo sabbato jam deleta erat iniquitas. Ab ea vero *Autonomia* usque ad manifestationem Christi, sive ab anno ante Ae. V. 457.

457. usque ad annum xv. Tiberii Cæsaris Ae. Vulg. 26. quo Christus baptizatus est, sunt hebdomades VII. & LXII. id est anni 483. Si disjungas hebdomadas VII. ab LXII. illæ VII. comprehendunt annos 49. qui sunt inter unum & alterum Jubilæum. Posito ergo primo anno sabbatico in anno VII. Artaxersis ante Ae. V. 457. Jubilæum erit anno ante Ae. Vulg. 408. Porro si Christus passus est an. Ae. V. 29. passus est post hebdomadas LXII. id est post annos 434. & in dimidio sequentis hebdomadæ. In ultima hebdomada confirmasse pactum, & in medio hebdomadæ fuisse affixum cruci, satis manifestum est. Igitur si constituas initium hebdomadarum anno Artax. VII. cohæret etiam illarum accurata sectio & partitio: & si hanc tribuere velis idiomati hebraico sæpe minorem numerum præponenti, adhuc habes ab anno VII. Artaxersis usque ad Christum præfixum annorum numerum, ut constat ex Chronologicis demonstrationibus paulo supra productis.

RESPONDETUR OBJECTIONIBUS.

10. Opponitur 1. Perpauca adversus productam Chronotaxin opponi possunt, eaque ex dictis facillime diluuntur. Oppones 1. Cyrus omnium primus facultatem fecit urbem reædificandi, quemadmodum prædixerat Isaias XLIV. 28. & completum esse constat ex cap. 1. libri primi Esdræ.

11. Respondetur Resp. non posse ab anno 1. Cyri initium ducere Danielis hebdomadas, sive spectata Chronologia, temporumque ratione, sive concessa ab eo facultate. Si expendas Chronologiam, ab anno 1. Cyri usque ad Christi Passionem fluxerunt anni 565. cum Monarchiam condiderit anno ante Ae. V. 536. Christus vero cruci affixus sit anno ejusdem Aeræ 29. Si attendas factam à Cyro facultatem, extenditur illa duntaxat ad Templi ædificationem, non ad muros urbis, at apparet ex laudato cap. 1. Esdræ v. 2. & 3. Nihilo tamen minus completum in Cyro est Isaiæ vaticinium, in quantum ipse facta Judæis potestate redeundi, fuit restaurationis Jerosolymorum primus auctor; & per ejus successores ac filios, quibus Prophetæ patronymice tribuere solent nomina patrum, ut Augustinus demonstrat octava ad Dulcitium quæstione, *completa est Dei voluntas.*

12. Opponit. 2. Opp. 2. Putabimus ergo septimanas cum Scaligero, & Drusio ab anno 2. Darii Nothi, quem dedisse eandem facultatem Hebræis liquet ex cap. VI. libri 1. Esdræ.

Resp. Scaligeri sententiam iisdem momentis everti; quippe non cohæret cum ratione temporum, quoniam annus 2. Darii Nothi est ante Ae. V. 422. ideoque ab anno 2. Darii usque ad annum 29. ejusdem Aeræ anni tantum 451. fluxerunt, & desunt usque ad complementum temporis prædefiniti à Daniele anni 35. Neque cohæret cum Prophetito Danielis oraculo, eoquod decretum Darii est idem ac decretum Cyri cujus autographum inventum est in Ecbatanis, spectatque ad solam ædificationem Templi, ut patet ex cap. 6. libri 1. Esdræ v. 2. & 3. Addo absurditatem opinionis Scaligeri, ex qua sequitur Zorobabelem & Jesum Josedecidem superasse humanæ vitæ diuturnitatem. Etenim Zorobabel anno 1. Cyri, qui fuit annus M. 3468. erat dux Hebræorum: annus autem 2. Darii Nothi incidit in annum M. 3582. tenuerat ergo Zorobabel Judæorum principatum regnante Dario an. 114. Adde incertos annos, quibus Zorobabel vixerat antequam principatum iniret, & reverteretur in terram Judæ, annosque vitæ suæ post annum 2. Darii Nothi. Quod argumentum valet de Josue, cum & ipse cum Zorobabele reversus sit in Jerusalem anno 1. Cyri, ut constat ex cap. 2. libri primi Esdræ, & superstes fuerit sub Dario, & Artaxerse; ut liquet ex lib. 2. cap. VII. Lapsus est ergo Scaliger, quod legerit cap. IV. lib. 1. nomen Artaxersis, qui regnavit ante Darium, non animadvertens Artaxersem illum esse Cambisem, & Artaxersis nomen, quod significat *strenuum bellatorem*, Regibus Persarum fuisse commune. Debuit ergo pro anno 2. Darii Nothi statuere annum 2. Darii Hystaspidis, id est, annum M. 3484. ante Ae. V. 520. Verum & ab hoc anno usque ad annum 29. Ae. Dionysianæ fluxerunt plus quam LXX. hebdomadæ, & anni 549. atque decretum Darii nil addidit decreto Cyri, ut dictum est modo. 13. Respond.

14. Opponit. 3. Opp. 3. Repetendum est hebdomadarum initium ab anno XX. Artaxersis Longimani, qui Nehemiæ dedit amplissimam ædificandi Jerusalem auctoritatem, ut habetur 2. Esdræ cap. 11. 5. & 6. Non ergo ab ejusdem Regis anno septimo.

15. Respond. Resp. ab anno 20. Artaxersis ad annum 29. Aeræ Vulgaris fluxisse annos tantum 473. ut constat ex propositione 1. haud recte alligari ab Usserianis vicesimum Artaxersis anno ante Vulg. Ae. 453. ut liquet ex propositione 2. falso supponi Esdram non obtinuisse anno Artaxersis VII. facultatem ædificandi Jerosolymam, ut apparet ex Prop. 3. non bene poni

passionem Christi anno Vulg. Ae. 33. ut nunc supponimus.

16. Opponitur ultimo. Opp. ultimo. Daniel enumerat hebdomadas annorum Lunarium, ut post Africanum tenuerunt quamplures, præsertim Theodoretus, Zonaras, Pererius, Huetius. Nam hebræi annos numerant juxta cursum lunæ; & Propheta ait loqui se de hebdomadibus *abbreviatis*.

17. Respondetur Resp. Hebræos juxta lunæ cursum numerare quidem menses, sed non annos. Etenim quotannis celebrant Pascha luna XIV. primi mensis, incipiunt autem annum suum à prima luna propinquiori Aequinoctio Verno; quod ni facerent, cum annus solaris superet annum lunarem diebus undecim, & lunæ cursus peragatur intra viginti novem dies, & sex horas; post certum annorum intervallum deberent in eodem anno bis Pascha facere: hoc autem incommodum devitant usu mensis emboliſmalis, sive intercalaris, quo luna complere possit annuam solis lustrationem. Præcepto etiam Exodi XXXIV. 22. singulis annis celebrant solemnitatem Tabernaculorum, *quando redeunte anni tempore cuncta conduntur*, & consequenter annum solarem observant; quoniam festum Tabernaculorum singulis annis septimis aperiebat in Autumno sabbatum terræ. Igitur & Daniel solares annos spectavit, maxime quod lunares anni 490. nequeant præcise in annum Passionis Christi cadere, ut quisque ductis calculis deprehendet. *Abbreviatas* ergo Daniel appellavit hebdomadas LXX. quia numerus est *decisus* & definitus; neque in fine postremæ hebdomadis, sed *in dimidio* occisus est Christus. Subjiciam ad pleniorem hujus quæstionis intelligentiam numericum Hebdomadarum paradigma.

18. Paradigma numericum Hebdomad. Danielis.

Incipit H.	I. Anno ante V. Ae.	457.	M.3547.
	II.	450.	
	III.	443.	
	IV.	436.	
	V.	429.	
	VI.	422.	
	VII.	415.	
	VIII. & I. EXLXII.	408.	M.3596.
	IX.	401.	
	X.	394.	
	XI.	387.	
	XII.	380.	
	XIII.	373.	
	XIV.	366.	
	XV.	359.	
	XVI.	352.	
	XVII.	345.	
	XVIII.	338.	
	XIX.	331.	
	XX.	324.	
	XXI.	317.	
	XXII.	310.	
	XXIII.	303.	
	XXIV.	296.	
	XXV.	289.	
	XXVI.	282.	
	XXVII.	275.	
	XXVIII.	268.	
	XXIX.	261.	
	XXX.	254.	
	XXXI.	247.	
	XXXII.	240.	
	XXXIII.	233.	
	XXXIV.	226.	
	XXXV.	219.	
	XXXVI.	212.	
	XXXVII.	205.	
	XXXVIII.	198.	
	XXXIX.	191.	
	XL.	184.	

XLI.		177.
XLII.		170.
XLIII.		163.
XLIV.		156.
XLV.		149.
XLVI.		142.
XLVII.		135.
XLVIII.		128.
XLIX.		121.
L.		114.
LI.		107.
LII.		100.
LIII.		93.
LIV.		86.
LV.		79.
LVI.		72.
LVII.		65.
LVIII.		58.
LIX.		51.
LX.		44.
LXI.		37.
LXII.		30.
LXIII.		23.
LXIV.		16.
LXV.		9.
LXVI.		2.
LXVII.	An. Aeræ Vulg.	5.
LXVIII.		12.
LXIX.		19.
LXX.		26.

Hoc anno baptizatus est Christus.

Dimidium H. sive anni III. 29.

Hoc anno Christus passus est.

CAPUT VI.

Refelluntur Hebræi ex propria, licet corrupta, illorum Chronologia.

SUMMARIUM.

1. Falsitas Chronologiæ Judaicæ.
2. Chronologia Hebraica.
3. Discrepantia Rabbinorum in computatione hebdomadarum Danielis.
4. Non cohærent supputationes Judæorum cum Prophetia Danielis.
5. Non fuerunt hebdomadæ completæ in Hircano.
6. Non valet supputatio Hebræorum à templo diruto.

1. Falsitas Chronologiæ Judaicæ.

HEBRAEI legentes in sacris Bibliis nomina Regum Persarum Cyri, Assueri, Darii, & Artaxersis, non attendentes narrari ibidem sacram duntaxat historiam, & commemorari Reges, qui ad hanc spectant, cæteris prætermissis; ignorarunt Xerses duos, Arsen, Ochum, alterum Artaxersem, aliumque Darium: quos tamen extitisse profanæ omnes historiæ testantur. Falsa hinc Judaica Chronotaxis deprehenditur. Ex ea tamen pervicaces possumus refutare, pugnantibus adversus mendacia mendaciis.

Ex Judæorum Chronicis apud ipsos pervulgatis, & ab unoquoque Rabbinorum receptis, quæ legi possunt apud Genebrardum in libro *Sepher Olam*, sive Chronologia Hebræorum, & 2. volum. Biblioth. Rabbinicæ Julii Bartolocci p. 313. liquet Nabuchodonosorem expugnata Ninive imperium suum fuisse auspicatum anno mundi juxta hebraicum computum 3319. Is anno tertio regni Joakim desinente obsedit Jerusalem, & rex Judæ anno quarto regni sui factus est servus illius, ac sub ejus potestate stetit tribus annis. Anno tertio rebellionis Joakim,

kim, & septimo postquam à rege Nabuchodonosore subactus fuerat, octavo autem ipsius Nabuchodonosoris, ideſt anno M. 3327. Joachimus, sive Jechonias filius Joakim, cum regnasset defuncto patre tribus duntaxat mensibus, IV. Regum 24. 8. ab ipso Nabuchodonosore in captivitatem abductus est: constituitque Rex Babylonis in Jerusalem regem pro Jechonia Matthaniam patruum ejus. Anno XII. Regis Nabuchodonosoris, id est, Mundi 3331. Jeremias vaticinatus est finem captivitatis, cap. XXIX. 10. Anno Nabuch. XIX. ac Mundi juxta Hebræos 3338. à Nabuzardan principe exercitus Babyloniorum vastata est Jerusalem, templumque succensum, IV. Regum 25. 8. Regnavit autem Nabuchodonosor annis integris 45.

Post Nabuchodonosorem regnum obtinuit Evilmerodachus anno 3364. id est, tricesimo septimo à transmigratione regis Joachim, sive Jechoniæ, quem eduxit de carcere, & locavit in throno, 4. Reg. ult. 27. Regnavitque Evilmerodachus per annos 22. Ei successit anno M. 3386. Balthasar, de quo Daniel v. regnavitque tribus annis. Anno ergo 3389. obtinuit regnum Darius Medus, de quo idem Daniel cap. IX. Dario Medo succesſit Cyrus Rex Persarum proximo anno 3390. juxta communiorem hebræorum Chronotaxin, aut post biennium, ut placet nonnullis. Cyro successit Assuerus maritus Esther an. 3392. cum Cyrus nondum expleſſet regni annum tertium. Assuero autem tribuuntur anni XIV. Regnavit post Assuerum Darius secundus filius Reginæ Esther annis 36. usque ad Alexandrum Macedonem, id est, ab anno 3406. usque ad an. 3442. Hujus Darii anno 2. id est, M. 3408. reassumptum est opus ædificationis templi, quod & completum est anno 6. Regni ejus, id. an. 3412. ut habetur I. Esdræ VI. 15. Posteriores annos necessum non est enumerare, cum omnes Judæi fateantur secundum templum stetisse an. 420. Igitur juxta hebraicam Chronologiam,

2. Chronologia hebraica.

Nabuchodonosor regnavit. an.	XLV.
Evilmerodachus.	XXII.
Balthasar.	III.
Darius Medus.	I.
Cyrus.	III.
Assuerus.	XIV.
Darius ante consummationem Templi.	VI.

3. Discrepantia, Rabbinorum in computatione Hebdomadarum Danielis.

Discrepant Rabbini in computatione hebdomadarum Danielis; nam aliqui illas exordiuntur ab anno 7. Regni Nabuchodonosoris, quo venit Jerusalem, abduxitque in captivitatem Jechoniam: unde hi comprehendunt in hebdomadarum computu annos Nabuchodonosoris 39. Incipiunt alii hebdomadas ipsas ab anno Nabuchodonosoris XII. quando Jeremias prædixit finem captivitatis; unde hi arripiunt annos ejusdem Nabuchodonosoris 34. Alii supputant à primo Cyri, alii à secundo Darii, templique structura; alii denique cum Rabbi Josè ab excidio templi prioris, sive ab anno Nabuchodonosoris XIX. omnesque completas autumant vel in excidio secundi templi, quod contigit anno 3828. vel in Hircano filio Aristobuli per Antigonum expulso an. 3721. vel denique in Agrippa occiso tribus annis ante excidium secundi templi, nempe anno 3825.

4. Non cohærent Supputationes cum Prophetia Danielis.

Itaque dicimus nullam ex supputationibus à Judæis excogitatis cum Prophetia Danielis consistere. Primo fieri nequit, ut Danielis hebdomadæ incipiant ab anno VII. Nabuchodonosoris, sive Mundi 3327. & absolvantur in excidio secundi templi, id est anno 3828. nam ab anno 3327. supputatis annis 490. pervenitur ad annum 3817. & à 7. anno Nabuchodonosoris ad Templi excidium sunt anni 501. Auctor Biblioth. Rab. Tom. 2. enumerat pag. 327. annos 511. at comprehendit annos ædificationis templi, & Evilmerodacho tribuit annos 23. Dario 3. quod non fecerat in præmissa Chronologia pag. 315. Si supputentur anni à XII. Nabuchodonosoris constat usque ad excidium urbis fluxisse annos 497. & juxta computum Julii Bartolocci 506. Quod si hebdomades septuaginta supputentur ab anno 1. Cyri; ab hoc anno nonne vides fluxisse ad cladem Jerosolymitanam annos 438.? Supputabunturne à templi structura & ab anno 6. Darii? At usque ad excidium anni tantum 416. connumerantur. Ab anno septimo aut vicesimo Artaxersis? At regnavit ille post Cyrum, & anni nimium decrescent. Undecunque ergo computentur hebdomadæ Danielis, juxta Chronicon Hebraicum nequeunt terminari in vastationem Jerosolymorum, neque in proximam Agrippæ mortem.

5. Hebdomades non sunt Completæ in Hircano.

Si dixeris completas hebdomadas in Hircano; iisdem supputationibus revinceris: sunt quippe ad Hircani expulsionem ab anno 4. Joakim an. 402. ab

ab excidio templi an. 383. à Dario Medo an. 332. à Cyro an. 331. ab anno 2. Darii 313. ut manifestum est ex præmissis Epochis à Judæorum unoquoque receptis, & quibus eadem facilitate confutantur, qui hebdomadas referunt ad Antiochum, vel ad Herodem, cum Aera contractuum, sive Antiochi, fixa sit juxta Chronicon Hebræorum an. M. 3448. Herodiana autem anno 3724. In hos autem annos cadere nequit finis hebdomadarum sive ab anno 4. Joakim, sive à 12. aut 19. Nabuchodonosoris, sive à Dario, vel Cyro supputentur.

6. Neque valet supputatio Hebræorum à templo diruto.

Una remanet supputatio, quam Hebræorum nonnulli existimant expeditissimam. A templo, inquiunt, diruto, sive ab anno Nabuchodonosoris XIX. usque ad finem captivitatis juxta præcedentem Chronologiam fluxerunt anni LXX. quos prædixerat Jeremias cap. XXIX. 10. stetit secundum templum annis 420. En numerus hebdomadarum LXX. sive spatium annorum 490. At commentum hoc postremum refellitur non solum Rabbinorum auctoritate, verum etiam ipsa ratione temporum. *Quomodo commiscebitur exilium cum Templo secundo?* ait R. Aben-Ezra. *Hæc commixtio aliena à veritate apparet*, inquit in lib. Meor-Enajim R. Azarias. *Manifestum est annos exilii haud contineri numero hebdomadarum* LXX. scribit R. Saadias. Vide Joan. Frischmuth in ea, quam hac de re instituit dissertatione, §. 2. & quæ nos diximus præced. cap. IV. ad 4. Objectionem. Sistendo autem in sola ratione temporum, & admissa Hebraica Chronotaxi, fateor inveniri LXX. hebdomadas prædictas à Daniele v. 24. id est annos 490. inter desolationem primi, & inter desolationem secundi templi: sed quomodo invenies hebdomadas 7. & 62. prædictas v. 25. quas non ambigue prædicit Daniel, ut fecit de LXX. versu præcedenti, sed ait supputandas ab *Exitu sermonis ad reverti faciendum, & ad ædificandum Jerusalem?* In his anni exilii, ut recte Rabbini observarunt, nequeunt comprehendi. Supputa autem unde vis hebdomadas illas 7. & 62. post libertatem restitutam, nunquam protrahere poteris ad secundi templi demolitionem. At de calculis Hebræorum rectæ Chronologiæ, & Prophetici Oraculi intelligentiæ repugnantibus, hæc dicta sunto.

CAPUT VII.

Quædam alia adversus Judæos proferuntur.

SUMMARIUM.

1. Refutantur Judæi ex Deutronomio.
2. Moyses prænuntiavit Christum.
3. Solus Christus potuit comparari Moysi.
4. Occurritur Rabbinorum objectionibus.
5. Solvuntur duæ instantiæ.
6. & 7. Probatur adventus Messiæ ex Daniele.
8. Occurritur responsioni Judæorum.
9. Probatur adventus Christi ex Michæa.
10. Idem probatur ex Aggæo.
11. Infirmatur responsio Judæorum.
12. Alia responsio refutatur.
13. Difficultas de templo tempore Christi.
14. & 15. Aliquorum responsio agnoscitur insufficiens.
16. Solutio difficultatis.

1. Refutatio Judæorum ex Deutronomio.

DUo, in quibus versati sumus, Prophetica Oracula sufficiunt quidem ad refellendam Judæorum perfidiam; sed plura sunt tamen alia, quorum nonnulla ex Deuteronomio, ex Daniele, ex Michæa, & Aggæo Prophetis in medium afferam. Moyses Deut. XVIII. 15. & 18. promisit futurum aliquando Prophetam eximium, magnum, suique similem. *Prophetam*, inquit vers. 15. *de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.* Et v. 18. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui.* Hebraicè נָבִיא אָקִים לָהֶם מִקֶּרֶב אֲחֵיהֶם כָּמוֹךָ׃

Hunc locum recentiores Rabbini post Abenezram contendunt accipiendum esse de Josue. R. Bechai de Jeremia: R. Abendena, & Lipmanus de omni propheta, prout opponitur Chananæorum præstigiatoribus. Ac primæ sententiæ fundamentum est, quod Josue post Moysem fuerit dux & rector Israelitarum: altera sententia hoc momento innititur, quod Jeremias tempore captivitatis magnæ fuerit existimationis, & invicti animi, *Excelsus Domini* propterea dictus: tertia autem sententia in eo fulcrum habet, quod ibidem Judæis præcipitur, ut devitent ariolos ac pythones. De omni propheta eundem locum interpretantur etiam Christianorum nonnulli, ut Tostatus & Lyranus, qui tamen

docent etiam Christum ipso vaticinio promitti, & hunc præcipue: quod & tenent ex hæreticis Calvinus, Fagius, Pareus. De Christo tamen expresse, & singillatim Moysem propugnant ex Catholicis Bellarminus, Stapletonus, Paulus Burgensis, atque ex heterodoxis Junius, Drusius, Rivetus: versantque hoc testimonium præ cæteris Lorinus, Estius, & Calmet: quibus addendus ex Novatorum numero M. Georg. Meinhart.

2. Moyses prænuntiavit Christum.

Principio temeritatis nota suggillandus is foret, qui negaret Christum hoc oraculo prænuntiari: deinde etiam mirandum est tam præclarum ac celebre vaticinium à Scholasticis plurimis, qui data opera Judæos exagitant, prætermitti. Ad Christum itaque Moysis promissa spectare, interpretem habemus Spiritum sanctum Act. III. 22. ubi Petrus eodem Spiritu afflatus testatur à Moyse Jesum Christum prænuntiatum iisdem verbis Deuteronomii: quod & confirmat Stephanus eodem libro cap. VII. 37. In eundem locum intendisse Christum, dum ait de Moyse Joan. v. 46. *De me enim scripsit ille*, affirmant Patres, ac Interpretes prælaudati. Ex Patribus legi poterunt Auctor qq. ad Orthodoxos inter opera Justini q. 101. Irenæus lib. III. cap. 12. Tertull. lib. IV. contra Marcionem cap. 22. Cyprianus lib. I. contra Judæos cap. 18. Cyrillus lib. III. cap. 7. contra Julianum, Athanasius lib. 2. contra Arianos, & præsertim Augustinus lib. XVI. adversus Faustum cap. 15. & seqq. Addamus Eusebium Cæsarienſem lib. III. de Demonstr. Evangel. cap. 2. & lib. IX. cap. 11. Hi omnes, aliique à Joanne Lorino collecti tradunt Christum à Moyse prædictum: nec aliter Bibliorum Correctores, qui Deuteronomii verba distinguentes grandiusculis literis, monent lectores ut illa expendant, & citato in margine cap. 2. Actor. legitimum Moysis sensum indigitant. Quare nequit absque temeritatis nota in dubium revocari, an Christum Prophetam magnum, optimumque legislatorem Moyses prædixerit.

3. Solus Christus potuit comparari Moysi.

Adversus autem Hebræos illud primum urgere possumus, quod nec Josue, nec Jeremias, nec ullus alius ante Jesum Nazarenum propheta potuerit Moysi comparari: quod post Eusebium citatis locis demonstrant Interpretes nostri ex cap. XXXIV. ejusdem libri Deut. ubi versu 10. habetur: *Et non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses.* Præterea fuisse apud Judæos ætate Christi communem opinionem, venturum eximium aliquem Prophetam prænuntiatum à Moyse evidentissime ostenditur: nam Sacerdotes & Levitæ permoti celeberrimo Joannis nomine eum interrogabant Joan. I. 21. *Propheta es tu?* non vulgarem prophetam intelligentes, nam & etiam interrogabant, an esset Elias, an esset Christus? sed, ut dixi, prophetam cæteris digniorem, qualem ex ministratione baptismi suspicabantur esse Joannem. Notari hoc in loco insignem prophetam demonstrat etiam Græcorum articulus. Resuscitato quoque adolescentulo viduæ Naimi Judæi omnes Deum magnificantes dicebant, Lucæ VII. 16. *Quia propheta magnus surrexit in nobis:* & quinque panibus in deserto multiplicatis, dicebant omnes, Joan. VI. 14. *Hic est vere propheta, qui venturus est in mundum.* Indubitatum est ergo Judæos Christi tempore præclarum aliquem prophetam expectavisse. Imo Judæos Africanos vivente Aben-Ezra magnos excitasse tumultus, quod nunquam adventaret prænuntiatus à Moyse propheta illi similis, notissima res est, & narrata à Paulo Burgensi in Scrutinio Script. D. VIII. cap. 4. Præterea quisnam Moyse Jesu Nazareno similior, eoque simul longe præstantior? Pauperrimis uterque exceptus cunabulis: utrique puerulo mors intentata: fugam uterque arripuit; servavitque uterque quadraginta dierum jejunium. Quod si futurorum typos diligentius inquiramus, nonne in duodecim Moysis exploratoribus duodecim Christi Apostoli, in septuaginta senioribus Discipuli, in duplici Moysis descensu de monte duplex Christi adventus, in splendenti illius facie, hujus in Thabor transfiguratio, & glorioſæ post resurrectionem apparitiones præfigurantur? Sed in hoc similitudo præcipua, quod uterque fuerit legumlator, populum à captivitate reduxerit, & facie ad faciem Deum viderit. Figuratam præterea in Petra, quam Moyses percussit, Christi passionem, & in Moysis virga lignum Crucis, docet in I. ad Corinth. Apostolus cap. X. 4. explanatque S. P. Augustinus citato libro XVI. contra Faustum cap. 17. At istud fortassis carnalium Judæorum captum superat. Christus ergo est eximius ille propheta prænuntiatus à Moyse: non Josue, non Jeremias, non quilibet Prophetarum.

Facile

4. Occurritur Rabbinorum objectionibus.

Facile ex dictis diluuntur Rabbinorum cavillationes: ad quarum primam reſpondere etiam poſſumus cum Procopio locutum Moyſem de Propheta in poſterum ſuſcitando, Joſuem vero electum jam, declaratumque ducem populi ſupra cap. III. Deuteronomii. Ad alteram dicimus eandem eſſe de Jeremia rationem, ac de Iſaia, Daniele, cæterisque prophetis, quorum nullus legislatoris charactere, aut populi liberatione ſpectata, Moyſi poteſt æquiparari. Ad tertiam reſpondemus inter prophetas, qui ab ariolis diſcriminantur, principem locum tenere Chriſtum Jeſum; & dato etiam quod in prædictione Moyſis prophetæ comprehendantur omnes, unum tamen aſſignandum eſſe Moyſi ſimilem: quamquam Burgenſis advertit repeti Moyſis prænuntiationem, ut ſi priori loco accipiamus quemcunque prophetam annuntiantem futura, altero in loco nonniſi prophetam inſignem, ac ſummum intelligere debeamus.

5. Solvuntur duæ inſtantiæ.

Si objicias, Quomodo Chriſtus eſt ſimilis Moyſi, ſi ille Deus eſt, ex Virgine natus, & propria voluntate paſſus; hic autem homo, genitus ex concubitu, & jubente Domino mortuus in monte? Quomodo Chriſtus propheta eſt, ſi prophetæ in ænigmate futura viderunt, Chriſtus autem omnia apertiſſime intuebatur? Reſpondemus cum Auguſtino citato libro XVI. contra Fauſtum cap. 15. *Non ea tantum, quæ unius ejusdemque naturæ ſunt, inter ſe eſſe ſimilia, ſicut gemini homines, vel filii parentibus, vel omnes homines omnibus hominibus, in quantum homines ſunt, ſimiles utique ſunt: quod & in cæteris animalibus intueri facillimum eſt, velut olea oleæ, laurus lauro ſimilis dicitur; verum etiam naturæ diſpares eſſe, & dici multa ſimilia, ut olivæ oleaſter, & far tritico.* In quo autem Chriſti cum Moyſe ſimilitudo ſita ſit, facile ex dictis conjicitur. Nec ullius eſt ponderis objectio altera: enimvero *Qui propheta dicitur hodie, olim vocabatur videns*, ut legitur 1. Reg. IX. 9. unde Moyſes, quem novit *Dominus facie ad faciem*, Deut. XXXIV. 10. prophetas alios antecellit: Chriſtus, qui eſt *Unigenitus* omnia *in ſinu Patris* comprehendens, Joan. 1. 18. eſt Moyſe, cæterisque præſtantior. Sed de textu Deuteronomii hactenus.

6. Probatur Adventus Meſſiæ ex Daniele.

In Daniele occurrit ſomnium Regis Nabuchodonoſoris enarratum cap. II. 32. & ſeq. explicatum vero verſu 36. & ſeq. Somnium eſt viſio ſtatuæ, cujus caput aurum, pectus & brachia argentum, tibiæ ferrum, pedum pars erat ferrea, pars fictilis. Interpretamentum Prophetæ eſt, in auro deſignari Imperium ipſius Nabuchodonoſoris, quod extra Babyloniorum fines debellatis Ægyptiis, Aſſyriis, & ſuperato etiam Euphrate, devictisque Judæis fuit mirifice propagatum. Tanta Aſſyrii ac Babylonii Regis fortuna, ſi illam ad invaſionem Juddææ referamus, initium habuit anno M. 3398. P. Jul. 4108. ante Vulgarem Aeram 606. & deſiit in infauſta trucique morte Balthaſſaris trucidati à militibus Cyri anno M. 3466. P. Jul. 4176. ante Ae. V. 538. Secundum Regnum, quod Daniel appellat argenteum, fuit Medorum atque Perſarum, & perduravit à Morte Balthaſſaris usque ad annum 6. Darii Codomani, quem debellavit Alexander Rex Macedonum anno M. 3674. P. J. 4384. ante V. Ae. 330. & pugna in Arbelis data omnino Monarchiam Perſarum delevit. Regnum tertium ferreum eſt Regnum Græcorum fundatum ab ipſo Alexandro: qui poſt victum Darium Babylonem quoque expugnavit, atque *pertranſiit usque ad fines terræ, & accepit ſpolia multitudinis gentium*, ut legitur in primo Machabæorum. Bene ergo de hoc regno ait Daniel imperaturum *univerſæ terræ*. Objit Alexander anno Mundi 3681. P. Jul. 4391. ante Ae. V. 323. regnumque Græcorum inter pueros Regis diviſum perduravit usque ad tempora Herodis, & Cleopatræ, ad annum ſcilicet M. 3958. P. Jul. 4668. ante Ch. Ae. 46. Quartum ergo Regnum eſt Regnum Romanorum, qui Occidentem, & Orientem domuerunt, & diverſam formam regiminis tenuerunt: de quibus Livius, L. Florus, Eutropius, omnesque Hiſtorici.

Poſt quatuor Regnorum declarationem, inquit Propheta: וּבְיוֹמֵיהֹון דִּי מַלְכַיָּא אִנּוּן יְקִים אֱלָהּ שְׁמַיָּא מַלְכוּ דִּי לְעָלְמִין לָא תִתְהַבַּל וּמַלְכוּתָהּ לְעַם אָחֳרָן לָא תִשְׁתְּבֻק וְתָמֵר כָּל־אִלֵּין מַלְכְוָתָא וְהִיא תְקוֹם לְעָלְמָיָא׃

In diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit Deus cæli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem & conſumet univerſa regna hæc & ipſum ſtabit in æternum. Hoc loco inter Vulgatam, ac textum Hebræo-Chaldaicum nulla eſt diſcrepantia.

Ex

7. Confirmatur.

Ex hac Prophetia evidenter concluditur Messiam jamjam venisse, cujus regnum est spirituale, sempiternum, atque in sui obsequium trahens regna quælibet temporalia, virtute unius *Lapidis de monte abscissi sine manibus*, ut Daniel ibidem ait, id est, J. Christi, qui absque humana opera de Maria Virgine natus est. Enimvero jam quatuor illa regna consumpta sunt, & comminuta. Jam ergo viget Regnum Christi in tempore regnorum illorum à Deo suscitandum.

8. Occurritur Responsioni Judæorum.

Quod opponunt persistere etiamnum Regnum Romanorum, nec Regnum Christi vi & armis cæteris prævaluisse; nihil omnino probat. Nam Romanorum Regnum vix stat modo nomine-tenus, cum in Occidente eversum sit Vandalorum, Gothorum, aliorumque incursionibus; subjectæ sint quoque diversis Principibus Galliarum, Hispaniarum, Angliæ, & Italiæ provinciæ: in Oriente autem discissum sit Paganorum, Turcarumque tyrannide. Profecto quod dicatur Augustissimus Imperator Rex Romanorum, non evincit quarti Regni usque ad nos persistentiam; nam hoc pacto neque Chaldæorum, neque Persarum, neque Græcorum præteriisset Monarchia, cujus nomine Turcarum auctoritas insignitur. Præterierunt tamen, cum fuit forma Regiminis immutata. At Christi regnum non ferro, sed spiritualibus armis cætera omnia comminuit, prædicatione Evangelii, & eversione idolorum: neque illud potuit unquam evertere aut temporalis potestas, aut Satanæ machinatio. Floruit utique aliquamdiu post Christi adventum Romana Respublica, & regnat adhuc in Orbe plurimarum gentium iniquitas: sed non subacto domitoque rigente adhuc quarto Regno Daniel venturum Christum prædixit; nec statim omnia regna subjuganda, sed in aliorum comminutione asseruit regnum ipsius Christi fore perpetuum. Nunc ergo statua confracta, regna quatuor comminuta, Christiani autem regni perennitas aperte declarant eventu somnium Nabuchodonosoris, quod Daniel verbis Propheticis explicavit.

9. Probatur adventus Christi ex Prophetia Michææ.

Alterum adventus Christi argumentum est, quod Propheta Michæas cap. v. 2. hoc de Bethlehem singulare oraculum protulit: וְאַתָּה בֵּית־לֶחֶם אֶפְרָתָה צָעִיר לִהְיוֹת בְּאַלְפֵי יְהוּדָה מִמְּךָ לִי יֵצֵא לִהְיוֹת מוֹשֵׁל בְּיִשְׂרָאֵל: וּמוֹצָאֹתָיו מִקֶּדֶם מִימֵי עוֹלָם: *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressio ejus ab initio à diebus æternitatis.* Prædictus est à Michæa Dominator populi Israel de oppido Bethlehem exiturus. Is vero nequit esse nisi Messias: cumque oppidum Bethlehemi fuerit ab annis multis eversum; promissum Liberatorem jam venisse consequitur. Porro de Messia vaticinatum esse Michæam liquet ex specioso, neque ulli mortalium aptando charactere, *Et egressio ejus à principio à diebus æternitatis.* Idem probat Veterum omnium Rabbinorum traditio; Herodi enim sciscitanti *Ubi Christus nasceretur*, Sacerdotes omnes, & Scribæ responderunt, Matth. II. 5. *In Bethlehem Judæ; sic enim scriptum est per prophetam.* Et quidem Michæas nequit intelligi de Davide, aut Elimelech, aut alio antiquiori duce Bethlemitio, cum prophetaverit sub Joathan, & Ezechia, atque post annum M. 3246. prænuntiaveritque eo loci futurum quoque Jerosolymorum excidium. Neque ad Ezechiam, vel Zorobabelem referri potest vaticinatio, quibus convenire non potest proprietas æternitatis, nec in Bethlehem Juda nasci contigit, cum Ezechias natus sit Jerosolymis, Zorobabel Babylone.

10. Idem probatur ex Aggæo.

Præteriri non debent quæ de secundo templo prædixit Aggæus cap. II. 7. & 10. futuram hujus templi gloriam ampliorem, quam templi à Salomone constructi, quod ad secundam Domum venturus foret Messias. *Et veniet*, inquit Propheta, *Desideratus cunctis Gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus.* וּבָאוּ חֶמְדַּת כָּל־הַגּוֹיִם וְמִלֵּאתִי אֶת־הַבַּיִת הַזֶּה כָּבוֹד & infra, *Magna erit gloria Domus istius novissima plus quam prima:* גָּדוֹל יִהְיֶה כְּבוֹד הַבַּיִת הַזֶּה הָאַחֲרוֹן מִן־הָרִאשׁוֹן: Christus ergo, qui venturus erat ad Templum sanctum suum, ante hujus devastationem advenit. Recentiores quidam Rabbini detorquent vaticinium ad tertium templum Herodianum; sed nihil excogitari poterat magis ineptum; nam pronomine de-

demonstrativo Aggæus domum à Zorobabele constructam designat, imo ipsum Zorobabelem alloquitur: ut mittam Templum Herodianum non esse diversum à secundo, nullius gloriæ titulo primum superasse, & illud etiam solo æquatum esse, atque eversum. Verum de his infra.

11. Infirmatur Responsio Judæorum.

Gloriam secundi Templi Judæorum alii autumant esse, quod usque ad Titum perduraverit, diuturnitate, quam stetterit primum, majori; aut, quod magis fuerit ornatum, ac muneribus & divitiis onustum: aut demum, quod stante hoc templo pacem habuerint tranquilliorem. Sed ridenda potius hæc sunt, quam refutanda. Etenim quænam gloria censenda est stetisse Templi molem annis, quot ipsi enumerant, 420. vix decem supra ætatem domus prioris? *At gloriam magnam*, & qua Templum *implendum* erat, legimus prænuntiatam. Falsum quoque est Domum novissimam fuisse ob opulentiam, sacramque supellectilem magis, quam fuerit prima, illustrem ac celebrem, præsertim cum neque extiterit in novo Templo Arca fœderis, neque ignis perpetuus, neque splendidiora domus primæ ornamenta. At pacem, nisi illam fateamur à Propheta enuntiatam, quam Christus attulit terris, qualem invenies in Templo sub Antiocho, Seleuco, Pompejo, C. Cæsare, ac Tito, omni profanationis specie polluto? Quomodo pacem dixeris prædictam à Daniele abominationem desolationis? Quam populi tranquillitatem in contrario bellorum exitu, in excidio Jerosolymarum, in clade, qua, aut fame, aut ferro absumpta narrantur Judæorum undecies centena millia, in captivitate, in quam venerunt devictorum reliquiæ?

12. Alia Responsio refutatur.

Reponunt alii venisse ad hoc Templum invictissimum Regem Macedonum Alexandrum; sed inscite ac stolide tribuunt homini idololatræ, & se jactanti filium Hammonis speciosum Messiæ titulum חמדת כל־הגוים *Desiderium omnium gentium*: & impudenter atque audacter *magnam Dei gloriam* existimant, quam Rex ille Græcorum etiam Apollini exhibuit. Quid plura? *ad Templum sanctum suum* ait Malachias III. 1. venturum non Regem aut Græcorum, aut Persarum, aut Assyriorum, sed *Angelum testamenti*, & *Dominatorem*, quem Judæi ipsi expectabant. Id vero impletum dum Virgo mater sisteret Domino puerum Jesum, divini Spiritus revelatione agnoverunt, ut refert Lucas II. 25. & 36. justus Simeon, & Anna filia Phanuel prophetissa.

13. Difficultas de templo tempore Christi.

Sed oritur difficultas, quod Templum Christi ætate persistens, fuerit Herodianum ac tertium, ideoque non extructum à Zorobabele & secundum. Scribit enim Josephus lib. XV. Antiq. cap. XI. num. 1. Herodem cogitasse de novo construendo Templo, quoniam *secundo deerant ad altitudinem cubiti sexaginta, tanto quippe altius erat à Salomone ædificatum.* Addit n. 2. *Judæis anxiis ne si totum opus dissolveret, non satis opum haberet ad perficiendum*, dixisse, *non se prius templum diruturum, quam omnia quæ ad novum absolvendum pertinerent, præparasset.* Hoc pacto Judæis acquiescentibus Herodes, ut Historicus inquit num. 3. *sublatis veteribus fundamentis, & jactis aliis, templum super eis erexit in longitudinem cubitorum centum, in altitudinem totidem, & viginti amplius.* Si ergo Christus advenit ad Templum tertium ab Herode constructum, non potuerunt Judæi prælaudato Aggæi vaticinio revinci.

14. Aliquorum Responsio.

Facillima esset hujus difficultatis expeditio, si quemadmodum tenent cum Villalpando Tom. 2. in Ezech. lib. V. cap. 68. Salianus ad annum M. 4305. num. 5. omnesque fere recentiores, Herodes ornasset tantum secundam domum à Zorobabele constructam, non alteram excitasset. Quod viri docti adversus apertissimum Josephi testimonium nituntur sequentibus momentis demonstrare. Principio, inquiunt, si fides habeatur Josepho, non erit juxta prophetæ prædictionem secundum templum glorificatum præsentia Salvatoris. Deinde Templum, quod vivente Christo Domino stabat, Jo. II. 20. *quadraginta sex annis ædificatum est*: Herodianum vero constructum est annis novem, vel octo cum dimidio. Præterea Herodis reditus pares ad structuram tantam non erant, cum Regulus esset tenuissimarum opum, & in aliis amplissimis sumptibus thesauros exhaurierit, ut in Arce Antonia, ædibusque maximis prope fanum, magnificentissimo oppido in Samaritica regione, atque ædificiis aliis amplissimis. Tandem affirmant Patres venisse Christum ad Templum Zorobabelis, & de ipso accipienda Joannis verba paulo supra producta.

15. Agnoscitur insufficiens.

Ut verum fatear, non sunt hæc omnia tanti ponderis, ut valeant testimonium Josephi etiam à Gorionide, aliisque confirmatum

firmatum evertere: nam prima, & postrema argumentatio, si cum Judæis disceptetur, videbitur esse, ut inquiunt Scholastici, petitio principii. Secunda nimis infirma est; quandoquidem sex illi & quadraginta anni non ad solam structuram parietum, sed etiam ad ornatum Templi debent referri: nec secundum Templum constructum fuit spatio annorum 46. ut nonnulli ex his Joannis verbis, falsisque supputationibus deduxerunt, sed annis viginti, quot fluxerunt ab anno P. J. 3468. ad an. ejusdem Periodi 3488. sive à primo Cyri usque ad sextum Darii Hystaspidis, quo consummatum templi ædificium liquet ex 1. Esdræ VII. 15. Nec urget quod opponitur de Herodianis reditibus; primum quia tot alia immensi operis ædificia demonstrant haud exiguam ei fuisse copiam divitiarum: deinde defuncto Zenodoro nova illi regio, amplissimique reditus accesserunt: ad hæc scribit Josephus lib. VI. de Bello cap. 6. insumptos in Templi ornatu *omnes thesauros, quos toto orbe missa Deo munera repleverant:* tandem negari non potest Herodianum fanum non dici à Tacito lib. V. Hist. cap. 8. *immensæ opulentiæ templum.* Hæc tamen opulentia non tanta fuit, quanta templi Salomonis, ut è confessione Rab. Azariæ demonstrat Mich. Boccius in *Templo terstio ficto*; ubi etiam probat ex cap. Messechet libri Joma in hoc gloriam fuisse primi Templi, quod in eo fuerunt *Urim & Tummim, cœlestis ignis, gratiosa præsentia Dei, & Arca fœderis cum propitiatorio & Cherubim:* quæ addo, ne quis audeat ob opulentiam ipsum primum templum postponere Herodiano.

Difficultatem ergo superius positam sic arbitror diluendam, quod licet Herodes domum Dei à fundamentis extruxerit, erat tamen hæc domus eadem cum secunda, quia Herodiana non ex ruinis excitata fuit, sed paulatim per partes innovata, ita, ut semper persisteret Sanctum sanctorum; cum nunquam sacer cultus, & sacrificia fuerint interrupta: quod non solum Ribera, aliique Catholici interpretes observarunt, sed etiam Grotius in cap. 24. Matth. & lib. V. de Verit. Rel. Christ. num. 14. Scaliger lib. VI. de Emendat. Temp. & in notis ad lib. XV. Antiq. Hudsonus. Profecto Judæi Herodianum Templum idem esse ac secundum ubique fatentur, nec eversum à Tito alio unquam vocabulo appellant, quam בית שני domum secundam. Videatur Talmud cap. ult. de Synhedrio, titulo Joma, & titulo Rosch Haschana. Hoc ad Hebraicam pervicaciam frangendam videtur præcedenti opinione robustius. 16. Solutio Difficultatis.

CAPUT VIII.

Jesum Nazarenum esse Messiam in lege promissum.

SUMMARIUM.

1. Error Judæorum de Messia.
2. usque ad 5. Propositio cum suis probationibus.
5. Usque ad finem afferuntur, & solvuntur objectiones.

1. Error Judæorum de Messia.

ADVENISSE promissum Mundi Redemptorem ante eversionem secundi Templi prædictorum argumentorum vi superati quidam Judæorum confessi sunt. At ne faterentur Messiam illum esse Jesum Crucifixum, maluerunt Messias alios intrudere, ut Dositheum, Simonem Samaritanum, Barchochebam, Davidem Eldavidem, ac Vespasianum ipsum suæ perditionis auctorem. Alii latitasse putarunt aut in hortis Eden, aut in nosocomiis urbis Romæ, aut in locis aliis reconditis, tanta manifestationis ejus fiducia erecti, ut ideo tentaverint Romanorum jugum excutere, quod ex eorum finibus profectus Dux inclytus Orbis terrarum habiturus esset imperium. Quod & Flavius scribit lib. VII. de B. J. Tacitus in V. Hist. in Vespasiano Suetonius, & ex Rabbinis Zemach David, Akiba, & Joannes, & Abraham Salmanticenses. Neque fallax fuit, quæ percrebuerat opinio, si potestatem spiritualem antiquis Prophetarum literis prænuntiatam intellexissent. At quoniam temporalem præstolabantur, neque Christum verum Messiam agnovere, neque in Pseudoprophetis illis impletum oraculum restitutionis Regni Israel videre meruerunt. Quoniam ergo experientia edocti testantur impostores fuisse, qui Herodis & Hadriani temporibus venerunt sub Christi nomine; id unum superest demonstrandum talem non fuisse Jesum Nazarenum, qui & suæ missionis veritatem ostendit, & aliorum prædixit calliditatem.

PRO-

2. Propositio cum sua probatione.

PROPOSITIO: Jesus Nazarenus est verus Messias à Deo Prophetarum ore promissus.

Sequitur ex dictis. Ille enim verus Messias est, qui advenit, dum sceptrum ablatum fuit de tribu Juda, dum quartum Regnum potestatem Græcorum confregit, dum staret templum à Zorobabele ædificatum, dum Danielis hebdomadæ ad finem vergerent; & ille Messias est, qui in his temporum adjunctis ortus est in Bethlehem ex regio semine David, instituit regnum spirituale & æternum, venit ad Templum sanctum suum, atque in medio postremæ hebdomadis, ut deleretur iniquitas, mactatus est. Hæc autem omnia in Jesu Nazareno fuerunt completa. Ipse ergo est Rex Israel, ipse Benedictus Davidis, ipse Sacerdos æternus, ipse denique diu expectatus Messias.

3. Confirmatur.

Confirmatur ex universis Jesu Nazareni, & Messiæ characteribus. Ex Davidis posteritate nasciturum Messiam prædictum est Ps. LXXXVIII. 4. & Jesum esse filium Davidis constat ex Matth. 1. Concipiendum de Virgine prænuntiavit de Messia Ezech. XLIV. 2. & Isaias VII. 14. quod impletum in Christo liquet ex Luca cap. 1. 26. Messiæ patria est Bethlehem apud Mich. v. 2. & Jesum natum Bethlehemi constat ex Matth. II. 1. Ad Messiæ incunabula delaturos Magos aurum & thus ait Is. LX. 6. atque idem affirmat de Jesu citato loco Matthæus. Narrat ibidem Evangelista fugam Christi in Ægyptum prædictam ab Osea XI. 1. nec non cædem perpetratam ab Herode, ac prædictam à Jeremia XXXI. 15. Ante Christi prædicationem Marci 1. Joannes Baptista prædicavit pœnitentiam in deserto, juxta vaticinium Isaiæ XL. 3. Evangelicam prædicationem inchoatam in Galilæa narrat Matthæus IV. 12. quod & Propheta vaticinatus fuerat IX. 1. Apostolos vocandos à captura piscium inquit Jeremias XVI. 16. idque de Christi Apostolis refertur ab Evangelista IV. 8. Fuerunt Christi discipuli illiterati ac rudes, ut vaticinatus fuerat Isaias XXIX. 14. in omnem tamen terram prædicarunt Evangelium juxta prædictionem Psalmi XVIII. 5. In Passione Christi omnia consummata sunt, quæ fuerant prænuntiata. Ingressus est Jerosolymam sedens super pullum asinæ, ut prædixerat Zacharias IX. 9. traditus fuit à discipulo, ut idem propheta vaticinatus fuerat XI. 12. nec non Psalmista LIV. 13. cæsus flagellis est, suffixus cruci, & reputatus cum sceleratis, juxta vaticinationem Isaiæ L. 6. LIII. 12. Revixit etiam, & in cœlum ascendit, ut in Psalmis III. 6. & LXVII. 19. fuerat prænuntiatum. Profecto in nullo alio singulas notas istas invenies. Atque his accedunt figuræ omnes cum personarum, tum sacrificiorum veteris Testamenti, quas in Jesu Nazareno completas diximus differentes de Legibus cap. 6. & 9.

4. Confirmatur ulteriùs.

Addunt argumento robur Christi miracula non eo tantum titulo, quod nequeunt fieri in confirmationem erroris, ut probatum est alibi, sed etiam quod Messiæ adventum notis indicant singularibus. Cæcos enim illuminavit, surdisque reddidit auditum, uti vaticinatus fuerat Isaias cap. XXXV. 4. 5. roboravit genua debilium, claudosque sanavit, ut prædixit eo loci propheta: revocavit etiam mortuos ad vitam juxta prædictionem ipsius Isaiæ XXVI. 19. Recte ergo interrogantibus discipulis Joannis, an revera esset Christus, respondit Matth. XI. 4. *Renuntiate Joanni, quæ auditis, & viditis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Sunt præterea plura miracula divinam Christi Missionem contestantia: stella quæ in oriente apparuit in ejus Nativitate haud obscure prænuntiata ab Isaia cap. LX. 3. visibilis Spiritus sancti descensus in Baptismate, de quo idem Isaias XI. 2. Solis obtenebratio in plenilunio, atque in meridie; quam innuit Amos VIII. 9. Itaque Jesum Nazarenum esse verum Messiam evincunt miracula, probant legis typi, commonstrant vitæ mortisque illius adjuncta, confirmant promissi Reparatoris characteres, atque declarant Propheticorum oraculorum eventa.

OBJECTAMENTA ELIDUNTUR.

5. Objicitur 1.

At objiciunt Judæi. Sunt potius venturi Messiæ characteres confirmare pactum, & legem Mosaicam, Danielis IX. 27. perpetuum reddere Sacerdotium Leviticum, Jerem. XXXIII. 13. conterere gentes Moab, & filios Seth, Num. XXIV. 17. debellare Gog & Magog Ezech. XXXIX. 11. construere templum amplissimum, seq. cap. XLI. denique non gentibus, sed populo Israel salutem afferre, Is. XI. 12. Igitur Jesus Nazarenus, qui nec legem Moysis perennem reddidit, neque Sacerdotium firmavit, neque armis debellavit Gentiles, neque amplissimum templum erexit, neque congregavit profugos Israel, verus Messias habendus non est.

6. Respondetur

Resp. spiritali sensu hæc omnia fuisse adimpleta, literali autem impleri non debuisse. Legem, Sacerdotium, victimas, in Evangelium, in Ordinem Melchisedech, in sacrificium incruentum transtulit Christus, deletisque futurorum umbris, attulit justitiæ perennitatem. Subvertendo Apostolorum suorum prædicatione Gentium idola, glorioſum reportavit de omni natione triumphum, & in Ecclesia, quam acquisivit sanguine suo, longe melioris structuræ Templum erexit. Offerens autem semetipsum in Ara crucis, salvavit Israel, & congregavit profugos, atque fideles, qui reputantur in semine. Non alio sensu fas est promissa expectare, nisi velimus, quod ratio non sinit, credere repugnantia. Nam legem aliam *de Sion, & Verbum Domini de Jerusalem* ait promulgatum iri cap. II. 3. Isaias: *novum pactum* firmandum prædixit Jeremias XXXI. 32. *in corde*, non in tabulis, conscribenda esse præcepta, annuntiat eo loci propheta. Novam ergo legem, eamque spiritualem sacræ literæ spoponderunt. Ubique terrarum *oblationem mundam* summo Numini offerendam vaticinatus est I. II. Malachias: *Gentes* ad sacerdotale munus eligendas, inquit Isaias LXVI. 21. etiam *in Ægypto* erigendum *altare Domini*, tradit cap. XIX. 19. idem Propheta: abjicienda esse holocausta testis est cap. V. 22. Amos. Igitur non in sola Jerosolyma, non à solis filiis Aaron, non sola holocausta sanguine cruentata Domino Israel sunt immolanda. Secundi templi desolationem perpetuam fore ait Daniel; ideoque à Messia reædificandum non certa spes Judæorum, sed phantasma est somnioſorum, maxime cum ædificium Zorobabelis literaliter prænuntie Ezechiel. Messiæ arma *justitiam & æquitatem*, & instrumenta ad impios perdendos *virgam oris, & spiritum labiorum suorum*, non ensem & gladium esse, auctor est cap. XI. 4. & 5. Isaias. Venit Christus ad salvandum Israel natus in Bethlehem, oblatus in Templo, prædicans in Galilæa, & crucifixus in Golgotha: *pro ovibus Israel* se venisse affirmavit Matth. XV. 24. præcepitque Apostolis, *ne abirent in viam gentium*, X. 5. neque ad illas conversi sunt, nisi vi à Judæis expulsi, ut constanter dixerunt Act. XIII. 46. Paulus & Barnabas. Hanc vocationem Gentium Deus repromisit Abrahamo Gen. XXII. 18. prædefinivit Christo Ps. II. 8. & confirmavit per ora omnium prophetarum. Recidunt ergo adversus Judæos singulæ illorum objectationes.

Præterea opponunt Judæi: Repugnat gloriæ promissi Reparatoris humilis Nazareni fortuna, maxime mors contumelioſa, in quam omnes conspirarunt, viri etiam probi Synagogæ, & principes sacerdotum. Quis enim credat universos Regem suum ac ducem, illumque beneficum & optimum interfeciſſe? 7. Objicitur

Resp. & Jesum gloria & honore circumdatum. Excepit in cunabulis munera gentium, sedit puer in medio Doctorum, apparuit glorioſus in Thabor, fugit in montem ne raperetur ad thronum, percepit ex ore infantium hosanna, divites funus ejus curarunt, & factum est glorioſum sepulchrum ejus. Igitur gloria, quam de Messia literæ sacri fœderis nuntiant, humilis Nazarænus non caruit. Decipiuntur etiam Judæi, dum Christi duplicem adventum nolunt distinguere. Sed ut primus fuerit humilis; despectum & noviſſimum virorum appellaverat Isaias, percussum à Deo, & humiliatum, quasi agnum mactatione immolatum; *quoniam nos erravimus, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Legant miserrimi Judæi Prophetæ caput tertium ac quinquagesimum; atque in ipsa Redemptoris humilitate Messiæ majestatem agnoscant. Si adversus illum *astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum*, prædixerat hoc David Psalmo II. 2. In hoc tamen est aliquid quod Judæi erubescant, Pilatum Ethnicum hominem nullam in eo adinveniſſe mortis causam. Sacerdotes quoque & Synhedrii principes adversus Regem suum stetisse, non est cur mirentur Judæi, si animum ad veterum vaticinia, atque facta præterita advertant. *In lapidem offensionis*, & in petram scandali domibus Israelis, atque in ruinam habitantibus Jerusalem, ponendum Christum, David & Isaias prædixere. Vide illum Ps. CVIII. & CXVII. hunc vero cap. VIII. Adde Jeremiæ Threnos cap. III. Reminiscantur præterea Judæi, majores suos etiam adversus Moysen seditiones fuisse molitos, rebelles fuisse Davidi, trucidasse Zachariam filium Jojadæ, Jeremiæ falso crimine mortem intentasse; sectum ab illis Isaiam membratim, Michæam traditum custodiæ, obrutos aliis saxis. Ita illos, qui ad eam missi sunt, consuevit Jerusalem honoribus cumulare. Quid ergo mirum stetisse adversus Jesum Sacerdotes & Scribas, quos tunc temporis superasse majorum omnium flagitia narrat lib. XIV. & XVIII. Josephus, & ferina fuisse crudelitate fatetur R. Sa- 8. Respond.

Salomo in Synhedr. & Talmud de ponderibus.

9. Delirium Judæorum. Reponunt aliqui ob hæc peccata dilatum Messiæ adventum. Verum dormitant hi, vel delirant. Si enim propter iniquitatem delendam venturus erat Messias; cur peccata in causa fuerunt quo minus tempore statuto adveniret? Si est, ut illum apellant, ISCH COPHER, *Placator*, & *Medicus*; quare post restitutam sanitatem, ac pacem appareat? Si denique ob Judæorum peccata post Messiæ adventum erat urbs exscindenda; quî fieri potest, ut venerit Justorum temporibus, non peccatorum? Dum ergo regnabat iniquitas, adstitit opportune Redemptor; & ipsa scelerum magnitudo perficiendam à Jesu Nazareno redemptionem demonstrat. Adde quæ cap. II. ad consimilem objectionem produximus.

10. Objicitur 3. Objiciunt denique adversus Jesu Nazareni miracula, primum hæc commentitia esse atque à Christianis conficta: deinde si vera sunt, fuisse patrata magicis artibus, & ope dæmonum: plura insuper Christum mirabilia fecisse sublato fraude de templo *nomine* quodam *arcano*: demum ab impiis quoque, & pseudoprophetis facta non semel mira ac stupenda.

11. Respondetur 1. Postremum hoc Judæorum præsidium absque operosa velitatione subvertitur. Sanioris mentis Rabbini patrata à Christo prodigia non denegant. Testem appellamus Josephum, de quo infra, libros Talmudicos Avoda Zara, & Midrasch Coholeth; & eos, qui Jesum accusabant, quod paralyticum sanaverit die sabbati. Accedit testimonium discipulorum Joannis, dæmonum quoque, ac perditissimorum hominum, ipsiusque Juliani Apostatæ apud Cyrillum libro VI. nec non Mahumetis in Alcorano Azoara v. XI. XIII. Quænam præterea veritatis argumenta sunt in patratis à Moyse miraculis, quæ non habeantur in rebus à Christo gestis? Utraque literis consignata sunt, & perfecta coram multitudine populi. Imo, si hæc fas est reponere, facta Moysis ab ipso primum literis mandata sunt, Christi vero à quatuor Evangelistis. Plura ille gessit in Horeb, in Sina, in solitudine ab omnium conspectu segregatus; is omnia in templo, in urbe frequentissima, & universis, vel saltem inculpatæ vitæ plurimis spectatoribus. Facilius ergo est nobis prodigia Christi, quam Moysis tutari, licet utraque fateamur, neque valeant à Paganis ullatenus oppugnari.

12. Respondetur 2. Christi prodigia non esse perpetrata ope dæmonum, manifesto declarant notæ à nobis traditæ lib. X. cap. XX. præsertim quod ille dissolverit opera diaboli, unum Deum prædicaverit adorandum, & ejus discipuli idola confregerint, librosque Ephesiorum magicam artem continentes igne combusserint. Iisdem notis propugnamus veritatem miraculorum Moysis & Eliæ. Sed plura vide vicesimo capite laudato. Quod effutiunt de sublato à Jesu *Nomine Dei arcano*, principio hoc idem refellit, quod modo opponebant, probatque facta à Christo miracula in Dei virtute, non dæmonis. Fabulam tamen narrant mendaciter, impudenterque confictam, dum asserunt nomen illud arcanum inscriptum lapidi, cui imposita hærebat Arca, extitisse temporibus Reginæ Helenæ, & custoditum fuisse æreis canibus, aut leonibus. Nam, ut recte Grotius lib. V. de veritate Rel. Christ. n. IV. de re tam insigni, atque admiranda nec libri Regum, nec Paralipomenon, nec Josephus quidquam produnt, neque Romani, qui cum Pompejo Templum intrarunt ante Jesu tempora, tale aliquid invenerunt. Accedit Reginam Helenam Jerosolymam adiisse post regis Agrippæ obitum, & in fabulis istiusmodi insignem deprehendi ignorationem historiæ. Vide & Huetium Dem. Evang. Prop. IX. cap. XXXIX. num. V.

De miraculis, quæ patrata dicuntur ab Ethnicis, recole quæ scripsimus capite VII. libri primi.

CAPUT IX.

Autographum esse testimonium, quod de Christo perhibuit lib. XVIII. Antiquitatum Flavius Josephus.

SUMMARIUM.

1. Affertur testimonium Josephi.
2. & 3 Probatur esse genuinum, & non suppositium.
4. Usque ad 9. afferuntur, & solvuntur objectiones.
11 & 12. Stylus prædicti testimonii genuinus est, & per omnia phrasi Flavianæ conformis.
13. Objectio cum responsione.

1. Testimonium Iosephi.

ILLUD demum Judaicam perfidiam revincit, quod honorifice quoque de Jesu Nazareno mentionem fecerit Historicus Judæorum disertissimus Flavius Josephus: qui cap. IV. libri XVIII. de Judæorum Archæologia scribit: *Fuit autem hoc tempore Jesus, vir sapiens; si tamen virum illum oportet dicere: erat enim mirabilium operum effector, magister hominum qui vera libenter amplectuntur; & plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex Gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus. Cumque eum à primoribus gentis suæ accusatum Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non abstinuerunt, qui primum cœperant: nam post tertium diem redivivus ipse apparuit, cum divini Vates hæc aliaque quamplurima admiranda de eo prædixissent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo genus Christianorum.* Quoniam vero insigne istud Christianæ Religionis monimentum non Judæi tantum, sed etiam Christianorum permulti labefactare tentarunt; de illius autographia institui hoc loco disserere.

2. Propositio.

PROPOSITIO I. Testimonium hoc Flavianum genuinum est, non suppositum atque infertum.

Demonstratur. Autographus censendus est locus ille Josephi, si illum ex vetustis, nec interpolatis Mss. exceperint Patres, & Historici præclarissimi: si perpetua traditione usque ad annum MD. fuerit probatus: si demum suppositionis notæ, quas submorosi Critici afferunt, nullius sint roboris, ac firmamenti. Hujus generis est productum Flavii testimonium. Igitur est autographum. Probatur minoris pars prima. Antiquissimus omnium, qui data opera vetustos libros perlegit, & Bibliothecas, restituta per Constantinum Ecclesiæ pace, incredibili diligentia lustravit, est Eusebius Cæsariensis. At is testimonium illud profert lib. III. Demonstrat. Evangelicæ cap. 5. & lib. I. H. Eccl. cap. 10. Fatentur id Adversarii, & respondent aut Eusebium in Mss. interpolata incidisse, aut fraude insignem locum suppositisse. Verum somnia hæc sunt, solemnesque impostura. Principio Eusebius usus est antiquissimo Codice Jerosolymitano, quem depravatum immerito suspicantur. Deinde extat hoc testimonium in Mss. omnium antiquissimis Bibliothecæ Palatinæ, in asservato in Bibliotheca Cæsarea, & olim Constantinopoli comparatum ab Augerio Busbequio, in duobus Bibliothecæ Mediceæ, quæ sedula animadversione versarunt docti viri Isaac Vossius, & Emericus Bigotius, in eo quod legit Hieronymus, alio ab Eusebiano, ut demonstrat Carolus Daubuz; in illo, quod latinum reddidit M. Aurel. Cassiodorus, qui profecto non arripuit deterioris notæ exemplaria. Ex quibus immotum stat judicium Baronii ad annum Chr. XXXIV. verosimilius esse à Judæis fuisse expunctum, quam à Christianis insertum, quod Historiæ Ecclesiasticæ Parens nititur etiam probare ex vetustis membranis cujusdam Codicis ex Græco in Hebraicum translati, ubi liquet fuisse abrasum: quamquam illius hiusce periochæ ratio alia possit proferri, & Codex forte fuerit non Flavii, sed Gorionidis. Præterea si hunc textum suppositisset Eusebius, facillimum fuisset cum Judæis, tum aliis tam apertam fraudem convincere: erant quippe tunc temporis ad omnium manus Codices probatissimæ antiquitatis. Postremo, ut ratiocinatur Valesius, cui bono Eusebius id confingere voluisset? An ex testimonio Josephi pendebat Christi Divinitas? Priorem ergo partem corroborant argumenta satis obvia, & palmaria.

Demonstratur Genuinum esse Testimonium Iosephi.

Pars altera per se constat; nam testimonium Flavianum laudarunt S. Hieronymus de Script. Eccles. Hegesippus lib. 2. de Excidio Judæorum cap. 12. Rufinus in Versione Eusebii edita per beatum Rhenanum, Isidorus Pelusiota lib. 4. Ep. n. 225. Sozomenus libro 1. H. Eccl. cap. 1. Nicephorus Callistus lib. 1. cap. 34. Zonaras lib. 1. cap. 4. Freculphus Tom. 2. Chronic. lib. 2. cap. 5. Vincentius Bellov. lib. VII. atque omnes alii usque ad Hubertum Gifanium, & Lucam Osiandrum, qui duo omnium primi communem hanc fidem conati sunt elevare. Posthac vero etsi varias fortunas subiit, & Osiandrum secuti sunt Salmasius, Blondellus, Tanaquillus, & alii: comprobarunt tamen vetustam sententiam Picus Mirandulanus, Sixtus Senensis, Bellarminus, Feuardentius, Possevinus, Huetius, nec non Centuriatores Magdeburgenses, Georgius Callistus, Schikardus, Vossius, Usserius, & alii innumeri, quos omnes collegit, & vindicavit Carolus Daubuz lib. 1. eruditi Operis de hoc argumento exornati. Nullus ergo ante sæculum sextum decimum de veritate Testimonii Flaviani nutavit.

3. Probatur Testimonium Iosephi non esse suppositum.

Tertia pars ostenditur explodendo conjecturas Osiandri, Tanaquilli & Blondelli, quas etiam attulit in nova Bibliotheca Elias Dupinius. Prima petitur ex silentio Veterum. Neque enim Josephi testimonium urget adversus Tryphonem Judæum S. Martyr Justinus, neque S. Clemens Alexandrinus, qui plura ex eodem auctore in præsidium Fidei Christianæ

4. Oppugnatur testimonium Iosephi.

stianæ produxit; neque Origenes, qui potius miratur in Commentariis super Matthæum perhibere Josephum magnificum de Jacobo testimonium, & Christum Dominum præterire silentio. Sed objiciunt maxime silentium Photii, qui cum omnia, quæ scripsit Josephus recenseat, de loco tam insigni nec verbum quidem.

5. Defenditur Josephus.

Verum hæc prior argutatio facile revincitur. Nam primo negativum argumentum est, nec ad faciendam firmitatem idoneum. Deinde quantum ad Justinum attinet, ejus cum Tryphone concertatio, non erat an Jesus extiterit, patraveritque miracula, quod ultro Judæus fatebatur; sed an illi divini deberentur honores, cultusque latriæ: neque ullo profanorum Scriptorum testimonio Justinus impetit adversarium, sed illum provocat ad sola oracula Prophetarum. Ob priorem rationem illud prætermiserit S. Clemens Alexandrinus, cujus tamen opera complura deperierunt hoc fortasse testimonio minime destituta. Ea de causa, quod priscis sæculis nulla Christianos inter, Judæosque verteretur quæstio de Christi existentia & patratis ab eo miraculis, sed de missione atque divinitate, ac tantum ageretur de sensu divinarum scripturarum, Tertullianus, aliique illud testimonium prætermiserunt. Origenes tam in comment. Matthæi, quam in primo adversus Celsum scribit Josephum noluisse credere in Christum, atque id mirum esse, quod cum describeret Urbis excidium, hujus causam potius tribuerit neci Jacobi, quam ipsius Christi: quod arguit tantum Judaicam pervicaciam; nec elevat præcedens testimonium, sed potius corroborat. Sunt enim Græca Origenis verba, quæ Faber haud recte latine profert: καὶ το θαυμαζὸν ἐστιν, ὅτι τὸν Ἰησοῦν ἡμῶν ἀποδεξάμενος εἶναι χρηστὸν, ἐδόκει ἧττον Ἰακώβῳ δικαιοσυνὴν ἐμαρτυρήσε τοσαυτην. Λεγει δὲ ὅτι καὶ ὁ λαος ταυτα ἐνομιζε διὰ τὸν Ἰάκωβον πεπονθέναι. *Atque illud mirandum est, quod Jesum nostrum noluerit fateri esse Christum, & tamen Jacobo testatus sit fuisse tam eximiam justitiam. Ait enim quod populus ratus est hæc se propter Jacobum fuisse perpessum.* Et sane id mirum est; quoniam Josephus & Christi celeberrimum nomen audierat, & paulo ante de eo scripserat tam præclara. Collustrat verba Origenis Theodoretus scribens in Comment. ad Danielem: Ἰώσηπος ὁ ἑβραῖος τὸ μεν χριστιανικὸν ἀποδεξάμενος κήρυγμα, τὴν δὲ ἀληθειαν κρυπτειν οὐκ ανεχόμενος. *Josephus Ebræus Christianam capere noluit professionem, & tamen veritatem occultare non potuit:* quæ postrema verba summa fraude præterierunt Adversarii, ut etiam Theodoreti nomine abuterentur.

6. Ex Photio AA nihil probant.

Ad Photium quod attinet, sunt qui cum Hadriano Valesio censent illius Bibliothecam esse tertia saltem parte interpolatam. Sed vera est responsio, Photium sola librorum Flavii argumenta perscribere. Videtur etiam hoc testimonium non ignorasse, cum iisdem verbis de Christo loquatur Codice CCXXXVIII. quamquam Josephi eo loco non meminit. Sed quæ ibidem addit de Iacobo omni proculdubio ex Josepho mutuatus est, quoniam is solus tradidit ob Jacobum evenisse Jerosolymitanum excidium. At id etiam Photius refert reticens nomen Historici. Quomodo ergo ex Flavio exscripsit quæ habet de Jacobo, ita ex eodem Scriptore Christi testimonium excerpsit, ut collatis verbis eruditi Critici demonstrarunt. Itaque ex silentio Photii aut nullum deducitur argumentum, aut retorquetur in Adversarios. Sed inquiunt Codice XLVIII. abjudicat Photius Josepho librum *de Universo*, quod ibidem sermo sit de æterna Christi generatione. Respondet in Epistola ad Sebaldum Snellium Adam Rupertus, Photium cum excerperet libros Belli Judaici, & alterum suppositium *de Universo*, nondum legisse libros Archæologiæ, in quibus extat celebre testimonium. Cur enim alii interpositi essent à Photio Auctores XXVII.? Addunt alii loqui Photium non ex propria sententia, sed aliena; inquit enim, *ambigendi fortasse cuipiam causam præbeat, &c.* Ut meam non omittam opinionem; potuit Josephus credere in Christi sapientiam, virtutem, & resurrectionem, & non in generationem divinam, quæ superat rationem omnem humanam. Ex quo ergo non potuerit homo à fide alienus sempiternam Christi generationem edisserere, atque id sit certum indicium suppositionis libri *de Universo*, nequit inferri suppositum esse testimonium, in quo Jesus appellatur sapiens, & mirabilium effector, & ejus divinitas ambigue tantum innuitur illis verbis: *Si tamen virum illum oportet dicere.* Peto denique qualem supra Eusebium Photius habeat auctoritatem, ut pluris hujus silentium, quam illius assertio, sit faciendum?

7. Objicitur.

Reliquæ notæ suppositionis ab Adversariis conflictæ sunt, incredibile esse homini Christianæ Religionis inimico tam singularem Christi commendationem excidisse

cidisse. Primo, quia cum absolute hujus loci consarcinator scribat de Jesu Nazareno, *Et hic erat Christus*; manifeste Christianum se prodit. Deinde ea verba, *Si tamen virum illum oportet dicere*, Christi etiam divinitatem contestantur. Præterea Josephus de Bello Judaico tribuit Vespasiano quæ de Messia prædixerant sacri Vates: quomodo ergo potuit in libris Antiquitatum alium Christum celebrare?

8. Respond. Respondemus Josephum, etsi erat non solum Judæus, verum etiam Pharisæus genere, & à Christiana religione alienus, potuit, ac debuit de Christo honorifice loqui, ut boni Historici impleret partes, ut illum, cujus causa tam mira contigerant, silentio non præteriret, ut scribens hortatu Epaphroditi Liberti Neronis, qui nomen dederat Christo, hunc fama percelebrem reticendo non videretur religionis causa, & studio partium rem notissimam, præclarissimamque contemnere. Illius ergo, quomodo & præcursoris Joannis, & Jacobi, debuit meminisse. Quia tamen non credebat in Christum, non ait illum non fuisse revera purum hominem, sed oratorio more, versutaque oratione inquit, *Si tamen virum illum oportet dicere*. Propterea dum ait, ἐτος ἦν ὁ Χριστὸς, *Is erat Christus*, subaudiendum est, λεγόμενος; ut sensus sit, *Is erat, qui appellabatur Christus*. Resurrectionem Jesu permultis testibus comprobatam, & Christianorum multitudinem, quæ sua ætate jam creverat, non poterat præterire qui aut ingenuus erat, aut talis saltem apud Flavios, cæterosque haberi percupiebat. Quid insuper, si accessit singularis divini Numinis impulsus, quo & Caiphas, & Judas, & Pilatus, & etiam dæmones testimonium Christo perhibuere? Vespasianum aut Messiam Josephus crediderit, aut eundem adulatoria laudatione devinxerit, nostra nil refert. Fatemur quippe in Christum non credidisse, & de Jesu Nazareno celebrasse, quæ attentis rerum circumstantiis non poterat occultare.

9. Objectio. Postremæ notæ suppositionis sunt ex ipsis Flavianis Codicibus depromptæ. Deest enim in quibusdam exemplaribus testimonium, de quo disserimus. Et ne putes recentiora hæc esse, opponunt perantiquum Ms. Mediceum ex Græco in Hebraicum translatum, aliaque Hebræorum volumina, in quibus desideratur. Addunt filum orationis intersecare, & loco prorsus alieno insertum esse. Objectant denique styli difformitatem & dissonantiam ab aliis Flavianis scriptis aberrantem.

10. Responsio. Verum & hæc inania sunt, & insulsa. Quæcunque enim exemplaria proferant, nequeunt cum iis, quæ supra citavimus, comparari. Ms. Mediceum eo ipso, quod hebraice redditum est, Judæi Interpretis damnat fraudem. At Codicem hunc laudavit omnium primus Hebræus Auctor *Prop. Veritatis*, cujus judicium nemo unus receperit. Judæi quippe, dum Josephum laudant, solum Gorionidem intelligunt, hunc in manibus versant, huic præstant fidem: Flavium aut ignorant, aut despiciunt. Huic Gorionidi telis omnium Eruditorum confosso opponimus Græca autographa, Medicea etiam, quæ diximus versasse Bigotium & Vossium. Digressiones apud Josephum frequentissimæ sunt; quamquam hoc testimonium loco propriissimo aptatur, ubi de Pontio Pilato pertractat Historicus: passus est enim Christus hoc præside. Styli discrepantiam, quam nulli veterum subodorati sunt, negamus: imo cum stylus ipsius testimonii tam sit similis stylo librorum Archæologiæ, quam frater fratri, sive, ut inquiunt, ovum ovo, etiam ex stylo evincitur esse germanum. Cum itaque juxta præceptiones Criticorum à veteribus Mss. librisque editis nihil sit expungendum, nisi adsint conjecturæ liquidæ, certæ, atque exploratæ: & quas afferunt Osiander, Tanaquillus, Snellius, & alii, perleves sint, infirmæ, & ambiguæ; non debet testimonium illud Flavianum expungi.

11. Propositio 2da cum sua probatione. Propositio II. Stylus prædicti Testimonii genuinus est, & per omnia phrasi Flavianæ conformis.

Demonstratur. Dignoscitur alicujus Auctoris stylus ex verbis, verborumque complexu. At sive attendantur verba, sive illorum complexio, stylus hujus testimonii redolet phrasim orationemque Josephi. Ergo stylus hujus Testimonii germanus est, ejusque, cui tribuitur, Auctoris. Probatur minor. In antiquioribus Græcis Codicibus Testimonium illud ad hunc modum se habet. Γίνεται δὲ κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς σοφὸς ἀνὴρ: *Fuit autem hoc tempore Jesus vir sapiens.* Utitur Josephus propositione hujus phraseos, Γίνεται δὲ, quotiescunque abrupto orationis stylo res alias inserit. Ita lib. XVIII. cap. 12. convertens orationem ad res Babylonicas exorditur, Γίνεται δὲ περὶ τοὺς ἐν τῇ μεσοποταμίᾳ, &c. Κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον idem est, ac κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν lib. XIII. cap. 9. & κατὰ δὲ τὸν χρόνον τοῦτον lib. XIII. cap. 21.

21. Ἰησοῦς non ignotus Josepho, cum de Jacobo scribat fuisse fratrem Ἰησοῦ λεγομένου Χριστοῦ. Σοφὸς ἀνὴρ ejusdem generis est, ac δίκαιος ἀνὴρ lib. 1. cap. VIII. & ἀγαθὸς ἀνὴρ lib. XXIII. cap. 7. Proximis verbis εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρὴ. *Si tamen virum illum oportet dicere*, consimilia sunt, quæ habet de Moyse lib. III. cap. 13. & de Eliseo lib. IX. cap. 9. Quæ sequuntur, ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητής, *Erat enim mirabilium operum effector*, conveniunt cum aliis lib. II. cap. 5. nec debent rejici ex quo Josephus non crediderit in Christum; cum similia protulerint Pharisæi apud Joannem XI. 47. In iis, quæ subjiciuntur Διδάσκαλος ἀνθρώπων τῶν ἡδονῇ ταληθῆ δεχομένων. *Magister hominum, qui vera libenter amplectuntur*, perperam causantur putidam eloquentiam; sunt enim similia iis XVII. cap. 14. τῶν ἀνθρώπων τὲ ἡδονῇ δεχόμενον. Sequitur: Καὶ πολλὰς μὲν Ἰουδαίους, πολλοὺς δὲ καὶ ἑλληνικοὺς ἐπηγάγετο, *Et plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex Gentibus ad se pertraxit.* Extat phrasis huic simillima in libro Vitæ suæ, & in II. contra Apionem. Verbum autem ἐπηγάγετο, quod Adversarios nonnihil movet, eodem sensu usurpatur lib. XIII. cap. 22. XVII. 14. & XVIII. 8.

12. Roboratur. Sequitur, ὁ χειστὸς αὐτὸς ἦν. Nil hic difficultatis, si subintelligatur λεγόμενος, ut diximus; quo sensu scripsit Pilatus: ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων. In subjectis verbis de Christi damnatione ad Crucem objectant aliqui phrasim ἀνδῶν παρ' ἡμῖν, non animadvertentes eandem haberi lib. XV. cap. 3. & de Bello Jud. lib. III. cap. 25. Quod sequitur οὐκ ἐπαύσαντο οἱ γὲ πρῶτον ἀγαπήσαντες, *Nec defuerunt qui primum diligere cœperant*, rejici non debet tanquam spurium, ob similem loquendi formulam lib. VII. cap. 10. & lib. VIII. cap. 6. Quæ ad Christi prodigia attinent τῶν θείων ταῦτα, καὶ ἄλλα μυρία θαυμάσια περὶ αὐτοῦ, *Hæc aliaque plura admiranda de eo &c.* inveniuntur partim lib. XVIII. Ant. cap. 10. partim in 2. contra Apionem. Postrema verba εἰς τὲ νῦν τῶν Χριστιανῶν ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένων οὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον: *Ad hanc usque diem non defecit denominatum ab eo Christianorum genus*, præseferre genuinam phrasim liquet ex libro I. de Bello Judaico cap. 4. & lib. VI. cap. 13. Adeat, qui plura desiderat, librum secundum Daubuzii.

13. Objectio, & responsio. Opponit Faber: ait Auctor Testimonii Ἰησοῦς τὶς, *Jesus quidam*: cur utitur eo pronomine, si illum haud ignorabat? φῦλον vero, cum sit à φύω, *gigno*, convenire nequit sectæ hominum ex Judæis, gentibusque conflatæ. Cætera omnia præoccupavimus.

Resp. pronomen τὶς desiderari in pervetustis codicibus, & omitti ab Eusebio in Dem. Evang. Rufino, & aliis: quamquam si illud recipias, parum interest; cum idem pronomen à Josepho addatur Abrahamo lib. I. cap. 8. Jeroboam lib. VIII. cap. 2. & Nehemiæ lib. XI. cap. 5. Τὸ φῦλον autem usurpatur etiam de Judæis, & Idumæis ab Hircano in unam gentem coactis lib. XIII. cap. 17. neque debemus in Scriptoribus unumquodque vocabulum ad originis etymon tantummodo expendere.

CAPUT X.

Quibus argumentis Gentiles ad credendum in Christum sint pertrahendi.

SUMMARIUM.

1. Argumentum desumptum à persona Christi.
2. Argumentum à prædicatione Evangelii.
3. Argumentum à conditione prædicantium.
4. Argumentum à miraculis patratis à Christo.
5. Argumentum ex Resurrectione Christi.
6. Argumentum ex oraculis ab origine mundi.
7. Argumentum ex testimoniis sanctorum virorum, & ipsorum hostium Christi.
8. Usque ad 12. afferuntur, & solvuntur objectiones Basnagii.
13. Argumentum ultimum.

UT Pagani & Gentiles convertantur ad Christum eadem argumenta idonea sunt, quæ pro veritate Christianæ fidei in libro XXII. fuere producta. Si enim abjicienda est superstitiosa plurium Deorum religio, Mahumetis secta, & Judaica observatio, consequens est tenendam esse fidem in Christum. Sed alia nunc argumenta proponam, brevique contexam, quæ poterit Lectorum ingenium reddere ratiocinio, & dialectica arte ampliora.

ARGUMENTUM I.

1. Argumentum primum contra gentiles à conditione Personæ Christi. Primo demonstratur ex ipsa Christi persona nil falsi de se prædicasse, & divinitus formatam legem tradidisse. Hunc Jesum inter Judæos vixisse imperante Tiberio, testantur lib. XV.

lib. xv. Historiarum Tacitus, Suetonius in Claudio, Plinius junior lib. x. Epist. 97. Judæi omnes hostes in Christum infensissimi, & Scriptores cujusque ordinis. Constat natum in Judæa jam à Romanis subacta, regio quidem genere, sed parentibus pauperrimis, exiguo Bethlehemi pago. Nulla ipsi humanæ gloriæ amplitudo, non Regum ac principum favor & gratia, non copia divitiarum, non Sacerdotum, ac Sapientum consuetudo, non plebis obedientia. Mariæ filius fuit, Fabri proles appellabatur, socios sibi adscivit pauperculos piscium captura victitantes. Præside Pilato in cruce pependit, atque inter latrones efflavit animam. Post tale genus mortis, pauperes illi, quos in sui contubernium vocaverat, cum essent antea timore perculsi, ignari ac despecti, extemplo facti Evangelii præcones hominem illum Crucifixum prædicantes Judæorum, atque Gentilium innumeros ad eum pertraxerunt. Propitio aliquo potentissimo Numine hæc perfecisse omnis ratio suadet. Si enim prædicatores ipsos intuearis, neque humana virtute, neque armis, neque muneribus sectatores innumeros nacti sunt. Si inspicias confluentes ad ipsos, erant prius Crucifixi hostes acerrimi, invitabantur ad ignominiam ac mortem, derelinquebant parentes, filios, uxores, agros, & inditam à prima ætate religionem. Ad hoc sane non trahebantur institutis majorum, non rerum terrenarum cupidine, & voluptate, non vi educationis, non Apostolorum sæculari dignitate & imperio, trahebantur itaque occulta veritatis vi, & unius Numinis potestate.

Argumentum II.

2. Argumentum à prædicatione Evangelii.

Sensim à conditione Personæ descendimus ad prædicationem Evangelii, qua Apostoli Jesum Crucifixum universo Mundo annuntiarunt. In hac Christi veritas, atque divinitas demonstratur ab Augustino lib. xxii. de Civit. Dei cap. 7. quoniam Apostoli eo tempore, quo maxime florebat eruditio, annuntiantes resurrectionem Christi, & ascensionem in cœlum, & mysteria quæ humana ratio non percipit, terrentibus etiam, & contradicentibus tam magnis, & tam multis persecutoribus, effecerunt, ut à viris sapientissimis Christus adoraretur, & firmissime crederetur secutura ad novum sæculum resurrectio, atque immortalitas carnis. Corroborat idem argumentum Ambrosius scribens in caput v. Lucæ divino consilio factum esse, ut Christus eligeret non sapientes aliquos, non divites, non nobiles, sed piscatores & publicanos, ne videretur aut prudentia, aut divitiis, aut potentiæ & nobilitatis auctoritate aliquos ad fidem suam traduxisse. Perpendit Chrysostomus in Oratione *Quod Christus sit Deus*, quod pro universi conversione Christi discipuli non moverunt arma, non impenderunt pecunias, neque exercituum multitudine usi sunt, sed verbo simplici, nudipedes & ignari potuerunt mutam reddere linguam Philosophorum, Rhetorum ora constringere, Principes ac Reges convertere, atque Barbaris, Græcisque imperare. Addit divinum esse ad unam Religionem carni ac sanguini reluctantem pertrahere humanum genus absurdis moribus, atque malis innumeris irretitum. His accedit ratio D. Thomæ lib. 1. contra Gentes cap. 6. deprompta autem ex Augustino citato libro xxii. de Civ. Dei cap. 5. quoniam vel Apostoli res credibiles prædicarunt, & stolidi sunt atque inexcusabiles qui non credunt: vel prædicaverunt res incredibiles, atque ita jam aliquod incredibile admittitur, nempe Mundum tam firmiter illud credidisse, quod est incredibile.

Argumentum III.

3. Argumentum à Conditione prædicantium.

Non solum, inquit eadem Oratione Chrysostomus, illud stupendum divinumque, quod per totum orbem illiterati, ineloquentes, obscuri, & facultatibus, robore corporis, præcellentia gloriæ, atque vehementia rhetorices privati ædificaverint Christianam Religionem; verum etiam quod illam invictam firmissimamque reddiderint. Quantumvis enim Romani usque ad Constantinum Imperatores, aliique Tyranni infestaverint Christi Ecclesiam; prævaluit semper adversus portas Inferi, ut recte ad Tyrannos scripserit Tertullianus cap. 1. Apolog. *Plures efficimur, quoties metimur à vobis.* In illis vero hostium machinationibus magis divina virtus appareret, si advertas vinctis, fugatis, & martyrio affectis Christi Apostolis & discipulis, Christianos perpaucos, timidosque indutos virtute ex alto evasisse studiosiores, & dum fluerent torrentes sanguinis suorum, redditos fuisse ferventiores. Illud etiam stuporem adauget, quod Christo nomen dederint persecutores, adversarii, carnifices, lictores ac milites Christianorum morti inhiantes. Tales fuerunt Paulus de cœlo prostratus, dum pergeret in Damascum adversus Christi fideles, Justinus Philosophus præstantissimus

simus ad Christum conversus, dum spectaret martyres intrepide ad mortem deferri, Claudius Tribunus conversus ad Christum, dum Chrysanctum, & Dariam torqueret, Romanus in martyrio Laurentii baptismum flagitans, Evilasius idolorum sacerdos cum virgine Fausta obtruncatus, aliique propemodum infiniti. Crescunt portenta, dum recolimus etiam mimos, cum mysteria nostra irriderent, repente divinitus illuminatos pro illorum confirmatione subiisse martyrium : ut narrant de Ginesio sub Diocletiano, de Ardalione, & de Porphyrio sub Juliano Apostata. Tantum ergo fidei Christianæ incrementum in his circumstantiis, atque ex his principiis profectum Christi doctrinam, virtutem, divinitatemque corroborat.

Argumentum IV.

4. Argumentum à miraculis patratis à Christo.

Invictissimum Christo testimonium perhibent miracula patrata ab ipso, & ejus discipulis: quæ à solo Deo fieri in confirmationem veritatis alibi demonstravimus. Narrantur complura in libris Evangeliorum, & in Actis Apostolicis. Facta non fuisse ope dæmonum, demonstratum est ex quo fuerint perfecta ad dissolvenda opera diaboli. Non fuisse præstigias & ludificationes sensuum, evincitur, quod patrata fuerint spectante omni populo, in urbe frequentissima, coram calumniatoribus ipsius Christi inimicis. Accedit, quod illorum nonnulla experimento comprobata sunt; nam Lazarus, quem è sepulchro quatriduanum Dominus suscitaverat, ne putaretur phantasma, coram omnibus loquebatur, & epulabatur, ut ad eum confluerent Judæi stupore perculsi. Vide Joannis caput XI. & Tractatus Augustini XLIX. & L. Cæcum quoque à nativitate illuminatum à Christo, de quo idem Evangelista cap. IX. post ipsius confessionem, ac testimonia parentum occultare non potuerunt Pharisæi. Conficta hæc, & alia plura à discipulis nulla ratione credi potest. Primo quia edita à Christo prodigia negare non audent inimici Christiani nominis, ut Celsus apud Origenem libro 2. & Julianus Apostata apud Cyrillum libro 6. Deinde quia Petrus commemorando Israelitis virtutes Christi, ut legimus in Act. Apostolicis cap. 2. & 4. convertit in una tantum concione tria millia virorum, in altera quinque millia: incredibile autem est, hos omnes fictis prodigiis fuisse commotos. Præterea cum Apostoli hæc prodigia narrarent, nunquam tanquam mendaces à populis, inter quos evenerant, repulsi sunt, sed potius tanquam præstigiatores, atque malefici. Ad hæc Evangelistæ, qui Christi miracula mandarunt literis, non prætermittunt illius paupertatem, ignominias, odium apud Sacerdotes ac principes, probra, derisiones, extremumque supplicium; ut plane constet noluisse in Magistri gratiam mentiri. Tandem cui bono hæc discipuli confingere? Non utique ob temporale commodum, cum pro nomine Christi persecutiones, contumelias, & mala innumera paterentur: neque ob meritum, legisque suæ observationem, cum mendacium & falsum testimonium prohibeat omnis Religio, & præsertim Christiana.

Argumentum V.

5. Argumentum 5tum Resurrectio Christi.

Petitur firmissimum argumentum ex Christi resurrectione: quam tribuere non possunt contactui alterius corporis, quoniam Christus sepultus est in monumento, in quo nondum quisquam positus fuerat: nec affirmari potest sublatum Christi corpus per subterraneos cuniculos, cum fuerit monumentum illud excisum in petra: nec sublatum ex ostio, cum lapis signatus fuerit, & munitus custodibus. Quod vero custodes ipsi pecunia corrupti dixerint sublatum dum dormitarent, Judæorum pervicaciam fraudemque per se commonstrat. Quis enim, ut Augustinus ratiocinatur in Psalmum 63. *dormientes testes adhibet*? Nihil est quod huic argumento inimici veritatis reponant. Si enim dixerint Christum non fuisse mortuum, revincuntur ex guttis sanguinis & aquæ, quæ exierunt ex corde ejus lancea transfixo; nam impossibile est hominem, posteaquam sanguis totus effluxit, vivere corpoream vitam. Si resurrectionem ipsam pernegaverint, refutari poterunt nube testium; nam D. Paulus in 1. ad Corinth. cap. XV. 6. provocat ad quingentos. His addimus testimonium Flavii Josephi viri à Christiana Religione alieni. Adde quod Apostoli minime mentiti sunt, ut demonstravi superiori argumento. Discipulos ob simplicitatem credidisse rem falsam, nemo jure arbitrabitur, qui animadvertat diu & ipsos fuisse incredulos, donec vulnera Nazareni palparent. Corrupisse illos pecunia militem custodem sepulchri, ut magistri famæ consulerent, & emortui corpus subripuisse, nullam habet imaginem veritatis. Si enim ipsos discipulos intueamur, suffixo cruci Magistro, dispersi, timidique aufugerant, nec potuerunt

post tam immane supplicium, qui ad satellitum adventum, & ancillarum vocem trepidaverant, tantum facinus aggredi, à fastu etiam, nominisque gloria abhorrentes. Si verò ad Judæos animum convertamus, ii, annuente Pilato, *munierunt sepulchrum signantes lapidem cum custodibus*, cumque id fecerint quia Christus prædixerat se post tres dies resurrecturum, si Apostoli cadaver subripuissent, id facile comprobassent, eosque apud præsidem accusassent de facto, violatoque sigillo. Si denique rei inspiciamus eventum, cum mora sit furtis contraria, accedentes ad monumentum non explicassent sudarium & linteamina quæ disjuncta in sepulchro inventa sunt, sed absque mora asportassent corpus sindone involutum & colligatum. Sed plura de hoc argumento in laudata Oratione Chrysostomus. Vide insuper Danielem Huetium Demonst. Evangelicæ Propos. IX. cap. 142. Thyrsum Gonzalez de Verit. Relig. Christ. lib. I. cap. 7. & H. Grotium lib. II. n. 5.

Argumentum VI.

6. Argumentum 6tum Oracula ab exordio mundi.

Proxima est argumentatio petita ex oraculis, quæ ab exordio mundi omni ætate Judaico populo Christum prænuntiarunt. Ea in præmissis disputationibus satis expendimus. Tam multa ac præclara habere solum Deum auctorem, qui solus futura omnia intuetur, neque comparanda esse cum ambiguis, & flexiloquis idolorum responsis, probatum est *de Angelis* capite XII. Nec Judæis tantum prænuntiatus est adventus Christi, sed etiam Gentibus, ut Moabitis à Balaam, & à Job Idumæis. Etiam in sui perniciem ex vaticiniis Prophetarum dæmones suam per Christum eversionem veritate cogente nuntiarunt. Proditurum ex Judæa dominatorem universi, fuit imperanse Augusto, opinio tam pervulgata, ut de ea scripserint etiam profani scriptores Tacitus, & Suetonius, ut diximus capite libri hujus octavo. Orta hinc quorumdam opinatio Vespasianum esse Christum, sed quoniam in illum minime quadrabant oracula, his perlectis Jesum Nazarenum agnovere viri etiam percelebres, ut Verianus Pictor, & Marcellus Orator. Accedit ante Christum celebriora oracula obmutuisse, quod factum iri in signum adventus Messiæ prædixerat Zacharias XIII. 2. Hinc Apollo fertur Augusto caulam silentii scisitanti hoc dedisse responsum:

Παῖς ἑβραῖος κελεταί με θεοῖς μακαρέσσιν ἀνάσσων
Τὸν δὲ δόμον τρομλιπεῖν, καὶ αἶδην αὖθις ἱκέσθαι.
Λοιπὸν ἀπιθισιτῶν ἐκ δομιῶν χετερέρων.
Me puer Hebræus Divos Deus ipse gubernans
Cedere sede jubet, tristemque redire sub Orcum:
Aris ergo dehinc taciti discedite nostris.

Vide Nicephorum lib. I. Histor. cap. 17. Suidam in Augusto, & Baronium in App. Ab his se delusum queritur Hyacinthus Serry Exercit. XXXII. fidem mendacio dedisse aliquando. Etenim, inquit, jam ab ipsa Ciceronis ætate cœpit Delphicum oraculum esse minori in pretio, ut ait idem Cicero 2. de Divinat. perstitisse tamen etiam sub Trajano colligitur ex Plutarcho. Suetonius præterea narrat responsum datum Neroni, Philostratus Apollonio, Dio Chrysostomus Hadriano. Aliud oraculum festivissimum commemorat Spartianus. Eusebius denique lib. II. de Vita Const. cap. 45. stetisse profitetur Oraculum Delphicum ad sua usque tempora. Ex quibus putant Critici complures falsissimum esse quod præmisimus de Augusto, quandoquidem longe ante Christum minore gloria erat oraculum Delphis, nec penitus post Christum obmutuit. Verum hæc, quæ putantur invictissima, nullius omnino sunt roboris. Nam etiam ab anno 3589. desierunt Prophetæ in Israel, quod signum erat non diu perseveraturam legem Mosaicam: atque ita nonnullis ante Christum annis cessavit apud Idololatras oraculorum celebritas in signum divini Verbi proxime nascituri. Et quemadmodum, posteaquam cessarunt celebriores Prophetæ, nonnulli singulari Dei munere prophetarunt, ut Simon, Anna, Agabus: ita, postquam desiit Delphici oraculi frequens rumor, & celebris existimatio, aliqui impii, occulto Dei judicio, dæmoniorum responsis decepti sunt.

Argumentum VII.

7. Argumentum 7mum ex testimoniis virorum sanctorum, & hostium Christi.

Accedunt testimonia non solum virorum sanctitate ac religione illustrium, sed etiam hostium Christiani nominis. De Celso Epicureo, Juliano Apostata, Flavio Josepho, & Mahumete dictum supra. Addimus Acta Pilati, quo Præside Christus Jesus affixus est Cruci. In his Romanus Præses tam insignia de Jesu Nazareno nuntiavit, ut Tiberius, de illius Apotheôsi ageret apud Senatum. Haud me latet spuria & conficta hæc

censeri à Criticis plurimis, quorum argumenta collegit in Apocryphis N. T. Fabricius, Clericus ad annum XXXIII. num. 192. & seqq. sed pugnant adversus istos perantiqui, & celeberrimi Ecclesiæ Patres. Ad hæc enim Acta Gentiles provocavit S. Martyr Justinus in altera ad Antonium Apologia, Tertullianus in Apologetico adversus Gentes cap. 5. & 21. & Lucianus qui sub Decio martyr occubuit. Eadem firmissime receperunt Eusebius Cæsariensis lib. II. H. Eccl. cap. 2. Joannes Chrysostomus hom. 26. in Epistolam secundam ad Corinthios, Orosius lib. VI. cap. 4. & quotquot subsecuti sunt Historici ac Patres; ut merito scripserit Petavius in Animadversionibus ad Epiph. p. 87. contrariam suspicionem ne refutationem quidem mereri: & ipse Hyacinthus Serry tantæ in ventilando ambigua monumenta licentiæ, Exercitatione 64. non posse acta Pilati citra summam audaciam in dubium verti. Vindicat ea luculenter in Lect. in Act. sect. IV. Joannes Pearsonus. Occurram ego Basnagio, qui post Pearsonum edidit Politicos, Criticosque Annales.

8. Oppugnat Basnagius Tertullianum.

Itaque Basnagius cit. num. 192. vellicat Tertullianum, quod cap. 21. Apologetici de Christi resurrectione scripserit, *Ea omnia super Christo Pilatus, & ipse jam pro sua conscientia Christianus, Cæsari tunc Tiberio nuntiavit.* At Pilatus non potuit Tiberium alloqui, cum Romam hoc jam defuncto pervenerit, ut liquet ex Josepho lib. XVIII. cap. 1. Nuntiare autem non est scripto aliquem adire, sed verbis. Incredibile præterea est Pilatum narrasse Christi resurrectionem, quia tam Judæi, quam milites, apud Matth. XXVIII. 13. nuntiaverant fuisse illum discipulorum fraude sublatum. Hæc fusiori stylo Basnagius. Sed falsum primo est verbum *nuntiare* interdum non usurpari etiam latinissime pro narratione facta per literas, ut constat ex libro 1. epist. 17. Ciceronis ad Atticum. Deinde quis ignorat Tertulliani stylum esse asperum & salebrosum, & ubique novatis verbis tumescentem? Quod attinet ad resurrectionem; si Præses milites interrogavit, & audivit cadaver Christi subreptum ipsis dormientibus, quod audito terræ motu, sparsoque tantæ novitatis rumore, proculdubio quæsivit; nonne statim illorum deprehendit malitiam, qui testes dormientes proferrent? Atque id reddidit Pilatum etiam propria conscientia perculsum in veritatis disquisitione sollicitum, atque in male curatas excubias severiorem. Non tamen affirmo Christianam fidem fuisse amplexatum, quandoquidem sua phrasi appellat Tertullianus *conscientia Christianum*, qui veritatem non denegat. Habes consimile exemplum eodem libro Apologetici cap. XVII. explicatum à nobis Tom. 1. pag. 52.

Sed ineffaciter.

9. Basnagii jocula non feriunt.

Nititur Basnagius seq. num. 193. demonstrare, nunquam Tiberium postulasse à Senatu Christi apotheosim, primo quia in Judæos infensus erat. Deinde quia si postulasset, proculdubio obtinuisset: & Senatus minime id denegasset. Ultimo quia principes mortuorum non invident dignitati. Ab his vero facile me expediam. Ad primum enim dico Tiberium petendo Christi consecrationem non rem gratam feciisse Judæis, sed ingratissimam, quippe hi Christi dedecus & ignominiam optabant, non exaltationem & gloriam. Ad secundum & tertium dico non potuisse Senatum obtemperare Tiberio, quia Christus unum solum Deum coli mandavit, & Deos alienos, quos Romani colebant, coli prohibuit: est autem Socratis sententia, unumquemque Deum sic coli oportere, quomodo se ipse colendum esse præceperit. Vide Augustinum de Cons. Evang. lib. 1. cap. XVIII. Adde divinum fuisse consilium, ne verus Deus haberet eundem cum Idolis honorem, & ne Religio Christiana posset dici auctoritate Romani Senatus, & præsidio hominum propagata. Tertio argumento quid contendat Basnagius ignoro: nam petere apotheosim est honor erga mortuos, non invidentia; imo nec mortuo petebatur, sed redivivo.

10. Aliis objectionibus ejusdem satisfit.

Proximo n. 194. vellicat Basnagius epistolas Pilati ad Tiberium, & conatur probare suppositas. Urget autem hæc argumenta. Primo, inquit, Sixtina vernat floribus, quos non afferebat latinitas ævo Pilati. II. In utraque, tam Sixtina, quam edita ab Hegesippo esse apertissima falsitatis indicia, ac præsertim miraculum Resurrectionis. III. Nullibi Tiberium dici Claudium Tiberium, sed Tiberium Claudium. IV. Incredibile esse quod Pilatus scripserit à se cœlestem illum virum cruci damnatum. Verum & hæc futilia sunt. Quæ circumferuntur Pilati epistolæ neque à me apocryphæ dicuntur, neque genuinæ. Habemus tamen tertiam editam à Florentinio in Notis ad Apostolorum indiculum, latinam, & sine vitiis, quæ opponit Basnagius. Aliæ sunt fortassis istius paraphrases. Illud tantum contendo Pilatum facta Christi conscripsisse ad Tiberium. Quomodo potuerit de Resurrectione mentionem facere, dictum est paulo supra. Causam mortis Christi po-

tuit refundere in Judæos, qui accusarunt Jesum Nazarenum, tanquam subvertentem populos, & prohibentem ne Cæsari tributa persolverentur.

11. Ulteriora illius objecta excutiuntur.

Tandem Basnagius num. 196. adversus Acta Pilati insurgit tribus argumentis. Primum est, quod Justinus Martyr accipiendus est de gestis Christi in Evangelio enarratis: scribit enim, *Atque hæc ita esse cognoscere potestis ex Actis, quæ scripta sunt sub Pontio Pilato*: ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, inquit, non, ἀπὸ Πιλάτου. Alterum quod Præsides Provinciarum non scribebant ad Cæsares, quæ ad Religionem spectabant, sed quæ ad politicum regimen. Ultimum quod fuerunt Acta Pilati conficta primum à Maximino in contumeliam Christi, quibus opposuissent Catholici germana, si revera extitissent. At ad primum nego loqui Justinum de Evangelio: quis enim Gentiles ad istud provocet? Deinde Tertullianus nonne scribit hæc *acta* apud ipsos Gentiles extare, & Lucianus Martyr reperiri in Romanorum Annalibus? Præterea nullum Evangelium, Præside Pilato, scriptum est. Sed, si Basnagius fidem habet Joanni Millio, Matthæus Evangelium scripsit imperante Nerone, & anno V. Ae. LXI. si Scriptoribus aliis, paulo ante: cæteri Evangelistæ post Matthæum. At Pilatus accersitus est Romam, & Judææ administratione privatus anno XXXV. Recte autem inquit Justinus, ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου; non enim Præsides conscribebant Acta, sed Notarii. Ad alterum dico à Rectoribus provinciarum missos ad Cæsarem etiam rerum quotidianarum commentarios, ut constat ex libro Philonis de legatione ad Cajum, probatque ad annum XXIX. ipse Clericus. In *actis* præterea Pilati spectat ad politicum regimen detegere Judæorum fraudem atque machinamenta. Postremum diluitur dicendo ante Maximinum conficta ab inimicis Christi alia *Acta* Pilati, ut demonstrat ex Passione Sanctorum Martyrum Tarachi, Probi, & Andronici Hen. Valesius in Animad. ad lib. I. cap. 9. H. E. Eusebii. Non poterant ergo Christiani objicere Maximino ab eo primum fuisse Pseudo-acta Pilati conficta. Plura ergo hujusmodi *acta*, etiam inter se pugnantia olim vulgata fuisse, verissimum est, & optime adnotatum à Cotelerio Tom. 2. PP. Apost. pag. 162. sed nunquam extitisse Acta genuina, ad quæ priscis sæculis à Patribus provocabantur increduli, nullum Basnagii momentum evincit.

Argumentum VIII.

12. Argumentum 8.

In Christi denique commendationem plurimum facit, quod nulla imbutus doctrina hominum Religionem instituit cæteris omnibus sublimiorem. In iis enim, quæ spectant ad Dei cultum, nullum apud nos invenies sacrificium aut humano cruore pollutum, quale Jovi Latiali novimus immolatum; aut obscœnitate turpissimum, quo Gentes Cereri, Liberoque litarunt. Neque observamus circumcisionem & cæremonias legales institutas ad coercendam Judæorum licentiam, sed Deum adoramus in spiritu, & veritate. Nostra erga homines officia, usumque rerum temporalium, damnent, si forte possunt, aut Gentes, aut Mahumetani. Interdicta nobis latrocinia, ultiones, adulteria, polygamia, & quidquid speciem refert injustitiæ, vel turpitudinis. Plura de his Clemens in Protreptico, Athenagoras in Apologia pro Christianis, & Arnobius adversus Gentes. In sola etiam doctrina Christi repromissum est præmium, quo expleri possit ardentissimum hominis desiderium. Nil nobis vel propter voluptatem, vel propter terrenarum rerum affluentiam, vel propter inanem gloriam agendum est. Si quid commune haberet Religio Christi cum superstitione, moribusque idololatrarum, facile posset reprehendi; nunc, quoniam nihil habet commune, non potest. Si pravæ in nobis consuetudines irrepserunt, pugnant illæ cum exemplo Christi, præceptisque Evangelicis: idem est de erroribus, & dissidiis, quæ sparserunt Hæretici, vel Schismatici. Qui Christi instituta servarunt, dicti primum ab Ethnicis homines superstitionis maleficæ, sed illorum vita, ac religione diligentius inspecta, habiti moribus inculpatis atque integerrimis. Extant adhuc, quibus id comprobetur, Epistolæ Plinii ad Trajanum datæ ex Bithynia, Trajani ad Plinium, Hadriani ad Minucium Fundanum, & Servianum Consulem: quas eruditis Commentariis illustravit Joannes Gerardus Vossius. His itaque argumentis poterit quisque Christum etiam Paganis & incredulis annuntiare. Vide librum XXII. cap. 3.

CAPUT

CAPUT XI.

Quæ Gentiles objiciunt adversus Christi Incarnationem, breviter refutantur.

SUMMARIUM.

1. & 2. Affertur & solvitur objectio Juliani Apostatæ.
3. & 4. Alia objectio infirmatur.
5. 6. & 7. Alia objectio affertur, & solvitur.
8. & 9. Objectio Saracenorum enodatur.

VERBUM Dei factum carnem petitis à Christi doctrina, & à Christiana Religione argumentis possumus quidem evincere; sed ipsius mysterii altitudinem obviis humanisque ratiocinationibus *positivo*, ut appellant, argumento demonstrare non possumus. Si enim ratio proferatur, non erit mirabile: si exemplum adsit, non erit singulare. Ergo adversus Infideles, ut nos Augustinus docet Epistola 137. ad Volus. num. 15. fidem nostram propugnant ipse rerum ab initio gestarum ordo, & ipsa connexio temporum, præteritis fidem de præsentibus faciens, priora posterioribus, & recentioribus antiqua confirmans: completa in Christi ortu, vita, dictis, factis, passionibus, morte, resurrectione, ascensione omnia præconia Prophetarum: Apostoli, qui repente linguis omnium gentium loquuntur, arguunt fidenter errores, & numero exigui per mundum disseminantur, populos facilitate mirabili convertunt, inter inimicos augentur, persecutionibus crescunt, per afflictionum angustias usquè in terrarum extrema dilatantur: templa denique, & simulacra dæmonum, quæ paullatim secundum dicta prophetica subvertuntur. Continentur contractis hisce Augustini sententiis, quæ supra fusiori stylo produximus. Ad ea autem, quæ fides nostra in mysteriis occultat, juxta traditum ibidem Augustini monitum, mens tardiuscula, & inerudita non audet accedere. Objectantibus tamen incredulis, quod leves nos conjecturæ permoveant ad præbendum pugnantibus rebus assensum, tenemur rationem reddere demonstrando nihil credi à nobis impossibile, rationique repugnans: quod præstamus argumentationibus *negativis*, iis scilicet, quibus suppositæ repugnantiæ explicantur, & complanantur.

1. Objectio 1. Juliani Apostatæ.

Julianus Apostata objecit, nihil fecisse Christum præstantius, quam fecerint Socrates, Lycurgus & Alexander. Addunt alii Vespasianum, & Apollonium. Objectant Jesum Nazarenum doctrinam suam persuasisse pauciss̃imis, ac deterrimis, quos etiamnum potentiores oppugnant. Meliorem, inquiunt, subjisse fortunam Simonem Samaritam præstigiatorem, cui erecta fuit à Romano Senatu statua, cum epigraphe, SIMONI DEO SANCTO: & Mahumetem, ad quem tanta populorum multitudo confluxit.

2. Respondetur.

His respondemus Socratem, auctore Porphyrio, fuisse hominem mulierosum & iracundum, & ejus doctrinam ab Athenienſibus refutatam: nihil vero in ea, quod humanam excedat philosophiam. Lycurgi leges finitimi populi repudiarunt, emandaruntque Spartani, ipso Auctore superstite; & vix apud eos leges istiusmodi viguerunt. Alexander domavit orbem potentia & militum copiis, non mysteriorum divinorum prædicatione: ejus morte corruit Græcorum Imperium. Ecclesia autem ab inermi, & exiguo Apostolorum numero propagata est, perseverat, fitque nece Martyrum amplior. Vespasianum & Apollonium vera patrasse miracula negant ipsi Gentiles: Christum in Bethsaida, & Bethania cæcos, claudosque curasse non ausus est negare Julianus. Simonem statua à Romanis honestatum negant plures, & inscriptionem in Insula Tiberina hanc profert Gruterus, SEMONI SANGO DEO FIDIO: hoc nomine inquiunt appellatum Herculem apud Sabinos: deceptum vero hac inscriptione Justinum. Dubia tamen hæc sunt; nam potuit alia statua erigi Simoni, alia Deo Sabinorum Sango: nec facile demonstrabis Justinum Martyrem eadem cum Simone patria natum, qui, ut scribit Eusebius lib. IV. H. E. cap. XI. Romæ domicilium habuit, & cui assentitur cum aliis antiquioribus Tertullianus cap. 13. Apologetici, fuisse deceptum. Quare dicimus Simonem agnovisse discipulorum Christi virtutem Act. VIII. 18. nec diu illius cultum stetisse: ut interim omittamus Apostoli Petri cum

cum Simone certamen. Mahumetes, Arabibus in Heraclii exercitu seditionem molientibus, vi armorum dilatavit imperium. Illum furti & latrocinii reum cives Mechæ ad mortem damnaverant: & suomet ore se in Alcorano impurissimum profitetur. Studuit vero ad sectæ propagationem indulgere omnium ingenio. Non male de Christo locutus est, ut gratificaretur Christianis: retinuit cum Judæis circumcisionem; & improbis, quorum populus major est, morem gerens permisit ultiones, polygamiam, & graviora flagitia; vetuit etiam, ne falsitatis convinceretur, divinorum exercitamenta studiorum. Christus innocens, & pauper abolitis Judaicis ritibus, & præscribens severiorem disciplinam firmavit Ecclesiam suam omnibus repugnantibus.

3. Objectio 2. Objiciunt præterea: Nonne Jesus unus fuit ex subditis Cæsaris census sub Cyrenio, desertus à suis, & qui non potuit ad se amicos, & propinquos pertrahere? Quomodo ergo dicitur Deus? Si autem Deus, cur Deiparam Virginem appellamus? Si de Virgine Spiritus sancti virtute conceptus, quo jure filius Davidis, & de semore Juda exortus est? At quomodo fieri potuit, ut ipse Deus nasceretur ex muliere? Et si id potuit, quid absurdius, & Deo indignius, quam fieri servulum, & in cruce immolari? Quantum insuper æquitati repugnat insontem ac justum plecti morte pro sceleratis?

4. Respondetur. Respondemus & hoc esse summæ potestatis Christi argumentum, quod nulla majestate terrena redimitus, & tanta à propinquis amicisque perpessus, à Gentibus tali honore habeatur. Fuisse autem beneficum hostibus suis, & cognatos Judæos reprobasse, quid est aliud, quam opus misericordiæ eo majoris, quo confertur indignis, & justitiæ eo perfectioris, quo carnali non præpeditur affectu? Non unam in eo confitemur naturam, sed humanam, atque divinam: in illa natus sub imperio Augusti, & conceptus de Virgine; in ista Rex regum est, & Creator universorum. Propagata, quam assumpsit, humana caro ex regali progenie Davidis sat est, ut revera pertineat ad Tribum Juda. Potuit & Deus nasci in tempore secundum naturam illam humanam: secundum divinam æternamque non potuit. Nequaquam indignum est, Deum qui hominem condidit, hominum saluti prospicere, & Dei Verbum, quod mundum fabricavit, mundum redimere: sed opus est maximum, & divina majestate, ac justitia dignissimum. Dum innocens non reluctans sanguinem fundit pro impiis; apparet, ut scribit Ep. 190. Bernardus, *Iniquitas malignantium, & pietas patientis.*

5. Objectio 3. Arguunt insuper: Repugnat rationi, quod Verbum Dei descenderit in uterum Virginis. Si enim Deus ubique est, quomodo factus est præsens ubi non erat? Præterea si est immutabilis, quo pacto illi accessit, ut vere & substantialiter fieret homo? Quod si mirabili nexu divinitas, & humanitas in una Persona copulatæ sunt, quid aliud erit divinitas præterquam pars quædam unius Christi? Illud denique imperceptibile est, humanam naturam esse in Christo perfectam, & nihilominus propria carere subsistentia, in duplici natura subsistere personam unam, atque tam dispares substantias, hominem Deumque posse simul substantiali vinculo colligari.

6. Respondetur. Respondemus hæc quidem superexcedere acumen tardiusculæ mentis nostræ; sed ubi testimonia Domini credibilia facta sunt nimis, captivari in obsequium fidei ratio debet humana. Ne hæc repugnantia videantur, dicimus Deum ubique præsentem esse per immensitatem, non tamen ubique semper eadem, si effecta sola attendantur, producere. Præsentia illa per immensitatem constat ratione, effectuum divinorum variatio constat experimento. Explicabat Theodorus Abacura, cujus Opera extant Tomo Bibl. PP. XVI. horum cohærentiam exemplo humanarum perceptionum, & idearum, quæ sunt quidem nobis intimæ, & fiunt tamen alia ratione præsentes, dum eas mente revolvimus reminiscentia. Fuit ergo à creatione Virginis ei præsens Dei Verbum immensitate, & in incarnatione factum est præsens assumptione humanitatis. Nec tamen subiit aliquam mutationem, quoniam nec in naturam humanam divina conversa est, neque huic accessit cujuspiam formæ acquisitio: sed tota mutatio tenet se ex parte naturæ humanæ assumptæ in divinæ naturæ consortium. Non igitur mutatus est Deus, quemadmodum nec mutatus est dum mundum condidit, & accessit ei per rerum productionem denominatio Creatoris, & Domini. Recole quæ diximus de Divina immutabilitate lib. II. cap. 4. At, inquis, nonne factum est Verbum vere, ac substantialiter homo? Ita quidem: sed factum est homo *non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum*; in qua assumptione Verbum Dei non perficitur, sed perficit: non immutatur, sed mutat; veluti dum

sapientia

sapientia humanam mentem irradians, *non ipsa mutatur*, inquit Augustinus quæst. 73. inter LXXXIII. *sed hominem mutat, quem de stulto sapientem facit.*

7. Amplius declaratur responsio.

Nexus, sive unio duarum in Christo naturarum non est vinculum duorum, quæ se mutuo perficiant, sed quorum unum perficiatur ab alio: in quo sensu absurdum non est divinitatem uniri humanitati; neque illa est pars recipiens ab ista existentiam, & complementum, sed est ipsum Verbum, ac Persona divina humanitatem assumens, ac propriam illi communicans subsistentiam. Neque per hoc quod natura humana propria subsistentia careat, imperfecta dicenda est; non enim subsistentia addit ad substantiam formam aliquam, vel *entitatem*: sed illud dicitur per se subsistere, quod est sui juris, & alteri incommunicabile. Melius est autem esse juris divini, quam humani, & uniri communicatione substantiali divino Verbo, quam ab illo divelli. Percipitur quodammodo eandem Personam duas in se habere naturas, si illius summa virtus attendatur; nam & eadem veritas in pluribus voluminibus conscripta est. Ita absque ulla contradictione dispares substantiæ possunt uniri, si una regatur ab alia, uti nectuntur in homine anima rationalis, & caro. His lucem afferent, quæ diximus lib. VII. cap. 6. & quæ infra dicentur in H. Eutychiana.

8. Objectio 4.

Ultimo objiciunt Saraceni: Venit Christus, sed non est ille Propheta, ac summus legislator, quem arbitrantur Christiani. Si sanctificatus est à Joanne, quomodo erat in eo plenitudo sanctificationis, & gratiæ? Deinde dum venit Moyses, damnatus est cultus idolorum: dum venit Christus abolita fuit lex Moysis. Ergo dum venit Mahumetes, cessavit lex Christi; ideoque Mahumetes est Propheta magnus missus à Deo in lucem gentium, & in salutem populorum.

9. Respondetur.

Resp. Baptizatum fuisse Christum à Joanne, non ut sanctificaretur ab illo, qui ipsum Christum condigna laude celebravit, sed ut exerceret humilitatem, ut sanctificaret sui baptismatis elementum, ut proximæ prædicationis divinum resonaret præconium. Nec implicat contradictionem tingi eodem baptismate Dominum, ac servum, quemadmodum Saraceni eodem in balneo abluuntur à famulis. Christus adveniens post legem Moysis est verus Messias, quoniam ab ipsa lege Moysis, in qua viguit Spiritus veritatis, habet testimonium. Mahumet autem veniens post Christum nequit esse verus Propheta, quoniam in Evangelio Christi, in quo Spiritus sanctus locutus est, non prædicuntur nisi Pseudoprophetæ, à quibus ut caveamus præcipitur. Nam quod fingunt Turcæ dixisse Christum. *Mittam vobis Prophetam Mahumetem*, & hæc verba fuisse à nobis expuncta, facile revincitur provocando imperitos ad vaticinationes de perpetua Christi doctrina, & ad Codices ante tempora Mahumetis conscriptos. Debet autem, ut ajebat Abacura, quisquis producit chirographum adversus fœnoris debitorem, repelli à Judice, si nihil eorum inscripta sint, quæ poscuntur. Sed contra Saracenos disputatum est lib. XXII. cap. 2. Tom. IV. pag. 340.

CAPUT XII.

Messiæ, ut carnem assumeret, causam fuisse peccatum Adæ, humanique generis perditionem.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. usque ad 6. Statuitur conclusio, & probatur tam ex scriptura, quàm Patribus.
6. usque ad finem afferuntur, & solvuntur objectiones.

1. Status quæstionis.

QUÆRENTI cur divinum Verbum humanam induerit naturam, respondent una voce Theologi causam fuisse Generis humani reparationem. Sed aliam quoque rationem Scotistæ assignant, ut scilicet magisterio suo, regimine, atque communione homines exornaret, atque ad consortium divinitatis eveheret. Imo prædefinitam arbitrantur Verbi *Incarnationem*, priusquam divino decreto statueretur productio hominum; postea vero prævisa Adami culpa definitum fuisse, ut filius Dei jam in mundum venturus universarum creaturarum Caput, & Princeps, adveniret assumpto mortali corpore, ut morte sua hominem perditum repararet. Amplexati sunt opinionem Scoti etiam Catharinus,

Suarez, & Ysambertus; sed illam major pars Theologorum refellit, & etiam Nicolaus L'Herminier alias Scoti studiosissimus.

2. Propositio. PROPOSITIO. Venit Christus ad redimendum humanum genus, nec advenisset, si Adam perseveraſſet in gratia.

Probatur 1. ex Scriptura. Demonstratur 1. Quoniam hanc unam Dominicæ *Incarnationis* causam nobis divinæ Scripturæ proponunt. Legitur enim Matth. XVIII. 11. *Venit Filius hominis salvare quod perierat.* Et Joannes III. 17. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Item Lucæ v. 32. *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Apostolus etiam ad Hebræos II. 14. inquit: *Quia ergo pueri communicaverunt carni, & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem: ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum.* Joannes in 1. Epistola III. 5. *Et scitis, quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret.* Cujus generis extant in Scripturis innumera.

3. Occurritur responsioni AA. Respondere solent his locis assignari aliquam causam adventus Christi, sed non principem, atque, ut appellant, *motivam.* Verum non videtur responsio hæc satis firma: nam in Cap. XVIII. Matth. explicat Christus causam adventus sui exemplo pastoris dimittentis oves reliquas, ut quærat errantem in solitudine, affirmans se eadem ratione in mundum venisse, ne unus de pusillis suis pereat. Quemadmodum ergo non adiret pastor loca deserta, nisi ovis erraret, ita non advenisset Christus in mundum, nisi homo peccasset. Tertio Joannis capite commendatur Dei charitas propterea quod pro mundi salute Unigenitum suum dederit, non autem illum miserit ad exercendam potestatem, atque judicium. Salus ergo mundi fuit *Incarnationis* divini Verbi princeps causa; ut etiam quotidie in Symbolo profitemur. Non enim existimandum est, dum nobis divina pietas, & fidei mysteria proponuntur, consectaria quædam argumenta prædicari, non autem prima, ac præcipua. Cap. Lucæ III. Christus citatis verbis rationem reddit, cur publicanis, & peccatoribus familiariter uteretur, quia nempe non pro justis, sed pro illis advenerit: id vero non satis apte videretur dictum esse, si ob aliam causam venisset, quam ob peccatorum expiationem. Paulus etiam, & Joannes non aliam ob causam ajunt Verbum factum carnem, nisi ut destrueret diabolum, tolleretque peccata.

Demonstratur 2. ex Traditione Patrum. Nam Irenæus Lib. v. cap. 14. ait: *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset.* S. Athanasius Orat. 2. contra Arianos: *Verbum nequaquam homo factus fuisset, nisi causam præbuisset hominum necessitas.* Nazianzenus Orat. 36. *Quæ humanitatis à Deo propter nos susceptæ causa extitit? Profecto, ut nobis salus pararetur. Quid enim aliud causæ afferi possit?* Origenes Hom. 24. in Num. *Si non fuisset peccatum, non necesse fuerat filium Dei agnum fieri, nec opus fuerat eum in carne positum jugulari: sed mansisset hoc, quod in principio erat, Deus Verbum.* Ambrosius lib. de Incarnat. cap. 6. *Quæ erat causa Incarnationis, nisi ut caro, quæ peccaverat, per se redimeretur?* Augustinus serm. 8. de Verbis Apostoli: *Si homo non periisset, filius hominis non venisset;* & serm. 9. *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere.* S. Leo serm. 3. Pentec. *Si homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus in suæ honore naturæ mansisset, nec diabolica fraude deceptus à lege sibi posita per concupiscentiam deviasset, Creator mundi creatura non fieret, neque sempiternus temporalitatem subiret, &c.* 4. Probatur 2. ex Patribus.

His quidem testimoniis respondere nequeunt Scotistæ, à Patribus unam ex multis causis, ob quas Deus humanam assumpsit naturam, proferri; cum expresse affirment causam reparationis humanæ esse adæquatam, ac principem, nullam aliam afferri posse, eaque sublata minime Christum fuisse venturum. Neque appositè respondent, dum asserunt non quidem in hypothesi quod Adam stetisset, venturum Christum in carne passionibus, suppliciisque obnoxia, sed in carne immortali. Enimvero si nullam aliam veniendi habuit causam, nisi ut mundum redimeret, & salvos faceret peccatores; profecto non est cur assumeret corpus alterius conditionis, & morti minime obnoxium. Deinde in corpore illo impassibili, de quo Scoti asseclæ vaticinantur, Verbum Dei fieretne caro? Fieretne homo? Fieretne creatura? Id quidem certissime. Maneretne tantummodo Deus Verbum, id est in illa natura, quam habebat à principio? Nullo pacto istud dici potest. At laudati Patres tradunt, quod nisi Adam peccasset, Dei Verbum factum non esset caro, non homo, non creatura, non tempori subjectum, sed mansisset hoc, quod in principio erat, Deus Verbum. Igitur 5. Confirmatur.

tur Patres diserte docent Deum sublata causa peccati, nullo modo in carne venturum fuisse.

SOLVUNTUR OPPOSITIONES.

6. Objectio 1. At argumentantur Scotistæ apud Frassen de Inc. & Mastrium, Hennum, aliosque. Christus prædestinatus est ante præscientiam peccati Adæ. De illo enim legitur VIII. Prov. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Appellatur in Epist. ad Colossenses cap. 1. 15. *primogenitus omnis creaturæ.* Dicitur in Epistola ad Romanos cap. 1. 3. *Prædestinatus Filius Dei in virtute priusquam fieret ex semine David.* Vocatur ad Ephes. 1. 22. *Caput super omnem Ecclesiam*, ideoque ab illo est etiam gratia, & spiritualis vita Angelorum. In Ep. denique ad Hebr. cap. 1. Christus ut homo dicitur hæres universorum, rerumque omnium Creator. Ex quibus plures argumentationes subtilis Schola varie compingit.

7. Respondetur. Solvuntur tamen omnes recta prædictorum locorum explicatione. Verba itaque Proverbiorum VIII. accipienda sunt de divina Verbi generatione, ut ostendimus lib. VII. cap. 12. Et si accipienda contendas de temporali, explicanda erunt distributive, ut Christus quatenus Dei Verbum fuerit principium operum redemptionis. Dicitur autem ab Apostolo *primogenitus omnis creaturæ*, id est, inter omnes creaturas præexcelsus, ac præstantissimus, quod significat in sacris literis nomen Primogeniti, ut Psalmo LXXXVIII. 28. & Apocalyps. 1. 5. Nam Unigenitus est, neque ratione generationis comparari debet cum creaturis. Dicitur etiam Primogenitus in creatione nova, *quia habemus remissionem per sanguinem ejus*, ut inquit Apostolus versu præced. nec non II. ad Corinth. v. 17. Dicitur etiam Primogenitus, quoniam secundum formam Dei ante omnes creaturas genitus est, ut in 1. de Trinit. cap. 12. explicat Augustinus. Atque hunc postremum sensum confirmant verba Apostoli eodem loco. *Primogenitus omnis creaturæ; quoniam in ipso condita sunt universa, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* In Epistola autem ad Romanos primo falsum est dici Christum prædestinatum priusquam fieret ex semine David, sed antea ejus origo secundum carnem commemoratur, postea prædestinatio. Deinde potuit prædestinatio, licet æterna, peccati Adæ supponere præscientiam. Præterea *Prædestinatus* hoc loco idem est, ac *manifestatus* virtute miraculorum, & glorioſa resurrectione; nam & ita vertit Syrus, & quadrat textus Apostoli: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum &c.* Denique videtur etiam plana, & literalis expositio Christum prædestinatum esse ut fieret homo in Dei virtute, & secundum spiritum sanctificationis, ut mundum redimeret, & segregaret sibi Ecclesiam, & gratiam peccatoribus impertiretur. In Epistola ad Ephesios dicitur Christus exaltatus super omnem Ecclesiam, omnemque principatum in hoc sæculo, & in futuro, quoniam Pater per redemptionem instauravit *omnia, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso*: ideoque *suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus* exaltavit super omnem Ecclesiam, & militantem quam acquisivit sanguine suo, & triumphantem, quam instauravit; fuitque Caput hominum, & Angelorum omnia subjiciens sub pedibus ejus. Postremo in Epistola ad Hebræos demonstrat Apostolus Christum esse hæredem universorum, splendorem paternæ gloriæ, conditorem sæculorum, & filium Dei naturalem ratione divinæ substantiæ, cui in Incarnatione humana hypostatice conjuncta est: sed hujus Incarnationis Paulus ibidem hanc affert causam: *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.* Addit Jesum gloria illa, & honore coronatum *propter passionem mortis:* quæ omnia si expendas, Scoti sententiam non corroborant, sed evertunt.

8. Objectio 2. cum responsione. Rursus opponunt: Characteres Messiæ sunt esse Pastorem, ac Legislatorem, aliique ipsi congruentes etiam sublato peccato. Verum quid inde inferas? Ut sit Deus Pastor, ac legis Conditor, necessaria non est humanæ naturæ assumptio, quoniam & Israelitarum fuit Legislator, & ductor nondum assumpta carne: imo testantur divinæ literæ ut hominem Pastorem esse, quoniam missus fuit ad oves, quæ perierant, atque pro iis posuit animam suam.

9. Objectio 3. cum responsione. Tertio objectant auctoritatem Patrum: quos inter Tertullianus de Resurrect. carnis cap. 6. ait in plasmatione Adami Christum fuisse præintentum, *cum limus* exprimebatur. Irenæus pariter scribit lib. III. cap. 33. *Adamum Christi futuri fuisse typum.* Augustinus libro 1. de Nupt. & conc. in matrimonio Adami, & Evæ, Christi, & Ecclesiæ præsignatum fuisse

fuisse sacramentum ; similia Patres alii tradiderunt. Verum neque hæc quidquam probant: cum enim Deus prædefiniens Redemptorem statuerit, ut ea quæ in veteri creatura præcedere debebant, in nova sublimiori modo instaurarentur, dum in tempore formavit hominem, erant omnia signa ac sacramenta Ecclesiæ Christi, licet Christus fuerit prædestinatus post præscientiam peccati Adæ. Quod tam aperto exemplo demonstro, ut non percipiam, quid reponere possint Adversarii. Fatentur ii Christum non venturum in carne passibili, nisi Adam peccasset, & tamen per Augustinum, quem nobis opponunt, in sopore Adæ præfigurata fuit Christi mors, & in productione Evæ ex latere Adæ, ædificatio Ecclesiæ ex vulnere lateris Christi. Lege sermonem 11. de Resurrect. & Tract. cxx. in Joannem. Potuit ergo Christus præsignari in formatione Adæ innocentis, quamquam prædestinatus post prævisam Adæ prævaricationem.

10. Objectio 4. Tandem urgent plura argumenta à ratione petita. Primum est, debuisse summam Dei bonitatem sese ad extra perfectissimo modo communicare. Alterum, derogari hujus mysterii excellentiæ, si dicatur statutum fuisse occasione peccati. Tertium, non salvari in hac sententia, quod Deipara à culpa originali fuerit immunis. Quartum, consequi ex illa præstantissimum medium ad finem ignobiliorem referri. Postremum, & illud consequens esse, quod de peccato Adæ gloriari possimus.

11. Respondetur. His breviter, atque ex ordine respondemus, primo argumento nihil probari, tum quia in iis, quæ spectant ad gratiam, nullum debitum excogitandum est; tum quia perfectissimo modo se bonum infinitum creaturis communicat, si modum attendas, in rerum singularum creatione, omnia ad perfectissimum finem infinita sapientia disponens. Ad alterum dico Incarnationem Dominicam opus esse misericordiæ, misericordiam vero exerceri occasione miseriæ, & eo esse præstantiorem, quo exhibetur indignioribus. Tertium argumentum probat in Virgine solum debitum contrahendi peccatum, non originarii peccati maculam; ideoque sententia nostra non derogat Deiparæ dignitati, sed magis in ea deprædicat privilegia gratiarum. Quod sequitur facilem pariter habet solutionem, nam finis *Incarnationis* est manifestatio divinæ misericordiæ, omnipotentiæ, iustitiæ, & superabundantis gratiæ: quo fine nullus excogitari potest præstantior. Ad ultimum dicimus nobis non de peccato gloriandum, sed de divina misericordia, quæ novit de malo tanta bona facere, ob quam feliciter cessit in communem utilitatem communis ruina: atque hoc sensu exultat Ecclesia illis vocibus: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!* Hæ sufficiant de quæstione tanto argumentorum apparatu, quamquam parum necessaria sit, à Scholasticis pertractata.

Neque in altera diu versabor, cur Christus tam sero venerit, si regnaverunt ab Adam mors, & peccatum. Scio causas haud incongruas proferri, quod maximum beneficium diu fuerat expetendum, quod ob primi parentis superbiam longo tempore humiliandum fuerat humanum genus: quod ad singulare opus misericordiæ debuerat præcedere diuturnum nostræ calamitatis experimentum: quod tantæ Reparationis mysterium complendum erat post omnium scelerum atrocitatem, aliasque causas istiusmodi; de quibus præclara Scholarum lumina D. Thomas III. P. q. 1. art. 5. & D. Bonaventura in III. Sent. Dist. 1. q. 4. Sed cum Patres alii diversa tradant, nolumus nos inscrutabilium consiliorum Dei altitudinem investigare. Certissimum nobis est, divinæ *Incarnationis* dilationem nullatenus obfuisse saluti electorum; quoniam, ut scribit Augustinus Epist. 102. *Salus vera nulli unquam defuit qui dignus fuit, & cui defuit dignus non fuit: & ab exordio propagationis humanæ usque in finem quibusdam ad præmium, quibusdam ad judicium prædicatur.*

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER VICESIMUS SEXTUS,

In quo præcipua circa divini Verbi incarnationem dogmata propugnantur.

JUDÆORUM pervicaciâ devictâ, discussisque Ethnicorum erroribus, bellum nobis indicunt hæretici, eo inexpiabile magis, atque exitiosum, quo intentatum ab iis, qui exierunt ex nobis, domesticum dici potest, ac intestinum. Illud quippe ab Ecclesiæ incunabulis excitarunt Gnosticorum scientia tumidi, Valentini, Simonis, Basilidis, ac Saturnini discipuli, Christo tribuentes aerium, & umbratile corpus: inter quorum ineptias evanuerunt quoque Marcionis somnia, cæcutiitque delirus, & iners scriptor Apelles. Fugatis vero inanibus horum spectris, atque imaginibus, verissimamque Redemptoris carnem in utero Virginis procreatam Spiritus sancti virtute, nec non clavis perforatam, confossam lanceis, & post devictam mortem Apostolorum manibus contrectatam singulis fidelibus profitentibus; rationalem animam, partemque humanæ naturæ nobiliorem ipsi Reparatori ausi sunt denegare prodeuntes quidam ex Arianorum palæstris sub Apollinaris Laodiceni vexillis, homines iniquissimi, ac perditissimi. Fuerunt, & qui rationalem animum adstruentes, propriis eundem facultatibus, & naturali præsertim voluntate expoliarunt, appellati ea de causa Monothelitæ, Cyri, Sergii, Pyrrhi, aliorumque præsulum gratia, & auctoritate superbientes. Hi ergo omni imbutum odio bellum in corporis Christi, animique naturam ciere conati sunt. At divinam, proh superi, quanti hæreticorum pestilentissimi ab antiqua Ebionitarum origine ad serpentem adhuc fœdam, & veneficam Sociniano-rum contagionem tentarunt extremis viribus debellare! Verum ne hos iterum in scenam producam, humanæ divinæque naturæ indissolubilem nexum, quem sacer Theologorum cœtus appellat *unionem hypostaticam*, evertere curarunt, irrito licet conatu, virginei partus, & Deiparæ infensissimi hostes Nestoriani: pessime, imperite, sacrilege utramque naturam in unam commiscere tentavit pugnans adversus Nestorium summa audacia, ac factiosa lingua Eutychetis. Atque hos omnes, instructo veluti agmine, hac dissertatione excipere, ac propulsare debemus, eos primum, qui Christo denegant assumptam carnem, deinde qui rationalem animum, vel inditas facultates, eos demum, qui Deum, & hominem unam inficiantur personam, aut in una persona unicam comminiscuntur naturam. Dum autem juxta Philosophorum consuetudinem à partibus singillatim inspectis ad compositum progediemur, & aliquam profligandarum hæresum rationem servabimus, haud verebimur illorum reprehensionem, qui de Verbo facto homine differentes diversam ab hac methodum tenuerunt. Profecto error Felicis, & Elipandi, & cætera, quæ vel Nestorianam, & Eutychianam hæresim, vel Catholicum de unione hypostatica dogma consequuntur, erunt alterius libri argumentum: nam hujus satis ampla materia est, nostrisque lucubrationibus, & lectorum ponderatione, studioque dignissima.

CAPUT I.

De Christi Incarnatione in utero intemeratæ Virginis peracta.

SUMMARIUM.

1. Variæ circa Incarnationem Verbi Divini hæreses.
2. Usque ad 5. fit propositio 1ma & probatur ex utroque testamento, & Patribus.
5 & seqq. afferuntur, & solvuntur objectiones.
13. Usque ad 16. infirmantur argumenta Helvidii.
16. Corollarium.

1. Variæ circa Incarnationem verbi Divini Hæreses.

HOc itaque libro de ipsa dominicæ *Incarnationis* Oeconomia disputaturus principio differam de Virginis conceptione, & assumpta in ejus utero à Verbo Dei humana carne. Refellenda autem veniunt hoc in dogmate tria hæresum capita, horrenda admodum ac pestifera. Prima hæresis denegat intemeratæ Virginis integritatem: in quam conspirarunt Ebion, Cerinthus, Carpocrates. *Ebion*, inquit de ejus hæresi Epiphanius, *docuit Christum ex semine viri esse genitum:* Carpocrates pariter & Cerinthus natum tradiderunt *ex semine Joseph*, ait in libro de Præscript. Tertullianus. Consentiunt his Judæi negantes nasciturum Messiam ex nesciente virum puella. Quidam quarto vertente sæculo Mariam saltem post Christum natum alios ex Josepho peperisse filios autumarunt, horumque agmen duxit Helvidius à magno Hieronymo refutatus. Hæc est ergo prior hæresis adeo in perpetuam Deiparæ virginitatem injuriosa.

Sequitur altera illorum, qui non ex Virgine carnem assumpsisse Verbum putarunt, sed illam traxisse de cœlo, ex æthere, aut elementis compactam. Formatum Christi corpus in cœlis, *& per Mariam, sicut per canalem aqua, transisse* ajebant Valentiniani apud Irenæum lib. 1. cap. 1. necnon Basilidis, & Marcionis gregarii apud Athanasium in 1. adversus Hæreses. His accesserunt Bardesanistæ, de quibus Origenes Dialog. IV. Appellejani dicti ab Apelle Marcionis discipulo affirmarunt Christi carnem *de sideribus, & de substantiis superioribus mutuatam*, ait in libro de carne Christi Tertullianus. Atque hæc est secunda hæresis adversus divini Verbi peractam in utero Virginis conceptionem.

Tertia verum ac solidum corpus Christo denegat, tribuitque duntaxat phantasticum, & umbratile: quæ hæresis, in quantum corpus phantasticum opponitur crasso, ac terreno, parum differt à Præcedenti. Sed videntur aliqui discipuli Simonis Magi, præsertim Menander, & Saturninus eo processisse, ut assererent carnem Christi nequaquam fuisse solidum corpus, sed apparens, inane, & corporis speciem referens, quasi magica ludificatione. Conabantur enim *Incarnationis* sacramentum ludibrio hominum exponere, atque, ut inquit Eusebius lib. III. H. Ecc. cap. 26. *illud aspergere magicæ artis infamia.* Tria ergo de Christi conceptione sunt inquirenda: primum an Deipara ipsum ex virili semine conceperit: alterum an ex Virgine Christi caro formata sit, an cœlitus delapsa, aut aliunde compacta: tertium an caro vera, ac solida fuerit, an vero umbratilis, & apparens.

2. Christum de Virgine absque viro natum probatur 1. ex Prophetia Isaiæ.

PROPOSITIO I. Christus de Virgine absque virili semine conceptus est.

Demonstratur ex prophetico Isaiæ oraculo cap. VII. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Negant Adversarii de Virgine incorrupta hunc locum esse exponendum, propterea quod Hebraicum vocabulum עלמה, *Halma* significet adolescentulam absconditam, à radice עלם, *Abscondit.* Sed refutatur commentum istud; I. quoniam hæc ipsa etymologia commonstrat vocabulum *Halma* significare illibatam, castissimamque puellam: ideo enim Virgo appellatur *Halma*, abscondita, quoniam sub custodia servatur à virorum aspectibus segregata: quod constat ex lib. II. Machab. III. 19. atque ex 2. Regum X II. 2. ubi de Amnone legitur: *Ita ut propter amorem ejus* (Thamaris) *ægrotaret, quia cum esset virgo, difficile ei videbatur, ut quidpiam inhoneste ageret cum ea.* Cum ergo virgo apud Hebræos adeo detineretur occlusa, ut difficulter ad ipsam viris pateret accessus; merito dicebatur עלמה, *Abscondita.* II. Cum in aliis divinæ Scripturæ locis *Halma* designet virginem incorruptam, ut liquet ex Gen. cap. XXIV. 16. & Exodi II. 8. ubi *Halmæ* appellantur Rebecca, & Maria soror Moysis,

Moyſis, adhuc *incognitæ viris*, nec junctæ maritis; virgo quoque viro incognita deſignari debet citato textu Iſaiæ. III. Demonſtrat Buxtorfius in Lexico, & conſtat ex primo Regum XVII. 56. & XX. 22. עלם ſignificare puerum cœlibem, & domi in parentum cura latitantem. Idem ergo de fœminino *Halma* dicendum eſt. IV. Tria tantum vocabula reperiuntur in lingua Hebræorum, quibus demonſtrari poſſit mulier adoleſcentula, videlicet עלמה *Halma*, בתולה *Betula*, & נערה *Nahara*: at poſtrema duo non ſunt propria nomina, quæ virginitatem ſignificent; nam *Nahara* eſt nomen ætatis, & tribuitur etiam juveni conjugatæ; *Betulà* autem eſt nomen mulieris innuptæ, ſive adoleſcentula virgo ſit, ſive aut ætate provecta, aut juvenis vidua, ut conſtat ex Joelis 1. 8. Igitur vocabulum ſolum *Halma* eſt illud proprium, quo denotatur adoleſcentula, & viro incognita. V. Conſtat hoc Eſaiæ loco ad vocabulum *Halma* addi literam emphaticam ה demonſtrantem ſingularem, ac ſpectabilem aliquam virginem. Inepte autem ſingularis, & inclyta diceretur aut fornicaria, aut adultera, aut à marito compreſſa. VI. Ut recte ait in hunc locum Hieronymus, non ſolum Judæi nequeunt oſtendere hanc vocem *Halma* in Scripturis alicubi poſitam, ubi adoleſcentulam tantum deſignet, & non virginem; ſed præterea virginem incorruptam ſignificat ea vox lingua Punica, quæ de Hebræorum fontibus dicitur emanaſſe. Virginem quoque reddit Verſio LXX. Chaldaica, Syriaca, & Arabica, nec repugnat in libro Radicum R. David Kimchi. VII. Denique Eſaias loquitur de ſigno, ac prodigio, quod daturus erat Dominus domui Iſrael mirabilius, quam petere potuiſſet incredulus Achaz *in profundum Inferni*, ſive *in excelſum ſupra*. At quod concipiat mulier virili ex ſemine, nullum ſignum, nullum prodigium eſt. Non ergo de adoleſcentula ex ſemine viri concipiente locutus eſt Eſaias. Atque hæc prima argumentatio urget præſertim Hebræos.

3. Probatur ſecundò ex Evangel. Matth.

Altera depromitur ex novo Teſtamento; nam Matth. Cap. 1. 18. ait: *Cum eſſet deſponſata mater ejus Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto:* proximoque verſu 20. ita Angelus ſponſum Virginis alloquitur: *Joſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Affert Evangeliſta verſu 23. allatum ſupra Eſaiæ vaticinium.

4. Probatur 3. ex SS. Patribus præſertim ex S. Irenæo.

Plura ſunt congruentiarum argumenta producta à Patribus, de quorum traditione nulla exoritur dubitatio, ideoque neceſſe non eſt, ut illorum colligere ſtudeamus teſtimonia. Irenæus itaque probat lib. III. adv. H. cap. 29. Chriſtum non eſſe genitum ex ſemine Joſeph, quoniam non fuiſſet præſtantior Davide, aut Salomone, ex eadem ſeminatione generatus. Item non fuiſſet hæres regni Davidis, quia Joſeph filius oſtenditur Joakim, & Jechoniæ, quorum ſemini regnum Juda non eſſe repromiſſum probat ex Jeremia. Addit Irenæus cap. 31. deſumptam ex creatione Adami comparationem, demonſtrans, quod ſicut Adam de rudi, & adhuc virgine terra plaſmatus eſt, ita oportebat Dei verbum *recapitulationem* Adæ in ſemetipſum faciens ejusdem generationis habere ſimilitudinem, ut eadem eſſet plaſmatio creata, & plaſmatio redempta. Profert etiam ſimilitudinem inter originem peccati, ac redemptionis, affirmans, quemadmodum angelus Satanæ virginem Evam ſeduxit, atque inde initia habuit humana perditio, ita à Virgine aſſentiente Angelo Dei nuncio incœptam hominum reparationem. Has, aliasque antitheſes adducunt etiam Tertullianus libro de Carne Chriſti cap. 17. & poſteriores PP. complures.

Solvuntur objectiones.

5. Objicitur 1.

Opp. 1. Vaticinium Iſaiæ nullo pacto de adoleſcentula virgine accipiendum eſt. Non ergo invicte probat Deiparæ integritatem. Prob. ant. nam vox *Halma* ſignificat tantumodo mulierem abſconditam, ut verterunt Aquila, & Symmachus. Eodem vocabulo Prov. XXX. 19. deſignatur ſcortum: ubi enim Vulgata habet, *Viam viri in adoleſcentia*, extat in hebraico בעלמה, *ad Halmam:* & verſu proximo additur, *Talis eſt, & via mulieris adulteræ.* Halma itaque adulteræ comparata ſcortum eſt, non puella. Etiam Cantic. VI. 7. una cum uxoribus, & concubinis connumerantur עלמות, *Halmæ*, id eſt, adoleſcentulæ ad Regis voluptatem ſervatæ. Fruſtra itaque aſſeritur deſignari eo vocabulo non ſubactam viro mulierem.

6. Reſponde-tur.

Reſp. nego ant. Ad probat. reſpondent aliqui Symmachum fuiſſe Ebionitam, Aquilam proſelytum Judæorum; unde nil mirum, ſi reddiderunt pro *Halma*, ἀποκρύφην, *abditam*, vel *abſconditam*. Verum

rum Symmachi, Aquilæ, necnon Theodotionis admissa Versione, nego virginem non dici propriissime *absconditam*, cum & virorum subtrahatur aspectibus, & *revelata non sit illius turpitudo*, qua phrasi explicat divina Scriptura viri cum muliere concubitum. In Proverb. xxx. בעלמה, significat *in adolescentia virginum*, & sensus est, perdifficile esse noscere quales futuri sint impuberes, qui sub parentum custodia delitescunt. Quid enim difficultatis præsefert viri ad scortum ingressus? Præterea haud recte appellatur *concluſa*, & *abdita* mulier faciens, etiam caute, sui copiam. Deinde gratis concedatur de corrupta adolescentula sermonem fieri in Proverbiis. Prænotatum supra, non potuisse apud Hebræos ob arctam custodiam viros accedere ad virgines, ideoque Amnonem usum consilio Jonadabi, ut opprimeret Thamarem. Notantur ergo in Proverbiis machinationes, & insidiæ scortatoris, ut ingrediatur etiam ad virginem intra paternas ædes absconditam. Quare quocunque sensu hunc locum accipias, semper *Halma* significat *adolescentulam virginem*: atque id multo expressius in VI. Canticorum. Ibi enim עלמות diserte separantur à reginis, & concubinis, ideoque significatur hoc nomine chorus puellarum, quæ nec maritis junctæ sint, nec turpiter viris subactæ. Ob hæc, & quæ supra attulimus, repetendum cum Hieronymo Comment. in cit. locum Isaiæ. *Ostendant Judæi in Scripturis alicubi positum Halma, ubi adolescentulam tantum, non virginem sonet: & concedimus eis, illud quod in Isaia apud nos dicitur, Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, non absconditam virginem, sed adolescentulam significare jam nuptam.*

7. Objic. 2do. Opp. 2. Promittit Isaias signum Achaz, ut credat se liberandum fore à duobus Regibus, qui Jerusalem invaserant, Rasin rege Syriæ, & Phacee rege Israel. Atqui signum debet præcedere rem, quam promittit. Ergo signum, de quo Isaias loquitur, præcessit liberationem Jerusalem à duobus Regibus, neque ullatenus ad Christi conceptionem est referendum.

8. Respond. Resp. nego ma. Cum enim Achaz Deo diffisus, & incredulus, dum illum hortaretur Propheta, ut peteret à Deo signum, respondisset, *Non petam, & non tentabo Dominum;* Isaias convertens ad omnes posteros Davidis sermonem ait: *Audite ergo domus David: Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis, & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, &c.* His verbis arguit Propheta incredulitatem regis, quasi nollet etiam portentoso signo spem proximæ liberationis confirmare, & Isaias, quasi ariolus, vel nugator falso hujusmodi signum promitteret. Propterea inquit immerito hanc sibi injuriam molesta infidelitate irrogari, cum Dominus signum alterum, ac longe nobilioris reparationis sit domui Davidis præstiturus, ortum scilicet Emmanuelis ex Virgine. Atque idcirco hac reprehensione non *adjecit* Isaias *loqui ad Achaz*, sed ad domum Davidis, cujus semine procreata est Virgo genitrix Christi, sermonem dirigit. Falsa est etiam minor: nam dantur signa, quæ sunt completæ jam promissionis commemorationes, qualè est illud Exodi III. 12. *Et hoc habebis signum quod miserim te: cum eduxeris populum meum de Aegypto, immolabis Deo super montem istum.*

9. Objicitur 3. Opp. 3. Signum, de quo loquitur Esaias, est filius ab ipso genitus ex uxore, quam sterilem opinabatur: cap. enim sequenti v. 3. ait: *Et accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium.* Addit Barnabel prædictum ab Esaia filium ipsius regis Achaz, id est Ezeahiam, aut forte alium ab ipso generatum ex incestu cum filia Achor, quam prægnantem esse ignorabat. De filio autem Mariæ non videtur locutus Propheta, quia nec appellatus est *Emmanuel*, nec de eo completum τὸ *Butyrum*, & *mel comedet.*

10. Respond. Resp. nullius filii ex virili concubitu procreati partum Esaiæ vaticinio portendi, cum prædicetur partus Virginis, partus Emmanuelis, partus divinæ promissionis signum singulare. Versus 3. cap. VIII. nequit de filio Isaiæ accipi, quoniam advocat testes sui ad Prophetissam accessus Uriam Sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ: & Urias quidem vixit regnante Achaz ex lib. IV. Reg. XIV. 11. Sed Zacharias filius Jojadæ, quem Barachiam esse tradit Hieronymus, trucidatus est, cum regnaret Joas, II. Paralipp. XXIV. 21. Zacharias autem Propheta, qui & Barachiam patrem habuit, prophetabat circa an. M. 3485. annis post obitum Isaiæ fere tercentis. Nequeunt ergo hæc literaliter intelligi de ipso filio Esaiæ, nisi velis hic memorari Zachariam illum, de quo II. Paralipp. XXVI. 5. Vix etiam percipi potest, quomodo auferenda essent spolia Samariæ, antequam puer, de quo Isaias, *vocaret patrem, & matrem*, si puer ille esset filius ipsius Isaiæ; cum

cum Samaria eversa sit anno VI. Ezechiæ, IV. Regum XVIII. 10. & Propheta narret quæ contigerunt sub Achaz. Quare cogimur, ut in Prophetiis reliquis, nonnulla de Christo, nonnulla vero de rebus olim gestis exponere, maxime quod hæ fuerunt symbola futurarum. Neque ullo pacto potest ad Ezechiam filium Achaz prophetia detorqueri; nam Ezechias jam decimum annum agebat, cum pater regnum obtinuit; quippe is *sedecim annis regnavit*, IV. Regum XVI. 2. & Ezechias vigintiquinque annorum erat, cum regnare cœpisset, IV. Regum XVIII. 2. Filius ergo, qui regnante Achaz prædicitur nasciturus, nequit esse Ezechias. Cæteras Barnabelis fabulas mittimus.

11. Explicatur vox *Emanuel* & explicatur *Butyrum & mel comedet.*

Mariæ Virginis filius recte dicitur *Emmanuel*, id est, *Nobiscum Deus*, cum, ex quo Verbum factum est caro, in nobis peculiari titulo Deus habitaverit. *Nomen autem* hoc loco, juxta consuetudinem divinarum Scripturarum, significat Christi attributa, ut dum legitur Lucæ I. 32. *Filius Altissimi vocabitur;* & apud eundem Isaiam IX. 6. *Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Postrema verba, *Butyrum, & mel comedet*, mystice significant mansuetudinem, lenitatem, doctrinam, atque spiritualium donorum copiam, & ubertatem: literaliter autem demonstrant, puerum Jesum, etiamsi superveniente Spiritu sancto conceptum, & natum de Virgine, consueto tamen Hebræorum more fuisse educandum favis mellis, & lacte. Sic divini Verbi humilitatem admiratur Ecclesia:

Et lacte modico pastus est,
Per quem nec ales esurit.

12. Objicitur

Oppones ultimo: Apostolus ad Galatas IV. 4. inquit: *Misit Deus filium suum factum ex muliere.* Significat autem *mulier* fœminam à viro compressam: unde Cicero apud Quintilianum reprehensus quod senex duxisset virginem Publiolam ait: *Cras mulier erit.*

13. Respond.

Resp. cum Tertulliano libro de Veland. Virginibus cap. 5. & 6. *Hujus vocabuli proprietatem ad sexum, non ad gradum sexus pertinere.* Et quidem Apostolus I. ad Corinthios XI. 5. & 6. indiscriminatim ait, *Omnis autem mulier velet caput suum:* & I. ad Timoth. II. 9. *Similiter & mulieres in habitu ornato, &c.* Etiam Cicero pro Mur. promiscue ait: *Mulieres omnes propter infirmitatem consilii majores in tutorum potestate esse voluerunt.* Quare *mulier*, etiamsi aliquando *virgini* opponatur, fœminam tantum, non eam, quæ viro subacta fuerit, designat.

14. Proponuntur & Refelluntur Argumenta Helvidii.

Propositio II. Nullius sunt ponderis argumenta, quæ adversus perpetuam Deiparæ virginitatem audacter, & sacrilege proferebat Helvidius.

Saltem post Christum natum Josephum virginitatem Mariæ delibasse, adstruere nefario ausu conabatur Helvidius sequentibus argumentationibus. Primo Matthæus, inquit, cap. I. 18. scribit: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Quomodo ergo nemo de non pransuro dicit, *Antequam pranderet*; ita nemo dicet de iis, qui convenire non debeant, *Antequam convenirent.* Sed respondet Hieronymus apparere in hoc priori argumento Helvidii imperitiam simul ac temeritatem: non enim si quis dixerit, Antequam in portu pranderem ad Africam navigavi, non potest stare sententia, si non in portu prandendum quandoque sit: aut si dicamus, Paulus Apostolus antequam ad Hispanias pergeret, Romæ in vincula conjectus est: aut certe illud, Helvidius antequam pœnitentiam ageret, morte præventus est; statim aut Paulo post vincula ad Hispanias sit eundum; aut Helvidio pœnitentia agenda post mortem. Erasmus hoc addit exemplum, si dicat aliquis, Judices de causa pronunciasse priusquam causam cognoscerent, non hoc sentit, judices cognovisse causam postquam tulerint sententiam: quod exemplum una cum aliis depromptis ex Virgilio, Cicerone, & Thucydide produxerat Laurentius Valla. At nos allatis à Hieronymo contenti erimus reponentes cum eodem in Comment. Mat. *Quod autem dicitur, Antequam convenirent, non sequitur ut postea convenerint: sed Scriptura quod factum non sit, ostendit.*

15. Argumentum 1.

16. Argumentum 2.

Alterum argumentum petitur ab Helvidio ex proximo v. 25. ejusdem cap. I. Mat. *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Ubi particula *donec* videtur demonstrare Mariam post partum primogeniti alios ex maritali complexu filios genuisse: quod comprobat ipsa *Primogeniti* ratio dicens ordinem ad alios post primum genitos. At respondet primum Hieronymus posse verbum *cognoscere* ad scientiam, non ad actum conjugii referri, uti Lucæ II. 43. *Et non cognoverunt parentes ejus.* De alia utique cognitione à maritali congressu exponunt hunc locum Epiphanius H. 78. quæ est Antidicomarianitarum, & alii. At de cognitione carnali, sive maritali complexu loqui Evangelistam fatemur,

mur, propterea quod Hebræorum locutione ad linguas cæteras derivata *cognoscere* notat experimentalem tori consuetudinem, ut Gen. IV. 1. XIX. 5. Num. XXXI. 17. Regum tertio 1. 4. &c. Ita Horatius appellat puellam *Ignaram mariti*, & Plutarchus in Alex. *Aliam*, inquit, *mulierem non cognoscebat*. Verum particula *donec* negat tantum cognitionem ante partum, nihil definiens de tempore posteriori. Affert Hieronymus apertissimum illud exemplum Isaiæ 46. 4. *Usque ad senectam ego ipse*. Et Matth. XXVIII. 20. *Vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*. Consimile est exemplum II. Regum VI. 23. *Michol filiæ Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ*: Psalmo CIX. 1. & Matt. V. 19. de quibus alibi. Cur dicatur Christus Primogenitus explicatum est Tom. II. pag. 46. Addam ingeniosam Hieronymi observationem. Præcipitur Num. XVIII. 15. ut pro hominis primogenito offeratur post unum mensem siclus argenteus. Si primogenitus ille tantum diceretur, post quem alii filii nascuntur, *non omne masculinum quod aperit vulvam*; potuisset quilibet Genitor petentibus siclum respondere: *Quid me unius mensis constringis articulo? Expecta donec nascatur secundus. Nihil debeo Sacerdoti, nisi & ille fuerit procreatus, per quem is, qui ante natus est, incipiat esse primogenitus*. Hæc Hieronymus. Epiphanius H. 78. observat consulto Evangelistam dixisse *filium suum primogenitum*, non vero *filium primogenitum suum*; ut scilicet intelligamus dici Christum *primogenitum* dignitate respectu *omnis creaturæ*, ut inquit Apostolus ad Colos. 1. 15. non generatione, nec respectu fratrum, quos Virgo peperit.

15. Argum. 3. Tertium argumentum Helvidii petitur ex locis ubi fratres Christi commemorantur, ut Matth. XIII. 55. *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas?* Similia occurrunt apud Marcum VI. 3. Vide & Matt. XII. 46. Marc. III. 31. & Joannis II. 12. At respondet Hieronymus *fratres* Domini appellari consobrinos ratione propinquitatis: cum Scriptura soleat fratres dicere *natura* quales fuerunt Esau, & Jacob: *gente*, quales ad Rom. IX. 3. appellantur omnes Israelitæ: *cognatione*, ut vocantur Genes. XIII. 8. Abraham, & Lot, & XXIX. Laban, & Jacob: & denique *affectu*; quo sensu ab Apostolo 1. ad Corinth. V. 11. omnes fideles dicuntur fratres. Eadem est sententia Augustini libro XXII. contra Faustum cap. 35. Atque potest ex ipsa Scriptura demonstrari. Etenim inter fratres Domini commemoratur etiam Jacobus, de quo D. Paulus ad Galat. 1. 19. *Alium Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini*. At liquet ex cap. X. Matth. 3. inter Christi Apostolos duos Jacobi nomine fuisse appellatos, quorum unus dicitur ibidem filius Zebedæi, & frater Joannis, alter filius Alphæi. Habemus itaque fratrem Domini, qui non fuit de Josephi progenie. Verum tamen est, quod Patres aliqui scripserunt fratres Domini esse filios Joseph ex alia uxore generatos, ut scribit citato loco Epiphanius, necnon alii apud Vossium Dissert. de Gen. Jesu Christi cap. 6. & Serry Exercit. de Christo XL. His tamen non assentior. Connumerant enim inter filios Joseph quatuor, quos Matthæus, ac Marcus describunt citatis locis, & quorum primus est Jacobus. Atqui Jacobus, ut dictum est modo, filius fuit Alphæi, quem esse Josephum nulla ratione poterit demonstrari. Matrem hujus Jacobi haud obscure colligimus esse Mariam Cleophæ filiam, & uxorem Alphæi: nam inter Mulieres, quæ patienti Christo adfuerunt, Marcus XV. 40. tres distincte commemorat his verbis: *Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi minoris, & Joseph mater, & Salome*. Matthæus autem ait Cap. XXVII. 56. *Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Joseph mater, & Mater filiorum Zebedæi*. Joannes vero cap. XIX. 25. *Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalene*. Ex quorum collatione deducitur Mariam filiam Cleophæ esse matrem Jacobi minoris, & uxorem Alphæi; & Mariam Salome esse matrem alterius Jacobi, & Joannis, atque uxorem Zebedæi: ideoque Deiparam fuisse Jacobi minoris, non novercam, ut quidam dixerunt, sed materteram. Potest commode in hac sententia propugnari etiam perpetua virginitas Josephi, quam tenet pia Fidelium devotio, quamquam firmari plenissima Traditione non possit. Nemo autem miretur me dixisse matrem Jacobi Mariam filiam Cleophæ, non uxorem. Quamquam enim nonnulli sic dictam putant à marito, atque ita etiam sentiat Theodoretus in cap. 1. ad Galatas; Hieronymus contra Helvidium sic nominatam censet,

sive

sive à Patre, sive à Gentilitate familiæ; in eamque sententiam præter auctoritatem Hieronymi tria me trahunt: primum, quod liquet ex cap. x. Matth. fuisse hanc Mariam uxorem Alphæi: alterum, quod versio Arabica Joan. XIX. 25. diserte habet, *Filia Cleophæ*: tertium quia tollitur hac sententia omne personarum discrimen. Sed hactenus contra Helvidium: cujus sententiam, ut Photius appellat, irreligiosam, & impiam quidam derivatam arbitrantur ab Apollinari Laodiceno, & traditam etiam ab Eunomio, ex Ecclesiastica Philostorgii Historia à Photio in compendium redacta.

COROLLARIUM.

16. Conclusio suis innixa probationibus.

Infertur ex dictis Josephum non esse Christi patrem, nisi hominum existimatione, ut inquit Lucas III. 23. *ut putabatur, Filius Joseph.* Et Hieronymus laudato adversus Helvidium libro: *Evangelistæ Patrem Joseph dicunt; non quod vere pater Joseph fuerit Salvatoris; sed quod ad famam Mariæ conservaudam pater sit ab omnibus existimatus.* Speciali etiam titulo appellatus est *Pater Christi*, ut docet Augustinus lib. II. de Consensu Evang. cap. I. *ipsa copulatione conjugii*, nimirum, *quia ejus conjuge natus est.* Sed quod aliqui dicunt esse filium verum ac proprium, quoniam natus; & procreatus est *in fundo* Joseph, id est, in virginali corpore, in quod ille habebat jure conjugii potestatem, mihi quidem non probatur; quoniam jus aliquam infert proprietatem Domini, & Hæredis, at non Genitoris, ac Patris. Fuit ergo hoc titulo Christus specialiter filius Josephi, atque multo conjunctior, quam si ab eo esset aliunde adoptatus: at non verus, ac proprius.

CAPUT II.

Fuisse in Christo veram carnem, eamque non de cœlo delapsam, sed in virginali Mariæ utero procreatam.

SUMMARIUM.

1. Usque ad 4. fit propositio 1. & probatur tam ex Scripturis, quàm Patribus.
4. 2da propositio probatur.
5 & seqq. enervantur objectiones.

1. D. Verbum veram & corpoream assumpsisse Carnem prob. ex Scripturis 1.

NUNC profligaranda venit altera adversus Christi conceptionem Valentini, Basilidis, & Marcionis portentosa hæresis, nullum Christo attribuens corpus, nisi phantasticum: in quem errorem prolapsi sunt etiam Manichæi, refutati ab Augustino in libro de Fide contra Manich. cap. 32. & lib. XXVI. contra Faustum, atque aliis in locis.

PROPOSITIO I. Divinum Verbum veram, & corpoream assumpsit carnem.

Demonstratur 1. ex Scripturis. Nam Joan. I. 14. legitur: *Et Verbum caro factum est*: atque in Ep. ejusdem Joannis I. cap. IV. 2. *Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est, &c.* Huc spectant loca, quæ asserunt Christum natum, passum, mortuum, ac redivivum. Item ea, quibus constat discipulos aliquando opinantes Christum esse phantasma, ab ipso, qui falli non potest, nec fallere, fuisse reprehensos, atque etiam manducatione, corporisque contactu factos fuisse de veritate carnis certiores, ut Mat. XIV. 26. Lucæ XXIV. 39. & Joannis XX. 27. Idem probant ea omnia, quibus narrantur patrata à Christo humana, & corporalia opera: in quibus non potuit affectus nostros simulare, cum mentiri non possit.

2. Probatur 2. ex Tertulliano.

Complura argumenta urget adversus Marcionem, & cæteros Phantasiastas Tertullianus: eaque collegit, notisque illustravit noster Moreau Tom. 2. titulo *Christi caro*, Scholiis XIII. Præcipua hæc sunt I. Deducitur à Tertulliano lib. De Carne Christi, ex ejus passione, quam prænuntiarunt Isaias LIII. 4. completam vero Evangelica narrat historia. Nam, *Tacentibus*, inquit Tertullianus cap. 9. *apud nos quoque Prophetis de ignobili aspectu ejus, ipsæ passiones, ipsæque contumeliæ loquuntur: passiones quidem humanam carnem, contumeliæ inhonestam. An ausus esset aliquis ungue summo perstringere corpus novum? Sputaminibus contaminare faciem nisi mærentem? Quid dicis cælestem carnem, quam unde cælestem intelligas, non habes? Quid terrenam negas, quam unde terrenam agnoscas, habes? Esuriit sub diabolo, sitivit sub Samaritide, lacrymatus est super Lazarum,*

zarum, trepidavit ad mortem; Caro enim, inquit, infirma: sanguinem fudit postremo. II. Promitur lib. IV. contra Marcionem cap. VIII. ex corporis attactu, quod Christus Lucæ IV. 40. omnes infirmos curaret *singulis manus imponens*, utique, ait Tertullianus, *sentiendas.* Et cap. ejusdem Operis 20. affert curationem mulieris à fluxu sanguinis, ex contactu fimbriæ vestimenti Salvatoris; de qua idem Lucas XIII. 44. demonstratque vestimentum corpori, non phantasmati adjacere, ideoque si verum fuit vestimentum, verum quoque fuit *inditum corpus.* Addit citato cap. 8. ex eodem Luca IV. 29. non solum Christi corpus admisisse contactum, sed contactum violentum, ac plenum, dum Christus *detentus, & captus ad præcipitium usque protractus est*; afferens quoque Lucretii sententiam,

Tangere enim, & tangi, nisi corpus, nulla potest res:

atque acute observat, nunquam Christum Judæorum manus evasisse, eos per caliginem eludens, sed sedato tumultu, & *transiens per medium illorum*, ut eo loci scribit Evangelista. III. Eodem adversus Marcionem libro, cap. 43. veritatem corporis Christi demonstrat, ex quo hæsitantibus discipulis, & phantasma illum credentibus Luc. XXIV. 39. Dominus dixerit: *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Redarguitque Marcionem hunc locum interpretantem, quasi dictum sit, *sicut me videtis non habentem ossa, sicut spiritus*, dicens: *Cur autem inspectui eorum manus & pedes suos offert, quæ membra ex ossibus constant, si ossa non habebat? Cur adjecit, & scitote quia ego sum, quem scilicet corporeum retro noverant? Aut si phantasma erat usquequaque, cur illos phantasma credentes increpabat? At quin adhuc eis non credentibus propterea cibum desideravit, ut se ostenderet etiam dentes habere.* Utitur consimili argumento Augustinus serm. LXXV. alias XXII. de diversis cap. 7. IV. Ingeniosa est argumentatio, quem Tertullianus nectit ex verbo *Exspiravit*, quo Lucas XXIII. 46. mortem indicat Salvatoris. Vel enim exspiravit caro spiritum, & caro utique fuit: vel si caro non fuit, sed phantasma carnis, cum phantasma nihil sit aliud, quam corpus umbratile confictum à spiritu; dum ipse spiritus exspirando discessit, necesse est, ut discederet etiam phantasma. *Nihil ergo*, inquit lib. IV. citato, cap. 42. *remansit in ligno: nihil pependit post exspirationem: nihil de Pilato postulatum: nihil de patibulo detractum: nihil sindone involutum: nihil sepulchro novo conditum. Atqui non nihil. Quid igitur illud erat? Si phantasma, adhuc ergo inerat & Christus. Si discesserat Christus, ergo abstulerat phantasma. Supereſt impudentiæ hæreticæ dicere phantasma illic phantasmatis remansisse.* V. Postremo ratiocinatur Tertullianus in libro de Carne Christi cap. 16. ex verbis Apostoli ad Rom. VIII. 3. *De peccato damnavit peccatum carne*, quoniam nisi caro illa fuisset in Christo, cujus natura est in homine peccatrix, non recte diceretur peccatum in ipsa carne evacuatum. *Quid enim*, inquit Tertullianus, *magnum, si in carne meliore, & alterius, ideſt non peccatricis naturæ nævum peccati redemit?* Itaque caro Christi confossa vulneribus, condita tumulo, tentata contactu, atque eo fine assumpta, ut de peccato damnaretur peccatum, fuit caro vera & extensa, non autem phantastica ac spiritalis.

3. Probatur 3. ex S. Augustino.

Hæc sane argumenta excuti nequeunt cavillis Phantasiastarum reponentium sacras literas, quas egregie tractat Tertullianus, exhibere duntaxat corpus apparens, in quo Christus humanos affectus simulando omnia specietenus patraverit. Enimvero ne dicta repetamus, si fictum fuit corpus Christi apparentia mortuus est, nec vere resurrexit, nec genus humanum redemit: corruitque fides ac spes Christiana. Fuisset etiam Christus fallax mortis, & resurrectionis suæ prænuntiator, injustus discipulorum reprehensor, atque mendax, hominumque seductor. Si quis vero hæc ausus fuerit cogitare, ei respondebimus, quæ scribit Augustinus adversus Faustum pariter delirantem, lib. XXVI. cap. 8. *Homo pessime ac fallacissime, quomodo tibi ego credam, quasi vera dicenti, cum Christum dicas mortem potuisse mentiri? Ergo ille mentiebatur, quando dicebat, Oportet filium hominis occidi, & tertia die resurgere: & tu non mentiris, & dicis, ut tibi vera dicenti credamus? Veracior ergo Petrus, quando ei dixit, Absit Domine, non fiet istud; & unde meruit audire, Redi retro Satanas? Et ille quidem non hoc infructuose audivit, qui eam postea veritate mortis Christi usque ad suam mortem correctus, perfectusque prædicavit. Verum si ille, quia tantum putavit Christum non moriturum, audire meruit, Satanas,*

tanas: tu quid mereris audire, qui non solum negas mortuum, sed etiam dicis mortem fuisse mentitum? Sed ideo, inquis, mortem quoque simulasse credendus est, quia omnes humanæ conditionis simulavit affectus. Quis enim tibi hoc contra Evangelium concessurus est, quod omnes humanæ conditionis simulavit affectus? Prorsus dixit Evangelista, Dormivit Jesus: dixit, Esurivit, contristatus est, exhilaratus est, & si qua talia omnia vera sunt, quæ ita narrata sunt, ut non eum simulasse, sed plane fecisse, vel exhibuisse conscripta sint, &c.

4. Dei filium corpus suum ex materna carne assumpsisse probatur.

Propositio II. Dei Filius humanum corpus non aliunde, sed materna traxit ex carne.

Confirmat hæc propositio præcedentem: si enim Christus ex Virgine natus est, traxitque ex semine David originem, consequitur verum illi fuisse corpus, cujus Genitrix materiam subministraverit. Itaque propositio hæc probatur ex cap. 1. Matthæi, in quo contexitur Salvatoris genealogia usque ad Joseph virum Mariæ: *De qua*, inquit Evangelista v. 16. *natus est Jesus, qui vocatur Christus.* Respondebant Hæretici hanc Genealogiam scriptam non fuisse à Matthæo: sed illorum temeritatem ita revincit Augustinus lib. XXVIII. contra Faustum cap. 2. *Cum cœpero Matthæi Evangelium recitare, ubi narratio nativitatis ejus tota contexitur, continuo dices illam narrationem non esse Matthæi, quam Matthæi esse dicit universa Ecclesia ab Apostolicis sedibus usque ad præsentes Episcopos certa successione perducta. Tu mihi quid contra lecturus es? Aliquem forte librum Manichæi, ubi Jesus negatur esse natus ex Virgine. Sicut ergo ego credo illum librum esse Manichæi, quoniam ex ipso tempore, quo Manichæus vivebat in carne, per discipulos ejus certa successione præpositorum vestrorum ad vestra usque tempora custoditus atque perductus est: sic & istum librum crede esse Matthæi, quem ex illo tempore, quo Matthæus ipse in carne vixit, non interrupta serie temporum, Ecclesia certa connexionis successione usque ad tempora ista perduxit. Et dic mihi, cui libro potius credere debeamus, ejusne Apostoli, qui Christo, cum adhuc in terra esset, adhæserat, an nescio cui Persæ, qui tanto post natus est?* Adde non Matthæum solum scribere Christum ex Virgine natum, sed & Lucam 1. 35. referentem verba Gabrielis Angeli, *Quod nascetur ex te sanctum:* nec non Apostolum scribentem ad Rom. 1. 2. *Factus est ei ex semine David secundum carnem:* & ad Galatas IV. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Idem confirmat ea Christi appellatio *Filius hominis*, tam in Evangeliis frequens: non enim vere Christus filius hominis diceretur, *nisi originem haberet ex homine*, inquit lib. IV. in Lucam cap. 49. Venerabilis Beda. Vide etiam quæ de vaticinio Isaiæ VII. 14. dicta sunt capite præcedenti.

Objecta diluuntur.

Phantasiastæ opponunt 1. Verbum nonnisi specietenus humanum corpus gestasse Scriptura ac ratio demonstrat. Scriptura quidem scribente ad Philipp. Apostolo II. 7. *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo.* Atque ad Rom. VIII. 3. *Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati.* Accedit quod 1. ad Corinth. XV. 50. *Caro* damnatur his verbis: *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt:* & denique idem Apostolus 2. ad Corinth. v. 16. ait, *Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* Ratio autem multiplex afferri potest: ac primo, quod videatur Deo indignum humanam carnem induere, ac sese filiorum Adæ subjicere conditioni: tum quod absurdum sit putare Unigenitum Dei factum Angelicis spiritibus deteriorem: insuper quod assumptio carnis nequeat percipi absque assumentis mutatione, cum tamen nulla mutatio possit in Deo excogitari. Accedunt his experimenta, cum enim corpus, Philosophorum sententia, sit natura sua extensum, ideoque impenetrabile ac solidum: corpus Christi, quod creditur in lucem editum non fracto virginali secreto, necnon ad vitam clauso monumento rediisse, ingressum januis clausis ad Apostolos, evanuisse ab eorum aspectu, gradiens super undas, in aëra sublatum, neque ab hostibus, nunquam nisi quando ei placuit, deprehensum, hoc, inquam, corpus fuit diversæ à nostro naturæ. §. Objicitur. 1.

Resp. Pauli ad Philippenses sensum esse, quod etiamsi Christus *in forma Dei* esset, ac posset glorioſam ducere vitam; cum tamen in mundum advenerit ad homines sanguine suo redimendos, dignatus est tanquam servum se gerere, & singulari obedientiæ exemplo humiliare *semetipsum usque ad mortem crucis*, ita, ut exteriori vitæ conversatione habere- Respondetur.

beretur, sicut cæteri hominum, quamquam esset longe præstantior, nec mortis necessitati subjectus. Hortatur enim eo loci Apostolus, ut exemplo Christi nihil per contentionem & inanem gloriam operemur. Itaque quod Paulus ait, *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, non ad carnis substantiam, sed ad vitæ consuetudinem, & vulgarem de Christo existimationem est referendum. Habes hujus phraseos exempla Judicum XVI. 7. in Psalm. LXXXI. 7. Etsi autem hæc responsio videtur mihi plana, ac certa; eas, quas alii tradunt, non prætermittam. Ac Tertullianus adversus Marcionem scribit Filium Dei factum in similitudinem hominum ratione conceptionis; quoniam probatur quidem filius Joseph, sed per Spiritum sanctum absque virili semine generatus est. Ambrosius autem, cui permulti subscribunt, *habitum ac similitudinem*, pro ipsa naturæ humanæ substantia interpretatur, scribens Epist. 46. ad Sabinum *Nec sibi blandiatur virus Apollinaris, quia ita legitur, Et specie inventus ut homo. Non enim negatus est homo Jesus; cum alibi ipse Paulus de eo dicat, Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus; sed confirmatus est. Id enim est usus & moris Scripturæ sic significare. Sicut & in Evangelio legimus: Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre. Sicut ergo quasi unigenitus Dei filius, ita quasi homo dicitur, & perfectio fuisse in eo hominis non negatur.* In Epistola autem ad Romanos dicitur Christus factus in similitudinem carnis peccati, quia ejus caro non erat caro peccati, non enim de traduce mortalitatis in Mariam per masculum venerat; quare cum mortuus sit, & de peccato sit mors, *habuit carnem non peccatricem, sed tamen similitudinem peccati*, inquit lib. contra Adim. cap. XXI. Augustinus. Recte ab eodem Augustino exponitur alter Apostoli textus ex priori ad Corinth. de vera Relig. cap. 12. ubi ait: *Per peccatum vita hominis carnalis & terrena efficitur, & ob hoc etiam terra, & caro nominatur: & quamdiu ita est, regnum Dei non possidebit.* Ita *caro* accipitur Genes. VI. 3. 12. Ps. LV. 5. & alibi. Præterea cum ibidem Apostolus loquatur de corpore resurgentium, per *carnem & sanguinem* intelligit corpus fragile ac fluidum, ut demonstrat idem Augustinus contra Adimantum cap. XII. In altera demum ad Corinthios docet Apostolus neminem existimandum esse *secundum carnem*, id est, secundum præsentem mortalium conditionem, quemadmodum Christus, qui exinanitionis tempore videbatur *despectus & novissimus virorum*, nunc gloria & honore coronatus est: ac simul admonet non habendam esse rationem consanguinitatis, cum simus in Christo *nova creatura*, neque illius sint hæredes, qui ei fuerunt carnali propinquitate conjuncti, sed qui novitiate spiritus regenerantur. Accipitur ergo *cognoscere*, ut sola lectione liquet, pro *existimare*: quemadmodum Exodi I. 8. Prov. XXIX. 7. Joan. X. 27. & in priori ad Corinth. VIII. 3.

Rationes à Phantasiastis productæ nil prorsus probant. Ad primam namque dicimus non esse indignum Deo induere, quod manibus suis plasmavit, absque contagione peccati. *Si enim visibilia munda à visibilibus immundis contingi possunt, & non inquinari, quanto magis invisibilis & incommutabilis Veritas per spiritum animam, & per animam corpus suscipiens toto homine assumpto ab omnibus eum infirmitatibus nulla sui contaminatione liberavit?* inquit Augustinus de Agone Christiano cap. 18. Addit indigna & abjecta sentire potius de Christo Manichæos ipsos, ac Marcionitas; quoniam veritas mendacio inquinari potest, non carne: quod etiam animadvertit Tertullianus lib. contra Marcionem III. Cap. 7. Altera ratio explodi-tur, quoniam revera Filius Dei secundum assumptam humanitatem *paulo minus ab Angelis minoratus est*, ut inquit Psalm. VIII. 6. sed nulla hinc Dei filio contumelia, quia hæc assumptio non est in ipso necessitas conditionis, sed præconium humilitatis, qua consuluit humano generi, & nos propriæ gloriæ fecit consortes, non depressa divina natura per copulationem humanæ, sed exaltata natura humana per consortium divinæ. Ad tertiam rationem, quoniam eam solvimus præcedenti libro cap. XI. nunc cum Tertulliano de Carne Christi cap. 3. reponimus ea tantum mutari & in aliam naturam converti, quæ dum uniuntur aut non permanendo pereunt, aut perfectionem, qua carebant, recipiunt. At Christus, ut etiam docet Augustinus lib. II. de Actis cum Fel. Manich. cap. 19. *assumpsit humanitatem, non amisit divinitatem: neque in carne ipse deterior factus, sed caro in illo melior facta est.* 6. Ulteriùs Respondetur.

Experimenta philosophicis argumentationibus confirmata principio in Phantasiastas retorquentur; quippe si corpus est, quod extensionem habet, loco continetur, palpatur, ac tangitur; quomodo 7. Retorsionem in Adversf.

do non est verum Christi corpus, pannis indutum, reclinatum in præsepio, funibus colligatum, flagellis cæsum, clavis confixum, lancea vulneratum, sindone involutum, sepulcrho reconditum, & discipulorum manibus contrectatum? Prodigia vero enarrata habent in omni Philosophorum sententia facilem solutionem. Respondebit Peripateticus, cum gravitatem, tum penetrabilitatem corporum, imo extensionem ipsam localem, esse proprietatis, quæ tolli divinitus possint, aut impediri. Qui in dimensione statuunt naturam corporis, dicent non esse arduum divinæ omnipotentiæ illam extendere, aut constringere. Contendent aliqui nutu Dei transferri, etiam non tacto medio, quodlibet corpus de una in aliam viciniam: verum hæc ad Philosophos.

8. Objicitur 2. Opp. 2. Nullum est argumentum ad probandum carnis Christi veritatem, quod ut homo apparuerit, atque se tractandum exhibuerit Apostolis. Primo enim indubitatum est, aut ipsum Dei Filium, aut Angelos in veteri Testamento hominibus apparuisse, cum tamen nullum verum corpus haberent, aut saltem non proprium. Deinde sentiunt complures, quod possint spiritus præstare effecta similia corporibus per solam circumstantis aëris motionem, ut explicavimus libro x. cap. 14. Insuper, si placeat Christo aliquando carnem adhæsisse, possumus negare fuisse ei propriam, ac natam, ut de specie columbæ, in qua Spiritus sanctus apparuit, scribit cap. 22. de Agone Christiano Augustinus. Postremo cur non dicamus cum Basilide apud Epiph. H. 24. & Mahumete Az. 6. non Christi corpus in ligno suspensum, sed Simonem Cyrenæum, aut Judam apostatam, sive cum Manichæis fuisse crucifixum, non Christum, sed diabolum, ideoque perire argumenta fere omnia, quæ ex Tertulliano & Augustino collegimus?

9. Respondetur. Resp. ad 1. cum Augustino libro XXIX. contra Faustum cap. 4. potuisse quidem Dei filium loqui & apparere hominibus, quamvis in carne non natum, sed noluisse. *Hoc autem eum voluisse ideo certum est, quia hoc fecit: hoc vero eum fecisse ideo non dubitamus, quia non cuiquam hæretico, sed ejus Evangelio credimus.* Retorquemus etiam argumentum; quoniam corpora in quibus, sive Dei filius, sive Angeli olim apparuerunt, etsi assumpta, non nata, vera ac solida fuisse tradunt quamplurimi. Etiam reponimus demonstrasse ipsos Angelos se aëria, & subtilia gestare corpora affirmantes uti se tantum cibo invisibili, ut Raphael ait Tobiæ XII. 19. cum Christus se verum hominem exhibuerit. Atque ad secundum dicimus admissa ea Philosophorum sententia, secerni imaginariam spiritus apparitionem à vera, quod in illa corpus phantasticum non videtur indifferenter ab omnibus, sed ab iis tantum, in quibus radiorum flexione imaginaria visio excitatur: ideoque in veris corporibus apparuisse tam Angelos, qui à tota Abrahami, Lot, ac Tobiæ familia eodem sensu videbantur, quam Christum, quem omnes conspexerunt, tetigerunt, palparunt, affectum eadem oris forma, eadem extensione membrorum, eademque corporis soliditate: atque hunc maxime, qui, cum *veritas* sit, contestatus est se hominem esse, non spiritum: quod de nullo angelorum divina tradunt eloquia. Ad tertium responderi posset Spiritum sanctum non assumpsisse verum corpus columbæ, sed speciem, atque figuram, ut scribunt Chrysostomus Hom. XII. in in Matth. Ambrosius lib. 1. de Sacram. cap. 5. ac dubitare videtur Augustinus in IV. de Trinit. cap. 21. Neque eadem est ratio de Christo, quoniam de Spiritu sancto inquit Joan. cap. 1. 32. *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam*, de Christo autem versu 14. *Verbum caro factum est.* Est autem versu 32. in Græco particula ὡσεὶ, *quasi*, ambiguæ significationis, ac versu 14. particula ὡς, *quasi*, ut appellant, ὁρισικὸν *definiens.* Verum dato, quod Spiritus sanctus in vera columba apparuerit; cum Augustino eodem cap. 22. de Agone Chr. argumentum retorqueo, quia *sicut non oportebat, ut homines falleret filius Dei, sic etiam non oportebat ut falleret Spiritus sanctus.* Quare utrumque assumpsisse verum corpus docet S. Thomas III. p. art. 7. q. 39. & Doctores Scholastici communiter in dist. XIII. Libri primi. Quærenti autem, cur Christi corpus proprium, ac natum sit, & corpus columbæ assumptum tantummodo à Spiritu, respondet ibidem Augustinus citato capite XXII. de Ag. Chr. *Quia non columbas liberare venerat Spiritus sanctus, sed hominibus significare innocentiam, & amorem spiritalem, quod in columbæ specie visibiliter figuratum est.*

Crucifixum aut Simonem Cyrenæum, aut Judam, aut Diabolum, affirmare non possumus, quoniam istorum nemo est hominum Redemptor, ac Mediator, neque talem perpessos mortem Scriptura testa-

testatur. Antequam Simon tolleret crucem ejus, jam per urbem illam detulerat Christus, & jam incesserat flagellis cæsus, portansque spineam coronam. Frustra itaque fingitur crucifixus Cyrenæus, ne Filius Dei afficeretur ludibrio. Judas laqueo suspendit se, ut legimus Matth. XXVII. 4. & Act. Apost. I. 18. Manichæis denique dicentibus crucifixum principem tenebrarum respondet Augustinus de Fide cap. 33. *Miseri! non timetis ut dicatur vobis in judicio: Ego eos liberavi, pro quibus passus sum. Ite: ille vos liberet, cui meas adscribitis passiones?* At refutatur insignis error ipso signo Crucis, quo dæmon perterritus fugatur, atque confessione Martyrum, quorum vulnera dicuntur stigmata Christi, non diaboli.

10. Objicitur 3. Opp. 3. Ut demus Christo fuisse corpus aliquod, quod tanquam aqua per tubum, transierit per uterum Virginis, atque dici possit *in ea natum*, quemadmodum ait Angelus Josephum alloquens Matth. I. 20. nulla ratione possumus affirmare fuisse hoc corpus ex Virgine procreatum. Enimvero negat ipse Christus Mariam esse matrem suam: nam ipsa interpellante, ut aquam in vinum verteret, tanquam fœminæ nullo sibi carnis vinculo conjunctæ respondit, *Quid mihi, & tibi est mulier?* Joannis II. 4. Cuidam ei dicenti, quod à Matre, ac fratribus suis inquireretur, inquit, *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Matth. XII. 48. Exclamante insuper pia muliere, *Beatus venter, qui te portavit*, inquit, *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, &c.* Ac demum in cruce moriturus stantem Virginem ita est allocutus, *Mulier, ecce filius tuus*; Joannis XIX. 26. Negat igitur Dominus se à Maria virgine generatum.

11. Respondetur. Resp. perperam hæc à Manichæis objici ad probandum Christum ex Virgine incarnatum non esse, & *ex ea factum, & natum*, uti expressum est in Scripturis paulo supra productis. Ad hæc vero, quæ opponunt, sit prior, ac generalis responsio tradita ab Augustino de Fide contra Manichæos cap. 23. aliquando Christum non appellasse Virginem nomine matris, *Quia exemplo suo docebat negandos esse terrenos parentes propter Deum. Opera enim divina facienti terrenos affectus obstrepere non debebant.* Deinde ad singula respondemus. Atque ad 1. dicimus Joannem eodem cap. 2. v. 1. 3. & 5. scribere Mariam fuisse Christi matrem. *Erat*, inquit, *mater Jesu ibi: Dicit mater Jesu ad eum: Dicit mater ejus ministris.* Itaque Manichæus *caveat ne cogatur credere Evangelistam fuisse mentitum, quia ait, Erat ibi mater Jesu: aut ipsum Christum falsa morte passum propter delicta nostra, & falsas cicatrices ostendisse propter justificationem nostram. Si enim falsa mater; falsa caro, falsa mors, falsa vulnera passionis, falsæ cicatrices resurrectionis*: ait Augustinus Tract. VIII. in Joan. num. 7. Respondet præterea idem S. Pater seq. num. 9. *Dominus Jesus Christus, & Deus erat, & homo: secundum quod Deus erat, matrem non habebat; secundum quod homo erat, habebat. Mater ergo erat carnis, mater humanitatis, mater infirmitatis, quam suscepit propter nos. Miraculum autem quod facturus erat, secundum divinitatem facturus erat, non secundum infirmitatem.* Quod profertur ex cap. XII. Matth. ita egregie refellitur à Tertulliano de Carne Ch. cap. 7. *Oro te, Apelles, vel tu Marcion, si forte tabula ludens, vel de histrionibus, aut aurigis contendens, tali nuntio avocareris, nonne dixisses, quæ mihi mater, aut qui fratres? Deum prædicans, & probans Christus, legem & prophetas adimplens, tanti retro ævi caliginem dispergens indigne usus est hoc dicto adpercutiendam incredulitatem foris stantium, vel ad excutiendam importunitatem ab opere revocantium?* Solvit idem Tertullianus quod objicitur ex cap. XI. Lucæ dicens in 4. contra Marcionem, Christum *felicitatem ab utero, & uberibus matris suæ transtuliisse in discipulos*: idque explicans magis Augustinus Tract. X. in Joan. num. 3. ita Christi verba interpretatur: *Mater mea, quam appellatis felicem, inde felix, quia verbum Dei custodit: non quia in illa Verbum caro factum est; sed quia custodit ipsum Verbum Dei, per quod facta est, & quod in illa caro factum est. Homines non gaudeant prole temporali, exultent si spiritu junguntur Deo.* Ultimum petitum ex cap. XIX. Joannis in adversarios retorquetur, tum quia ibidem v. 25. & 26. Evangelista demonstrat Mariam fuisse Christi matrem, dicens: *Stabat juxta crucem Jesu mater ejus: Cum vidisset ergo Jesus matrem;* tum etiam, quia Christus Virginem Joanni commendans agnovit *matrem moriturus, de qua fuerat mortaliter natus*, ut recte S. Pater Tract. CXIX in Joannem; quia *humana patiens, ex qua factus erat homo, affectu commendabat humano.*

Opp.

12. Objicitur 4. Opp. 4. Habuisse Christum cæleste, atque æthereum corpus, affirmat Apostolus in prima ad Corinth. cap. xv. 47. his verbis: *Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cælo cælestis.* Ut ergo corpus Adæ fuit terrenum, atque, ut appellat Tertullianus lib. v. contra Marcionem, *limaceum:* ita corpus Christi fuit spiritale, ac sidereum. Neque enim referri debent Apostoli verba ad corpus resurgentium, cum loqui ipsum de solo corpore Christi demonstrent Græci codices, qui habent, ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ὁ κύριος ἐξ οὐρανῦ, *Secundus homo Dominus de cælo.*

13. Respondetur Resp. revera Apostolum accipiendum de resurrectione, *in qua cælestis* homo erit, non quia corpus, quod de terra factum est, *non ipsum erit, sed quia dono cælesti jam tale erit, ut etiam cælo incolendo, non amissa natura, sed mutata qualitate conveniat.* Ita S. Pater lib. XIII. de Civit. Dei cap. 23. Hanc esse verissimam responsionem idem Augustinus demonstrat lib. XI. contra Faustum cap. 3. ex quo Apostolus præmittat v. 44. *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Verborum ergo, quæ objiciuntur, sensus est, primum homines habere corpus *animale*, ac morti obnoxium ob generationem ex Adam; at post resurrectionem corpus spiritale, & incorruptione donatum propter regenerationem in Christo. Quod attinet ad Græcam versionem respondet Bellarminus lib. II. cap. 27. fuisse à Marcione corruptam, quod probat etiam ex quinto adversus hunc hæreticum Tertulliani libro. Aegre hæc excipiunt hæretici, qui Græcum novi Testamenti Codicem Latino præferunt. Et tamen Erasmus ille, cujus judicium tanti faciunt, putat verbum κύριος *adscriptum à studioso*, probatque ex verborum antithesi lectionem Vulgatæ magis videri germanam. Idem censet cum aliis multis Vatablus. Ego minimum puto inter utramque lectionem, græcam, & latinam interesse discrimen: nec fortasse Marcion textum corrupit, cum similiter habeat Syriaca, & Arabica: quare idem est *secundus Adam*, ac *Dominus*, cujus imaginem portabit justus in corpore incorruptibili. Neque hinc consequitur corpus Christi fuisse cæleste; quoniam Apostolus locutus est de Christo post resurrectionem, quam antea diserte proponit dicens: *Tradidi enim vobis in primis quod & accepi: quoniam Christus mortuus est secundum Scripturas: & quia sepultus est, & quia resurrexit secundum Scripturas.* Vide Augustinum citato libro XI. contra Faustum cap. 3. Tandem affirmo Christum dici hominem cælestem, *quia Filius Dei de cælo venit ad carnem, qua suscepta, & homo exterius fieret, & Deus interius permaneret:* atque ita idem Augustinus libro adversus Faustum II. cap. 4. Hanc postremam responsionem confirmo ex ipsa, quæ opponitur, lectione Græca; nam hæc ubi legit Vulgata *cælestis*, habet tantummodo ἐξ οὐρανοῦ, *de cælo*, non refragante Syro, & Arabe interpretibus.

14. Objectioni 5tæ respondetur. Oppones ultimo: Si voluisset Filius Dei veram carnem suscipere, illam prorsus ex nihilo creasset. Resp. cum Augustino libro XXVI. contra Faustum cap. 7. Potuisse filium Dei humanam veramque carnem formare unde formavit primo homini: potuisse corpus cæleste, & aereum commutare in humanæ carnis verissimam qualitatem: potuisse ex nihilo verum corpus producere: sed tamen ex Maria Virgine natum Christum, & verè natum, vere mortuum, ut scriptum est in Evangelio. Summa hujus consilii penes illum est. *Sive quia utrumque sexum, quem creaverat, etiam hoc modo commendandum honorandumque judicavit, assumendo formam viri, & nascendo de fœmina, sive aliqua alia causa: quænam illa sit, non temere dixerim.*

CAPUT III.

De Christi Genealogia à Matthæo, & Luca Evangelistis conscripta.

SUMMARIUM.

1. Genealogiam Christi explicat Augustinus.
2. & Julius Africanus.
3 & 4. Aliorum explicationes.
5 & 6. adducitur, & refellitur illatio Basnagii.
7. Enervantur argumenta criticorum.

NON solum Manichæi, de quibus supra, verum etiam Porphyrius, Celsus, Julianus Apostata, aliique Christianæ Religionis hostes Christi genealogiam evertere conati sunt, propterea quod diversa ratione illam contexuerint Mat-

Matthæus in primo Evangelii capite, & Lucas in tertio. Sed duorum Evangelistarum discrepantiam immerito adversus nos urgeri facile demonstratur ex diversorum Auctorum, quam nunc subjicimus, expositione.

1. Explicat Genealogiam Christi S. Augustinus.

Prima est, quam olim tradidit Augustinus libro II. de Consensu Evangelistarum cap. 3. & libro III. contra Faustum cap. 3. & seqq. Josepho duos fuisse patres, unum natura, id est Jacob, alterum adoptione, id est Heli. Quamquam vero S. Pater perlectis postea libris Julii Africani præposuit in II. Retract. cap. 7. & 16. sententiam alteram, de qua proxime dicturus sum; expedita est tamen ad omnem contradictionem tollendam, atque etiam probabilis prior hæc Augustini expositio, quam nec penitus retractavit. Enim vero quod filii etiam adoptione dicantur, demonstrat idem Augustinus ex cap. XLVIII. 5. Genes. ex verbis Jacobi ad Joseph: *Duo ergo filii tui, qui nati sunt tibi in terra Aegypti antequam huc venirem ad te, mei erunt: Ephraim, & Manasse, sicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi.* Accedunt haud leves conjecturæ: prima quidem, quia in tota majorum serie utitur Matthæus verbo ἐγέννησε, *genuit*, quod Lucas prætermisit, ideoque Matthæus significat Jacobum esse Patrem Josephi generatione, ac natura, filium vero Heli adoptione, etiamsi aliquo sensu filii quoque adoptivi geniti appellantur, id est, geniti charitate, non carne. Deinde Matthæus scribens Evangelium Hebræis debebat demonstrare quomodo Christus ex Abrahamo, & Davide, quibus fuit promissus, prognatus revera sit; ideoque ab Abrahamo consultò texit generationem: Lucas contra scribens Evangelium gentibus in Christi hæreditatem adoptandis, etiam patres adoptionis commemorat, & genealogiam perducit usque ad Adam, qui fuit Dei, ut ostenderet Redemptorem pro omnibus hominibus advenisse. Ob eandem forte causam narravit Matthæus Christi generationem initio Evangelii, ac de partu Virginis sermonem instituturus, & Lucas narrationem hanc distulit ad Christi manifestationem, atque baptismum, quamdam veluti parasceven Ecclesiæ ex Gentibus congregandæ. Si quis igitur planam hanc viam tenere velit, objicientibus Matthæi à Luca dissonantiam respondere potest cum eodem Augustino, *duos patres habere potuisse Joseph, unum à quo genitus, alterum à quo fuerit adoptatus.*

2. Alia explicatio affricani.

Altera Julii Africani sententia est, Joseph fuisse natura filium Jacob, lege autem filium Heli. Docet enim Africanus in Epist. ad Aristidem apud Eusebium H. E. lib. 1. cap. 7. Mathan à Salomone prognatum genuisse Jacob, quo mortuo Melchi à stirpe Nathan profectus ab ea, quæ uxor erat Mathan, procreavit Heli. Uterini ergo fratres erant Heli, & Jacob. Heli absque prole moriente Jacob illi semen suscitavit, & genuit Joseph, natura sibi ipsi, lege autem Heli. Dicitur autem Joseph lege filius Heli, ex præscripto Deut. XXV. 5. *Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui.* Reddit vero hanc sententiam valde probabilem. I. antiquitas Auctoris, qui vixit ducentesimo ac vicesimo post Christum anno. II. Quia attestatur Africanus se de his sermonem habuisse cum viris, qui etiamnum supererant ex Domini cognatione. III. Quoniam Augustinus ait in II. Retract. cap. 7. hoc in eorum literis contineri, *qui recenti memoria post ascensionem Domini de hac re scripserunt.* IV. Quia hæc opinio à Patribus communiter recepta est: ideoque videtur ob antiquitatem, ac sui, ut ita dicam, possessionem cæteris præferenda. Patitur tamen Africani sententia gravissimas difficultates, ac duas præsertim. Prima est, quod Africanus Melchin statuit tertium à Joseph, cum intermedii sint Mathat, & Levi: altera, quia si Jacobus sine liberis functus erat, prolem ei gignere debebat consanguineus, & proximus ejusdem stipitis, non uterinus. Sed ad primam respondemus Africanum prætermisisse intermedias illas generationes, quas certum est in omnibus Codicibus non extare, cum Irenæus lib. III. cap. 33. ab Adam ad Christum connumeret secundum Lucæ genealogiam generationes LXXII. non LXXV. tribus prætermissis, his scilicet duabus, & Cainan inter Arphaxad, & Salam. Quare nil mirum, si Africanus posuerit pro nepote proavum: aut respondemus Mathat fuisse binomium, & etiam Melchi nomine appellatum. Ad alteram vero objectionem, quam plurimi faciunt Grotius in Caput III. Lucæ, & Basnagius Tom. 1. Annal. pag. 89. respondeo stirpem Davidis, quæ per Salomonem, & Nathan divisa fuerat, iterum in Zorobabelem fuisse conjunctam, ut constat ex cap. 1. Matth. v. 12. & ex III. Lucæ v. 27. ac iterum sejunctam per Resam, & Abjud filios Zorobabelis, & unitam postea in Mathat Josephi

avo;

avo; ideoque Heli prognatus ex Nathan, & Abiud, non solum fuisse fratrem Jacobi uterinum, sed etiam ex stirpe Davidica proximiorem.

3. Iterum alia explicatio.

Tertia sententia huic opposita est, Heli fuisse patrem Josephi naturalem, & Josephum dici à Matthæo filium Jacobi ratione hæreditatis: cujus fulcra sunt, quæ sequuntur. I. Certum est Jechoniam nullos genuisse liberos ex comminatione divina, Jeremiæ XXII. 30. cum igitur Matthæus scribat Jechoniam genuisse Salathielem, & Lucas hunc dicat filium Neri, videtur à priori Evangelista respici jus successionis, ab altero autem jus sanguinis. II. Lucas longe plures generationes enumerat; nam inter Salathielem, & Josephum Matthæus decem, Lucas novem decim recenset: & Matthæus præterea tres hæredum classes distinguit, in quarum prima inter Joram & Oziam omittit Ochoziam, Joam, & Amasiam, consulens ordini memoriæ causa instituto, & silentio transmittens generationes aliquot, ut faciunt, qui de sola successione juris loquuntur. III. Matthæus generationes incipit ab Abraham, cui promissiones factæ sunt; Lucas ab Adam naturali omnium protoparente; ideoque hic generationes naturales contexit. Verum ad hæc argumenta, quæ urget Grotius in Comment. ad 3. caput Lucæ, respondeo Jechoniam non genuisse filios regni hæredes, idque à Jeremia prænuntiatum; genuisse tamen Asir, & Salathielem, ut liquet ex 1. Paralip. III. 17. nihilque referre, quod Matthæus generationes aliquas prætermittat, cum Ozias, sive Azarias, sit non solum successione juris, sed etiam sanguinis filius Joram, etiamsi ex Amasia immediate sit genitus: ab Abrahamo demum Matthæum subducere Christi generationem, Lucam ab Adam, quod ille Hebræis, iste Gentibus principaliter scripserit. Hæc itaque opinio minori nititur, quam superior, auctoritate.

4. Alia aliquorum opinio.

Quarta opinio est, quam sequuntur Erasmus, Vossius, Basnagius, & recentiores quamplurimi, Matthæum describere genealogiam Christi ex Josephi proavis, Lucam vero genus Mariæ, ita ut Heli fuerit pater Virginis, socer Josephi, & avus Christi. Nec repugnat, inquiunt, de Joseph dici *Qui fuit Heli*, tum quia gener appellatur filius, ut probat Vossius de Christi Genealog. IV. 3. ex cap. 1. Ruth sæpius vocatæ Noemi filiæ, cum esset nurus; tum etiam, quia verba Lucæ, *Ut putabatur filius Joseph, qui fuit Heli*, videntur referenda ad Jesum, ut sensus sit, putabatur filius Joseph, cum esset filius Heli, id est Virginis filiæ Heli. Sed hæc opinio cæteris mihi videtur infirmior; nam etiamsi generi filii revera dicantur, incredibile est Lucam ea simplici phrasi τοῦ Ἡλι, *qui fuit Heli*, qua in tota illa generationum serie utitur ad filios designandos, voluisse nullo apposito signo discriminis generum demonstrare. Minus etiam credibile est ea verba τοῦ Ἡλι referri ad Christum, cum immediate præcedat *Joseph*, neque præcedat Ἦν δὲ, *fuit autem*, aut similis phrasis opposita verbo ἐνομίζετο, *putabatur*. Addo Heli defunctum fuisse absque liberis ex allato testimonio Africani, & ex Joanne Damasceno lib. IV. de fide Orthodoxa cap. 15. quod licet non possit invicte demonstrari, nequit tamen aut auctoritate, aut ratione refelli. Cum itaque prior sententia, quæ olim fuerat Augustini, sit ab eodem fere retractata, tertia autem, & quarta repugnet Patribus, nec satis valido nitatur præsidio; restat ut teneamus opinionem secundo loco propositam, & dicamus Josephum natura filium Jacob, lege autem filium Eli, atque hoc pacto Manichæorum, atque aliorum Infidelium objectionem repellamus.

Appendix.

5. Illatio Basnagii.

Samuel Basnagius ex hac postrema sententia infert falsam esse traditionem quod Mariæ parentes fuerint Joachim, & Anna. *Hinc cantata*, inquit, *traditio refellitur, quæ non Eli, sed Joakimum patrem Virginis dicit, repugnante Scriptura.* Utitur eodem argumento Hyacinthus Serry Exercit. de Christo XVIII. num. 4. his verbis: *Certe quotquot Christi genealogiam à Luca descriptam Cap. 3. per Mariæ progenitores ductam existimant, (existimant autem bene multi) Deiparæ patrem Heli dictum opinantur.* At Joakimum fuisse patrem Virginis nos affirmamus, hanc ipsam de Genealogia progenitorum Mariæ sententiam rejiciendo. Porro Joakimum parentem Virginis facit non solum Damascenus lib. IV. Fidei Orthodoxæ cap. 15. verum etiam Epiphanius H. LXXVIII. & LXXIX. & Romana Ecclesia in Martyrol. XII. Kal. Aprilis, necnon Græci in Menologio die IX. Septembris. Erat autem juxta Damascenum Joakim filius Barpantheris, filii Pantheris fratris Melchi, ita ut Jannes, de quo Lucas III. 24. genuerit Melchi, & Pantherem, Panther Barpantherem, Barpanther Joakim, Joakim Mariam: Melchi autem genuerit Levi, Levi Mathat, Mathat Heli patrem lege Josephi; atque ita Joseph, ac Maria fuerunt ex

ex eadem agnatione, ac stirpe Davidica. Lubentius in hanc sententiam descendo, quod Celsus Epicureus, apud Origenem libro 1. adv. eundem Celsum, Christum appellavit *Filium Pantheris*, quam opinionem hausit à Judæis idem asserentibus in Thalmud cap. XII. *Sabat*, quod opinor, glorioſissimum Virginis sponsum, quem putant concubuisse cum Maria, non proprio clarissimoque nomine, sed avi, familiæque distinxerint. Atque ita conveniunt omnia, Josephum fuisse filium Heli lege, Mariam filiam natura Joakim, ambo autem conjuges, propinquos sanguine, atque ex eadem tribu.

6. Refellitur. Sed ad refellendum Basnagium, & Serryum ipsa quoque eorum opinio defervit. Detur enim Mariam fuisse filiam Heli, & à Luca Mariæ progenitores recenseri. Atqui Heli, & Joakim idem omnino sunt, non mystica significatione, vel nominis pluralitate, ut idem Serry scribit Exercit. XLII. 5. sed nomine propriissimo, ac singulari. Joakim enim idem omnino est, ac Eliakim: nam liquet antepenultimum Regem Judæ, quem constat dictum Eliakim, appellari Joakim IV. Regum XXIII. 34. & 2. Paralip. XXXVI. 4. & Pontifex, qui Judith. IV. 5. appellatur Eliakim, cap. XV. 9. nominatur Joakim. Joakim ergo, & Eliakim idem omnino sunt. At Heli est ipsum nomen Eliakim contractum, ut demonstrat Vossius Dissert. de Gen. Ch. cap. IV. 4. & Erasmus ad III. Lucæ. Idem ergo nomen sunt Heli, Eliakim, & Joakim, & Basnagius, ac Serryus ex suismet principiis refutantur. Nec tamen sequitur veram esse horum opinionem, & à Luca referri genus Mariæ, non Josephi: cum enim uterque essent iisdem atavis prognati, potuerunt etiam habere parentes ejusdem nominis, & qui proinde distinguerentur, attributo uni nomine contracto *Heli*, alteri nomine integro *Joakim*.

7. Argumenta Criticorum. Verum Critici alias argumentationes producunt ad probandum nomina Genitorum Deiparæ incerta esse; illasque urget ipse Serryus. Prima est, quod Hieronymus cap. 7. contra Helvidium existimat Mariam Cleophæ sororem Deiparæ, dictam non à marito, sed à patre, ideoque Cleophas, non Joakimus erat Pater Virginis. Sed hæc nimis levis est, atque inepta. Primo enim repugnat sententiæ, quam probabiliorem putat ipse Serry, narrari à Luca generationem Mariæ, & hanc filiam fuisse Heli. Si enim Heli quomodo Cleophæ? Deinde Hieronymus non illud vult Mariam denominatam à patre proximo, sed ab eo, qui familiæ nomen tribuerit; nam ait, *A patre, sive à Gentilitate familiæ.* Altera argumentatio est, quod Augustinus lib. XXIII. contra Faustum cap. IX. ait: *Quod de Generatione Mariæ Faustus posuit, quod patrem habuerit ex tribu Levi Sacerdotem quemdam nomine Joakim: quia canonicum non est, non me constringit.* Sed sciendum est, quemdam Manichæum, Seleucum nomine, ut refelleret caput primum Matthæi vulgasse apocryphum quamdam scripturam de Generatione Virginis ex tribu Levi, non ex tribu Juda. Negat itaque Augustinus patrem Virginis fuisse quemdam *Joakimum ex Tribu Levi*, non negat fuisse *Joakimum ex tribu Juda.* Verum est tamen quod Augustinus addit: *Sed etiamsi hoc crederem, ipsum potius Joakim dicerem aliquo modo ad David sanguinem pertinuisse, & aliquo modo ex tribu Juda in tribum Levi fuisse adoptatum, vel ipsum, vel aliquem ejus progenitorem.* Quibus videtur Augustinus dubitare an pater Deiparæ dictus sit Joakim: sed non ita est; planus enim, & expeditus horum verborum est sensus, etiamsi crederem Joakim in antiqua Scriptura dici Levitidem, existimarem pertinuisse ad tribum Levi adoptione, non sanguine. Quare Augustinus de progenie Mariæ disputat, de nomine autem patris ejus nihil penitus. Postrema argumentatio est, quod usque ad undecimum sæculum adeo dubia fuerint nomina genitorum Deiparæ, ut Petrus Damiani Serm. III. de Nativitate Virginis invehatur in illos, qui hæc nomina *studio superfluæ curiositatis inquirunt.* Sed in oppositum nos producimus Epiphanium in Hæresi Andicomarianitarum, & Collyridianorum, & dicimus Petrum Damiani locutum adversus illos, qui seriem progenitorum Mariæ probabant ex apocryphis scriptis, qualia sunt citatus liber Seleuci, & quæ antea Gnostici ediderant *de stirpe Mariæ.* Horum tamen nullam habuit rationem Epiphanius, nam librum *De stirpe Mariæ* H. XXVI. quæ est Gnosticorum, appellat πεπλασμένα γραφεῖα, *scripta commentitia*, ubi autem scribit parentes Deiparæ fuisse Joakimum, & Annam, addit ita παραδόσεις ἔχειν, *traditiones habere.* Standum ergo vulgatæ apud nos sententiæ, sic revera appellatos Mariæ semper Virginis Genitores.

De Beata Anna hoc tantum novi, à pluribus dici filiam Gaziri ex tribu Juda, & ex Judææ oppido Bethlehem: at ejus patrem fuisse Mathat sacerdotem scribit Nicephorus lib. II. cap. 3. qui & laudat antiquum scriptorem Hippolytum Portuen-

tuensem. Illud tandem animadverto non probari quod nomina Joakim, & Annæ sint suppositâ, ex quo unum *Præparationem Domini*, alterum *Gratiam* significet; nullum quippe nomen proprium significatione sua caret: atque duo præfata nomina fuerunt aliis ex Judæorum gente communia.

CAPUT IV.

An in Genealogia Christi à D. Luca descripta nomen Cainan insitum sit, atque expungendum?

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Propositio prima cum suis demonstrationibus.
3. Propositio 2da cum suis probationibus.
4 & seqq. Solvuntur quædam in contrarium argumenta.

1. Status quæstionis.

PROBLEMA Chronologicum, atque fere inextricabile proponimus de Cainane posito ab Evangelista Luca cap. III. 36. inter Arphaxad, & Sale, de quo cum non sit in Cap. X. & XI. Genes. in Hebræis, Latinisque Codicibus, eoque appositio videatur perturbari tota Chronologia Patriarcharum, quæritur an redundet in Evangelio, an desideretur in Genesi. Scriptorum atque Interpretum sententiæ sunt omnino discrepantes ac variæ. Nam aliqui contendunt falsatos esse libros veteris Testamenti à Judæis, ut seriem temporum immutarent, neque Messiæ adventus posset certa annorum supputatione deprehendi. Quidam econtra intrusum esse contendunt in Lucæ Evangelium, neque inscriptum sive ab Evangelista, sive à LXX. Int. in X. Geneseos, quam sententiam omnes fere Critici recentiores amplectuntur. Nonnulli & à Septuaginta positum, & à Luca, qui LXX. secutus est vere scriptum, nec tamen novum Testamentum pugnare cum veteri Hebraico, atque hæc postrema sententia cum explicatu difficilis sit, diversa ratione à suis auctoribus expeditur, asserentibus aliis Moysen consulto generationem Cainanis prætermisisse, ut certas servaret decades, aliis Sale, & Cainan eandem esse personam, aliis modeste cum Venerabili Beda in cap. 3. Luc. affirmantibus incompertum esse quid verum sit, cum etiam LXX. vetus Testamentum adornaverint divino Spiritu afflante.

2. Propositio I. cum suis demonstrationibus.

PROPOSITIO I. Hebræi non abraserunt generationem Cainanis ex cap. X. Gen. 24. & ex cap. XI. 12.

Demonstratur primo, quoniam omnes Hebraici Codices hanc *Cainan* generationem omittunt: atque omnino incredibile est, Hebræos cujuslibet perversitatis, vel malitiæ tantum potuisse, ut Codices tam multos; ac tam longe dispersos corrumperent, ut cum Augustino diximus lib. XI. cap. 7. Insuper cum immaculata adhuc sint vaticinia de Christo, eaque Judæi minime violaverint, multo magis tenendum est illos citata loca Geneseos non depravasse. Enimvero certis signis adhuc in Scriptura expressis adventus Messiæ prænuntiatus est, neque præcise annus mundi, quo venturus erat, alicubi designatur. II. In nulla antiqua Bibliorum versione, si Græcam excipias, Cainan adinvenitur, non in paraphrasi Jonathanis, vel Onkelosii, non in Codice Samaritano, non in Syriaco, non in Arabico, ut liquet ex libris Regiis, & Waltonianis Tom. I. pag. 40. & quod præcipuum est, desideratur etiam in Vulgata nostra Hebraico textui in Patriarcharum generatione, & chronologia exacte concordi. III. Omittit *Cainan* S. Hieronymus Quæst. in Genesim, & Epistola ad Evagrium, ubi Patriarcharum tractat genealogiam. Omittit Josephus lib. I. Antiq. cap. VII. omittit Berosus ab ipso Josepho productus: omittit Eusebius Cæsarienſis in Chronico, tam in supputatione annorum juxta textum Hebraicum, quam juxta Samaritanum, & Græcum: ommittunt denique Scriptores alii, atque Patres quamplurimi. IV. Historici omnes tam profani, quam sacri concordissime scribunt vixisse Abrahamum decima post diluvium generatione. At non decima, sed undecima vixisset, si connumeraretur generatio *Cainanis* inter Arphaxad, & Sale. V. Neque in primo libro Paralip. cap. I. 18. fit Cainanis mentio aliqua, quamquam hoc in libro prætermissa colligantur, & singulatim supputentur generationes: unde derivatum est nomen *Paralipomenon*, videlicet, *prætermissorum*. Assentiuntur huic propositi-

tioni, & hæc argumenta proponunt Natalis Alex. Hist. Eccl. vet. Testam. Aet. II. differt 4. Serry Exercit. XLIII. Grotius in cap. III. Lucæ, Usserius in differt. de Cainan, Cornelius à Lap. & Pererius in Genesim, Possinus de Genealog. Ch. cap. 9. Petavius lib. IX. de Doctrina Temp. cap. 17. Gerardus Vossius in dissert. v. Chronologica cap. 2. Innumeri denique Scriptores cujusque ordinis, ac Religionis.

3. Propositio 2. cum suis probationibus.

PROPOSITIO II. In Evangelio Lucæ Cainan insitus non est, & per errorem appositus, sed revera ab Evangelista scriptus, atque autographus.

Hæc propositio, quæ videtur repugnans præcedenti, ideoque à Criticis impugnatur, potest tamen cum illa concordare, & nullo certo argumento refellitur, probatur I. Perperam dicitur ex genealogia Salvatoris *Cainan* expungendus, si extet etiam in Versione Græca quam secutus ubique est Lucas Evangelista. At in versione Græca revera *Cainan* locum habet cap. x. Genes. v. 23. & cap. XI. 12. nec non in 1. Paralip. 1. 17. 26. Igitur non est *Cainan* expungendus à Christi genealogia. II. Septuaginta revera posuisse Cainanis generationem liquet ex innumeris Græcis exemplaribus hactenus per multa sæcula mire conspirantibus, & ex Romana Sixtina editione ad fidem antiquissimorum Codicum exacta: ex vetustissimo MS. Alexandrino, in quod Adnotat. edidit Junius, postremo Volumine Bibl. Waltonianorum, ex MSS. Oxonienſibus; ex emendatissimis Edit. Complutensi, & Aldina. III. Nunquam Patres de hac re dubitarunt. Ex Græcis enim solus Epiphanius κατὰ μελχισεδεκιανῶν *Cainan* omittit enarrans Christi Genealogiam; nam quod illum in ætate Patriarcharum non enumeret Theophilus Antiochenus, Julius Africanus, & Eusebius, parum refert, ut postea explicabo. Ex Latinis autem Cainanis generationem scriptam à Luca agnoscit Ambrosius, Beda, Hieronymus, alii. IV. Laudatus Hieronymus Quæst. in Genes. affirmans Lucam inseruisse Cainan, propterea quod scribens gentibus non debebat *contrarium aliquod scribere adversus eam Scripturam, quæ fuerat in gentibus divulgata*, tanquam indubitatum supponit extitisse Cainan etiam in Græca illa veteris Testamenti versione, quæ obtinebat Apostolorum ætate. V. Invictum Critici reputant argumentum, quod probent in vetusto Hebræorum Codice veteris Testamenti locum non habuisse *Cainanem*, quoniam nec extat in antiqua alia versione, si Græcam excipias. At valet etiam de textu Lucæ similis argumentatio, quoniam *Cainanem* habet Genealogia à Luca descripta in omni prorsus versione, in Vulgata, in Græca, in Persica, in Arabica, in Æthiopica, ut liquet ex Bibl. Regiis Tom. v. pag. 252. & Walton. Tom. 5. p. 264. similiter in Complutensibus, & in Hebraica Romæ excusa anno 1668. VI. Tandem Vulgata Tridentini Concilii decreto authentica declarata est, & licet ejus auctoritati minime officiant leviora hujus generis menda, ut sentiunt viri Catholici, temere tamen dicitur scatere erroribus, ubi non occurrat apertissima demonstratio. Quamobrem censeo à doctis viris, qui mandante Romanæ Ecclesiæ Pastore corrigendæ Vulgatæ insudarunt, recte *Cainanem* non fuisse insertum veteri Testamento ob antiquorum Codicum concordantiam: recte quoque ob eandem rationem non fuisse expunctum à novo, & utrobique esse Vulgatam, qua utimur, immaculatam.

SOLVUNTUR QUÆDAM IN CONTRARIUM ARGUMENTA.

Oppones 1. Debemus necessario unum vel alterum fateri, aut mendum irrepsisse in Hebraicos, ac Latinos Codices V. T. aut in Evangelicum Lucæ textum; cum interposita generatione Cainanis, corruat Vulgatæ, & Hebraicæ lectionis Chronologia. Atqui hæc à nobis defenditur lib. XI. cap. 7. nec non probatur præcedenti propositione veritas Vulgatæ & Hebraicæ Scripturæ. Est ergo ab Evangelico textu Lucæ generatio Cainanis detrahenda. Resp. nego majorem. I. Quia etiamsi inter Hebræos, Græcosque Codices magna sit annorum discrepantia; exorta hæc est, ut Augustinus scribit lib. XV. de Civit. Dei cap. 13. non malitia Judæorum, aut errore Interpretum; sed potius Scriptoris, qui primus omnium ex Bibliotheca Ptolomæi codicem describendum accepit. II. Ex quo fateamur errorem in Chronologica Græcorum librorum supputatione, non sequitur etiam nomen *Cainanis* fuisse insitum fraude Scriptoris; quoniam, ut animadvertit Genebrardus in Chronico ad annum M. 1659. potuit Arphaxad generare Cainan anno ætatis suæ XVIII. & Cainan generare Sale anno XVII. atque ita posita etiam generatione Caina- 4. Objectio 1. cum Respons.

Cainanis cum LXX. & cum Evangelista defenditur, quod Sale genitus sit anno XXXV. Arphaxad, ut habent Codex Hebraicus, & Vulgata. III. Etiamsi *Cainan* quoque non extaret in authographo scripto Alexandrino, ut contendit Usserius, erat tamen in Versione communi, quæ obtinebat temporibus Apostolicis, ut idem Usserius demonstrat ex Demetrio apud Eusebium lib. IX. Præp. Evangelicæ, ubi connumerantur ab Adam usque ad descensum Jacobi in Ægyptum anni 3624. in quibus manifesto continentur anni Cainanis CXXX. Atque hinc viri docti complures tenent Cainan utique non fuisse à LXX. Interpretibus positum, fatentur tamen extitisse in Versione, qua utebantur Judæi etiam ante Christi tempora: ideoque Lucas, ut scribit Hieronymus, 'noluit *Cainan* prætermittere, *adversus eam Scripturam, quæ fuerat in gentibus divulgata:* quemadmodum Act. VII. 14. ait ingressas in Ægyptum animas *septuaginta quinque*, juxta eandem Græcam, vulgatamque lectionem, etsi in Genes. XLVI. 27. dicantur animæ tantum septuaginta.

5. Objicitur 2.

Opp. 2. Asseritur Cainanem appositum à D. Luca, quoniam is secutus est versionem LXX. Interpretum. At in antiqua LXX. Interpretum versione *Cainan* non extitit. Itaque nec à D. Luca fuit appositus. Probatur mi. I. Quia Philo Judæus, Julius Africanus, Irenæus, Epiphanius, & alii, qui chronotaxim LXX. Interpretum sequuntur, annos Cainanis omittunt. II. Idem evincunt Chronicon Eusebii, & monimenta alia, de quibus in præcedenti propositione. III. Idem liquet ex Origenis Hexaplis, & ex tertio libro Theophili Antiocheni ad Autolycum. IV. Desiderari *Cainan* in editione Romana Carafæ, & in Emendationibus Græcis scribunt Massæus, Pererius, & Vossius. V. Neque nunc extat *Cainan* in omnibus Græcis Codd. primo capite Paralipomenon, ut inquit citatus Vossius in Isagoge Chronolog. p. 17. & Grotius in III. Lucæ.

6. Respondetur.

Resp. 1. nego consequentiam; quamvis enim detur LXX. *Cainanem* omisisse, potuit illum Lucas inserere secutus Græcam versionem communem ac divulgatam. Deinde respondeo negando minorem, cum revera LXX. *Cainanem* inscripserint, ut ex innumeris MSS. mirifice conspirantibus, ex omnibus Lucæ versionibus, atque ex ampliori Patrum numero comprobatur. Ad primam vero minoris probationem concedo Philonem, Julium Africanum, aliosque Græcam sequi Chronologiam, atque hanc etiam ab Hebraica discrepare, sed potest Cainan interponi inter Arphaxad & Sale, salva etiam Hebraica supputatione. Quod si tenere velimus opinionem Armachani, aliam fuisse Græcam versionem diversam ab ea, quam adornarunt Interp. LXX. illamque repositam in Bibliotheca Cleopatræ, dicemus Philonem, aliosque perpaucos hanc fuisse secutos. Id vero de Patribus Catholicis majori probabilitate affirmatur; quoniam etsi concedatur Valesio in Annot. Euseb. pag. 307. & seqq. falsam esse Usserii de duplici Græca Translatione sententiam; negari non potest, quin circa Origenis tempora plures obtinuerint Versiones Græcæ, ut liquet ex ejus Tetraplis. Hieronymus in Epist. ad Suniam & Fretellam Tom. 2. pag. 627. aperte distinguit versionem communem & Lucianæam, ab illa, quæ extabat in Origenianis Hexaplis, feliciter à se in Latinum sermonem conversa, & decantata in Hierosolymitana, & Orientalibus Ecclesiis. Addit communem illam dictam à plerisque Luciani, *pro locis, & temporibus, & pro voluntate Scriptorum veterum fuisse corruptam.* Similiter in Præf. ad lib. Paralip. Tom. 1. pag. 1022. scribit Alexandriam & Ægyptum in LXX. suis Hesychium laudare auctorem, Constantinopolim & Antiochiam probare Luciani Martyris exemplaria, & medias inter has provincias Palestinæ legere Codices ab Origene elaboratos, atque ita universum orbem hac inter se varietate compugnare. Oportet ergo ut Adversarii demonstrent, à Patribus qui Cainanem omiserunt, fuisse perlectam solam Versionem LXX. Interpretum immaculatam, non communem, & Lucianæam. Ad 2. ac 3. primum opponitur idem Eusebius de Præp. Evangelica IX. cap. 21. ubi ex Demetrio & Polyhistore in supputatione priscorum annorum etiam annos Cainanis includit. Deinde dicimus Eusebium, & Pamphilum secutos Origenem, qui inter se pugnantia exemplaria permiscuit, & in ipsa Versione LXX. quam Hieronymus in Epist. ad Suniam, & Fretellam vocat incorruptam, & immaculatam, apposuit etiam editionem Theodotionis, quod idem Hieronymus Præf. ad lib. Paralip. magnæ tribuit audaciæ. Nihil itaque certi ex Origene, & Eusebio inferre possumus. Perpaucis Versionibus cit. num. 4. & 5. opponimus innumeras alias, ac vetusta MSS. de quibus supra; omnesque Versiones Lucæ, eam quoque, quam ad fidem Græcorum Codicum emendavit Hieronymus. Fortassis

versio

versio librorum Paralipomenon, in qua desideratur *Cainan*, aut est Græca communis, aut saltem interpolata. Verum desideratur in perpaucis Codd. atque in his etiam, quæ non habent Cainan in Paralipomenis, extat in Genesi; neque hi cum aliis Codicibus numero, vel antiquitate comparandi.

7. Objicitur 3. Opp. 3. Si Moyses Cainanem prætermisit, quomodo LXX. Interpretes illum intrudere potuerunt? Deinde generatio Cainanis, aut fuit Moysi nota, aut non: si nota fuit, eccur eam omisit? Si illam ignoravit, unde scire potuerunt Græci Interpretes? Hi ergo Cainanem non apposuere, ideoque nec Lucas, quemadmodum ex Codice Cantabrigensi docti quidam Critici demonstrarunt.

8. Respondetur. Resp. 1. non consequi prætermissum à Luca Cainanem, quod neque illius meminerint LXX. potuit enim etiam Apostolorum ætate irrepsisse in Græcam apud Gentes divulgatam versionem, quam auctore Hieronymo provide Evangelista secutus est. Codex autem Cantabrigiensis neque parem habet cum innumeris aliis auctoritatem, neque tantæ est, ut arbitrabatur Theodorus Beza, antiquitatis, neque demonstrari potest, quin illum ad variantes Græcas Vet. Testamenti Versiones sciolus Amanuensis corruperit. Præterea respondetur, nec invicte demonstrari quod LXX. Cainanem omiserint. Quamquam enim non extaret in Hebraicis Codicibus, potuerunt Septuaginta, qui non tam fuerunt Interpretes, quam paraphrastæ, illum addere ex certa traditione, vel ex libris Genealogiarum apud Judæos asservatis. Moyses vero Cainanem prætermisit, vel ut generationum seriem usque ad Abrahamum in certas decades distribueret, vel ob aliam nobis incompertam rationem. Ita enim Matthæus cap. 1. plures generationes omisit, sive numerare voluerit per *tessaradecades*, ut fert communis opinio, sive prætermiserit natos ex fœmina gentili, ut scribit in Matthæi cap. 1. Hilarius. Cæterum aut LXX. Cainanis meminerint, aut non, aut per errorem in græcam versionem irrepserit, aut ei accesserit ex legitimis monumentis; si extabat in codicibus per orbem sparsis, recte illum Lucas apposuit, ne in re parva, atque ad fidem nullatenus pertinente suo dissensu turbaret nascentem Ecclesiam, ut ex Catholicis defendunt Sixtus Senensis, Steuchus, Genebrardus, Jansenius: ex aliis Franciscus Junius in Anal. Genesis, & in Parallelis.

Nota quod opinio asserentium Cainanem esse binomium, aut fratrem Arphaxad, vel Sale defendi non potest; nam Codices in quibus Cainanis fit mentio, tres aperte generatione distinguunt; legitur enim in Græcis cap. x. Genesos 23. *Et Arphaxad genuit Cainan, & Cainan genuit Salam.*

CAPUT V.

Expediuntur nonnullæ circa Christi corpus quæstiones.

SUMMARIUM.

1. Error Hæreticorum.
2. Corruptio est duplex.
3. Christi corpus in aliquo sensu fuit corruptibile.
4. In alio sensu incorruptibile.
5. Constans membris humanis.
6. 7. & 8. Quàm speciosa fuerit corporis Christi forma.
9. & 10. Solvitur proposita objectio.

DE CHRISTI corpore, quod revera ex Virgine assumptum adversus Phantasiastas demonstravimus, quærunt Theologi an corruptibile dicendum sit, an membris omnibus, ac sanguine, nostrorumque corporum proprietatibus fuerit coagmentatum, atque elegantem formam habuerit, vel deformem potius & despicabilem.

1. Error Aphthartodocitarum. Circa priorem quæstionem fuit olim hæresis Aphthartodocitarum, & Severitarum, ut appellatur à Nicephoro Callisto lib. XVII. H. E. cap. 28. qui à Juliano Halicarnasseo, & Gaino Eutychianæ sectæ progressi sub pietatis prætextu persuadere conati sunt fuisse assumptam ex Virgine carnem ante passionem incorruptibilem. Hoc errore correptos scribit idem Historicus præclaros viros, qui honores ac magistratus gesserunt, primarios Hierarchas, Monachos vita illustres, atque ipsum etiam Imperatorem Justinianum. Hunc vero non solum tali opinioni plurimum adhæsisse, verum etiam voluisse per vim cogere omnes ubique Episcopos, ut eidem assentirentur, quamquam hi respondentes expectandam sententiam Anastasii Episcopi Antiochensis, Imperatoris impetum declinaverint, narrat etiam lib. IV. cap. 39. Evagrius.

As

At Imperator, quemadmodum inquit eo loci Callistus, falsæ adhæsit opinioni, *non altius dogma tale investigans, sed verbi ipsius* (corruptionis) *significationi acrius insistens.*

2. Corruptio dupplex.

Sciendum est autem *corruptionis* vocabulum duplicem habere sensum, quo explicato finita est controversia. *Corruptio* enim alia est, per quam anima à corpore divellitur, atque corpus ipsum subjicitur alterationi, unde fames, sitis, fatigatio, angor, & cæteræ passiones hujusmodi exoriuntur. Alia autem est *corruptio*, per quam corpus in elementa, ex quibus compositum est, dissolvitur, ac tabe macieque inquinatur.

3. Christi corpus fuit corruptibile, in aliquo sensu.

Itaque dicimus juxta priorem significationem Christi corpus fuisse corruptibile, quemadmodum ex Scripturis, ex Patribus, atque ex ratione potest facile demonstrari. Nam Matth. IV. 5. legimus esuriisse, Joan. IV. 6. fatigatum fuisse ex itinere, Marci XIV. 33. cœpisse pavere, & tædere, Lucæ XXIII. 46. exspirasse; & in Epistola ad Hebræos IV. 15. fuisse *tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Respondebant Julianus & Gainus, dum hæc illis Catholici opponebant, etiam post resurrectionem Christum manducasse ac bibisse; passum vero, & contristatum, non conditione carnis assumptæ, sed dispensatione divina. At ex adverso instabant Catholici post resurrectionem Christum manducasse ac bibisse œconomia quadam ac dispensatione, ut veritatem corporis sui commonstraret: sed antea id præstasse naturali affectione; quoniam nullibi Scriptura testatur Christum post resurrectionem suam manducasse esurientem, aut sitientem bibisse, sicut id affirmat de Christo ante passionem ac mortem. Naturaliter etiam fatigatum, contristatum, ac passum ipsa divina Scriptura testatur, docens fatigatum ex itinere, tristatum ob carnis imbecillitatem, atque *ex infirmitate crucifixum*, ut scribit Apostolus 2. ad Corinth. XIII. 4. Etsi ergo omnibus his affectionibus non invitus atque ex necessitate subjectus fuerit, cum posset omnipotentia sua omnes carnis defectus repellere; nihilominus volens carni & sanguini communicare, ac sinens humanitatem suos actus exercere, ex conditione naturæ esurivit, sitivit, aliasque sustinuit passiones. Vide Augustinum lib. 1. de Pecc. meritis cap. 27. ubi affert testimonia Scripturarum, quæ Christo tribuunt nostras infirmitates; nec non lib. 11. cap. 29. ubi docet Christum perpeti voluisse etiam mutationem ætatis; atque inter illum cæterosque homines istud intercesse discrimen, quod alii habentes carnem peccati motibus irrationabilibus perturbantur, neque hi semper ratione, vel imperio cohibentur: Christus vero, qui similitudinem carnis peccati obedientiæ voluntate suscepit, habuit corpus corruptibile ac mortale sine peccato. Similia docent alii PP. Accedit ratio, quam supra cap. 2. produximus, Christum de peccato damnasse peccatum in carne, ideoque dedignatus non est ad opus redemptionis perficiendum carnis peccatricis defectus assumere, iis exceptis, qui vitiosi sunt, qualis est sensuum perduellis commotio, & fomentum noxiæ cupidinis, & qui non communem naturam consequuntur, sed peculiarem secundarum causarum deficientiam, ut cæcitas, surditas, & consimiles.

4. In alio sensu est incorruptibile.

At si loquamur de corruptione juxta secundam atque communiorem significationem, dicimus sacrosanctum Christi corpus incorruptibile. Ita nimirum affirmant Scripturæ, ut pervulgatum illud Ps. XV. 10. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Docent similia Patres, Cyrillus lib. 9. de Adorat. *Incorruptibile est Christi corpus, & divinam in seipso naturam habet.* S. P. Aug. ep. 146. nunc 205. ad Consentium: *Constat, neque ullo modo dubitandum est, corpus Christi, quod licet corruptionem putredinis in sepulchro non viderit, unde scriptum est, Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem, clavis tamen, & lancea perrumpi potuit, nunc omnino in incorruptione consistere.* Et Fulgentius in Epist. ad Rheginum cap. 4. *Christus non vidit corruptionem, quia nulla sensit caro ejus putredinem.* Proferri etiam possunt satis apertæ rationes tum ex celeritate resurrectionis, tum ex redemptione ipsa consummata in Christi morte, ad quam propterea necessaria non erat sacri corporis in cineres resolutio; tum denique ex decentia, ob quam viris sanctitatis eximiæ incorruptionis conceditur privilegium, multo minus denegandum carni immaculatæ ac purissimæ, quam divinum Verbum nec in triduo mortis dimisit. Salvatoris autem Sanguinem calice distributum non esse corruptibilem, recte scripsit in Epist. adversus Paulum Samosatensem Dionysius Alexandrinus. Argumenta in contrarium, quoniam singulariter excludunt à Christo doloris sensum, afferentur sequenti capite.

5. Constans membris humanis.

Altera quæstio ex superioribus soluta est. Ut enim Scriptura Christo verum tribuit corpus, ita etiam vera tribuit mem-

membra, pedes, manusque clavis perforatas, pectus super quod discubuit Joannes, caput spinea corona circumdatum, & latus apertum lancea. Fuit ergo dominicum corpus humanis membris instructum. Sanguinem pariter habuisse liquet ex sudore in horto, ex flagellatione in prætorio, atque ex crucifixione in Golgotha, affirmantibus etiam Apostolicis libris ipso sanguine emundari conscientiam nostram, ut legitur in Epistola ad Hebræos IX. 14. & in prima Joannis I. 7.

6. Forma Corporis Christi.

Circa quæstionem tertiam de forma ac specie corporis Christi, videntur recentiores Critici ac Theologi in eam magis sententiam propendere, quæ asserit nec speciosum & insigniter venustum fuisse, neque facie turpi ac deformi, incertum tamen esse quam oris formam præsetulerit. Ita scribunt Hyacinthus Serry Exercit. XLVII. Juenin Dissert. v. de Incarnat. cap. 8. Tournely q. x. art. 4. aliique permulti. Alii tamen, etsi Christo denegant pulchritudinem illam muliebrem affectatam, qua carnales oculi alliciuntur, sitam in rubore genarum, labiorum risu, illecebrisque oculorum, concedunt tamen illi singularem venustatem in apta partium dispositione, convenienti statura, ac temperato colore constitutam: cui opinioni præter veteres plurimos adhærent Calmet dissert. in Isaiam, Sandinus in Hist. familiæ sacræ cap. XVIII. & erudito Comment. in Aereum Nummum Musei sui Eques Florentinus Petrus Victorius.

7. Quàm Speciosa.

Huic opinioni nos ultro ac lubenter subscribimus. I. quia Nicephorus Callistus lib. I. cap. 4. ut à Majoribus traditum refert Jesum Christum *egregio vividoque vultu fuisse: corporis statura ad palmos prorsus septem: cæsariem habuisse subflavam, nec admodum densam, capillos prolixiores, &c.* Rejiciunt quidam Nicephorum tanquam posterioris ævi scriptorem, sed nequit tamen apertæ falsitatis revinci, ac potuisse illum hæc accipere ex Veterum monimentis sequentia commonstrant. II. Negari non potest multa olim extitisse longe ante Nicephorum Christi simulacra, & imagines. Erectam illi statuam ab Hæmorrhoissa in urbe Paneade scribit Eusebius lib. VII. H. Ecc. cap. 18. Asterius Amasenus apud Photium Cod. 271. Gregorius II. in Epistola ad Germanum Episcopum Constantinopolitanum, aliique permulti laudati à Sandino, & Victorio. Atque hanc statuam Juliano Apostata imperante fuisse confractam, auctor est libro III. cap. XXI. Sozomenus. Aliam mulierem servasse apud se Christi simulacrum refert Calmet ex Lampidrio. Idem de Alexandro Severo tradunt communiter Historici. Accedunt Imagines non manufactæ, non solum missa ad Abagarum, quam critici in dubium revocant, commemorant tamen Synodus VII. act. 5. & Damascenus lib. IV. de Fide Orthodoxa cap. 16. verum etiam Acheropeeta miraculis celeberrima & Romæ ad Scalam sanctam asservata, diversa, ut opinor, à Sudario Veronicæ, licet Sandinus illam cum ista pag. 280. confundat. Hæ autem imagines eandem Christi referunt formam, quam describit Nicephorus. Quamquam vero prædictæ imagines non essent, ut creditur, divinitus efformatæ, cum perantiquæ sint, eandemque Christi speciem exhibeant, demonstrant Nicephori traditionem revera à veteribus acceptam, non ab ipso confictam. III. Servatur adhuc Augustæ Taurinorum sacra Sindon, quam aliqui quidem rejecerunt eoquod non referat notas institarum, sed egregie defendit Chiffletius respondens ea Sindone non obvolutum Christi corpus jam unctum, & institis ligatum post pollincturam, sed cruentum, & recens è cruce depositum, unde non tantum exhibet notas quinque vulnerum, ut Vesontinum Sudarium, sed maculis sanguineis utramque corporis partem delineat. In hac ergo Sindone miraculorum celebritate, devotione sancti Caroli Archiepiscopi Mediolanensis, & Julii II. diplomate confirmata, omnia, quæ Nicephorus narrat, si unum excipias colorem, ipsis oculis conspiciuntur; statura sex pedum geometricorum minus tribus digitis, quæ eadem est ac septem palmorum, cæsaries prolixior, non admodum densa, & ad verticem discriminata, barba mediocriter promissa, frons plana, & nasus modico tractu diffusus.

8. Non fuisse in elegantem probat.

Quamquam vero incerta esset hæc specialis Christi forma, non fuisse inelegantem & despicabilem colligimus ex sacris literis, ex Patribus, & ex ratione. Legimus enim Ps. XLIV. 3. *Speciosus forma præ filiis hominum.* Hunc quidem locum fatemur exponi à Chrysostomo, à Theodoreto, ab Augustino, ab aliis, de virtutibus animi, & gloria divinitatis: sed interior pulchritudo formam corporis non imminuit; imo hæc sæpenumero illius est argumentum. Etenim de pulchritudine corporis eundem locum interpretatur idem Chrysostomus Hom. XXVIII. in Matthæum, quam pulchritudinem

dinem Chriſto nequaquam denegant S. Hieronymus in cap. 9. & 21. Matthæi, atque in Epiſtola ad Principiam, ubi affirmat in illius vultu *quiddam fuiſſe ſidereum*, & Bernardus ſcribens ſerm. 1. de Omnib. SS. adhæſiſſe ei populos affatu pariter & aſpectu ipſius delectatos: *cujus nimirum vox ſuavis, & facies decora.* Pro eadem ſententia S. Thomas in Pſ. 44. laudat Auguſtinum, additque rationem Theologicam, quod pulchritudo *maxime competebat ad ſtatum, & reverentiam ſuæ conditionis.* Diximus paulo ſupra non aſſumpſiſſe Chriſtum defectus ex peculiaribus cauſis proficiſcentes. Sane quod membra humani corporis optimam & naturæ convenientem ſymmetriam non habeant, provenit ex defectu particularis cauſæ. Fuit ergo in Chriſto aptiſſima omnium partium diſpoſitio, ideoque eximia facies, & pulchritudo, maxime quod corporis ejus fabricator fuerit ac ſubminiſtratam à Virgine materiam diſpoſuerit Spiritus ſanctus.

9. Objicitur. Pugnat adverſus dicta 1. quod Origenes contra Celſum, Clemens Alexandrinus lib. III. Pedagogi, & Tertullianus de Idololatria, videntur Chriſto tribuere vultus obſcuritatem. Auguſtinus etiam ſerm. XX. de Verbis Apoſtoli, nunc ordine XXVII. productis verbis Iſaiæ LIII. 2. *Non eſt ſpecies ei, neque decor*, ait, quod ſpeciem & decorem non habebat *ut homo.* II. Quod Euſebius Conſtantiæ Licinii uxori petenti ut ad ſe mitteret Chriſti imaginem, reſpondit exprimi illam non poſſe. III. Quod magis cedat in Dei gloriam, ſi dicatur cum Clem. Alexandrino libro VI. Strom. Chriſtum, uti humilitate, ac paupertate, ita forma vili, & neglecta doctrinam ſuam feliciter promulgaſſe. IV. Demum quod Auguſtinus VIII. de Trinit. cap. 4. haud male ſcribat Dominicam faciem à ſingulis, ut lubet, fingi & variari.

10. Reſpond. Verum facilis eſt ad hæc omnia reſponſio. Ad 1. enim dicimus PP. loqui de Chriſto cruci appenſo, & inter manus perſecutorum, ut proculdubio loquitur cap. LIII. Iſaias, & Auguſtinus citato ſerm. num. 6. & in Pſalm 127. num. 8. Aut denegant Chriſto pulchritudinem illam muliebrem. quæ allicit carnalium oculos, non gravem illam & cum majeſtate conjunctam, quæ terret iniquos. Hæc enim tanta in eo fuit, ut nunquam auderent improbi in ipſum manus injicere, niſi dum *venit hora eorum, & poteſtas tenebrarum.* Ad ſecundum inquit Sandinus Euſebium reſpondiſſe Auguſtæ, non poſſe exprimi pennicillo Chriſti humanitatem eo quod *mortalitas à gloria abſorpta eſt*, quoniam profitebatur ſectam Arianorum, & ipſe fortaſſis imagines Chriſti non admittebat. Sed ſalva Euſebii fide, videtur allata ratione ſignificare, non potuiſſe ab ullo artifice faciem Chriſti exprimi ad vivum ob gloriam etiam in vultu ſplendeſcentem, ut de pictore miſſo à Rege Abgaro refert Damaſcenus; ideoque veras Chriſti imagines, qualem peroptabat Auguſta, eſſe *Acheropectas*, id eſt, non manu factas, ut imago Edeſſena, Sudarium Veronicæ, ſacra Sindon, de quorum Imaginum veracitate communem tenemus absque diſputatione ſententiam. Et quidem etiam Hieronymus in cap. IX. Matthæi aperte affirmat, quod relucebat in humana Chriſti facie *fulgor*, & *majeſtas divinitatis occultæ.* Atque id maxime poſt reſurrectionem contigiſſe dicendum eſt, quando majus fuit habendi Salvatoris imagines deſiderium. Ad tertium reſpondemus non deeſſe gloriam illam prædicationi Evangelicæ, qua non ſpecioſum Chriſtum annuntiamus, ſed crucifixum: quamquam illum complures traxiſſe jucundiſſimo aſpectu ſcribant citato loco Hieronymus, & Bernardus, & confirmari poſſit ex vocatione Apoſtolorum Matthæi IV. 20. 22. IX. 9. & Joann. I. 39. Ad ultimum liquet plura quidem fingi non ſolum Chriſti, verum etiam perſonarum omnium ſimulacra, atque magnam in his eſſe pictorum licentiam, ut recte ait Auguſtinus: ſed nullo pacto poteſt id elevare veritatem Prototyporum.

CAPUT VI.

An revera Chriſtus dolores expertus fuerit.

SUMMARIUM.

1. 2. & 3. Errores hæreticorum.
4. Prænotanda.
5 & 6. Ponitur propoſitio ima cum probationibus.
7. Propoſitio 2da probatur.
8. Paſſio fuit Chriſto naturalis.
9 & ſeqq. Solvuntur objectiones.

1. Error Saturnini.

CHRISTUM nullatenus obnoxium fuisse doloribus affirmarunt Phantasiastæ supra capite secundo refutati. Hi, ut asserebant Salvatorem nostrum in substantia corporis non fuisse, ita dicebant phantasmate passum, quemadmodum refert de Saturnino Tertullianus de Præscript. & de Menandro Theodoretus Epist. 145. Illorum itaque errorem iisdem argumentis, quibus supra usi sumus, facile evertimus. *Si enim hominum opinione tantum passus est Christus, non revera, Herodem opinione tantum eum judicasse, Pilatum opinione manus abluisse, adjurasse eum opinione Caipham, Judæos manus ei injecisse opinione, Apostolos opinione exitisse, sanguinem ejus opinione effusum esse, opinione de cœlo descendisse, eoque reversum esse: verbo, totam salvationem hominis opinione factam esse, necesse est.* His plane verbis refellit Marinum quemdam Bardesanistam in IV. Dialogo Origenes Adamantius. Consimili argumento revincuntur, qui cum Basilide apud Theodoret. libro 1. Hæret. fab. dixere Christi loco passum bajulum Crucis ejus Cyrenæum, aut cum Mahumetanis Judam Iscariotem.

2. Error Aphthartodocitarum.

Aphthartodocitæ, de quibus cap. præcedenti, cum assererent Christum Dominum habuisse veram quidem carnem, sed natura sua incorruptibilem, propterea quod orti ex Eutychiana hæresi, & confundentes duas in Christo naturas opinabantur expertem illum fuisse naturalium humanarumque affectionum, ipsum utique Christum cruci affixum, passum, ac vere mortuum profitebantur, sed in hoc œconomiam ac miraculum interfuisse, non conditionis naturalis effectum. Horum hæresim describit Tom. v. Concil. Liberatus in Breviario, & Tom. IX. Bib. PP. Leontius Byzantinus libro 2. adversus Eutychianos.

3. His sancti Patres non consentiunt.

Distinguenda est accurate à duabus istis damnatis opinationibus sententia aliquorum Patrum, qui tradiderunt opus fuisse miraculo, ut Christus pateretur, atque non fuisse humanæ fragilitatis, sed cælestis gratiæ sacramentum, si Dominus noster esurivit, sitivit, semetipsum turbavit, infremuit, & doluit: quod diserte tradit Clem. Alex. in VI. Strom. Maximus Martyr hom. 1. de Jejunio, & Philippus Abbas Præmonstratensis in Epistolis de sententia Hilarii, de quo proximo capite. Profecto hi Patres neque Christum divinitate passum, neque humanam ejus naturam suis proprietatibus exspoliatam affirmavere, sed hanc per unionem hypostaticam adeo roboratam, atque perfectam, ut nonnisi divina accedente virtute subjiceretur passioni. Atque in hac sententia, quæ nihil habet repugnans Incarnationis mysterio, & nihil adversum Christi doloribus, non reperitur aliquid, judicio doctissimorum virorum, in fide periculi.

4. Notanda.

Communior tamen est, & vera sententia, ad quam arbitror cum Magistro in III. Sent. dist. XV. posse revocari omnia Patrum testimonia, quæ videntur contraria, fuisse in Christo passiones, ipsius humanitatis naturæ connaturales. Pro qua nonnulla prænotanda sunt partim ex ipso Magistro, partim vero ex Leontio Byzantino deprompta. Magister itaque eo loci distinguit inter *passionem*, & *propassionem*. Passionem appellat, dum quis timore, vel tristitia ita afficitur, ut mens inde à rectitudine divellatur; quod contingit in motibus, quos ratio non dirigit, neque cohibet. Propassionem vero dicit, quando anima timore, vel tristitia, vel affectu alio movetur, ut inde à rectitudine non declinet, ut evenit in timore, aut tristitia, quæ animo non dominatur, nec rationem pervertit. Profert ad hanc rem explicandam Magister insignem locum Hieronymi scribentis in caput XXVI. Mattæi: *Ut veritatem probaret assumpti hominis, vere contristatus est: sed non passio ejus vere dominatur animo; verum propassio est.*

Leontius recte ulterius observat passum Christum dupliciter dici. Uno quidem modo, quod permittente Verbo passio circa carnem acciderit, quia scilicet cum prohibere posset, non prohibuit, & quod cum esset omni peccato superior, voluntarie, non aliqua necessitate, vel debito oppetiit mortem, quæ in mundum propter peccatum irrupit. Alio modo dicitur Christum passum, quod carnis natura passionis expers, & immortalis fuerit, ita, ut quod humanitati assumptæ non inerat, sponte admiserit, & mors & passio non fuerit ex naturali potentia, & secundum naturam, sed ex divina & supernaturali virtute, ut affirmabant supra citati Aphthartodocitæ. His expositis facilis mihi videtur propositæ quæstionis resolutio.

5. Propositio I.

PROPOSITIO I. Si accipiatur *passio*, quatenus animum, aut corpus afficit mente reluctante, aut hanc à rectitudine avertit, atque perturbat; nulla passio accidit Salvatori.

Probatur ex Scripturis. Probatur ex Scriptura.

Probatur ex Scripturis, ex Patribus, ex ratione. Ex Scripturis, quoniam Isaias ait cap. LIII. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et Joannis X. 17. *Ego pono ani-*

animam meam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso. Item Marci XIV. 34. 35. *Tristis est anima mea usque ad mortem. Transfer calicem hunc à me, sed non quod ego volo, sed quod tu.* Ille ergo non habuit passiones, aut subrepentes invitis, aut rationem pervertentes, qui sponte illas subiit, atque in ipsa mœroris ac tristitiæ vehementia sese paternæ voluntati subjecit. Christus Dominus potestate, ac voluntate sua oblatus est, & pro ovibus suis posuit animam, petiitque in ipso agone, ut paterna impleretur voluntas. Ergo non habuit passionem, quæ reluctantem afficeret, atque à rectitudine animum removeret. II. Probatur ex Patribus. S. Clemens Alex. in VI. Strom. inquit: *Ipse autem passionis erat expers, ut quem nullus subiret motus affectionis, neque voluptas neque dolor.* Hieronymi paulo supra apertissimum attuli testimonium. S. Pater Augustinus Tract. XLIX. in Joannem: *Quis enim eum posset, nisi seipsum ipse turbare? Turbaris tu nolens, turbatus est Christus quia voluit. Esurvit Jesus, verum est, sed quia voluit: dormivit Jesus, verum est, sed quia voluit: contristatus est Jesus, verum est, sed quia voluit: mortuus est Jesus, verum est, sed quia voluit. In illius potestate erat vel sic affici, vel non affici.* III. Probatur ratione. Motus enim, & affectio deliberationem voluntatis antecedens, etsi peccato non imputetur, vitiosa est, & recto ordini, qui inter carnem, spiritumque versatur, repugnat. Non debet ergo admitti in Christo prædito summa innocentia, ac perfectione sanctitatis. Deinde ob unionem hypostaticam anima, & caro Christi cum Dei Verbo est una persona, in qua utraque natura subsistit eadem hypostasi, ideoque ob summam divinæ ipsius Personæ potestatem poterat vel exercere divinitatis omnipotentiam, vel exhibere humanitatis infirmitatem. Atque hanc rationem innuit eo loci Augustinus scribens: *Anima & caro Christi cum Verbo Dei una Persona est, unus Christus est; ac per hoc ubi summa potestas est, secundum voluntatis nutum tractatur infirmitas.* Ex quibus animadverte discrimen inter Christi, aliorumque hominum passionem; quoniam in illo nec potuit passio antevertere rationem, nec afficere invitum, nec mentem perturbare, eamque à rectitudine dimovere: ideoque ab aliquibus *propassio* potius, quam passio in Christo fuit appellata.

6. Contravenitur effugio. Si dixeris Christum Dominum expertum etiam esse animi perturbationem, dum ait Joan. XII. 27. *Nunc anima mea turbata est;* Respondeo hanc perturbationem fuisse mortis horrorem, sui ipsius deliberata voluntate excitatum, & recto erga Deum ordini conjunctum. Cum enim tunc discipulos ad vitæ contemptum hortaretur, ut exemplo suo fierent alacriores, voluit & ipse mortalitatis nostræ affectum suscipere; ac statim convertens orationem ad Patrem illis verbis, *Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora*, docere simul, quomodo præponere debeamus divinam voluntatem voluntati humanæ atque infirmæ. Hinc S. Pater Tract. in Joan. LII. ait: *Nos in se transtulit, nos in se suscepit, Caput nostrum membrorum suorum suscepit affectum, & ideo ab aliquo non est turbatum; sed sicut de illo dictum est cum Lazarum suscitaret, turbavit semetipsum.*

7. Propositio. PROPOSITIO II. Accepta *passione*, prout præcise afficit animum, aut sensus corporis dolore, ac tristitia, Christus vere, & naturaliter passus est.

Probatur ex scriptura. Hanc pariter thesim triplici genere argumentorum demonstro. I. Ex divinis literis. Legitur enim Psalmo LXXXVII. 4. *Repleta est malis anima mea;* quæ verba prolata fuisse à Propheta in persona Christi ab inimicis vexati, animadvertit ex Augustino Magister. Isaias LIII. 4. ait: *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Christus in Evangelio Matthæi XXVI. 38. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Apostolus denique ad Hebræos II. 17. 18. *Debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.*

Ex Patribus. II. Probatur ex Patribus. Nam Ambrosius in Lucam cap. XXII. ait: *Tristis videbatur, & tristis erat:* & lib. II. de Fide capite 3. nunc VII. num. 56. *Ut homo ergo dubitat, ut homo turbatur. Non turbatur ejus virtus, non turbatur ejus divinitas: sed turbatur anima secundum humanæ fragilitatis assumptionem. Et ideo quia suscepit animam, suscepit etiam animæ passiones.* Hieronymus in caput LIII. Isaiæ: *Vere languores nostros, & peccata portavit, & pro nobis doluit, non putative, id est, ὁιομένως, ut nova, & vetus hæresis suspicatur, sed vere crucifixus est, vere doluit.* Libro etiam II. adversus Pelagianos inquit: *Salvator in passione ab Angelo confortatur; & Critobolus meus non indiget auxilio Dei?* S. P. Augusti-

nus in Ps. xciii. *Tristitiam* (inquit) *assumpsit, quomodo carnem: fuit enim tristis, sicut Evangelium dicit. Nolite putare non fuisse tristem Dominum: si enim hoc dixerimus, quia non erat tristis, cum Evangelium dicat. Tristis est anima mea usque ad mortem; ergo quando dicit Evangelium, Dormivit Jesus, non dormivit Jesus: & quando Evangelium dicit, Manducavit Jesus, non manducavit Jesus: subrepit vermiculus putredinis, & nihil sanum relinquet, ut dicatur, Et jam corpus non erat verum, & carnem veram non habuit.* III. Probatur ratione, quam insinuat hoc loco Augustinus, quoniam propter auctoritatem divinarum Scripturarum tenemur credere Incarnationis mysterium; itaque ob eandem auctoritatem debemus tenere veritatem passionis. Deinde proponitur nobis à Principe Apostolorum Epist. 1. cap. II. 21. Christi passio, *ut sequamur vestigia ejus.* Ut ergo nos debemus vere crucem tollere, & mortem subire, ita Christus vere crucis supplicium, ac mortem pertulit.

Ex ratione.

8. Passio fuit Christo naturalis.

Porro hanc passionem fuisse in Christo naturalem, nec repugnantem conditioni humanitatis assumptæ, etsi prohibente Verbo nihil perpessus foret, nec potuissent inimici trahere invitum ad supplicia, facile demonstratur. Contra Eutychianos quidem, quia humana Christi natura non fuit in divinam commutata, neque affirmari potest Christum divinitate passum, ut infra suo loco probabitur. Adversus autem Aphthartodocitas demonstratur primo, quia constat ex Scripturis ac Patribus hoc, & superiori capite allatis, Christum *ex infirmitate, secundum humanæ fragilitatis assumptionem, & per naturam hominis* crucifixum ac mortuum; non ex virtute, non secundum divinitatis omnipotentiam, non per supernaturalem aliquem in assumptam humanitatem influxum. Postremo si Aphthartodocitæ contenderent, captu perdifficile esse, quomodo Christus frueretur visione divinitatis, & tamen potuerit esse obnoxius dolori; aut ob unionem hypostaticam nullam pœnam potuisse Christum afficere, nisi volentem, ideoque apparere in Christi passione mirabilem œconomiam, à veritate nullatenus declinarent. At supposita veritate passionis ac libera voluntate patientis, credere dolorem supra naturam, ut Leontius inquit, est velle ignorare, quid carnis sit proprium, & nolle percipere, quod omnis actus supernaturalis est *secundum adscensum, & progressum ad melius, non secundum naturalem potentiam, vel depravationem habituum.*

9. Objicitur 1. & respondetur.

Opp. 1. Appellatur Christus Dominus in Scripturis secundus Adam. Sicut ergo Adam in accepta justitia perseverans nulla fuisset affectus animi ægritudine ac pœna; ita nulli tristitiæ, ac dolori Christus obnoxius fuit. Resp. 1. retorquendo argumentum. Etenim Adam innocens divina tantum gratia, non proprietate naturali erat immortalis, alioqui non indiguisset ligno vitæ; & ideo permittente Deo Adæ lapsum non fuit illi mors supernaturalis, sed illius naturæ consentanea: atque ita Christi caro mortalis erat, & naturaliter capax dolendi, ac reapse doluit Deo permittente ac volente, cum hac tamen discrepantia, quod mors & passio acciderunt Adamo in pœnam peccati, Deo volente ac subtrahente beneficium indebitum; sed Christus passus & mortuus est in peccati remedium, Deo volente debitam satisfactionem, atque exercente indebitam misericordiam. Deinde respondetur negando consequentiam. Nam in hoc Christus Adamo comparatur, quod sicut iste carnalis generationis, ita ille spiritualis auctor est: sed talem carnem sibi Dominus per hypostasim univit, qualem Adam habuit post peccatum, quia non venit ut salvaret hominem innocentem, sed ut redimeret peccatorem; & idcirco venit *in similitudinem carnis peccati.*

10. Objicitur 2.

Opp. 2. Tradunt Patres Christum passionis fuisse expertem, vel *quia ejus corpus necessaria non postulabat ministeria*, ut inquit in VI. Stom. Clem. Alex. vel quia *passio ei dominari non poterat*, ut docet in cap. XXVI. Matth. S. Hieronymus: vel quia dicitur in Scripturis timuisse mortem, & fuisse tristatum, *quia Ecclesiæ gerebat personam*, ut scribit S. Pater Augustinus Exposit. 2. in Ps XXI. Resp. Clementem Alex. asserere Christum fuisse expertem passionis, cui nos necessitate subjicimur, dum non possumus aut famen, aut lassitudinem, aut dolorem expellere nisi subministratione cibi, dormitionis, medicamenti: Hieronymum denegare Christo passionem ita prædominantem animo, ut invitum diverberet; & S. Patrem docuisse, quod non timebat Salvator mortem, nisi ut gerebat personam Ecclesiæ, quoniam ipse libera potestate posuit animam, quam Martyres ejus membra vi tormentorum immolarunt. Respondetur.

Opp. 3.

11. Objectio 3. cum Responsione.

Opp. 3. Quæ eveniunt nobis volentibus, nequeunt dolorem & tristitiam afferre. Si ergo Salvator quia voluit oblatus est, nullum revera mœrorem, doloremque percepit. Resp. concedo antecedens, & nego consequentiam. In nobis enim locum habent passiones subrepentes absque libera deliberatione, & excruciantes invitos: quoniam in nostra potestate non est, ut adveniant, ut suscipiantur, ut sensus afficiant. At in Christo fuerunt propassiones sponte plenissimaque electione susceptæ, non dominantes animo, sed ad rationis imperium, ac personæ divinæ permissionem desævientes, ob summam potestatem vel infirmitatem tractandi, vel omnipotentiam exercendi: *Turbaris tu nolens, turbatus est Christus quia voluit*, ait S. Pater Tracta XLIX. in Joannem, & rationem hanc profert: *In illius potestate erat sic, vel sic affici, vel non affici. Verbum enim animam suscepit & carnem, totius hominis sibi coaptans in personæ unitate naturam. Nam & anima Apostoli Verbo illustrata est, anima Petri Verbo illustrata est, anima Pauli & aliorum Apostolorum, ac sanctorum Prophetarum Verbo illustratæ sunt animæ, sed de nulla dictum est, Verbum caro factum est: de nulla dictum est, Ego & Pater unum sumus. Anima & caro Christi cum Verbo Dei una persona est, unus Christus est, ac per hoc, ubi summa potestas est, secundum voluntatis nutum tractatur infirmitas: hoc est, turbavit semetipsum.*

12. Objectio 4. cum responsione.

Opp. ultimo. Christus quocunque momento habuit divinitatem hypostatice carni conjunctam; & fruebatur etiam beatitudine & gloria, cum qua tristitia & dolor nequit consistere. Quomodo ergo tristatus est? Resp. non alia ratione tristatum ac passum, nisi ob allatam nuper: nimirum ob summam potestatem exercendi omnipotentiam & infirmitatem tractandi, quemadmodum si noluisset, nulla vis poterat illum flagellis cædere, vulneribus confodere, & occidere; ita permittente ac volente, virtus divinitatis, & gloriæ amplitudo nullum passionis tempore in carne producebant effectum, ut possent illam funes, verbera, clavi, lancea constringere, laniare, confodere. Sed de hoc argumento etiam infra.

CAPUT VII.

An superiori doctrinæ adversetur sanctus Hilarius Pictaviensis?

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Propositio 1ma. demonstratur.
3. 4. & 5. Solvuntur objectiones.
6. Fit Propositio 2da, & probatur usque ad num. 11.
11. & seqq. Solvuntur objectiones.

1. Status quæstionis.

Hucusque producta ad duplex dogma possunt reduci, quorum unum est, fuisse in Christo veram carnem ac nostræ consubstantialem in utero Virginis procreatam: alterum in ipsa carne vere humanis passionibus, libere tamen susceptis, eundem Christum fuisse obnoxium. Quæritur an utramque sententiam tenuerit Hilarius Pictavorum Episcopus. Enimvero in priori dogmate dubiam Hilarii mentem asseruerunt Erasmus, & Scultetus: in secundo autem illum errasse tradiderunt Claudianus Mamertus, Berengarius, & alii apud PP. Benedictinos in Præfatione ad Hilarium; nec non Ferdinandus Velosillus Q. XXI. in VII. Tomum Augustini, ubi errorem de Christi indolentia, quem probavit aliquando Justinianus, appellat dogma Hilarianum; quamvis nunquam aut Augustus Imperator, aut Aphthartodocitarum aliquis attulerit testimonia Hilarii in patrocinium erroris: quod pro sancti Episcopi defensione haud parvum est argumentum. Nos cum Magistro Sententiarum Dist. XV. libri III. aliisque Scholasticis, præsertim D. Thoma, D. Bonaventura, & quos prædicti Patres S. Mauri loco citato commendant, & cum Recentioribus fere omnibus rejicimus, ac refutamus subjectis positionibus sinistram de Hilarii doctrina suspicionem.

2. Propositio 1 cum sua demonstratione.

Propositio I. S. Hilarius tribuit Christo verum corpus nostro consubstantiale, & ex Mariæ carne susceptum:

Demonstratur. Qui fatetur Christum revera originem ducere ex semine Abraham, & ex genere Davidis; conceptum in utero Matris, atque inde assumpsisse corpus nostræ naturæ, is quidem in Christo profitetur verum corpus ex Virgine genera-

generatum. Hilarius disertissime hæc omnia docuit. Igitur in Christo veram carnem, eamque ex Virgine assumptam professus est. Prob. mi. I. Christi ex Abrahamo & Davide originem fatetur Hilarius in Ps. LIX. n. 2. dicens: *Ex Juda, & Moab originem sumens:* in Ps. 67. n. 28. ubi Christum natum appellat, *De Judæ frutice:* in Psalm 131. n. 2. scribens, *Nomen sumens ejus* (Davidis) *cujus ex genere sumebat & corpus.* II. Assumpsisse Christum ex Virgine carnem aperte tradit Hilarius in Psalm 65. num. 12. his verbis, *Assumpta ex Virginis carne natura:* in Psal. 118. lit. 14. n. 8. *Naturæ nostræ sibi ex Virgine corpus assumens:* in Psalm 138. n. 2. *Ex utero sanctæ Virginis assumpsit carnem.* III. Eandem Christi carnem esse nostræ consubstantialem docuit Hilarius lib. IX. de Trinit. n. 7. *Corporis nostri natus homo:* Lib. X. num. 15. *Ad redemptionem animæ nostræ, & corporis nostri perfectus est natus:* Lib. I. n. 13. *Carnem peccati recepit, ut assumptione carnis nostræ delicta donaret.* Hilarius itaque in Christo Domino asseruit veram ex semine Davidis generationem, formatum ex carne Virginis corpus, & carnem nostræ consimilem: quod erat demonstrandum.

3. Objicitur 1. Oppones 1. Hilarius de Maria Virgine ait lib. X. de Trinit. num. 16. *Non enim ex se corpori Maria originem dedit.* Et lib. III. num. 19. *Et certe non suscepit quod edidit, sed caro carnem sine elementorum nostrorum pudore provexit.* Libro etiam X. num. 35. Christum vocat habentem corpus *spiritalis conceptionis.* Atqui si Maria non dedit corpori Salvatoris originem, si idem corpus ex elementis non constat, si formatum non est carnali generatione, Christus non habuit veram carnem assumptam ex Virgine. Ergo hanc revera carnem in Christo denegavit Hilarius.

4. Respondetur. Resp. explicando Hilarii verba. In priori loco non extant particulæ *ex se*, additæ præter fidem Codicum melioris notæ ab Erasmo: imo eodem libro num. 35. legitur: *Genuit etenim ex se corpus, sed quod conceptum esset ex spiritu.* Deinde corpus Christi divini fuit operis, nec principium habuit naturali virtute ideoque recte dicitur non fuisse, nisi ex spiritu, in quantum spiritus illius corporis origo est, & principium efficiens, ut explicat Hilarius ibidem num. 18. & in Epistola ad Flavianum Leo Magnus. Secundo loco docet productam Christi carnem absque elementorum pudore, id est, *nullo terreni seminis mixto contagio*; ut explicat lib. X. num. 15. & 35. ubi originem, & elementa declarat esse semen virile. In tertio denique loco vocat conceptionem Christi *spiritalem*, quia Virgo genuit quidem ex se corpus, sed quod conceptum esset ex virtute Spiritus sancti, ut ibidem num. 35. Itaque distinguo minorem, non fuit ex Virgine assumpta Christi caro, si Maria corpori non dedit originem; id est, si non genuit ex se corpus, concedo; si conceptum fuit Spiritus sancti virtute, nego. Distinguo etiam illius propositionis partem alteram, Christi corpus non fuit ex elementis compactum, scilicet genitum fuit absque elementorum pudore, mixtoque seminis contagio, concedo: non fuit ex elementis, ex corporalibus membris, & carnis nostræ natura; nego. Similiter tertiam partem distinguo, conceptio Christi fuit spiritalis, ratione corporis, quod Virgo genuit, nego: ratione virtutis, per quam idem corpus conceptum fuit; concedo minorem, & nego consequentiam.

5. Objicitur 2. & Respond. Opp. 2. Negat Hilarius in Christo originem hominis, affirmatque solam originem similitudinis hominis, scribens lib. X. n. 25. *Hominis habitus est origo, non hominis.* Resp. eo loci hæc tradere Hilarium: *Non fuit habitus ille tanquam hominis, sed ut hominis; neque caro illa caro peccati, sed similitudo carnis peccati, dum & habitus carnis in nativitatis est veritate, & similitudo carnis peccati à vitiis humanæ passionis aliena est, &c.* Quare Hilarius negat tantum in Christo originem illam hominis vitio humanæ conceptionis permixtam, unde producitur *caro peccati;* non originem à vitio humanæ conceptionis alienam, per quam Christus factus est *in similitudinem carnis peccati.*

6. Propositio 2. probatur 1. de Hilarii Doctrina et Judicio antiquorum. Propositio II. Idem Hilarius non asseruit in Christo hominum Redemptore indolentiam.

Attendere quippe in Hilario debemus judicium de ipsius doctrina Antiquorum, scopum verborum, ac sententiarum in iis locis, quæ objiciuntur, & testimonia alibi expressa. At si ad hæc omnia mentem sedulo convertamus, liquet Hilarium non tenuisse de Christi passionibus falsam opinionem. Non ergo hanc Hilario possumus servata judicii æquitate affricare. Priorem assumptæ propositionis partem non solum demonstrat argumentum negativum, quod nullus unquam huic addictus errori, Justiniano Imperante, cum notissima esset, ac celeberrima Hilarii fama, nec ullus ante Claudianum Mamertum, qui floruit circa annum.

num 440. sinistrum protulit de Hilario judicium; verum etiam positiva argumentatio petita ex iis, qui pro Hilario scripserunt, ex Laufranco, Hunaldo, divo Thoma, sancto Bonaventura, Guilelmo Parisiensi, aliisque Scholasticis, qui Commentaria ediderunt in Dist. xv. tertii libri Sententiarum, nec non ex Patribus affirmantibus Hilariana scripta posse quemque *inoffenso pede decurrere*, quemadmodum in Epistola ad Lætam testatur Sanctus Hieronymus.

7. Prob. 2do. Partem alteram de scopo librorum illorum, qui in controversiam trahuntur, sic probo. Videtur Hilarius omnem tristitiam & passionem à Domino removere capite xxxi. in Matthæum, & libro x. de Trinitate. At removet tantum passiones à divinitate, non ab humana Christi natura, si disputet contra plerosque Apollinaristas & Arianos, quorum aliqui affirmantes Verbum supplevisse vicem animæ, aliqui vero opinantes infirmam ipsam Verbi divinitatem, hanc doluisse, dum caro figeretur in cruce, impie & audacter asseverabant, quemadmodum liquet ex libro v. Theodoreti cap. 11. atque ex Romana Synodo sub Damaso celebrata. Et quidem Hilarium adversus hæreticos illos disputare, satis compertum est. Citato enim cap. xxxi. in Matth. inquit: *Volunt ex infirmitate corporis ærumnam spiritui adhærere, ac si Virtutem illam incorruptæ substantiæ imbecillitatis suæ sorte assumptio carnis infecerit, & æternitas naturam fragilitatis acceperit. Quæ si ad metum tristis est, si ad dolorem infirma, si ad mortem trepida, jam corruptioni subdita erit, & incidet in eam totius infirmitatis affectio.* Ita num. 2. pag. 741. & num. proximo, *Sed eorum omnis hic sensus est, ut opinentur metum mortis in Dei filium incidisse, qui asserunt non de æternitate esse prolatum, neque de infinitate paternæ substantiæ exitisse, sed ex nullo per eum qui omnia creavit effectum.* Libro pariter x. de Trinit. num. 9. pag. 1041. se disputationem suscipere testatur contra præfatos Potamii, aliorumque insignitum Arianorum gregarios, ista præmittens: *Volunt enim plerique eorum non in natura eum impassibilis Dei fuisse, ut qui timuit, & doluit, non fuerit in ea potestatis securitate, quæ non timet, vel in ea spiritus incorruptione, quæ non dolet; sed inferioris à Deo Patre naturæ, & humanæ passionis trepidaverit metu, & ad corporalis pœnæ congemuerit atrocitatem.* Est itaque Hilarii scopus utroque in loco hos hæreticos, sive Apollinaristas, sive Arianos refellere.

8. Probatur 3. Tertiam partem spectantem ad expressam de Christi passione sententiam loca proxima evincunt. In Psalmum LIII. num. 3. ait: *Omnia secundum hominem passus est*, & num. 7. *Omnia quæ hominum sunt & oravit, & passus est: & ex communi nostra infirmitate salutem sibi est deprecatus à Patre, ut nativitatem nostram, cum ipsis infirmitatis nostræ iniisse intelligeretur officiis. Hinc illud est, quod esurivit, sitivit, dormivit, lassatus fuit, impiorum cœtus fugit, mœstus fuit, flevit, & passus & mortuus est.* Et in Ps. LIX. num. 6. *Et hæc quidem in eum omnia, quæ nostræ necessitatis sunt irruerunt; sed ab eo naturæ suæ virtute susceptæ sunt, dum mortem nostram potens non mori, etiam timorem in se mortis ingruentem non renuit.* In Psalmum pariter LXVIII. num. 1. *Dolet ipse quidem extra necessitatem & timoris positus & doloris, sed his se tamen quæ susceptit accomodans.* Hæc aliaque à PP. S. Mauri collecta adeo sunt manifesta, ut quidam haud recte de sententia alibi tradita judicium proferentes appellaverint Hilarii in Psalmos Commentaria *librum illius Retractationis.*

9. probatur 4. Sed in iisdem etiam locis, quæ objectantur, Hilariana doctrina satis apparet. Enimvero cap. xxxi. Commentarii in Matthæum, posteaquam à Christo tristitiam, mortisque metum ablegaverat, demonstrans fuisse in illo angorem quemdam, ac timorem non illatum à morte, quam subiret invitus, sed potius à scandalo discipulorum, & imbecillitate credentium num. 5. inquit: *Sciebat exterrendos, fugandos, negaturos: metuebat ne se Deum abnegarent, quem cæsum, & consputum, & crucifixum essent contemplaturi.* Et num. 7. *Totus igitur super his, qui passuri eranti metus est.* Et num. 10. *Passuris discipulis per fidei justificationem, omnem in se corporis nostri infirmitatem assumpsit, crucique secum universa ea quibus infirmabamur affixit. Ideo peccata nostra portat, & pro nobis dolet: quia fidei in nobis calore fervente, cum adversum diabolum passionis bello sit decertandum, omnes imbecillitatum nostrarum dolores cum corpore ejus & passione moriuntur. Et ideo transire ab eo calix non potest, nisi illum bibat; quia pati nisi ex ejus passione non possumus.* Vide pag. 802. & 803. Aperte itaque Hilarius agnoscit metum, & passionem in Christo, licet causam non repetat ex violenta morte, quæ non poterat in Dei filium incidere, sed ex hominum sceleribus, ac passionibus Martyrum, quam

ob causam nostram assumpsit infirmitatem.

10. Probatur 5. Eadem Hilarius docet lib. x. de Trinit. num. 36. & seqq. usque ad 40. Et postquam hoc libro pluro plura adversus hæreticos referentes dolorem in Christi impatibilem divinitatem disseruit, num. 47. ait: *Passus igitur Unigenitus Deus est omnes incurrentes in se passionum nostrarum infirmitates; sed passus virtute naturæ suæ, ut & virtute naturæ suæ natus est: neque enim cum natus sit, non tenuit omnipotentiæ suæ in nativitate naturam*: & infra, *Secundum quod ita ex infirmitate corporis nostri passus in corpore est, ut passiones corporis nostri, corporis sui virtute susciperet*, Numero denique 67. *Passus quidem est Unigenitus Dei quæ homines pati possunt: sed utamur Apostoli fide, atque dicto, Tradidi enim vobis in primis, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas, &c.* Ergo Hilarius negat in Christo passionis necessitatem, & dolorem qui irruerit in naturam divinitatis, sed non passionis sensum veramque tristitiam, ut extrinsecis argumentis, atque ex scopo, apertisque sententiis ejusdem Hilarii hactenus probatum est.

Argumentationes oppositæ diluuntur.

11. Objicitur 1. Opp. 1. Hilarius omnem à Christo tristitiam removet libro x. de Trinit. num. 10. *Interrogo*, inquit, *eos, qui hoc ita existimant an ratione subsistat ut mori timuerit, qui omnem ab Apostolis timorem mortis apellens ad gloriam sit eos martyrii adhortatus.* Et num. 36. ait Christum non fuisse tristem propter mortem, *quia ubi propter mortem tristitia est, illic ipsa mors causa tristitiæ est.* Rationem vero profert num. 11. his verbis: *Humano enim generi vitæ mortem aut vis exterior, id est febris, vulneris casus & ruina degrassata in corpus accelerat, aut ipsa natura corporis nostri senio in eam ipsam mortem victa concedit. Unigenitus autem Dei ita potestatem habens ponendæ animæ suæ, &c.* Confirmat idem num. 27. ex virtute miraculorum, dicens: *Anne timuit mori, qui armatis obvius prodiit? & in corpore ejus infirmitas fuit, ad cujus occursum consternata persequentium agmina supinatis corporibus conciderunt? &c.* Similia habentur capite xxxi. Comment. in Mat.

12. Respond. Resp. distinguendo ant. Removet Hilarius à Christo tristitiam, quæ in impatibilem divinitatem irruerit, aut ex necessitate naturæ dominata sit animo, concedo. Removet tristitiam irruentem in corporis nostri infirmitatem assumptam, & libera divinæ personæ potestate susceptam, nego. Quamvis ex dictis pateat responsio, eadem ex ipsis, quæ objiciuntur locis collustratur. Itaque Hilarius num. 10. dum ait, *Interrogo eos, &c.* aperte declarat se loqui adversus plerosque hæreticos affirmantes Christum *non in natura impassibilis Dei fuisse, ut qui timuit, & doluit non fuerit in ea potestatis securitate, quæ non timet, vel in ea spiritus incorruptione quæ non dolet, sed inferioris à Deo patre naturæ.* Negat itaque Christum congemuisse, & doluisse secundum naturam divinitatis, & trepidasse eo metu passionis humanæ, in cujus potestate non est pœnæ abjicere atrocitatem. Num. 36. ait non fuisse mortem in Christo causam necessariæ tristitiæ, quoniam in ejus potestate erat animam suam ponere, tristem autem fuisse non negat ea tristiria, quam sponte susceptt causa nostri, atque ut discipulorum suorum imbecillitatem confirmaret; ut supra ostendimus. Similiter num. 11. inter Christum cæterosque homines illud statuit discriminis, quod in nos patiendi necessitate obstrictos febris, vulnera, & senectus irruunt etiam invitos; in Christum vero, qui libere infirmitatem carnis nostræ susceptt, mors eo tantum permittente desæviit. Propterea addidit post verba, quæ objiciuntur: *Quod si ex se mortuus est, & per se spiritum reddidit, non est terror mortis in potestate morientis?* Eodem pacto num. 27. ex Christi omnipotentia, patratisque miraculis evincit in eo minime fuisse trepidationem ac terrorem perturbantem, & afficientem invitos; quod his verbis demonstrat: *Quam ergo infirmitatem dominatam hujus corporis credis, cujus tantam habuit Natura virtutem.*

13. Objicitur 2. Oppones 2. Eodem libro de Trinitate num. 23. Hilarius aperte in Christo negat omnem sensum doloris. Primo enim ait in Christum irruisse quidem impetum passionis, non pœnam, *In quo quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent.* Deinde affert exempla aliorum corporum, quæ omni prorsus doloris sensu sunt destituta, dicens: *Ut telum aliquod, aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aera vulnerans, omnes quidem has passiones naturæ suæ infert, ut foret, ut compungat, ut vulneret; sed naturam suam in hæc passio illata non retinet,*

vetinet, dum in natura non est, vel aquam forari, vel pungi ignem, vel æra vulnerari. Quemadmodum etgo non patitur aut aer, aut ignis, aut aqua, ita Christus nullius passionis sensu affectus est.

14. Respondetur

Resp. hæc quidem difficilia esse, si ab aliis sejuncta legantur, at non si totus liber decimus expendatur: in quo num. 9. scopum suæ disputationis proponit, & refutatis hæreticis, num. 47. & 67. absque ulla ambiguitate concludit Christum *ex infirmitate corporis nostri passum in corpore*, non quidem ex necessitate, sed libera potestate virtutis. Hilariana verba superius recitavimus. Eandem ergo adhibemus responsionem. Denegat Hilarius in Christo omnem sensum doloris irruentem in divinitatem, & prædominante atrocitate torquentem invitum, concedo: afficientem infirmitatem corporis, & divina permittente virtute inferentem passiones, nego. At inquis in aere, in aqua, in igne dum perforatur, & pungitur, non est natura quæ patitur; igitur nec patibilis natura fuit in Christo. Recte concluderes, nisi Hilarius præmisisset se disputare adversus Hæreticos, qui affirmabant Christi divinitatem fuisse inferioris à Deo Patre naturæ, & humanæ passionis metu trepidasse, & corporalis pœnæ atrocitate congemuisse. Qui hæc tali declaratione præmisit, nec humanæ passionis metum, nec corporalis pœnæ atrocitatem in Christo negavit: sed metum, atque pœnam ad quam trepidaverit & congemuerit divinitatis natura. Itaque argumentationem diluo dicens, quod sicut telum aera compungens, aut vulnerans aquam affert impetum, sed pœnam non infert; ita clavi perforarunt Christi corpus, non tamen intulerunt divinæ naturæ dolorem passionis.

15. Objicitur 3.

Opp. 3. Docuit Hilarius Christum nec passum, nec dolore aliquo affectum fuisse etiam spectata natura, & infirmitate corporis nostri. Defendi ergo ab errore non potest. Probatur antecedens. I. Eodem num. 23. docet, quod etsi passus est Dominus quatenus passio irruit in ejus corpus, tamen ipsa corporis virtus passionem excepit sine aliquo sensu pœnæ: *Passus quidem est*, inquit, *Dominus Jesus Christus dum cæditur, dum suspenditur, dum crucifigitur, dum moritur: sed in corpus Domini irruens passio, nec non fuit passio, nec tamen naturam passionis exseruit: dum & pœnali ministerio desæviit, & virtus corporis sine sensu pœnæ vim pœnæ in se desævientis excepit.* II. Disserte affirmat non habuisse corpus Domini naturam dolendi verbis sequentibus: *Habuerit sane illud Domini corpus doloris nostri naturam, si corpus nostrum id naturæ habet, ut calcet undas, & super fluctus eat, & non degravetur ingressu, neque aquæ insistentibus vestigiis cedat, penetret etiam solida, nec clausæ domus obstaculis arceatur.* Quibus verbis ex corporis Christi perfectione demonstrat habuisse naturam doloris expertem. III. Idem comprobat ex mirabili corporis Dominici conceptione, subnectens, *Quid per naturam humani corporis conceptam ex spiritu carnem judicamus? Caro illa, id est, panis ille de cœlis est, & homo ille de Deo est: habens ad patiendum quidem corpus, & passus est, sed naturam non habens ad dolendum. Naturæ enim propriæ ac suæ corpus illud est, quod in cœlestem gloriam conformatur in monte: quod attactu suo fugat febres, quod sputo suo format oculos.*

16. Respond.

Resp. nego antecedens. Atque ad primam probationem dico sanctum Hilarium per *virtutem corporis* ipsam intelligere impatibilem divinitatem. Ita in Ps. 11. num. 25. inquit: *Infirmitas honore est donata virtutis*, & in caput 1x. Matth. num. 7. *Fragilitatem corporis Virtus assumpsit.* Planissima est verborum Hilarii intelligentia: passum Dominum, & in corpus ejus irruisse passionem, sed hanc *Virtutem*, id est divinitatis naturam absque dolore excepisse. *Passus est ergo Deus* (inquit in Ps. 53. num. 12.) *quia se subjecit voluntarius passioni: sed suscipiens naturales ingruentium in se passionum (quibus dolorem patientibus necesse est inferri) virtutes, ipse tamen à naturæ suæ virtute non excidit, ut doleret.* Ad 2. eadem est adhibenda responsio: quippe nomen *Naturæ* accipit Hilarius pro sola divinitate, quo sensu ait eodem libro x. de Trinit. num. 66. *Cum infirmitas esset ex forma servi, & natura maneret ex forma Dei.* Christi itaque corpus non habuit *naturam dolendi*, in quantum Christi *natura*, id est, divinum Verbum passionem voluntarie suscepit: *nec passio illa fuit conditionis generis, ut indemutabilem Dei naturam vis injuriosa turbationis offenderet*, inquit in Ps. 111. Idem probant exempla ab Hilario eo loci adducta, quandoquidem Christi corpus habuit naturam, quæ ferebatur in humidis, insistebat in liquidis, & attactu suo mirabilia patrabat, non spectata conditione corporis, sed virtute divinitatis, quemadmodum docet Hilarius lib. VII. de Trinit. num. 36. Ad tertium valet hæc eadem responsio: concepta enim Christi caro de Spiritu sancto,

& divinitati hypostatice conjuncta non habuit *naturam ad dolendum*, quatenus unita fuit Divinitati impatibili, & *Virtuti*, quæ corpus assumptum voluntarie subjecit passioni; ipsam tamen *naturam ad dolendum* habuit in se spectata. Atque his, si alia occurrunt in Hilario difficilia, commode poterunt explicari.

CAPUT VIII.

De Christi Domini Anima, atque Intellectu.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. 3. 4. Fit propositio, & demonstratur ex Scripturis, traditione, & argumentis Theologicis.
5. imò etiam Apollinarii hæresis infirmatur ab aliquibus Philosophis.
6. Propositio 2da fit, & deducitur ex dictis.
7 & 8. Objectis satisfit.

1. Status Quæstionis.

ARianorum plerique, ut ex præcedenti capite infertur, corpus quidem à Verbo fatebantur assumptum, sed vicem animæ præstasse Divinitatem, quô hanc patibilem, & natura Patris adstruerent inferiorem. Testis est hujus erroris Athanasius de Incarnat. adversus Apollinaristas, Epiphanius de Anaceph. & S. P. Augustinus cap. LV. De Hæresibus. Apollinario tamen error iste præsertim tribuitur, quod revera non fuerit inter Arianos, & Eunomianos communis, Laodicænus autem Antistes illum apertissime propugnaverit. Nam cum anno 362. damnatus est in Synodo Alexandrina, cui interfuerunt Athanasius, & Eusebius Vercellensis, ob præclaram illius existimationem non fuit expresse nominatus: sed proscripta tantum fuit hæresis sub ejus nomine anno 381. in II. Constantinopolitana Synodo Generali.

Notandum tamen est, quod Apollinaristæ humanam quidem animam Christo denegarunt, sed admiserunt tandem sensitivam, quali gaudent bruta animantia. Sanctus enim Pater Augustinus loc. citato ita illorum hæresim describit: *Apollinaristas Apollinarius instituit, qui de anima Christi à Catholica dissenserunt, dicentes sicut Ariani, Deum Christum carnem sine anima suscepisse. In quæstione testimoniis victi mentem, qua rationalis est anima hominis non fuisse in anima Christi, sed pro hac ipsum verbum in ea fuisse dixerunt.* Idem docent Athanasius libro contra Apollinarium primo, Cassianus de Christi Incarnat. Vincentius Lirinensis cap. 17. Commonitorii, aliique complures. Primum itaque videndum est, an Verbum divinum animam revera assumpserit, deinde an hæc anima mente ac ratione prædita fuerit, an vero mente tantum cælesti atque divina.

2. Propositio I.

PROPOSITIO I. Divinum Verbum animam humanam assumpsit.

Demonstratur Scripturis, Traditione, & Theologicis argumentis. Atque in Scripturis habetur I. Joannis X. 15. *Ego pono animam meam pro ovibus meis.* Hanc profecto animam constat non esse Verbum Divinum, quoniam istud eadem Persona est, quæ animam posuit, dum tradidit spiritum, & dum resurrexit, iterum illam sumpsit. Neque dicas accipi hoc loco animam pro vita tantum temporali, ita, ut ponere animam idem sit ac mortem subire: cum enim vita sit animæ in corpore officium, mors autem ejusdem animæ à corpore separatio; idem est posse mori, ac posse animam à carne divelli. Imo, etsi mors contingere aliquando posset absque animi separatione à corpore, dummodo ille vitæ officium, sive intrinsecum, notum subtraheret, quemadmodum asseruit Picus Mirandulanus: adhuc Verbum, quod animam posuit, & reassumpsit, ideoque illam à corpore vivificando pro libitu sejunxit, & revocavit, non anima esset, sed exercens in animam, ejusque officia potestatem. II. Tribuunt Scripturæ Christo passiones animæ, ut Joan. XII. 27. *Nunc anima mea turbata est:* & Matth. XXVI. 38. *Tristis est anima mea usque ad mortem;* nec non desiderium, mœrorem, aliasque passiones, quas supra diximus in impatibilem divinitatem non cadere. Demonstratur Scripturis.

Traditio etiam Patrum exploratissima est. Athanasius in primo adversus Apollinarium libro ait: *Quomodo tristis, & animo turbatus humanam non habuit animam? Tribuere enim talem sensum materiæ insensibili absurdum, Deo immutabili adscribere blasphemum.* Theodoretus de Hæret. Fab. *Si enim Verbum Deus animam non assumpsit, nec liberare eam, nec gloriam ei parare potuit.* Eandem rationem affert Damasus Papa in Epistola Synodica, in qua hanc Apollinarii hæresim pro- 3. Traditione.

proscripsit. S. Pater Augustinus Epistola ad Dardanum num. 4. *Profecto cum dicis hominem perfectum, totam illic naturam humanam vis intelligi: non est autem homo perfectus, si vel anima carni, vel animæ ipsi mens humana defuerit.* Cap. 4. de Fide, & Operibus adducit sanctus Pater eandem rationem nuper ex Damaso, & Theodorito productam: quam etiam reperies in priori Nazianzeni Epistola ad Cledonium. S. Fulgentius in libro de Incarnat. ad Trasimundum cap. 14. & ipse Apollinaristas refellit, ex quo anima gravius peccato sit vulnerata, quam corpus, atque isti dignitate præcellat. Addit cap. 15. hoc argumentum, quod tentatis in anima passio Christi afferat auxilium, *nec in eo quo tentatus non est, tentatis auxilium ministret.* Validissimum utique argumentum, ac desumptum ex Epistola ad Hebræos cap. 11. v. 17. & 18. Laudatus Athanasius citato libro Apollinarium urget ex Christi ad Inferos descensu. *Quomodo*, inquit, *affirmabitis cœlestem in Christo mentem fuisse animæ rationalis partes obeuntem? An in duas divisum partes corpus ejus dicetis? An alia ejus pars in sepulchro, alia apud inferos extitit? Quomodo fieri potuit, ut qui animam non haberet, ad inferos descenderit?* Sufficiat pro reliquis omnibus Synodica præcitati Concilii II. Constantinopolitani, in qua legitur: *Incorruptam retinemus Incarnationis Domini doctrinam, nec corpus ejus anima suaque mente destitui, nec Incarnationem ejus imperfectam esse statuentes.*

4. Et Theologicis argumentis.

Ex his Theologicæ argumentationes promuntur. Prima quod Christus verus homo est: at non esset, si rationali anima, quæ hominis est pars præcipua, careret. Altera quod hominem assumpsit, ut illum redimeret, est autem animarum potius, quam corporum Reparator. Tertia quod in divinitatem, ut diximus, naturæ nostræ passiones, nec mors, nec descensus ad inferos, nec resurrectio à mortuis potest cadere. Postrema, quod tribuit animabus in tentatione victoriam, ideoque, & ipse in anima tentatus est.

5. Aliquorum Philosophorum sententia multùm infringit Hæresin Apollinarii.

Obiter nota valere adversus hæresim Apollinarii sententiam quoque illorum Philosophorum, qui arbitrantur solam rationalem animam esse dolendi, ac sentiendi capacem. Etenim Apollinaristæ, cum Orthodoxi ad firmandam Catholicam doctrinam illos provocarent ad illa Salvatoris verba, *Tristis est anima mea usque ad mortem*, respondebant tristem fuisse *sentiente anima*, & optime corpus posse absque anima rationali *pati atque sentire*, ut in brutis animantibus contingit. Vide hanc ipsorum responsionem inter Op. Sancti Athanasii Dialogo IV. de Trinitate. Si ergo dixeris nullam corpoream animam sentire, ut docent Philosophi recentiores, omne hac etiam sententia tollitur Apollinaristis perfugium. Imo videtur Athanasius ex hac ipsa Recentiorum sententia hæreticos refutare, dum ait: *Quomodo tristis, si humanam non habuit animam? Tribuere enim talem sensum materiæ insensibili absurdum.* Et fortasse si daretur anima, quæ rationalis non esset, & nihilominus dolorem sentiret, possent Apollinaristæ aliqua arte argumentationes istiusmodi eludere, ut animadvertit Auctor Historiæ Symboli Apost. pag. 204. Itaque aliis recentiorum Philosophorum ratiocinationibus petitis sive ex Scripturis, quæ animantium animam ponunt in sanguine, Genes. IX. 4. & Deut. XII. 23. sive ex motibus animalium à solo spirituum influxu, & organorum dispositione pendentibus, ut liquet in iis, qui fiunt in homine anima non advertente; accedit hæc, qua Athanasius impetit Apollinarium. Verum tamen est, quod præcisa hac de natura animæ quæstione, admissaque plurium animarum partitione, probatur in Christo anima rationalis ex ejus passionibus, quatenus fuerunt cum apprehensione animi conjunctæ.

6. Propositio 2.

Propositio II. Assumpsit Verbum divinum etiam humanam mentem atque intellectum.

Firmatur ex dictis.

Sequitur ex dictis. Illa enim anima mente ac ratione prædita est, imo à mente atque ratione indistincta, quæ apprehendit, quæ perfectum hominem constituit, quæ subsistit etiam à corpore separata. Talem esse Christi animam superiora argumenta demonstrant. Itaque mente ac ratione anima Christi destituta non fuit.

Solvitur Objectio.

7. Objicitur.

Apollinaristæ opponunt, quod tum ex Scripturis, cum ex ratione possit illorum hæresis comprobari. Delineans enim Joannes Evangelista cap. 1. 14. Incarnationem Domini, ait: *Verbum caro factum est*, nulla animæ, aut humanæ mentis facta mentione. Proximis verbis inquit: *Et habitavit in nobis*, demonstrans ad hoc in mundum venisse, ut conversaretur cum hominibus: ad quod sane necessaria non videtur animæ

assumptio. Ad quid autem hæc anima? Ut mortem Salvator pateretur? At mors in corpus vim habet, non in animam. Ut descenderet ad inferos? At descendit divinitas, vel persona. Ut miracula patraret? Verum hæc omnipotentiæ sunt opera. Itaque ut carnem assumeret, habuit Dei Verbum apertam causam habitandi inter homines, & pro hominibus moriendi: ut assumeret etiam animam, causam nullam habuit, præsertim cum posset ipsum Verbum supplere rationalis animæ munera, & facultates.

8. Respondetur. Resp. hæc ex dictis esse soluta. Diximus enim Scripturas non solum Christi carnem commemorare, sed etiam animam, spiritum, naturam humanam, atque hujus proprietates. Joannes ergo cap. 1. *carnem* pro toto homine posuit, ut Gen. VI. 12. Esaiæ XL. 5. Matth. XXIV. 12. Lucæ III. 6. & ad Rom. III. 20. *Carnem* etiam Joannes commemoravit adversus emergentes hæreses eorum, qui negabant Christum in carne venisse, atque ut ostenderet fuisse in corpore visibilem, manifestum, atque tractabilem, ut scribit adversus Praxeam Tertullianus. Addit causam alteram Ep. 120. Augustinus, *Ut Christi humilitatem magis ostenderet.* Neque Filius Dei factus est homo tantummodo ut habitaret in nobis, sed ut poneret animam suam, ut peccatores salvos faceret, ut tentaretur per omnia in similitudine absque peccato. Infertur quidem mors corpori, sed anima recedente, & ratione ipsius animæ divina Persona descendit ad inferos, & resurrexit, quippe, ut ratiocinatur citato loco Athanasius, *necesse est ab inferis resurrectionis initia repetere, ut perfecta & vera sit resurrectio, solutio nempe à morte, & liberatio spiritus ibi adservati.* Hæc, & alia plurima, cujusmodi sunt affectus omnes humani à Verbo absque mentis perturbatione suscepti, competere nequeunt divinæ naturæ immutabilitati. Ideoque nequit hæc singulas humani spiritus partes explere.

CAPUT IX.

De rationalis animæ Christi perfectione, quantum spectat ad mentem, atque intellectum.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. & 3. Fit propositio, & demonstratur variè.
4. 2da propositio multipliciter probatur.
5. 3tia propositio stabilitur.
6. & 7. Fit propositio 4ta & defenditur Augustinus à Roma.
8. & seqq. solvuntur objectiones.

1. Status quæstionis. NON soli Ariani exspoliarunt Christi animam plenitudine sapientiæ, ut ex illius ignorantia probarent non habuisse summam, perfectissimamque divinitatem, & qui purum hominem illum esse commenti sunt Gnostici, Ebionitæ, Sociniani: verum etiam specialis sectæ quidam hæretici, quos appellaverunt ob perversum istud dogma *Agnoitas*, de quibus Codice CCXXX. Bibliothecæ Photius. Cum obscurioris nominis sint, non alios putandum est fuisse Agnoitas, quam *Corrupticolas*, de quibus egimus supra. Ad horum modo refutationem præmittimus duplicem esse scientiam, divinam scilicet, & humanam: hanc vero aut inditam, qualem habuit Adam; aut acquisitam studio, vel experimento comparatam; aut beatificam, quæ in intuitiva visione Dei sita est. Atque de scientia divina, quoniam à divinitate nequit sejungi, hac alibi demonstrata, ut iterum disceptemus videtur supervacaneum. Quare de humana Christi scientia dicturi, principio adversus Joannem de Ripa in III. Sent. disput. XIV. & Hugonem Victorinum in libro de Sapientia Christi, demonstrabimus hanc necessario esse admittendam, neque Salvatorem nostrum sola divina scientia fuisse præditum: deinde vero de scientia Christi acquisita, ac postremo loco de ea, quæ beatorum spirituum propria est, disseremus.

2. Propositio 1. PROPOSITIO I. Præter increatam divinamque scientiam fuit Christus exornatus perfectissima scientia infusa, & creata.

Demonstratur 1 ex VI. synodo, & 2. ex ratione. Demonstratur I. ex VI. Synodo Generali, in qua, ut dicam proximo capite, definitum est duas esse in Christo *notitias impermixtas*, & duas voluntates. II. Probatur ratione. Assumpsit enim Verbum animam rationalem, quæ aut est sua natura substantia cogitans, aut ejus singularis proprietas est cogitare, & percipere. Habuit autem Christi anima omnem perfectionem; ideoque perfectam plenissimamque rerum omnium notitiam. Deinde Christus per intellectionem divinam atque increatam promereri non poterat, divinitas enim merendi incapax est; & consequenter meruit

meruit per intellectionem humanam, & creatam cum humana pariter & creata voluntate conjunctam. Atqui non potuit in merito proficere, ita, ut nova illi perfectio meriti accederet, alioqui imperfectam animam à principio habuisset. Igitur perfecta semper cognitione, perfectaque humana voluntate fuit exornatus. Traditur prior ratio ab Ambrosio de Sacram. cap. 7. à Hieronymo in VII. Isaiæ, & in Epist. ad Irenæum, ab Aug. in Psalmum 64. & lib. 2. de peccatorum meritis cap. 29.

3. Demonstratur ulteriùs 1. ex scripturis.

Hæc argumenta probant fuisse in Christo scientiam, & cognitionem humanam; fuisse autem non solum perfectam, qualis ad merendum requiritur, sed etiam plenam, singularem, & divinitus inditam, demonstratur primo ex Scripturis. Is. XI. 2. *Requiescet super eum Spiritus sapientiæ, & intellectus* Joan. I. 14. *Plenum gratiæ, & veritatis.* Ad Colos. II. 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.*

2. Ex Patribus.

II. Probatur ex Patribus. Ambrosius Lib. V. de Fide cap. 18. inquit: *Nihil fuit, quod ignoraverit Dei filius.* Hieronymus ad Damasum: *Plenam habuit scientiam, & certissimam veritatem.* Augustinus loco nuper citato: *Ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis.*

3. Ex ratione.

III. Firmatur ratione, quam paulo supra produximus, quoniam minime decebat à Verbo animam imperfectam assumi.

4. Propositio 2.

Propositio II. Fuit in Christo etiam scientia acquisita, & experimentalis.

Prob. 1. ex scriptura.

Probatur I. ex Epist. ad Hebræos v. 8. *Cum esset filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam.* Complures etiam Doctores de hac scientia acquisita per praxim, atque experimentum accipiunt ea verba Lucæ II. ultimo: *Proficiebat sapientia, & ætate.*

2. Ex Patribus.

II. Probatur ex PP. affirmantibus in Christo cum sapientiæ, tum divinitatis manifestationem, atque explicationem, quæ fit rerum efficientia & experimento, ut inquit Orat. 3. contra Arianos S. Athanasius, & lib. III. contra Nestorium S. Cyrillus.

3. Ex ratione.

III. Probatur ratione. Hoc discrimen intercedit inter scientiam inditam, & acquisitam, quod illa spectat rerum substantias, atque exhibet veritates, ut relucent in ideis, ac notionibus menti hærentibus, qualem alibi diximus fuisse participationem æternæ lucis principio concessam angelis: scientia autem acquisita spectat veritatis jam perceptæ modum ac determinationem, sive objectorum præsentiam: unde tradunt Scholastici scientiam infusam nullatenus à phantasmate, sensuumque ministerio pendere, bene tamen acquisitam, atque usu & exercitatione comparatam. At anima Christi sensuum officio ipsaque experientia percepit vitæ suæ decursu objecta præsentia, v. g. patrata à se miracula, discipulorum obedientiam, cogitata, & machinamenta Pharisæorum, & quæcunque ab initio per anteceptam notitiam interiori mente prænoverat. Fuit ergo in Christi anima etiam scientia experimentalis & acquisita.

5. Propositio 3.

Propositio III. Fuit in Christo in hac etiam mortali vita scientia Beatorum, viditque adhuc viator divinitatem & gloriam.

Probatur ex scripturis.

Demonstratur primo ex Scripturis. In his, ut diximus prop. 2. asseritur, Christum fuisse plenum gratiæ & veritatis, in eoque extitisse omnes thesauros sapientiæ & scientiæ Dei. Legimus etiam Joannis I. 18. & III. 13. ipsum Christum inter nos commorantem affirmasse se in cælis, & in sinu Patris fuisse. Eodem cap. III. v. 11. testatur Jesus, se annuntiare Trinitatis arcana, quæ noverat ac viderat; atque VIII. 14. demonstrat verum esse testimonium, quod de propria divinitate perhibebat, quia sciebat seipsum. Sed frui divinæ scientiæ plenitudine, commorari in sinu Patris, ipsum videre, & divinitatem perfecte cognoscere, est habere scientiam Beatorum. Hanc ergo scientiam habuit etiam in hac mortali vita Christi anima.

2. Ex Patribus.

II. Confirmatur ex Patribus. Eusebius Cæsariensis cap. 21. libri X. Dem. Evang. exponens ea verba Psalmi XXI. *In te projectus sum ex utero*, inquit: *Cum enim adhuc in utero laterem gestantis me Genitricis, te Deum meum intuebar.* S. Pater Augustinus in Ps. XV. ait humanitatem Christi nunquam *amisisse hæreditatem, & claritatis notitiam, qua divinum Verbum erat apud Patrem, priusquam mundus fieret*: & quæst. 65. ex LXXXIII. explicans quid significarent linteamina, quæ in monumento inventa sunt, docet fuisse quoddam symbolum carnis, qua non ita spiritus implicabatur, *ut eum aliquid lateret, aut ab itinere retardaret.* Libro etiam priori de Peccatorum meritis cap. 31. ait: *Per distantiam divinitatis, & infirmitatis filius Dei manebat in cælo, filius hominis ambulabat in terra: per unitatem vero personæ, qua utraque substantia unus Christus est, & Filius Dei ambulabat in terra, & filius hominis manebat in cælo.* Fulgentius ad Ferrandum

dum Diaconum hæc scribit: *Non existimo illi animæ in aliquo plenam divinitatis deesse notitiam, cujus una est Persona cum Verbo*: & infra: *Ubi spiritus non est ad mensuram datus, necesse est, ut plena sit divinitatis immensæ notitia.*

3. Ex ratione. III. Confirmatur ratione, quæ ex dictis fluit, atque traditur in 2. Quodlib. q. 4. ab Ægidio: Qui enim plenus est gratiæ & veritatis, qui Spiritus dona non ad mensuram accepit, qui Mediator extitit inter Deum, & homines, qui omnes habuit divinæ scientiæ thesauros, ita, ut de plenitudine ejus omnes accipiant, is profecto destitutus non fuit scientia Beatorum: quisquis enim hac caret, cognoscit ex parte, videt in ænigmate, atque nondum assecutus est plenam divinitatis notitiam. At Christus plenus erat omnis gratiæ & veritatis, super eum requiescebat Spiritus sapientiæ, in ipso fons erat aquæ, ac virtutis salientis in vitam æternam, ipse erat veritas, & omnium hominum Præceptor ac mediator. Itaque non ex parte, non per speculum, non in ænigmate, sed facie ad faciem ipsam intuebatur divinitatem.

6. Propositio 4. Propositio IV. Non habuit tamen Christus ut homo scientiam comprehensivam.

Probatur. Evincitur I. quoniam cognitio comprehensiva, ut alibi demonstratum est, debet non solum divina omnia scrutari, verum etiam singula divinorum attributorum objecta, & creaturas quasque possibiles, ad quod virtus requiritur infinita, qualem nequit habere creatus animus. II. Damnata est sess. 2. Concilii Basileensis, tunc legitimi, & sub legitimo Pontifice constituti, propositio Augustini Romani, & Episcopi Nazareni: *Anima Christi Deum videt tam clare, & intense, quam clare, & intense Deus videt seipsum.* III. Anima Christi sapientiam recepit per spiritum in ipsa habitantem, ut ait Esaias XI. 2. non est autem ipsa Christi anima suamet sapientia, aut Spiritus sapientiæ super eum requiescens. Sapientia autem recepta in animo non omnia comprehendit, sed ipsa subjecti limitatione circumscribitur & finitur.

7. Defenditur Augustinus à Roma. Augustinus de Roma, cujus nuper meminimus, fuit nostri Ordinis Generalis Antistes, ediditque librum de humana natura Christi, in quo plures asseruit propositiones, inter quas nuper citata, & altera in Indiculo Basileensi prima, *Christus quotidie peccat, & ex quo fuit Christus quotidie peccavit.* Nemo tamen hunc virum aut hæreticum, aut rudem, aut impium existimet. Nam Synodus Basileensis eo loci declarat nullam à se adversus illius personam proferri sententiam. Ait etiam propositionem nuper prolatam, traditam ab Auctore non referendo peccatum ad ipsam personam Christi, sed ad membra sua, quatenus cum Christo capite unum sunt. Hoc quidem sensu dicebatur Saulus Christum persequi, dum in Christianos sæviret. Et quemadmodum hæc propositio ab Augustino Romano catholico sensu prolata est, ita etiam reliquæ, quæ videntur continere Anomœorum insaniam, aut hæresim Nestorii, fuerunt ab Auctore enuntiatæ recta intelligentia, & ratione unionis hypostaticæ, quemadmodum Fulgentius loco citato inquit: *Non existimo illi animæ in aliquo plenam divinitatis deesse notitiam, cujus una est persona cum Verbo: quam sic Sapientia suscepit, ut eadem Sapientia ipsa sit.* Ut ergo Fulgentius animæ Christi tribuit eandem sapientiam Verbi, ita Augustinus de Roma tribuit eidem animæ claram, & intensam visionem ipsius Dei, spectata Personæ Verbi, cui anima substantialiter conjuncta est, unitate. At quoniam hujus Scriptoris propositiones talibus verbis conceptæ, & à libello divulsæ falsissimum sensum exhibent, in ipsoque libro nequeunt absque perspicaci acumine distingui, fuerunt in illa Synodo jure meritoque proscriptæ. Cæterum Auctor tam eximia scientia præstabat, ut non solum promeruerit scriptorum omnium laudes, ut in Historica dissertatione demonstrat Gandolfus pag. 74. sed etiam alter Augustinus ob eloquium, & sapientiam fuerit appellatus. Fuit autem moribus & vitæ sanctimonia adeo clarus, ut Beati viri titulum adeptus sit, atque in Templo S. Augustini Pratensi Provinciæ nostræ Pisanæ religioso cultu, ac summa veneratione asservetur.

Ad Objectiones Responsio.

8. Objectiones. Opp. I. Lucæ II. ult. legitur, *Et Jesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* Non ergo fuit anima Christi à priori conceptionis instanti perfectâ rerum cognitione exornata, sed quemadmodum ætas, ita sapientia illius suscepit perfectionem atque incrementum. II. Matthæi VIII. 10. dicitur Christus Centurionis fidem fuisse admiratum, *Audiens autem Jesus miratus est.* Admiratio autem nequit cum plena sapientia conjungi. III. Christum ignorasse peccata scribit Apostolus

in

in 2. ad Corinth. v. 21. *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* IV. De ipso prænuntiatum fuerat ab Isaia VIII. 4. *Antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam:* quibus sane verbis commonstratur ignorantia, communisque cæterorum puerorum miseria. V. Denique Christus ipse Marci XIII. 31. protestatus est se diem Judicii nescire dicens, *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater.* His ergo divinarum scripturarum testimoniis Christum plura ignorasse convincitur.

9. Respondetur ad 1mum.

Resp. Ad primum quod Christus proficiebat scientia acquisita & experimentali, dum vitam agendo sensu animæ, & exercitatione virtutum experiebatur in rerum eventu, quæ ab initio prænoverat mentis intelligentia. Hoc sensu videtur mihi accipiendus Ambrosius in libro de Incarnat. Dominicæ Sacramento, ubi ait, quod Christus *proficiebat sapientia hominis.* Quamquam enim Magister in III. dist. XIII. §. *Ait*, explicat Ambrosium, quod affirmaverit Christum profeciisse *quantum ad visum hominum & sui sensus ostensionem*, uti etiam explanat Vellosillus Adv. in Ambros. Q. XIII. cum tamen S. Doctor scribat profeciisse Christum sapientia humana per *incrementum*, quo *mutabatur in melius*, congruum est, ut illum de scientia experimentali interpretemur. Atque ita difficultatem non habent, quæ Ambrosius ait: *Deus perfectionem naturæ suscepit humanæ: suscepit sensum hominis, sed non sensu carnis fuit inflatus. Sensu hominis animam dixit conturbatam, sensu hominis esurivit & rogavit, sensu hominis profecit, &c.* Recte hac responsione verba omnia Ambrosiana simul cohærent. Suscepit enim Deus naturæ humanæ perfectionem, ideoque mentem plena scientia exornatam: hæc tamen scientia incrementum habuit, & in melius mutata est, non quantum ad substantiam rerum per scientiam infusam perceptarum, sed quantum ad operum experimentum, & ad objecta in se consistentia. Eadem ratione inquit Apostolus ad Hæb. v. 8. *Cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam.* Huic autem interpretationi non repugnat altera, quam tradunt complures, in tantum Jesum profeciisse sapientia, in quantum ejus virtus manifestabatur hominibus, ut exponunt Gregorius Nazianzenus Orat. XX. Athanasius in III. contra Arianos, & Cyrillus lib. 3. adv. Nest. laudati ab erudito Theologo H. Tournely de Incarnat. pag. 358. nec non Gregorius Magnus citatus à Magistro, nisi potius ea verba sint Bedæ; & insuper Hieronymus, Augustinus, Remigius, Damascenus, Theophilactus, quorum verba recitat Vellosillus.

10. Urgetur & respondetur.

Urgent cavillatores quidam ea verba, *coram Deo*, dicentes, Ergo Christus revera proficiebat sapientia. Alii opponunt comparationem ætatis, subinferentes, si vere augebatur ætate, vere etiam profectum recipiebat doctrinæ. At hæc eundem sensum præseferunt, id est, vere coram Deo, & coram hominibus exercendo humilitatem atque obedientiam virtutum actus animam Christi exornabant, atque de se optimum singulis præbebant experimentum, ut Genes. XXII. 12. ait Deus Abrahamo ad filium immolandum parato, *Nunc cognovi quod times Deum*: & ipse Jesus post sanatam à profluvio sanguinis mulierem dicitur Marci cap. V. 30. cognovisse *in semet ipso virtutem, quæ exierat de illo:* quæ debent, ut liquet, accipi de vera cognitione sita in rerum experimento. Negari etiam potest ea verba *sapientia & ætate* referri ad illa, *apud Deum, & homines*, cum inusitatum sit dicere, quempiam proficere apud Deum aut sapientia, aut ætate: sed proficiebat Christus apud Deum, & homines *gratia*, opera nimirum spectabilia, & cum Patri, tum hominibus accepta patrando, ut animadvertit Jansenius in hunc locum, & in III. Sent. dist. 13. illustris Estius.

11. Respondetur ad secundum.

Eadem ratione fuit in Christo admiratio, non quæ ex ignorantia procedit, sed quæ ad novum & insolitum objectum quamvis prævisum, erumpit foras, eo pacto, quo Joannis XI. 35. dedit profusis lacrymis signa tristitiæ ob mortem Lazari, quam supra versu 14. præcognoverat, & appropinquans Jerosolymis item ob futuram desolationem amare flevit, exteriori ploratu commonstrans proximam calamitatem. Ob hanc ergo causam justæ admirationis signa dedit cum Centurio suam fidem, Matth. VIII. 20. patefaceret, & cum patriæ suæ cives, Marci VI. 6. nullum illi exhiberent honorem, ut quisque perciperet quam esset digna laude fides alienigenæ, & quam execranda concivium suorum pervicacia.

12. Respondetur ad tertium.

Ad 3. nihil aliud est respondendum nisi quod *ignorare* sæpe sæpius idem significat ac odio habere, quemadmodum *cognoscere* est idem ac *approbare* & *diligere*, ut diximus libro IV. cap. 2. Ita ergo dicitur Dominus ignorare peccatum, quomodo ait Matth. VII. 23. operanti-

rantibus iniquitatem, *Nunquam novi vos*, & cap. xxv. 12. fatuis virginibus, *Nescio vos*, nimirum, *reprobo ac damno.*

13. Responderur ad 4. Quod profertur ex cap. VII. Esaiæ, de impedimento infantiæ est accipiendum: non de impedimento illo, quod oritur ex puerili ignorantia, sed de illo, quod procedit ex debilitate membrorum, quæ per ætatem ad animæ officia reddunturaptiora; juxta quem sensum de puerulis, qui reptando incedunt, dicimus, *Nesciunt ambulare*, id est, *nondum valent:* & ideo legitur in Hebræorum Codice, *Antequam sciet puer vocare Pater mi, & mater mea.*

14. Respondetur ad 5. Postremum de ignorantia diei extremæ, quod cæteris est difficilius, solutum à nobis est libro VII. cap. 12. quatenus Christus dixit se nescire diem Judicii, in quantum est caput Ecclesiæ, & paternorum consiliorum administer, id est, non ita sciebat, ut expediret diem illum discipulis indicare: quæ responsio vera est, atque ut ibidem diximus, tradita ab Augustino. Etenim soli Patri tribuitur in Evangelio illius diei præscientia, quam tamen etiam divinum Verbum ac Spiritum sanctum habere solus Arianus aut Macedonianus inficias ibit. Verum tamen est nonnullos Patres contra Arium disputantes asserere Christum ut hominem ignorasse revera judicii diem, ut scribunt Eustathius Antiochenus lib. VI. Gregorius Nazianzenus Orat. 36. Hilarius lib. IX. de Trinit. & Athanasius Orat. 4. contra Arianos, quorum verba vide apud Petavium lib. II. de Trinit. cap. 3. Sed hi possunt explicari, in quantum ignorantia subest humanæ Christi naturæ ex ingenita facultate, & præcise in quantum humana est, non prout est *hypostatice* conjuncta divinitati. Aut si verba aliqua hunc sensum minime patiantur, dicendum erit ob hanc eandem causam, quod Patres illi cum Arianis congrederentur, ne aliò disputationem distraherent, & versutas adversariorum argutationes facilius contererent, affirmasse quod ex ignoratione ultimæ diei nequeat evinci inferior in Verbo natura, cum, etsi daretur hæc ignorantia, non caderet in divinam Filii mentem, sed in humanami. Suspicatur præterea Ambrosius lib. v. de Fide cap. 7. abesse à veteribus Codicibus, *neque filius*, quod non adinveniri in pluribus exemplaribus scribit etiam in caput XXIV. Matth. vers. 36. Hieronymus. Verum etsi potuerit hic locus dolo Arianorum corrumpi, certum est ea verba reperiri apud Marcum, atque inde fortassis in Evangelium Matthæi derivata sunt, maxime quod congruentia sint verbis illis utrobique extantibus, *nisi Pater*. Quare ne his ambiguis admodum & invalidis tela Arianorum videremur potius declinare, quam frangere, constitutum nobis fuit priorem tradere responsionem.

15. Objicitur ulterius. Opp. 2. Repugnat scientia Beatorum, quæ in manifesta visione Dei sita est, vitæ, quam Christus ante passionem inter homines egit. Primo namque in hac mortali vita nondum fuisse glorificatum aperte traditur Joan. VII. 39. Deinde vix gloriæ libamina degustasse in transfiguratione, liquet ex Matth. XVII. 2. Præterea tristitia ac mærore maximo affectus est mortem in horto præmeditatus. *Apparuit* etiam ea occasione *Angelus de cœlo confortans eum*, ut habetur XXII. 43. Lucæ. Clamavit quoque in cruce pendens se à Deo derelictum verbis Psalmi XXI. *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Ex his argumentantur: Scientia & cognitio perfecta divinitatis secum trahit animæ glorificationem, corporis immortalitatem atque splendorem, gaudium sempiternum, ac perennem felicitatem. At Christus hæc ante Resurrectionem assecutus non est. Itaque non fruebatur manifesta visione divinitatis.

16. Respondetur Resp. cap. Joan. VII. dici Christum nondum glorificatum manifesta in cælum ascensione, quemadmodum ibidem ait Joannes nondum fuisse Spiritum datum, quoniam, ut Augustinus exponit Tract. XXXII. in Joan. *antea non apparuerat.* Ut igitur Spiritus absque manifestatione datus jam erat Mariæ, Annæ, Zachariæ cæterisque prophetis, ut ibidem S. Pater demonstrat; ita Christi anima priusquam in corpore glorificato resurgeret, fruebatur beatissima visione divinitatis. Quod autem Salvator in monte Thabor, sive, ut quidam opinantur, in Libano gloriosus apparuerit, & gloriæ Domini sui servierint Moyses, & Elias, potius demonstrat fuisse in Christi potestate, ut gloriæ splendor redundaret in corpus, aut se inde subtraheret. Tristitia mortisque sensus arguit quidem in hominum Redemptore assumptam carnis infirmitatem, sed non oppugnat, ut infra dicemus, spiritus beatitudinem. Quæ apud Lucam habentur de sudore Christi sanguineo, & Angeli confirmatione, omitti in nonnullis Græcis, Latinisque Codd. scribunt Hilarius lib. X. de Trinit. & Hieronymus in II. adversus Pelagianos. Genuina sunt tamen, ac talia habentur ab ipso Hieronymo,

mo, nec repugnant humanæ infirmitati, in qua voluit Salvator tentari per omnia, ut posset nobis in angustia & tribulatione positis condolere. Extrema morientis verba fuisse hominis cum desperatione luctantis, & etiam ipsa desperatione absorpti, fuit opinio Joannis Feri Ecclesiastæ, ut vocant, Moguntini, aliorumque impiorum hæreticorum. Sed tanta, atque inaudita blasphemia ipsis Christi verbis revincitur. Si enim fiducia in Patrem carebat, cur ad ipsum confugit exclamando, *Deus meus*? inquit adversus Sectarios suos libro II. Harmoniæ Evangelicæ cap. 9. Gerardus Vossius. Et Grotius in Matthæum demonstrat particulas, ἱνα τὶ, *ut quid*, vocem esse deprecantis ex cap. XXXII. 11. Exodi, atque ex Psalmo XI. 1. Accipi eadem significatione hebraicum לָמָּה 2. Regum II. 22. 2. Paralipp. XXV. 16. Jeremiæ XXVII. 13. Ezech. XXXIII. 11. aliisque in locis demonstrat Glassius lib. V. Tract. 2. cap. 5. Atque hos ad confutandos hæreticos arbitror satis esse. Nam ad nostratium eruditionem proponimus Estium in Cap. XXVII. Matth. & in V. Epist. ad Hebræos vers. 7. Itaque agnoscimus in verbis Christi humilem deprecationem una cum experimento voluntatis humanæ.

17. Cum visione beata stat tristitia.

Sed illud accuratius explicandum est, unde pendet omnium argumentorum solutio, quomodo cum intuitiva Dei visione potuerit consistere tristitia, deprecatio patientis, & Angelicæ consolationis officium. Canus de locis Theologicis lib. XII. cap. 13. ait, gaudium utique ex Deo viso in voluntate necessario nasci, non secus atque ex sole lumen, & calorem ex igne: sed retraxisse aliquando solem radios suos, id est, in hominum Redemptione perficienda omnem voluptatem fuisse repressam, quam alias ex visione Dei proficisci naturæ ratio demonstrat. Addit Christum licet habuerit essentiam beatitudinis, non tamen habuisse accidentia, quæ inde per se consequuntur. Docet etiam, quod fruitio sine gaudio potest intelligi, quemadmodum fruitur fructibus arboris, qui nullam ex eis capit ob morbum voluptatem. Concludit, quod Christus non solum videbat, sed etiam fruebatur, quamvis derelictus à Deo omnique penitus solatio destitutus non gaudebat. Hæc eloquentis Theologi verbis sunt expressa.

18. Sententia Cani excitat

Quamquam autem possit hæc sententia in nobis excitare amoris, & grati animi recordationem, cum anima Christi pro sua erga nos charitate sponte gaudii plenitudini renuntiasset, & vindicetur etiam iila Cani sententia à P. Serry cap. VIII. Prologi Galeati, & Exercitatione de Christo XLVIII. quibusdam Patrum testimoniis, & etiam Maldonati, Salmeronis, & Gregorii de Valentia consimili expositione: nihilo tamen minus probari mihi non potest, cum fieri nequeat ut voluntas participatione summi boni minime delectetur. Percipere præterea nequeo cur non sit gaudium, ubi amore perfecto bonum incommutabile possidetur, nec assentior frui infirmum arboris suæ fructibus, quando nullam ex iis capit delectationem. *Cum enim adest quod diligitur, etiam delectationem secum necesse est gerat*, inquit de Doctrina Christ. lib. 1. cap. 33. Augustinus. Ambrosius autem & Hilarius, ubi docent recessisse ab humana Christi natura irruente morte divinitatem, ita sunt accipiendi, ut Divinitas non adesset ad defensionem, & etiam hoc sensu delectationem subtraheret, quatenus gaudium animæ sese in superiori ratione contineret, neque in sensus diffluere.

quidem in nobis amorem.

19. Aliter tamen rem explicat communis Scholasticorum.

Expedita ergo est magisque in Scholis probata ea sententia, quod anima secundum superiorem rationem, sive quatenus mens divinitati in se inspectæ adhærebat, omni momento fruebatur atque delectabatur; sed prout corporeo sensu recipiebat illatam cruce clavisque passionem, secundum rationem inferiorem, quam *sensualitatem* appellant, afficiebatur dolore; ut explicant in III. Sent. dist. XV. Scholastici. Hoc autem non repugnare demonstrat eadem dist. S. Thomas, quod gaudium & dolor sint hoc pacto secundum diversam operationem, atque oppositum objectum, & minime ad invicem adversentur. Illis vero qui opponunt perpetuam ac plenam intellectualis potentiæ delectationem ita animum absorbere, ut distrahi non possit, neque affici sensu ullo doloris; respondendum est, quod si persona habeat super omnes animi sui facultates absolutam potestatem, ut habebat Dominus Jesus Christus, quemadmodum pati ac mori potest subtrahendo omnipotentiam suam ne protegat assumptam infirmitatem, ita cohibere potest gaudium in mente, ne diffluat in sensus. Quod nequit in aliis hominibus evenire, propterea quod tali potestate non prædita nec possunt libere irruentem mortem vitare, nec torrentem

rentem sistere voluptatis. Atque ob pleniſſimam hanc poteſtatem Salvator humani generis oblatus eſt, quia ipſe voluit; & quia voluit, ſequeſtravit in ſuperiori ratione gaudium ſupernæ delectationis. Legite Tractatum Auguſtini XLIX. in Joannem, & Opp. 3. ſuperioris Cap. VI.

CAPUT X.

De Monothelitis, qui negaverunt in Chriſto diſtinguendam eſſe divinam, humanamque voluntatem.

SUMMARIUM.

1. Status quæſtionis.
2. 3. & 4. Anteſignanus & fautores Monotheli-tarum.
5. Status quæſtionis amplius declaratur.
6. Usque ad 11. probatur dualitas voluntatum in Chriſto.
11 & 12. Probatur naturalitas harum voluntatum.
13. In Chriſto non eſt una tantum operatio.
14. & ſeqq. Solvuntur objectiones.

1. Status quæſtionis.

HAERETICI omnes, etiam ante tempora Heraclii, qui vel unam in Chriſto naturam, ſive humanam, ſive divinam, vel cum divinitate carnem abſque anima, vel animam quoque ſenſitivam, ſed mente ac ratione deſtitutam aſſeruerunt, Ebionitæ nimirum, Arianorum plures, Apollinariſtæ, atque Eutychiani, negarunt in Chriſto Domino duplicem operationem, ac voluntatem, ideoque appellari poſſunt Monothelitæ. Ut enim conſtat ex Epiſtola Agathonis ad Conſtantinum relata Act. IV. Synodi ſextæ, ex quo in Chriſto una ſtatuatur natura, conſequens eſt unicam quoque reperiri voluntatem. Peculiaris tamen Monothelitarum ſecta hæreticorum illorum eſt, qui duabus in Chriſto naturis admiſſis, aut expreſſe ſaltem non denegatis, unam voluntatem, & unam operationem in illo conſtituere moliti ſunt: cujus ſectæ exordia refert Maximus Martyr in Dialogo cum Pyrrho, & laudata Synodus Act. XIII. ad Conciliabulum Alexandrinum auctore Cyro coactum.

2. Monotheli-tarum Anteſignanus quis.

Fuit autem Monothelitarum anteſignanus Athanaſius quidam Jacobitarum Patriarcha, Eutychianorum dogmate imbutus: qui anno 629. congreſſum habuit cum Heraclio jam circumvento fallaciis Pauli hæretici Severiani, atque ſenſa Monotheliſmi Imperatori inſtillavit. Is conſuluit Sergium Conſtantinopolitanum, & Cyrum prius Phaſidis, poſtea Alexandriæ Antiſtitem, corruptusque Sergius etiam Cyrum illaqueavit. Tum Sergius fictis ſub Mennæ nomine libellis, iisque transmiſſis ad Theodorum Epiſcopum Pharanitem, ad Paulum Severianum, & ad Georgium Paulianiſtam callide hæreſim cœpit diſſeminare. Turbis propterea excitatis, data ad Honorium epiſtola omnium diſſenſionum auctorem fecit Sophronium ſanctiſſimum Jeroſolymorum Epiſcopum; ſed calumniam denudavit atque expunxit in epiſtola ad Petrum Illuſtrem ſanctus Maximus. Traxit autem ad ſe idem Sergius quam facillime Heraclii animum, tum fama nominis ſui, quæ plurimum apud Orientales percrebuerat, tum ſpecioſo titulo *unitionis* inter utramque Chriſti naturam, tum denique execratione hæreſis Neſtorianæ, cui patrocinabatur impenſe Choſroas Rex Perſarum hoſtis Heraclii infenſiſſimus.

3. Heraclius adhæſit Monothælitis.

Heraclius anno Imperii ſui 23. Monothelitis adhærens coegit Synodum quamdam Armenam, cui tamen, ne prohiberetur dogma duarum in Chriſto operationum, ac voluntatum obſtiterunt ſanctiſſimi Præſules Arcadius Archiepiſcopus Cypri, Sergius alter Arcadii ſucceſſor, & Joannes Alexandrinus cognomento Eleemoſynarius. At Sergius, defuncto interim Honorio, cujus epiſtolis falſo errorem ſuum comprobari jactabat, circa annum 630. compoſuit *Ecthefim*, ſive fidei formulam & expoſitionem, eamque nomine Heraclii vulgatam affixit valvis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, pro cujus approbatione anno 638. etiam Synodalem conventum coegit. At Imperator cum audiret de hac *Ecthefi* univerſalis Eccleſiæ quærimonias, in epiſtola ad Joannem IV. qui eandem anno 641. ut Pagius animadvertit, illam proſcripſit, conteſtatus eſt eandem *Ecthefim* neque à ſe dictatam fuiſſe, neque ſuo juſſu compoſitam.

4. Aliis hujus erroris fautores.

Defuncto Sergio anno 639. Pyrrhus ejus ſucceſſor aliam Pſeudoſynodum coegit pro *Ecthefeos* confirmatione: ſed poſtea in celebri cum Maximo conflictu ſe plane convictum confeſſus eſt, atque veniens ad limina Apoſtolorum initio Pontificatus Theodori abjuravit Monotheliſmum; quam-

quamquam rediens ad vomitum ab ipso Theodoro in Romana Synodo celebrata anno 648. damnatus est. Intrusus interea temporis in sedem Constantinopolitanam Paulus patrocinio Imperatoris Constantis, composuit *Typum*, seu Fidei formulam, in qua simulato pacis zelo silentium circa duplicem voluntatem servandum imponebat, depositā à templi valvis *Ecthesi*. *Typum* hunc damnavit Martinus in Synodo Lateranensi celebrata anno 649. Secret. 4. nam Paulus prætextu componendæ dissensionis confirmabat doctrinam *Ecthesis*, atque dogma catholicum evertebat. Hunc *Typum* dictum Constantis, quoniam ipsius auctoritate editus fuerat à Paulo, & adversus Martini Clerique Romani damnationem ab illius Exarchis Theodoro & Olympio summa contumacia defensatus, Gabriel Vasquez, doctus alioqui Theologus, disput. 73. cap. 1. ait fuisse quemdam Pauli discipulum, quem nonnulli confundunt cum *Cypo*, rectè ac lepidè à Petro Constantio viro erudito in Vindic. Vet. Codd. cap. 16. hac ratione reprehensus, quod posset eodem jure censeri *Ecthesis* Heraclii quædam Sergii discipula, atque sceleroſi *Typi* cognata. His auspiciis Monotheliſmus diversas fortunas subiit usque ad generalem Synodum sextam celebratam anno 680. in quā damnati iterum fuerunt Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus Constantinopolitani, atque plurium sententia, etiam Honorius Primus: perculsi quoque anathemate Macarius, Stephanus, & Polychronius adhuc viventes. Delata Concilii Acta, Agathone jam defuncto, ad Leonem II. is illa confirmavit, atque, ut fertur, dixit Anathema Honorio.

7. Status quæstionis amplius declaratur.

Brevi hac Monotheliſmi notitia præmissa, quærimus an in Christo admittenda sit una tantum voluntas, an duplex; & si duplex admitti debeat, an duæ in Christo voluntates appellari debeant una voluntas *personalis*, ut contendebat Macarius. Præterea inquirimus an sit in Christo una tantum operatio, quam Monothelitæ appellabant *Theandricam*; id est, *Deo-virilem*, opinantes solam divinam naturam utpote superiorem agere, humanamque cum suis potentiis esse illius *organum*, atque instrumentum, & pati quidem ac moveri, sed omnem operationem esse divinitatis. De Honorio item, ejusque damnatione dicendum est capite, ne istud sit nimis prolixum, proximori.

6. Propositio.

Propositio I. Duæ sunt in Christo Domino voluntates.

De voluntate divina assentiuntur Monothelitæ: & quidem ait ipse Dominus Lucæ XIII. 34. *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennis, & noluisti.* Perspicuum est enim, ut ait in disputatione cum Pyrrho S. Maximus, quod non quatenus homo hoc dixit, siquidem recenter fuerat factus homo, sed quatenus Deus, qui varios modos providentiæ suæ circa homines demonstravit, quibus voluit illos ab erroribus abducere, sibique aggregare. Rursus Joan. v. 21. ait, *Sicut Pater suscitat mortuos, & vivificat; sic Filius quos vult vivificat.* Quo in loco *sicut* adverbium est comparationis inter duas personas eandem substantiam ac voluntatem habentes, quoniam solius Dei est quibus vult vitam præbere.

Christus habuit voluntatem Divinam.

7. & humanam.

Probatur itaque de voluntate humana primo argumentis, quæ ex sacris literis collegit Agatho Papa in Epistola ad Constantinum, Heraclium, & Tiberium relata in Act. III. Synodi sextæ. Christus ut homo Matth. XXVI. 39. ita Patrem precatus est, *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*, sive, ut legitur apud Lucam XXII. 42. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Cujus testimonii sententiam S. Ambrosius in II. libro ad Gratianum, & Comment. in Lucam ita declarat, ut Christus susceperit *voluntatem* nostram, quemadmodum ut homo *susceperit tristitiam*, atque in ipso fuerit *voluntas hominis temporalis, & voluntas divinitatis æterna.* Et S. P. Augustinus libro II. adv. Maximinum Arianum cap. 20. *Ubi autem dixit filius Dei, Verum non quod ego volo, sed sicut tu vis, quid te adjuvat quod tua verba subjungis, & dicis: Ostendit vere voluntatem suam subjectam suo Genitori? Quasi nos negemus hominis voluntatem voluntati Dei debere esse subjectam*; & infra, *In eo quod ait, Non quod ego volo, aliud se ostendit voluisse, quam Pater, quod nisi humano corde non potest. Nunquam enim posset immutabilis illa natura quidquam aliud velle, quam Pater.* Similiter Athanasius contra Apollinarem: *Duas voluntates hic ostendit, humanam quidem, quæ est carnis, alteram vero divinam. Humana enim propter carnis imbecillitatem recusat passionem; divina autem ejus voluntas est prompta.* De hac Athanasii sententia, rectè ibidem Agatho: *Qua declaratione quid potest cognosci verius?* Videantur ibidem in collectione Harduini

Probatur ex S Scriptura.

ni Tom. 3. alia Patrum testimonia ab Agathone producta, Gregorii Nysseni libro II. contra Eunomium, Joannis Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini, Hilarii, & aliorum. Urget etiam Pontifex Christi verba Joan. VI. 38. *Descendi de Cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*; & verba à Davide de Christo prolata Ps. XXXIX. 8. *Scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam; Deus meus volui.* In quem locum affert sententiam Leonis scribentis ad Leonem Imperatorem, *Secundum formam servi non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus, qui misit eum.* Atque hæc omnia istam nobis argumentationem suppeditant: Voluntas à Verbo suscepta, temporalis, subjecta Deo, illique obtemperans est voluntas creata, & humana. In Christo fuit voluntas assumpta, & quæ Deo subjecta fuit atque obtemperavit. Fuit itaque humana, & creata voluntas in Christo.

8. Confirmatur 1. S. Maximus aliud promit ex Scripturis argumentum in Disputatione cum Pyrrho latine reddita à Turriano viro S. J. clarissimo. Infert autem S. Martyr duplicem in Christo voluntatem ex quo plura in Evangelio facta Christi narrentur humanæ voluntatis signum certissimum. Primum ex porrecto ei in Golgotha vino cum felle mixto, Matth. XXVII. 34. quod *cum gustasset, noluit bibere.* Sicut autem sitire non potuit, nisi per humanitatem, ita hac sola noluit paratum vinum degustare. De ipso pariter in Evangeliis scriptum est, quod nolebat *in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere*, quod *ingressus domum neminem voluit scire, & non potuit latere*, quod veniens ad discipulos *ambulans supra mare volebat præterire eos*, quod discipuli eidem dixerint, *Ubi vis, ut euntes paremus tibi comedere Pascha?* ac similia. Sicut enim, inquit Maximus, ambulatio proprietas est carnis, nec divinitas impotens est, neque terminis corporeis intercepta, & comedere Pascha est eorum qui sunt sub lege; ita voluntas ambulandi, sese abscondendi, implendique legem, est voluntas Christi, quatenus erat homo. Atque hæc fusiori stylo à Maximo explicata brevi syllogismo ita positionem nostram confirmant: Voluntas exercendi opera, quæ nequeunt convenire divinitati, est voluntas tantum humana. In Christo fuit voluntas exercendi opera, quæ non congruunt divinitati. Ergo fuit in Christo voluntas humana.

9. Confirmatur 2. Tam Maximus, quam Agatho revincunt Monothelitas, etiam ex Christi morte, atque obedientia, de qua Apostolus ad Philipp. II. 8. *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Et Maximus quidem ita ratiocinatur: Aut volens obedivit, aut non volens. Si non volens, tyrannis, non obedientia dicetur: si volens, fuit itaque in illo voluntas hominis, quatenus enim Deus nec obediens fuit, neque inobediens. Agatho autem, *Quis à lumine veritatis* (inquit) *se adeo separavit, ut audeat dicere Dominum nostrum Jesum Christum voluntate suæ divinitatis Patri obedisse, cui est æqualis in omnibus, & vult ipse quoque in omnibus quod Pater?* Hinc petitur argumentatio à prima parum absimilis: quippe voluntas obediens voluntas humana est. Fuit in Christo voluntas obediens. Itaque fuit in Christo voluntas humana.

10. Aliæ probationes. His accedunt Theologicæ argumentationes. Ac prima sit: Humana natura est prædita facultate intelligendi ac volendi. Ex quo Christus assumpserit humanam naturam perfectam, habuit humanam facultatem intelligendi. Igitur habuit etiam humanam facultatem volendi. De hoc argumento plura Sophronius in Synodo Lateranensi Secret. 2. pag. Ven. Edit. III. Tom. VII. Agatho citata Epistola idem urget argumentum una cum definitione Synodi Chalcedonensis Jesum Christum *perfectum esse in divinitate, & perfectum in humanitate*; quandoquidem perfecta natura non est, cui deest naturalis proprietas. Proxima est ratio petita ex damnatione hæresis Eutychianæ, de qua infra; nam si propter unionem quæ facta est in hypostasi non salvaretur differentia duplicis voluntatis, ut autumabant Monothelitæ, nec salvari potest differentia duarum naturarum, quam ob eandem rationem, id est, ob unionem factam in hypostasi denegabant Eutychiani. Stat in Christo differentia naturarum juxta confessionem Pyrrhi principio disputationis cum Maximo. Stare igitur debet differentia quoque voluntatum. Vide Tom. VII. Concil. Venetæ Collect. pag. 1176. Accedit argumentum tertium initio ab eodem Maximo propositum: Impium & absurdum est, eandem personam, & eadem voluntate, ante Incarnationem omnia ex nihilo fecisse, continere, & procurare ac salubriter dirigere: & post Incarnationem cibum appetere, loca locis mutare, & omnia alia facere, quæ nonnisi temporalia, ac mutabilia esse possunt. Est igitur impium, atque absurdum in Christo unam tantum voluntatem profiteri.

PRO-

11. Propositio 2.

PROPOSITIO II. *Naturales* appellari debent duæ, quæ in Christo sunt, voluntates.

Hanc thesim necessariam arbitror ad evitandam omnem Monothelitarum fallaciam. Nam quidam cum Macario unam in Christo voluntatem *personalem* dicebant, quidam cum Pyrrho unam *gnome*, aut sententia, quidam alii unam *habitudine* ac modo, quæ omnia eundem errorem olent. At non est in Christo una voluntas, sive *personalis* dicatur, sive una *gnome*, sive *habitudine*; sed voluntates duæ *naturales*; quod sic demonstro. Probatur. I. S. Pater Augustinus adversus Julianum laudatus in sua Epistola ab Agathone hac præmissa laude, *Sapientissimus præco veritatis*, quid sit voluntas definit his verbis: *Motus animæ quid est, nisi motus naturæ? Anima enim absque dubio est natura. Quamobrem voluntas est motus naturæ, quoniam est motus animæ.* Et rursus: *Ex illo est voluntas; cujus est voluntas. Ab angelo scilicet voluntas angeli: ab homine hominis. Cur ergo negas clausis oculis res manifestas, ex natura hominis enasci hominis voluntatem?* Hinc talis argumentatio depromitur: Naturalis dicendus est motus ex anima & natura indita sibi facultate proficiscens. Voluntas humana Christi est motus ex anima, atque ex natura hominis proprietate ac virtute sua proficiscens. Igitur voluntas humana Christi appellari debet voluntas hominis naturalis. II. In Christo Jesu duas naturas cum Catholicis Monothelitæ profitebantur, divinam, & humanam. Divinitas autem non habet, quod ad naturæ rationem attinet, voluntatem humanam, neque humanitas habet naturaliter voluntatem divinam. Est ergo voluntas humana naturaliter diversa à voluntate divina. III. Homo natura sua est rationis particeps, atque liberæ potestatis. Libera potestas voluntas est. Igitur homo est naturâ suâ præditus voluntate; ideoque Christus Dominus cum sit verus homo, habet voluntatem, quæ est naturaliter voluntas hominis.

12. Oppugnantur Monothelitæ.

Oppugnemus nunc Monothelitarum machinamenta. I. Etiamsi Christus sit unus ratione hypostasis seu personæ, cum duas habeat naturas, dici nequit habere unam voluntatem *personalem*. Si enim propter unitatem personæ una dici debeat voluntas, cum in sancta Trinitate tres sint personæ divinæ, dicendum foret tres existere in Deo *personales* voluntates. Hoc autem, inquit Agatho, est maxime alienum ac valde profanum, cum una sit voluntas, ubi est una natura. Nequit ergo dici propter unitatem hypostasis una natura *personalis*. Deinde aliud est dicere quod sit in Christo una persona volens & operans, aliud quod sint duæ voluntates ac duæ operationes: nam unitas operantis ac volentis sumitur ab unitate personæ, quoniam persona vult, ac persona operatur; sed unitas operationis ac voluntatis sumitur ab unitate naturæ, nam à *forma*, ut inquiunt scholæ, desumitur vis, seu principium *quo* elicitivum. Ut ergo propter unitatem Personæ appellatur Christus unus volens; ita propter naturarum differentiam debent dici duæ in Christo *naturales* voluntates. II. Nequit in Christo statui una voluntas *gnome*. Enimvero, aut *gnome* substantia est, aut sententia. Si est substantia ac natura, cum in Christo duæ substantiæ ac naturæ sint, necesse est ut duæ sint juxta *gnomen* voluntates. Si vero *gnome* sententia est, uti ajebat Pyrrhus, & quidem sententia cum consultatione atque electione; *gnome* aut ipsa voluntas erit, aut quod ex voluntate promanat. Ut ergo nequit dici voluntas una voluntate, aut una motu voluntatis, nisi ubi est una natura, ita dici nequit una voluntas *sententialis*. III. Statui non debet in Christo una voluntas secundum modum atque *habitudinem*. Talis quippe *habitudo* vel afficit ipsam voluntatem, vel personam, vel naturas, vel tantum respicit objecta. Hoc postremum si dixeris, debes voluntates complures statuere; sed hæc habitudo actus multiplicat, non facultates. In divina autem natura ac hypostasi nulla excogitari potest affectio. Habitudo itaque solam naturam humanam potest afficere. Non ergo debemus in eadem Persona, cui inest natura humana ac divina, asserere unam habitudine voluntatem.

13. In Christo non est una tantùm operatio.

PROPOSITIO III. Non debet in Christo propugnari una duntaxat operatio.

Demonstratur productis hactenus argumentis. Ut enim unitas voluntatis, ita unitas operationis unius naturæ argumentum est. Ait enim Basilius contra Eunomium, *Quorum operatio una est, horum essentia una est*: & econtra Damascenus libro III. de Fide cap. 15. *Quorum enim diversa natura est, horum est diversa actio.* Addo argumentum S. Martini in Synodo Lat. Secretario III. Si una est operatio illa *Deo-virilis*, quam profitebantur Monothelitæ, aut simplex est, aut composita, aut naturalis, aut *personalis*. Non *simplex*, aliàs & Deus Pater habebit propriam illam operationem,

nem, & operabitur & ipse operatione illa *Deo-virili*, id est, divino humana. Non *composita*, quoniam Filius esset alienæ à Patre substantiæ, & operationis, non habente Patre operationem illam compositam. Non est *naturalis*, alioqui caro erit consubstantialis Deo Verbo, utpote naturaliter habenti eandem operationem. Non denique una *personalis*, quia persona Verbi non est Patri extranea secundum modum operationis. Non est ergo in Christo operatio divino-humana, quæ sit indivisa, & una tantum. Vide Tom. VII. Concil. Ven. Collectionis pag. 194. Adjiciam alterum argumentum ex Maximo in conflictu cum Pyrrho: Cum naturalia naturis convenire debeant, fieri non potest, ut naturæ creatæ, & quæ cœpit esse, operatio sit non creata, & sine principio, atque infinita, creatrix, & conservatrix: vel naturæ non creatæ & in principio carentis sit operatio creata, & cœpta ac terminata, & quæ ab alia natura dissolvi queat & conservetur. Oportet autem ut illa operatio *Deo-virilis* à Monothelitis asserta vel creata sit, vel increata, siquidem nulla penitus cogitari potest intermedia. Igitur si creata dicatur, non erit operatio naturæ principio carentis & infinitæ: si autem increata, non erit operatio naturæ, quæ cœpit esse: ideoque repugnat, quod statuatur in Christo unica operatio θεανδρικὴ, *Deo-virilis*.

RESPONDETUR MONOTHELITIS.

14. Objicitur & Respondetur.

Oppones 1. S. Dionysius in Epistola ad Cajum ait: *Deo viro facto, unam quamdam theandricam, seu Dei virilem operationem expressit in vita.* Resp. S. Martinus in Concil. Lat. Secret. III. testimonium Dionysii falsidicos luculenter ostendere Monothelitas, & mentitam esse iniquitatem sibi; lectum enim à Paschasio notario inventum est in Græco haberi, Καινήν τίνα τὴν θεανδρικὴν ἐνέργειαν, *novam quamdam theandricin operationem.* Commutavit ergo Cyrus *novam* in *unam*. Respondetur 2. cum Maximo Dionysium demonstrare novam atque mirabilem Christi conversationem secundum unionem inexplicabilem & arcanam. Illa autem vox *novæ operationis theandricæ* quadam per numeratas naturas circuitione earundem operationes commonstrat. Si enim operatio illa nova ac theandrica foret naturaliter una, cum sint eadem opera Patris & Filii, inspecta natura divinitatis foret in Patre illa eadem operatio theandrica, quod est absurdum atque repugnans.

15. Objicitur 2. & respondetur.

Opp. 2. Cyrillus Alexandrinus libro IV. in Joannem scribit fuisse in Christo *unam quamdam operationem per ambas naturas.* Resp. S. Cyrillum, non dixisse unam *naturalem* operationem divinitatis Christi, & humanitatis ejus, sed unam operationem divinam, & paternam; intendebat enim demonstrare unam esse divinitatis sine carne, & cum carne operationem, quæ tam Patri, quam Verbo incarnato essentialiter insit: siquidem Verbum etiam post Incarnationem habet eandem operationem communem cum Patre incorporee operante, etiamsi Verbum etiam tactu carnis ipsa miracula cum Patre corporaliter operetur. Hæc est responsio Maximi, & aperte quadrans verbis Cyrilli dicentis: *Cum principis Synagogæ filiam suscitavit, dicens, Filia surge, apprehendit manum ejus, ut scriptum est: eam nempe omnipotenti suo jussu ut Deus, & rursus tactu sanctæ carnis vivificando, unam & congeneam per hæc ambo ostendit operationem.*

16. Objicitur 3. & respondetur.

Opp. 3. Humanitas Christi erat instrumentum divinitatis, ut inquit idem Cyrillus in dialogo de Incarnat. & S. Athanasius Orat. IV. contra Arianos. Instrumenti autem, & causæ principalis eadem est operatio. Resp. Eandem esse operationem causæ principalis atque instrumenti, quotiescunque istud aut ejusdem naturæ est cum causa principe, aut suapte indole est iners, passivum, atque sine propria energia, juxta impressum sibi motum, actioni applicatum. Diversam tamen esse utriusque causæ instrumentalis & principalis operationem cum illud differentiam habet naturæ suæ, neque iners est, ac passivum, sed suamet præditum efficientia. At ajebat Pyrrhus: Nonne quodlibet instrumentum recipit motum ab alia causa? Patitur ergo, non agit. Respondet S. Maximus operationem ac motum humanitatis dici à Patribus passionem propter rationem ipsi inditam à causa omnium effectrice; omnia enim, quæ ex Deo sunt, motum subeunt, utpote quæ non sunt ipsa per se motus, aut ipsa per se potestas; appellari tamen etiam proprietatem, quatenus soli illi naturæ, & non aliis inhæret; energiam ac potestatem, in quantum cum divino motu motum exercet proprium, & etiam qualitatem, in quantum est virtus quædam effectrix. Hæc Scholastici explicant distinguendo in eadem humanitate rationem instrumenti, & rationem naturæ: ratio instrumenti dicitur comparate ad divinitatem, ratio naturæ respectu humanarum operationum: ut instrumentum

tum recipit motum; ut natura exerit motum proprium, atque operatur.

17. Objicitur 4. & Respondet. Opp. 4. S. Clemens Alex. in VI. Stromatum scribit: *Voluntas enim erat solius divinitatis.* Resp. loqui Clementem de ipsâ Dominica Incarnatione, quam dicit peractam voluntate solius divinitatis, nec fuisse opus motus carnalis, sive ordinis & consecutionis nuptiarum.

18. Objicit. 5. & Respond. Opp. 5. Nequeunt in Christo propugnari duæ voluntates, aut duæ operationes *naturales.* Igitur una tantum sive personalis dicatur, sive secundum *habitudinem*, sive θεανδρικὴ, ac *Deo-virilis.* Prob. ant. I. quoniam quod est naturale, non est liberum, sed necessarium: voluntas autem libera potestas est, & operatio pariter rationalis naturæ libera potestate exercetur. II. Si daretur voluntas naturalis, naturale foret omne peccatum, cum nullum peccatum absque voluntate patretur. III. Dei ac Sanctorum eadem voluntas est, nec tamen est eadem natura: consistit itaque una eademque voluntas cum naturarum differentia. Resp. falsum esse antecedens; ad cujus priorem ac proximam probationem dicimus naturale esse quidquid naturæ est inditum, proprium & concreatum, & naturale etiam appellari quod non est in natura intelligente invitum, ut inquit Cyrillus in tertio Capite contra Reprehensiones Theodoreti. Priori itaque sensu quod naturale est, appellatur necessarium, id est, antevertens liberam electionem; & secundo sensu naturale est, quod ex proprietate naturæ cum libera electione procedit; cujusmodi est peccatum: quare *homonymiâ* fallere student Monothelitæ. Ad tertium vero respondetur unam esse voluntatem Dei, & Sanctorum ejus comparate ad id quod volunt, non ad ipsam voluntatem substantialem, atque effectricem.

Opp. 6. Christus est una persona. *At operationes* personarum sunt, sive ut fert

19. Objicit. 6. & Respond. pervulgatum adagium, *suppositorum.* Una ergo persona unam infert operationem: ideoque aut Monothelismum profiteri debemus, aut hæresim Nestorianam. Resp. falsam esse illationem; nam quo actiones sint *suppositorum*, consequitur unam esse personam operantem, non unam esse operationem personæ. Operatur enim qui subsistit, sed *subsistentia* est modus existendi, non principium elicitivum operationis, ut supra exemplo sanctæ Trinitatis demonstratum est.

Opp. ultimo. Si duæ voluntates statuantur in Christo, erunt ad invicem contrariæ ac repugnantes; per divinam quippe mortem elegerat, quam humana voluntate refugiebat. Resp. majorem consequi ex Monothelismo repugnantiam; siquidem inde sequitur eandem voluntatem elegisse simul mortem, eamque horruisse. In Catholicorum autem sententia fuit in Christo voluntas divina mortem præcipiens, voluntas humana divinæ subjecta, & obtemperans, experta tamen affectione sensuum horrorem mortis humanitati connaturalem. Neque talis sensuum affectio arguit in duplici voluntate contrarietatem; quoniam divina non præceperat mortem absque ullo dolore subeundam; neque pœna ita rationem pervertit, ut humana voluntas obtemperaret invita, sed hæc semper præstetit in infirmitate carnis invictam spiritus fortitudinem: quare ait Marci XIV. 38. *Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma.* His lucem afferent quæ diximus sub finem Capitis præcedentis.

20. Objicit. 7. & Respondet.

Sed dices; Ergone abjicimus operationem *Theandricam*, quam deprædicabant Monothelitæ? Respondeo *Theandricas* operationes etiam nos appellare; sed non unam atque indivisam. Est utique Christus Deus homo; & consequenter omnis ejus operatio θεανδρικὴ, eo sensu quod sive principium operationis esset natura divina, sive humana, omnis operatio erat *Dei-hominis.* Sed quoniam, ut diximus, nulla operatio proprie dicitur *personalis*, sed appellanda est naturalis, illam proprie *Theandricam* operationem vocamus, quæ est ab utraque natura efficienter, ut miracula patrata virtute divinitatis, & tactu carnis. Alias omnes appellabimus operationes aut divinas, aut humanas, prout naturaliter ab una, vel altera natura prodierunt; sic ambulare, dormire, manducare, humana operatio est; dare Spiritum sanctum, & peccata dimittere, operatio divina. At propter unionem hypostaticam utraque natura semper operatur cum altera conjunctim, & humana semper ad nutum ac regimen divinitatis; quamquam non esset quælibet operatio utriusque naturæ proprietas, vel effectus.

21. Instatur & Respondetur

CAPUT XI.

Quæritur an Honorius Primus adhæserit Monothelitis?

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Defensores Honorii.
3. Variæ de Honorii sententia opiniones.
4. Usque ad 10. prima propositio cum probationibus.
10. Usque ad 24. Solvuntur objectiones.
25. Probatur 2da propositio.

1. Status Quæstionis.

AGREDIMUR quæstionem ob varia Doctorum placita celeberrimam, neque spectantem ad solam Monothelitarum historiam; verum etiam ad Romani Pontificis auctoritatem vindicandam. Præsertim quippe exemplo Honorii, cujus damnationem legimus in VI. Synodo, posse Romanum Episcopum in hæresim cadere, & damnari à Generali Concilio, nituntur probare Magdeburgenses, & Novatores alii communiter. Eodem utuntur Assertores Libertatis Cleri Gallicani, ut propugnent Concilium esse supra Papam. Hinc etiam gestiunt Janseniani, ut defendant posse Pontificem errare in definitione *facti dogmatici*. Oportet autem in hac gravi controversia distinguere quæstionem de Honorii doctrina, an scilicet in Rescriptis ad Sergium Monothelismum probaverit, & quæstionem de lata in ipsum à Synodo VI. sententia excommunicationis, nempe utrum hæc fuerit jure, atque auctoritate prolata.

2. Defensores Honorii adstruuntur.

Quantum ad priorem quæstionem attinet, habemus innumeros defensores Honorii, Joannem Papam IV. S. Maximum, Anastasium Bibliothecarium, Bellarminum, Baronium, aliosque accurate laudatos ab Antonio Dezallier in Historia Monothelitarum. Ex Nostratibus permulti hoc argumentum pertractarunt, sed præ cæteris Christianus Lupus in dissert. de VI. Synodo, Joannes Laurentius Czepanski in Controv. Sæculi VII. & Bernardus Desirant in libro, cui titulus, *Honorius vindicatus*. Is erudite demonstrat aliam fuisse Epistolam Sergii scriptam ad Honorium, aliam vero exhibitam in VI. Synodo; & illam quidem sensu Catholicam, eaque arte conscriptam, ut videretur tantum directa ad penitus extirpandam hæresim Nestorianam atque Euthychianam: ideoque Papa illam probando, etsi male ei cessit, bono Ecclesiæ provide consulebat. At Sergii Epistola in Concilio perlecta aperte Monothelismum tradebat; ac propterea Patres existimantes hanc ab Honorio probari, latente fraude decepti anathema in ipsum Pontificem intorserunt. Demonstrat id Desirantius exacta Epistolarum omnium, Actuumque Synodalium collatione; & notas viri docti inseruerunt Tomo IV. Anastasii Bibliothecarii Romanæ Editionis Curatores. Verum si nimiam erga Sergium conniventiam, neque omnino opportunam œconomiam velis in Honorio reprehendere, aut sententiam aliquam non recte expressam, quæ tamen fidem non maculaverit, parum id arbitror præjudicii afferre Apostolicæ Sedis auctoritati.

3. Variæ de Honorii sententia adducuntur opiniones.

Circa sententiam in Honorium prolatam variæ sunt Scriptorum opiniones. Nam Pighius censet exemplaria sextæ Synodi fuisse à falsariis corrupta. Anastasius Bibliothecarius in Epistola ad Joannem Diaconum ait Synodum recipiendam esse usque ad prolationem tantummodo canonum. Canus, Combefisius, Petitidier inquiunt distinguendum esse in Pontifice quod spectat ad privatam hominis excellentiam, & quod pertinet ad Pontificis dignitatem, sive id quod scribit, ut privatus Doctor, & quod profert ad confirmandam fidem ex Cathedra: prioris generis esse Epistolam Honorii ad Sergium, errori proinde obnoxiam, & judicio Ecclesiæ subjiciendam. Intrusum in Acta VI. Synodi Honorii nomen putant Baronius, Binius, Bellarminus, Frassen, & alii. Errasse præfatam Synodum errore facti, quod ex mala ac siniſtra informatione in Pontificem telum contorserit, scribit lib. 2. de Ecclesia Turrecremata, atque posse hoc pacto generale Concilium errare ipse Bellarminus non diffitetur. Damnatum Honorium œconomia quadam ad retundendam Monothelitarum audaciam eoquod ob Honorii erga Sergium comitatem Monothelismus prædaltas radices fixerat, innuunt præ cæteris noster Lupus dissert. de Syn. VI. cap. 4. Antonius & Franciscus Pagi Sæc. VII. Dezallier in VIII. Scrutinio. Præcipua horum Doctorum momenta producam infra in solutione objectorum.

PRO-

4. Propositio I. PROPOSITIO I. Honorius Primus in suis ad Sergium Epistolis nulla ratione Monothelitis adhæsit.

Probat. 1. Demonstratur 1. ex Epistola Joannis Papæ ad Constantinum edita à Sirmondo, ubi Pontifex pro Honorio exornans Apologiam ait: *Secundum hunc igitur modum jam dictus decessor noster prænominato Sergio Patriarchæ scripsisse dignoscitur, quia in Salvatore nostro duæ voluntates contrariæ, id est, in membris ipsius penitus non consistunt, quoniam nihil vitii traxit ex prævaricatione primi hominis. In nobis enim, non in eo cooptatur quod scriptum est, Scio quia non habitat in me, id est, in carne mea bonum.* Et infra. *Hinc ergo hæ duæ contrariæ voluntates mentis, & carnis, quas Apostolus docet, in nostro nequaquam Salvatore fuerunt, eo quod hic luctaminis stimulus ex prævaricatione protoplasti sumpsit initium, quoniam à Redemptore nostro natura suscepta est, non criminis culpa,* Maximus pariter in Epistola ad Marinum inquit: *Honorium etiam Romanum Papam non diffiteri reor in Christo voluntatum dualitatem in Epistola quam scripsit ad Sergium, eo quod unam dixerit voluntatem; sed potius confiteri, & hanc fortassis etiam constabilire. Nam hoc non in reprobationem dixit humanæ Salvatoris, & naturalis voluntatis: sed quod nullatenus conceptionem ejus, quæ fuit sine semine, vel incorruptam nativitatem præcesserit voluntas carnis vel cogitatio vitiosa.* Et rursus: *Per id vero, quod ait non esse voluntatis ejus diversitatem, contrarium vel repugnans quid non eum habere perhibet, sed conveniens, & prorsus unitum ex toto. Unde cum nostram quidem naturam de divinitatis voluntate dicit assumptam, unius mentionem facit. Illud autem quod introducit, Non vero facere voluntatem meam, in medium verbo præponit omisso numero. Non sunt, inquit, hæc diversæ voluntatis, id est, contrariæ atque adversatricis. Ex quo duas secundum naturam existere in Salvatore voluntates manifeste colligitur. Si enim contrariam non habuit, naturalem habuit tanquam homo.* Idem Maximus in disputatione cum Pyrrho Epistolam Honorii objiciente, inquit: *Quis fuerit fide, & auctoritate dignus Epistolæ hujus interpres, qui eam ex persona Honorii scripsit, adhuc superstes, & qui totum Occidentem cum aliis virtutibus, tum dogmatibus fidei Christianæ illustravit, an ii, qui Constantinopoli, quæ ex corde erant, loquebantur?* Et fatente Pyrrho majore fide esse dignum, qui Epistolam Honorii composuit, nempe Joannes, subdit Maximus: *Is igitur ipse, cum ad Divum Constantinum Imperatorem ex persona S. Papæ Joannis de hac Epistola scriberet, dixit, unam voluntatem dicimus in Domino, non divinitatis ejus, & humanitatis, sed humanitatis solius. Cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, diximus Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis, inquam, & spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantum, quæ humanitatem ejus significabat.*

5. Probat. 2. Hinc pro defensione Honorii validissimum argumentum depromo. Dum ait Honorius admittendas non esse in Christo duas voluntates, ex testimonio Secretarii ejus, qui conscripsit Responsa ad Sergium, & literis mandavit sensum doctrinamque Pontificis, cui proculdubio major adhibenda est fides, quam Græcis Constantinopoli commorantibus, & maxime Monothelismo infectis, quales fuerunt qui Patribus VI. Synodi exhibuerunt Honorii Epistolas in græcum à se ipsis conversas, docuit tantummodo non fuisse in Christo voluntatem repugnantem rationi, sive luctam concupiscentiæ ex peccato originalis promanantis, sed naturalem voluntatem, quæ naturæ humanæ proprietas est, minimè denegavit, sed potius constabilivit. Qui autem in Christo negat solum voluntatem repugnantem rationi, quæ est lex membrorum derivata ex propagatione peccati, propugnatque naturalem voluntatem ex humana natura prodeuntem, nihil habet cum errore Monothelitarum. affinitatis. Igitur Honorius nequaquam ipsis Monothelitis adhæsit.

6. Probat. 3. Huic argumento tam invictis testimoniis firmato, ut Pyrrhus recitatis à Maximo verbis Joannis penitus obmutuerit, addamus alterum ex Honorii Epistolis depromendum. In priore Epistola ad Sergium relata Act. XII. Synodi VI. inquit Pontifex, *Unde & unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi, quia profecto divinitate assumpta est nostra natura, non culpa; illa profecto, quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata.* Ait deinde abstinendum esse à vocabulo unius, aut geminæ operationis hanc rationem proferens, *Ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi sectantes Nestorianos nos vesana sapere arbitrentur; aut certe si rursus unam operationem Domini nostri Jesu Christi fatendam esse censuerimus, stultam*

stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur. In fine Epistolæ hortatur, *Ut unius vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes unum nobiscum Dominum Jesum Christum filium Dei vivi Deum verissimum in duabus naturis operatum divinitus, atque humanitus fide orthodoxa, & unitate catholica prædicetis.* Ex prioribus verbis apparet veram esse interpretationem Joannis IV. & Maximi Martyris, de qua supra; nimirum Honorium statuisse unam voluntatem humanitatis, rejiciens voluntatem contrariam ortam ex luctamine carnis. Ex verbis secundo loco recitatis, liquet Papam noluisse admittere duas operationes in sensu Nestorii, neque unam operationem in sensu Eutychetis, quod audierit à Sergio horum hæreses iterum suscitari. Ex postremis constat Honorium asserere Unum operantem, sed operantem divinitus, & humanitus. Itaque sancta Pontificis intentio fuit omnem aditum præcludere Nestorianis, & Eutychianis, & contra illos negare duas operationes *personales*, contra istos negare unam operationem *naturalem*, ratus propterea reticendum esse vocabulum unius, vel geminæ operationis: unius, ne quis inferret unam esse in Christo naturam: geminæ, ne quis putaret duas esse in Christo personas; execratus pernicioſas hæreses jam pervulgatas, & ignorans novam, ac tunc primo serpentem. Eadem Pontificis intentio apparet ex altera Epistola relata Act. XII. Synodi VI. ubi ait, *Auferentes scandalum novellæ adinventionis, non nos oportet unam, vel duas operationes definientes prædicare; sed pro una, quam quidam dicunt operatione, oportet nos unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridice confiteri: & pro duabus operationibus ablato geminæ operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas, id est, divinitatis, & carnis assumptæ in una Persona unigeniti Dei patris, inconfuso, indivise, atque inconvertibiliter nobiscum prædicare propria operantes.* In his patet Honorium, quamquam iterum prohibet vocabulum uniusaut geminæ operationis, aperte tradere Verbum in duabus naturis operari, atque duas ipsas naturas esse in una persona, quæ propria utrique sunt operantes.

7. Confirm. 1. Fabricatur ex his consequens argumentum. Non debet Monothelitis adnumerari, qui duntaxat in Christo denegat voluntatem carnis cum ratione pugnantem: qui prohibet ne admittantur geminæ operationes in sensu Nestorii, id est, à duabus personis elicitæ, aut una operatio in sensu Eutychetis, scilicet, ab una natura prodiens, qui denique profitetur unum esse operantem ratione hypostasis, sed operari in duabus naturis, & ipsas duas naturas in unitate personæ operari *sibi propria*, ideoque naturam humanam non esse organum tantum vel instrumentum divinitatis, neque moveri ac pati duntaxat, quemadmodum Monothelitæ affirmabant, sed exequi revera operationes humanas. Atqui Honorius hæc omnia apertissime tradidit. Igitur Honorius non debet Monothelitis adnumerari.

8. Confirm. 2. Proferam tertium argumentum etiam præcedentibus robustius, quod erudite versat Dezallier. Macharius Monothelita Act. 2. Synodi VI. affirmavit suam de una operatione sententiam fuisse definitam à Synodo Chalcedonensi. Tunc Antiochus Notarius Synodi protulit librum Chalcedonensis Concilii, ac perlecta fuit Epistola S. Leonis Papæ ibidem inserta ac probata, & recitatus hujusmodi Leonis textus: *Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium habuit: Verbo quidem operante quod Verbi est, carne autem exequente quod carnis est; & horum unum coruscat miraculis, aliud vero succumbit injuriis.* Hoc textu recitato exsurgentes Apostolicæ Sedis legati exclamarunt: *Ecce, benignissime Domine, manifeste duas naturales operationes, inconfuse, & indivise in Domino nostro Jesu Christo præsens sanctissimus prædicat Pater.* Atque his annuit Synodus universa. Honorius Papa in 2. Epistola paulo ante verba superius citata ait: *Quantum ad dogma Ecclesiasticum pertinet, utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus, & divinam quidem, quæ Dei sunt operantem, & humanam, quæ carnis sunt exequentem, non divise, neque confuse, aut inconvertibiliter Dei naturam in homine, & nec humanam in Deum conversam edocentes.* Conferas Honorii, ac Leonis verba, & nihil in uno adinvenies, quod non sit eadem prorsus ratione expressum in altero. Omnino consimilia sunt verba Agathonis in Epistola adversus Monothelitas.

9. Confirm. 3. Argumentum, quod hinc eruitur, est hujusmodi. S. Leo Papa accensendus non

non est Monothelitis, & manifeste duas in Christo operationes asserit; quoniam ait utramque formam agere in Christo quod proprium habet, cum alterius tamen communione, inconfuse, & indivise, quia una natura est alteri hypostatice conjuncta. Atqui hoc idem scribit Honorius; igitur Monothelitis nec Honorius connumerandus est, duasque in Christo naturales operationes manifeste propugnat: conveniunt enim verba verbis, & sententiæ sententiis. Neque dicas, quomodo propugnat quod prohibet confiteri? Nam dixi prohibere vocabulum geminæ operationis in sensu Nestorii, inquantum videbatur parvulis atque imperitis per illud duas in Christo statui personas. Neque repugnat idem vocabulum juxta diversum sensum rejici, ac probari. *Homoousion* quippe minime recipit Synodus Antiochena damnans Samosatenses, & consecravit Nicæna contra Arianos: *Unum è Trinitate passum* in sensu Eutychianorum noluit asserere Hormisdas, quod in sensu Catholico definierunt Joannes II. Vigilius; & v. Synodus *Deiparæ* nomen contra Eutychetem satius duxit reticendum, etiamsi contra Nestorium jure merito fuerat receptum. Itaque geminam operationem noluit Honorius pronuntiari adversus Nestorianos, quam minime reprobasset in sensu Catholicorum.

RESPONDETUR ADVERSARIIS.

10. Objicitur 1. & respondetur.

Opp. 1. Honorius unam in Christo voluntatem propugnavit; inquit enim, *Unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi.* Respond. Honorium appellare unam voluntatem Christi per exclusionem duplicis voluntatis humanæ, quarum una sit voluntas spiritus, altera carnis, & repugnans rationi; non per exclusionem duplicis voluntatis divinæ, & humanæ. Liquet hæc responsio ex productis Joannis Papæ, & Maximi testimoniis, necnon ex ipso Epistolæ Honorii contextu. Post illa enim verba, statim ait: *Quia profecto divinitate assumpta est nostra natura, non culpa, &c.* Quid enim ex ista causali legitime infertur? nisi istud tantum, non ergo habuit Christus stimulum luctaminis, & quod habitat in carne peccatum, voluntatem scilicet abreptam à sensibus, atque adversus spiritum incitatam. Hac itaque vera, firmissimaque responsione prior illa argumentatio refellitur. Præterea probabilitate non caret, quod in Epistola Honorii *novam* scriptum fuerit, non *unam*; ac falsarios Monothelitas Epistolam corrupisse. Nam adulterasse consimilia Dionysii verba diximus capite præcedenti, & videtur Honorius eadem Dionysii sensa usurpasse. Neque sola ducimur, quæ plerumque fallit, conjectura, sed etiam ratione constanti. Primo namque prohibet Honorius in utraque epistola unius, vel geminæ operationis vocabulum, ideoque unius etiam vel geminæ voluntatis: neque credibile est illum asserere, quod ne alii pronuntient tam stricte mandat. Monothelitæ ergo depravatis verbis Honorii illum tanquam virum inconstantem, qualem habuit Constantinus Pogonatus, temere traduxerunt. Sed accedit firmior ratio. Enimvero cum Româ Constantinopolim profectus esset Anastasius Abbas, ut scribit Maximus in Epistola ad Marinum, contestatus est, *Eum, qui hanc Epistolam per jussionem Honorii latinis dictaverat dictionibus, Dominum videlicet Abbatem Joannem sanctissimum Symponum, affirmasse, quod nullo modo mentionem in ea per numerum fecerit unius omnimodis voluntatis, licet nunc hoc sit fictum ab iis, qui hanc in græcam vocem interpretati sunt.*

11. Objicitur 2. & respondetur.

Opp. 2. Monothelitæ affirmabant unum Dominum Jesum Christum omnia fuisse operatum media humanitate. Atque hoc idem scripsit Honorius iis verbis, *Confitentes Dominum Jesum Christum Mediatorem Dei & hominum operatum divina media humanitate Verbo Dei naturaliter unita.* Respondeo omnes Catholicos profiteri, quod Verbum incarnatum operabatur etiam divina conjunctim, & media humanitate, ob communionem utriusque naturæ & hypostaticam unionem. Hæresis Monothelitarum in hoc sita est, quod vellent omnia Christi opera initium habere à divinitate, tanquam à principio proximo, & naturali, ac humanitatem moveri tantum & pati, neque alio pacto esse in qualibet operatione *cooperariam*, nisi ut organum & instrumentum, non ut naturam exequentem quæ sua sunt. Hanc esse Monothelitarum doctrinam constat ex Pyrrho in disput. cum Maximo, ex Theodoro Pharanitano in Secret. III. Synodi Lateranensis & ex Macario in Act. VIII. Synodi Sextæ. Satis de his actum disputatione præcedenti. Porro Honorius non ita de Christi humanitate locutus est: sed ait utrasque naturas in uno Christo naturali unitate copulatas esse operantes, & operatrices. Ait divi-

nam naturam operari, quæ Dei sunt. Ait naturam humanam, quæ sunt carnis fuisse executam. Ubi ergo inquit unum operatorem Dominum nostrum Jesum Christum fuisse divina operatum media humanitate, non excludit operationem humanitatis, neque huic tribuit tantummodo passionem, uti fecerunt Monothelitæ.

12. Objicitur 3. & respondetur.

Opp. 3. Honorius dum negat in Christo duas voluntates contrarias, nihil ait, quam quod Macarius in Confessione fidei suæ recitata in Act. VIII. Synodi VI. Aut ergo Macarius Monothelita non est, aut est etiam Honorius. Resp. non deesse qui putent Macarium damnatum fuisse ob pervicaciam, animumque protervum, quod nunquam voluerit admittere vocabulum geminæ voluntatis, aut operationis, etiamsi in re parum à catholico dogmate recederet. At Honorius, si adhuc latentem sensum Monothelitarum percepisset; nec Sergius tantum ostentasset zelum præfocandi germina iterum erumpentia hæresis Nestorianæ, nequaquam vocabulum illud repudiasset, cum duas naturas operantes sibi propria manifeste confiteatur. Verum negandum est quod Confessio Macarii cum Epistola Honorii conveniat: ubi enim ille explodit voluntates contrarias, etiam negat humanam naturam exequi quæ carnis sunt, tradens fuisse duntaxat *mobilem ac motam, eique tribuendam esse solam passionem, totam denique consperssionem nostram adimpleri una & singulari voluntate divina.* Omnia ipsius Macarii verbis sunt contracte explicata. Miror autem Jueninum Tom. IV. Instit. pag. 198. & nonnullos alios asserere, quod Honorius negans in Christo duas voluntates contrarias minime attenderit ad voluntatem quæ in nobis est post peccatum, cum habeamus irrefragabile testimonium Joannis productum supra in primo argumento, & contextum ipsius Honorii allatum in argumento secundo.

13. Objicitur 4. & respondetur.

Opp. 4. Iisdem prorsus verbis ac sententiis constant Epistolæ Honorii, & Epistolæ Sergii ad ipsum Honorium, ad Cyrum, & ad Sophronium. Si ergo Sergius Monothelita est; est jure eodem Honorius. Resp. plura quidem simul à Catholicis atque ab hæreticis interdum proferri, atque, ne ab hac quæstione digrediar, tam Monothelitas quam Honorium affirmasse Verbum *inconvertibiliter, & inconfuse* fuisse operatum, contrariam non habuisse voluntatem, divinamque naturam mediâ humanâ quæ Dei erant perfeciisse, atque similia his quamplura; sed Honorius confitetur utrasque naturas operantes, atque operatrices, neque ait humanitatem esse duntaxat organum motum & mobile, quod Sergius cæterique Monothelitæ tradiderunt. Sergius præterea Dorensem Episcopum, aliosque Catholicos dire vexando prodidit silentii sui iniquissimam causam. Addo cum Desirantio Epistolam Sergii ad Honorium non continere aperte Monotheliſmum, & longe esse diversam ab illa, quæ in sexta Synodo fuit producta, atque ab iis, quæ ad Cyrum & Sophronium fuerunt conscriptæ: immo epistolam illam etiam ut legitur in actis VI. Synodi in se inspectam, & ab aliis Sergii Epistolis sejunctam, ab hæresi posse purgari propugnat dissert. XXVII. suarum Prælectionum eloquentissimus Platina.

14. Objicitur 5. & respondetur.

Opp. 5. In Typo Constantis edito à Paulo Monothelita tantummodo prohibebatur, ne una, vel duplex in Christo prædicaretur operatio. Cum itaque idem in suis Epistolis Honorius præstiterit, sunt illæ simul cum Typo damnandæ. Resp. esse revera complures, qui hoc in Honorio reprehendunt, quod nimium indulgens Sergio, & pacis studio jubens ne veritas prædicaretur, occasionem tribuerit Patribus sextæ Synodi illum damnandi tanquam fautorem hæreticorum. Sed aliter de Typo, atque de Epistolis Honorianis judicandum est. Paulus enim promulgatione Typi contendebat dogma de duplici voluntate adversus totius Ecclesiæ querimonias, & jam proscripta Ectheſi, sepelire silentio, atque Sergii, & Pyrrhi justissimam condemnationem mandare posterorum oblivioni. Cum itaque prædicari debeat veritas conculcata, neque honor habendus sit pervicacibus hæreticis, recte fuit Typus à S. Martino proscriptus. At Honorius ea prohibitione unius, aut geminæ operationis, opponebat sese hæresibus Nestorii, atque Eutychetis, ut constat ex dictis; & ideo, quidquid sit de illius œconomia, neque pervicaciæ, neque hæreseos notandus est.

15. Objicitur 6. & respondetur.

Opp. 6. Honorius elevare conatur præcipuum adversus Monothelitas argumentum, quod promitur ex Verbis Christi, *Non quod ego volo, sed quod tu vis*, dicens non esse hæc diversæ voluntatis,

tatis, sed dispensationis humanitatis assumptæ; ac propter nos dicta esse, ut non suam unusquisque nostrum, sed potius Domini in omnibus præferat voluntatem. Resp. negare his verbis Honorium diversam voluntatem, quæ repugnat præcepto, atque pugnacem, quam nos experimur, sensuum rebellionem, ut dixi in Resp. ad 1. Ita etiam S. Maximus in Epistola ad Marinum; ubi hoc argumentum retorquet. Verba Sancti Martyris fuerunt à nobis recitata in priori thesis demonstratione.

16. Objicitur 7. & respondetur. Opp. 7. Approbat Honorius doctrinam Sergii. Hæc Monotheliſmum redolet. Igitur approbat Honorius Monotheliſmum. Resp. Honorium approbasse doctrinam Sergii, in quantum significavit non esse admittendam duplicem operationem in sensu Nestorii, scilicet duas personas operantes, ignorans quod Sergius, cujus nomen alias præclarum erat atque honestissimum, intendebat callide denegare operationem humanitatis: nunquam tamen probasse Honorium doctrinam Sergii, in quantum alibi tradidit humanitatem non agere, sed pati, ac moveri. Diximus præterea in genuina Epistola Sergii ad Honorium aperte non apparere Monotheliſmum, ut demonstrat Desirantius.

17. Objicitur 8. Opp. ultimo. Sexta Synodus Act. XIII. anathema in Honorium contorsit, ac doctrinam ejus in Epistola ad Sergium hac nota perstrinxit: *Dogmaticas retractantes Epistolas, quæ tanquam à Sergio quondam Patriarcha hujus à Deo conservandæ regiæ urbis scriptæ sunt, tam ad Cyrum, quam ad Honorium; similiter autem & Epistolam ab Honorio rescriptam ad eundem Sergium, hasque invenientes omnino alienas existere ab Apostolicis dogmatibus, & à definitionibus sanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, sequi vero falsas doctrinas hæreticorum, eas omnino abjicimus, & tanquam animæ noxias execramur.* Paulo post damnatis aliis Monothelitis prosequitur sancta Synodus: *Cum his simul projici à sancta Dei Catholica Ecclesia, simulque anathematizari prævidimus & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eoquod invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, & impia dogmata confirmavit.* Ex his liquet à Generali Synodo non solum damnatam fuisse personam Honorii œconomiæ causa, ut quidam dixere, sed etiam anathemate petitam illius doctrinam tanquam in omnibus Monothelitis consentientem.

18. Aliorum Responsio. Juxta diversa Doctorum placita, de quibus supra, gravissimo huic argumento varia solent adhiberi responsa. Nonnulli itaque respondent Acta VI. Synodi fuisse depravata, & damnationem Honorii additam à Theodoro Monothelita. Quorum momenta sunt. Primum quoniam Agatho Papa in Epistola ad Constantinum, quam eadem Synodus VI. Act. 8. & 18. declaravit esse à Spiritu sancto dictatam, aperte affirmat nullum suorum prædecessorum à fide aberrasse. Igitur Synodus VI. & Agathoni, & sibi ipsi repugnasset, si Honorium tanquam Monothelitam petiisset anathemate. Imo si attente Agathonis legatur Epistola, videtur etiam laudare Honorii Sergio silentium imponentis œconomiam, tanquam Dominico directam Spiritu. Ait enim: *Apostolicæ memoriæ meæ parvitatis Prædecessores Dominicis doctrinis instructi, ex quo novitatem hæreticam in Christi immaculatam Ecclesiam Constantinopolitanæ Ecclesiæ Præsules introducere conabantur, nunquam neglexerunt eos hortari atque obsecrando commonere, ut à pravi dogmatis hæretico errore SALTEM TACENDO desisterent, ne ex hoc exordium dissidii in unitate Ecclesiæ facerent, unam voluntatem unamque operationem duarum naturarum asserentes in uno Domino nostro Jesu Christo.* Quis autem erumpente Monotheliſmo id præstitit nisi Honorius, cujus successores Theodorus, Joannes, ac Martinus sederunt jam vulgata Ecthesi, factoque dissidio, intorserunt anathemata, nec probarunt spreti jam silentii salubre remedium, sed adhibuerunt putrescentibus vulneribus necessaria? Itaque VI. Synodus, quæ ore Agathonis credidit locutum Spiritum veritatis, non potuit tam exacerbato animo ferre in Honorium sententiam. Deinde nisi corrupta dicantur acta Synodalia, fateri oportet, inquiunt, in Patribus Synodi summam impudentiam, utpote qui primam Sedem, quæ à nemine judicatur, præcipiti judicio damnassent. Præterea incredibile est Apostolicæ Sedis Legatos, quibus compertum erat Honorium publico funere in templo S. Petri, atque inter sanctos Pontifices fuisse reconditum, audientes anathema in Papam vita functum, nec verbum protulisse, ut Honorii scripta accuratius expenderentur, & detecta etiam hæresi inquireretur num saltem palinodiam ante obitum recantasset. Insuper Græcos, quos sanctarum Synodorum corruptores fuisse conjici potest ex Epistola S. Leonis ad Flavianum, ex Gregorio Magno lib. V. Epist.

Epist. 14. ad Narſ. & ex aliis monimentis quamplurimis, corrupiſſe etiam Acta VI. Synodi, aut ſaltem aſſuiſſe damnationem Honorii, argumento eſt, quod ante memoratam Synodum tria Concilia fuerant Romæ celebrata in cauſa Monothelitarum, unum ſub Theodoro, alterum ſub Martino, ac tertium ſub Agathone, atque in Africa Bizacenum, Carthaginenſe, & Mauritaniæ: neque tamen in his ſit aliqua Honorii mentio, tanquam Monothelitis addicti. Tandem quod putant alii ſuperare fidem corruptos fuiſſe Codices, quos certum eſt fuiſſe tranſmiſſos ad Sedes omnes Patriarchales, hoc idem evincit oppoſitum; quoniam perpauca tantum, non ſingula exemplaria fuiſſe vitiata colligitur ex quo Theophanes, & Georgius Monachus tunc temporis omnes res geſtas ex Græcis monimentis ſedulo exſcriptas literis conſignarint, nec tamen damnationis Honorii fecerint mentionem aliquam.

19. Non ſatisfacit.

Hæc reſponſio, quamquam probabilis, non videtur viris doctis ſatisfacere. Nam aſſertio Agathonis vera eſt, ſi dixeris Honorii Epiſtolas non continere fidei definitionem, aut deceptos Patres Synodi errore facti, aut recipi Acta Synodalia usque ad canonum prolationem, ut mox explicabimus. Altera etiam ratio labaſcit, ſi reponas Patres ex Epiſtolis ſibi exhibitis, atque diſcrepantibus ab ea, quam Sergius ſcripſit ad Honorium, protuliſſe judicium; vel ſiniſtra informatione fuiſſe deceptos, vel non hæreſim, ſed œconomiam Pontificis reprobaſſe. Tertia de ſilentio Legatorum flacceſcit, ex quo ii tacere potuerint aut *conniventiæ* cauſa, aut ne memoria Honorii acerbioribus impeteretur calumniis, aut ne abſolutionis Honorii prætextu Monothelitæ Sergium ſubtraherent ab anathemate. Excommunicare autem vita functum Epiſcopum fuit Eccleſiæ praxis, ut conſtat ex Theodoro Mopſueſteno, Nepotiano, nec non ex ipſo Sergio poſt mortem anathematizato à Martino. Reliquæ autem conjecturæ ſunt prædictis debiliores, quoniam revera incredibile eſt Græcos exemplaria ſingula adulteraſſe: &, ſi perpauca corruperunt, fuiſſet ex legitimis refutata ipſorum audacia. Theophanes vero, & Georgius in compendio narrant hiſtorias, nec omnia proſequuntur acta Conciliorum.

20. Plures damnant Honorium.

Ex alia parte damnationis Honorii meminit Leo II. in Epiſtola ad Conſtantinum, quam licet ſpuriam ex nota indictionis opinenturBaronius acBinius, recipiunt tamen cum Pagio ad annum 683. viri docti. Meminerunt etiam PP. ſeptimæ Synodi Act. III. ubi recitata eſt Synodica Tharaſii, & Confeſſio Fidei Theodori Jeroſolymitani; & Act. 6. in diſputatione Epiphanii diaconi: Hadrianus quoque Act. 5. Synodi VIII. Anaſtaſius Bibliothecarius in Epiſtola ad Joannem Diaconum, Pſellus in Carmine de ſeptem Synodis, Beda in libro de ſex mundi Aetatibus, Nicephorus Patriarcha in Epiſtola ad Leonem III. Humbertus Cardinalis in libro contra Nicetam, aliique laudati partim à Cano libro VI. de locis Th. cap. 8. partim in Hiſtoria Monothelitarum Combefiſii, & Dezallier. Tantis nihilominus teſtibus poſſent Baronius, Poſſevinus, aliique præcedentis ſententiæ propugnatores reponere ex ſemel corruptis Actibus VI. Synodi falſum de Anathemate Honoriano rumorem ad Leonem ac poſteros derivaſſe. Hanc itaque priorem reſponſionem lectori committimus dijudicandam.

21. Reſponſio melior.

Melioris notæ exiſtimamus unam ex ſequentibus reſponſionibus. Prima eſt Anaſtaſii in Epiſtola nuper laudata hæc ſcribentis: *Ne videamur tam ſanctam, tamque reverendam Synodum accuſare, vel temere reprehendere, licere nobis opinamur de illa ſentire, quæ Sanctos Patres noſtros de Chalcedonenſi magna Synodo ſenſiſſe non ignoramus. Quorum unus, ſanctus videlicet Papa Gregorius usque ad prolationem tantummodo Canonum hanc ſuſcipiendam fore ſignavit.* Alia deinde Anaſtaſius profert exempla, quæ eo loci poterit unusquisque perlegere. Reſponſio altera eſt, quam tradit Turrecremata, Concilium deceptum errore facti, quod de Honorii Epiſtola judicium protulerit juxta exemplar in græcam linguam à Monothelitis translatum, atque eo permotum, quod Papa Sergii doctrinam commendaverit, eique ſimilia conſcripſerit, licet diverſo plane ſenſu, nec impia, tametſi male ei ceſſerit, diſpenſatione. Ac magis errorem illum ſiniſtrumque judicium reddit excuſatione dignum Deſirantius demonſtrans Epiſtolarum Sergii diverſitatem, illorumque vafritiem, qui in conſpectu Synodi venerandæ unam pro alia ſuppoſuerunt: quod licet diſert. XXVI. refellat Platina, magna ſane probabilitate non caret. Enimvero ipſam Honorii Epiſtolam Monothelitarum fraude vitiatam, ut diximus ad 1. object. ſcribit ad Marinum ſanctus Maximus, idque comprobat teſtimonio Anaſtaſii, quem ait eſſe *virum incomparabilem,* Altera Reſpons.

rabilem, virtuteque divina ac prudentia venustatum. Vide Tom. VI. Venet. Collect. Concil. pag. 1517. Deinde si depravationes, quas Desirantius insertas putat, à Sergii abscindantur Epistola, nihil in ea occurret falsitatis, nihil quod oleat hæresim, atque, ut vir doctus pag. 46. & seq. demonstrat, mira erit inter Sergii & Honorii literas cohærentia, quadrabitque singulis capitibus Sergianæ Epistolæ pars quælibet Responsionis. Præterea, si verum est corrupta Græcorum dolo sextæ Synodi Acta, insertamque Honorii condemnationem, quod idem Platina nititur demonstrare ratiociniis plurimis, eruditisque notationibus in Synodum præsertim Lateranensem: quid miraculi affert, si credamus Monothelitas & Græcos, & hæreticos literas Constantinopolitani Præsulis depravasse? Ad hæc opinatur Platina omnes se Desirantii Animadversiones conterere, affirmans inverisimile esse Patres post probatum authenticum exemplar Epistolæ Honorii ad Sergium, non institisse, ut cum autographo conferrerentur literæ ejusdem Sergii. At quis non videt argumentationem istam, quam rhetorice exornat, sola lectione Act. XII. Synodi VI. penitus evanescere? Ibidem quippe Tom. VII. pag. 970. legimus epistolam Honorii ad Sergium collatam fuisse cum latina per Joannem Episcopum Portuensem, epistolam autem Sergii exhibitam à Macario collatam fuisse cum exemplari reperto à Georgio Diacono in Constantinopolitano Chartophylacio. Ita nimirum Patres prudentissime collationem latinarum epistolarum Latinis, græcarum Græcis commiserunt. Verum quis epistolam Sergii è Patriarchio erutam cum ea, quam misit ad Honorium concordare certa ratione demonstret? quis ignorat potuisse in regestis Chartophylacii recondere vitiatum exemplar aut Paulum, aut Pyrrhum, aut Sergium ipsum Monothelitas? Sane postquam codex è chartaphylacio depromptus repertus est concordare cum Macarii *fasciculo*, de autographia Epistolæ Sergii non fuit ulterius discussum: quod nec opus erat præstare, cum Sergii hæresis ex aliis quoque ipsius scriptis patescceret. Postremo difficile est admodum à nota hæresis purgare verba illa Sergii, *Operatur quippe vera Deitas per corpus, quod circa ipsum est, omnium salutem, ut sit carnis quidem passio, Dei autem operatio;* & quidquid Sergius dogmatizat exemplo corporis, quod regitur, & ordinatur ab intellectuali, & rationali anima: ut comparatione ista demonstret, *totam humanam conspersionem* fuisse in Christo *motam semper in omnibus, Deique mobilem*: ideoque verba illa Desirantius jure suspicatur inserta. Neque enim me latet respondere Platinam, iis verbis significari impetus omnes in carnem Christi dimanasse ex Verbi nutu & imperio: etiam corpus modo suo agere, etsi regatur ab anima: Sophronium quoque in Epistola Synodica relata act. XI. Synodi VI. & Joannem Damascenum lib. III. de Fid. cap. 15. aliosque Patres similia proferre. At videtur Sergius *toti humanæ conspersioni* mobilitatem, & passionem solam tribuere, dum Patres à Platina laudati, licet recte afferant humanam Christi naturam fuisse à Deo Verbo motam tanquam instrumentum divinitatis, illi tamen proprias tribuunt actiones, quas Sergius denegat. Iisdem quippe locis à viro docto productis, inquit Sophronius Christum fuisse veluti promum condum *humanarum actionum & passionum*, & Damascenus ait humanam naturam *volente Verbo, & concedente pati, aut agere*: quæ frustra in Sergio perquires. Verum quo sensu Sergius, quo sensu Patres dixerint naturam humanam à Deo Verbo moveri, diximus paulo supra. Ignoro etiam an corporis exemplum, ut profertur à Sergio, possit doctrinam catholicam confirmare. Ut enim mittam opinionem illorum Philosophorum, qui negant corpora ullo pacto se, aut alia movere tanquam principium motus efficiens; Sergius animatæ Christi carni solam attribuit *passionem*, quemadmodum *operationem* duntaxat divinitati. Cæterum vel hæc scripserit, vel non scripserit Sergius, parum interest; non enim ista adinvenies in Honorii ad eundem Sergium epistola: de qua Desirantii sententiam ita propono, ut illam tamen non credam esse invictissimam.

22. Tertia Responsio.

Tertia responsio est, quod accusantibus compluribus Honorium de hæresi, & nemine illum excusante (occulto fortasis Dei judicio permittente, ut silentium indictum ab Honorio silentio puniretur,) excerptisque utrinque ex epistolis Honorii, & Sergii consimilibus sententiis, Concilii Patres Honorium telo reprobationis confoderint; non enim iniquum est dicere anathema Papæ, si supponatur hæreticus, quamquam revera in hæresim non sit prolapsus. Hinc Hadrianus in Actione V. Synodi Octavæ Generalis inquit: *De Romano Pontifice quemquam judicasse non legimus: licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est quod fuerat*

super hæresi accusatus: propter quam solum licitum est minoribus Majorum suorum motibus resistere.

23. Culpatur à pluribus Honorii dissimulatio.

Dixi in principio disputationis recentiorum complures asserere revera Honorium I. damnatum à VI. Synodo, at non tanquam hæreticum, sed tanquam reum nimiæ facilitatis, & inconsultæ dissimulationis, eoquod fidem præbens Sergio, & *geminæ operationis* prohibens vocabulum, causam, licet ignarus, tribuerit Monothelitis hæresim suam nisu audaciori promovendi. Hanc sententiam laudatus Platina vellicat XXXVI. dissertatione, Natalem Alexandrum alloquens oratoriis confutationibus. At cur Natalem impetit? Cur solum tanquam *levissimæ defensionis* auctorem exagitat? Eadem, quæ Natalis, hac in parte tradidisse Marcam, Garnerium, Tamagninum docet in Notis ad annum 633. illustris Pagius. Atque is non solum id refert, verum etiam iisdem argumentationibus confirmat, & extra controversiam positum esse contendit: ne repetam modo Lupum, L' Herminierum, aliosque quamplurimos. Nititur hæc sententia testimonio Leonis II. scribentis de Honorio ad Hispanos Episcopos, *Qui flammam hæretici dogmatis non, ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit:* altera epistola ejusdem Leonis ad Constantinum Pogonatum, ubi de Honorio legitur, *Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam maculari permisit:* auctoritate vetustissimi libri, qui inscribitur Diurnum Romanorum Pontif. à Marca, à Garnerio, & à Pagio laudati, ubi pag. 32. legitur damnatos *auctores novi hæretici dogmatis Sergium, Pyrrhum, Paulum, & Petrum Constantinopolitanos una cum Honorio, qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit:* Rescripto denique Imperatorum Honorii & Theodosii ad Aurelium Episcopum Carthaginensem, in quo habetur, *Una eademque culpa est eorum, qui aut dissimulando convenientiam, aut non damnando favorem noxium præstiterint:* quibus omnibus asseritur (quidquid subinferre conetur Platina) Honorium I. non dogmate & sententia, sed facilitate ac dissimulatione hæresi Monothelitarum impendisse fomentum; & immaculatæ Ecclesiæ injecisse quodammodo maculas, non pernicioſa doctrina, sed *permissione*, ac silentio. Verissimum tamen puto facilitatem illam Honorii, quæ consequentiis spectatis visa est damnationi subjicienda, fuisse in se ipsa dignissimam excusatione; quoniam Pontifex, ut diximus, prospiciebat, ne unius, vel geminæ operationis prætextu Nestoriana, vel Eutychiana hæresis instauraretur, imo & alia vocabula subrogavit, quæ operationes duas apertissime commonstrarent. Atque ex his constat Honorium non adhæsisse Monothelitis, sextamque Synodum, si in illum intorsit anathema, vel recipiendam esse usque ad prolationem tantummodo canonum, vel errasse errore facti, vel sententiam dixisse facta hæreseos hypothesi, vel reprobasse in Honorio facilitatem & silentium, non dogma ac doctrinam: quid autem horum verisimilius sit, judicet prudens Lector.

24. Propositio 2.

Propositio II. Etiamsi in Epistolis Honorii contineretur hæresis Monothelitarum, nihil id roboris haberet ad infringendam Romani Pontificis auctoritatem.

Sequitur ex dictis. Quis enim evidenter demonstraturus est, Epistolam ipsam non fuisse à falsariis corruptam? Quis etiam ostendet Joannem Abbatem non esse auctorem Epistolæ, nec plura, ut suspicatur Anastasius, proprio Marte addidisse? At sit solus Pontifex illius doctrinæ auctor, & ipsa quoque doctrina hæresis manifesta. Sunt magni nominis Theologi, qui cum Cano tenent in iis, quæ Pontifex docet tanquam privatus Doctor, non habere specialem illam Spiritus sancti assistentiam, quæ nunquam deest ubi credenda proponit; & loquitur, ut inquiunt, ex Cathedra. Epistolæ autem privatim conscriptæ, absque solemni ritu promulgatæ, hortatoriæ, atque ad unum Patriarcham directæ, non impulsivæ, non Apostolica auctoritate suffultæ, non encyclicæ, & palam ad fidelium ædificationem propositæ, tanquam privati Scriptoris censentur, non tanquam Papæ. Talia fuisse Honorii ad Sergium Responsa neminem latet. Factum itaque Honorii non suffragari iis, qui tribuunt Apostolicæ Sedi defectibilitatem optime inquit Fulgentius Bellelli in postremo Opere Mentis Augustini Parte II. pag. 488. ante ipsum vero Antonius Dezallier in Hist. Monoth. Scrut. 6. Matt. Petititdier de Auct. & Infallib. Pontif. cap. 8. aliique Doctores quamplurimi.

CAPUT

CAPUT XII.

De Christi Domini perfectionibus, quæ ad voluntatem solent referri.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Quid Sanctitas creata, & quid Sanctitas Christi.
3. Probatur Sanctitas Christi substantialis, & increata.
4. Probatur etiam, eam esse creatam, & adventitiam.
5 & 6. Solvuntur objectiones.
7. De Virtutibus Christi.
8. Probatur Christum non peccâsse.
9. Objectio Solvitur.
10. & 11. Cur Christus non peccaverit, assignatur radix.
12. & 13. Probatur hæc radix ex Patribus, & ratione.
14. Libertas humana in quo consistat.
15. Variæ de libertate Christi opiniones.
16. Essentialia requisita ad libertatem.
17. Sufficit indifferentia medii secundùm se.
18. Usque ad 22. Christum liberè fuisse mortuum, probatur.
22. & seqq. Solvuntur objectiones.

1. Status quæstionis.

QUEMADMODUM profligatis hæresibus circa assumptam à Verbo humanam mentem hujus perfectiones cap. IX. demonstrare curavi; ita nunc refutatis Monothelitis, de iis, quæ voluntati tribuuntur, dicam nonnulla. Sunt autem hæ perfectiones Sanctitas, Impeccabilitas, ac Libertas. De sanctitate, quæ in habituali gratia sita est, conveniunt omnes Christum ea fuisse exornatum, merito Nazaræum, id est, *Sanctum*, appellatum, ob Spiritum sanctum inhabitantem, perfectumque justitiæ ornamentum; atque hoc idem prædixerat Angelus ita Mariam alloquens, *Quod nascetur ex te Sanctum*, &c. Lucæ II. 35. atque anterioribus sæculis Esaias XI. 2. & Daniel IX. 24. Quod à Scholasticis solet in quæstionem verti, est, an Christi anima dicenda sit sancta sanctitate essentiali, an accidentali, & utrum per solam sanctitatem increatam sancta fuerit, quod idem est ferme. Quæritur etiam de virtutibus, quæ eximiæ singularisque sanctitatis sunt comites individuæ.

2. Quid Creaturæ Sanctitas.

In qualibet creatura sanctitas creata, & accidentalis dici debet; accidentalis quidem, quod sit donum extra naturæ ordinem, & etiam in hac vita possit amitti: creata autem, quoniam est quidem justitia & sanctitas, si efficienter consideretur, ipse Spiritus sanctus inhabitans, sed formaliter, ut inquiunt, est inhærens qualitas, & rectitudo animi dono ipsius Spiritus inhabitantis collata. At in Christo, qui est verus Deus, & item verus homo unitate personæ substantiali, non potest gratia dici accidentalis eo titulo, quod amitti posset, vel ad naturalem dignitatem non pertineret; quemadmodum nec creata eo sensu, quod per solam hypostaticam unionem non redderetur humanitas Christi sanctitatis decore cumulatissime ornata. Nos tamen facili negotio quæstionem hujusmodi dirimi arbitramur, si duo in sanctitate vel gratia munera distinguamus. Præstat enim gratia, ut diximus, rectam animæ habitudinem, sive inhærentem justitiam, ac præterea constituit hominem Dei filium, tribuitque ei jus ad hæreditatem, atque reddit ejus opera meriti laude Deo pergrata & accepta. Spectato itaque priori munere sanctitatis, Christi gratiam creatam esse affirmamus; sed altero munere inspecto illam dicimus substantialem & increatam.

Quid Sanctitas Christi.

PROPOSITIO. Sanctitas fuit in Christo tam substantialis & increata, quam creata atque adventitia.

3. Propositio. & ejusdem probatio quoad 1. Partem.

Demonstratur prima pars de sanctitate substantiali atque increata. I. Argumento, quod promitur ex laudatis verbis, *Quod nascetur ex te Sanctum*, ubi causam sanctitatis esse utriusque naturæ substantialem unitionem demonstrant verba præcedentia, *Virtus altissimi obumbrabit tibi*, & neutrius generis vocabulum *Sanctum*, uti adnotavimus lib. VII. Cap. IX. II. Ex Patribus, qui ex unitate Personæ inferunt Christo gratiam inesse naturalem, & unctionem Spiritus sancti in eo esse humanitatis mirabilem susceptionem, ut loquitur Gregorius Nazianzenus Orat. V. & S. P. Augustinus cap. 40. Enchiridii. III. Ex Theologica ratione; si enim ex quo Verbum humanam naturam assumpserit in unitatem personæ, ut suo loco demonstrabitur, Christus est filius Dei naturalis, oportet ut etiam habeat ratione divinæ personæ jus ad hæreditatem, & gloriam, præciso etiam quolibet dono adventitio, ex quo consequi tantum posset filiatio adoptiva, si persona foret Deo extranea, non filius Dei naturalis.

4. Probatur secunda Pars.

Probatur secunda pars, quia animæ sanctitas, quatenus illam reddit rectam ac

ac justam in Augustiniana Theologia est charitas habitualis, amor castus, & bona voluntas diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum inhabitantem. At humanitas Christi non redditur *formaliser* amans & volens per ipsum Verbum sibi intrinsece unitum. Igitur humanitas Christi non est recta, & sancta per solam sanctitatem divinam, atque increatam. Prob. minor. Est quidem divinum Verbum substantialiter sanctum, quemaomodum est intelligens, volens, & operans. Attamen cum humanitas ab illo assumpta habere debeat proprietates ac perfectiones, quæ ipsam in suo genere compleant, nequit Christi humanitas reddi *formaliter* intelligens per intellectum Verbi, aut volens, & operans per solam voluntatem, & operationem divinam; alioqui pereant necesse est omnia argumenta superius contra Appollinaristas, Monothelitasque producta. Atqui etiam sanctitas, & gratia habitualis est intrinseca animæ rationalis perfectio, atque habitudo quædam ipsi inhærens, & cujus capax est præcisa quoque unione hypostatica. Igitur Christi humanitas non redditur *formaliter* sancta & recta per Verbum sibi substantiali unione conjunctum.

5. Oppugnatur probatio. Adversus hanc partem pugnat I. Quod Patres appellant sanctitatem Christi substantialem, atque in hoc discrepantem à sanctitate aliorum, quod in his adventitia sit, & labore ac operibus comparata, in Salvatore autem nostro naturalis, atque ipsam hypostaticam unionem consequens. Ita tradunt Dionysius Alex. in Epist. Synodica contra Paulum Samosatenum, Basilius in Psalm 42. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joannem cap. 9. S. P. Augustinus lib. III. contra Maximinum, cap. 15. aliique complures laudati à Vasquesio disput. XLI. de Incarnat. q. VII. & ab H. Tournely q. XI. art. 3. Pugnat etiam ratio; primum quia intimior est humanæ Christi voluntati unio hypostatica, quam sit habitus, aut modificatio aliqua accidentalis, ideoque si potest qualitas adventitia reddere Christi humanitatem *formaliter* sanctam, potest hoc idem majori titulo præstari ipsa substantiali unitione. Deinde sanctitas adventitia reddit subjectum, cui inhæret filium Dei adoptivum; Christus autem etiam ut homo est filius Dei naturalis. Non igitur sanctus est dono aliquo superaddito atque adventitio.

6. Respond. Respondetur esse quidem in Christo sanctitatem substantialem, ut SS. PP. affirmant, in quantum sanctitas humanam naturam elevat in consortium divinitatis, eique tribuit dignitatem, jus ad gloriam, & divinæ filiationis characterem eximium ac singularem. De quo munere sanctitatis loqui sanctos Patres liquet, quoniam illorum scopus est in Christo aut naturam divinam, aut unitatem Personæ, aut Incarnationis œconomiam demonstrare. Naturalem itaque appellant sanctitatem Christi, aut spectando personæ excellentiam, aut jura humanitatis quæ unionem hypostaticam consequuntur, aut communicationem idiomatum; de qua infra. At cum repugnet divinitatem ipsam fieri proprietatem, & modificationem humanitatis, necessum est, ut ad constituendam Christi voluntatem *formaliter* sanctam, etiam habitum adventitium & accidentarium ei tribuamus, qui efficienter sit ab ipsa divinitate, *formaliter* autem sit recta animæ Christi habitudo, & affectio; ut impressione sigilli recipit cera figuram, sive intrinsece sibi inhærentem dispositionem. Atque manifesta hæc sunt, si causam efficientem ab ea, quam *formalem* appellant, accurate distinguas. Diluuntur his argumentationes postremæ. Prima quidem; quoniam divinitati substantialiter cum natura humana conjunctæ competit hanc ad sua jura transferre, ac perficere in genere causæ efficientis, sed repugnat ut illi inhæreat, tanquam modificatio vel qualitas, sive suppleat, ut inquiunt Scholastici, rationem causæ formalis. Gratia autem creata nequit in Christo filiationem adoptivam producere, quia filiatio non ad naturam humanam proprie spectat, sed ad personam; ut suo loco explicabitur.

7. Christi Virtutes. De virtutibus, ac donis Spiritus sancti non opus est disceptare. Etenim super Christi personam Spiritus Domini requievit, & gratiæ ac veritatis plenitudine illum ornavit, idque Capiti Ecclesiæ, quod nobis humilitatis, ac cæterarum virtutum præbere debebat exemplum, magnopere congruebat. Sunt tamen virtutes, quæ ratione subjecti, cui inhærent, sitæ sunt in refrenanda cupiditate, quamquam in se spectatæ importent tantum rectum ordinem, & æquitatem, cujusmodi sunt temperantia, continentia, atque voluptuosæ cupidinis mortificatio. Has constat fuisse in Christo, spectato tantum ordine æquitatis, in quo sita est natura virtutis, non considerata pugna, quam coercent, pravorum affectuum, quorum expers fuit sanctissima Christi anima. Virtus charitatis in ipso maxime enituit, præsertim dum posuit animam pro peccatoribus. Fides autem, quoniam

quoniam est rerum non apparentium, non fuit in Christo à primo conceptionis instanti thesauris divinæ sapientiæ, beatæque visionis exornato. Idem dicendum de spe, in quantum fertur in principale sui objectum, id est, participationem summi boni, quo etiam in via beatissima Christi anima fruebatur. Neque his carere virtutibus fuit in Christo perfectionis defectus; cum melius sit possidere, quam sperare; & videre facie ad faciem, quam in speculo, & in ænigmate. Legatur Apostolus in 1. ad Corinth. cap. XIII.

De Christi Impeccantia.

8. Christus non peccavit.

Nullum fuisse in Christo peccatum ex Scripturis, ex Patribus, atque ratione ipsa facile suadetur. Enimvero ita Salvator invidos allocutus est, Joan. VIII. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et Paulus ad Hebræos IV. 15. de ipso inquit: *Tentatus per omnia pro similitudine absque peccato;* & proximo cap. VII. 26. *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Petrus etiam Epist. 1. cap. II. 21. *Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Habent consimilia Ecclesiæ Patres, præsertim Augustinus lib. II. de Peccatorum merit. cap. II. 13. & seq. & de Prædest. SS. cap. 15. aliique prorsus omnes. Optimam rationem suppeditat citato loco S. Pater, quoniam nisi Christus fuisset Sacerdos incontaminabilis, debuisset pro suis delictis hostias offerre, neque inter ipsum & alios Sacerdotes fuisset illud discrimen, quod in Epistola ad Hebræos tradidit Apostolus Paulus. Præterea indiguisset etiam ipse alio Redemptore, nec exhibuisset Patri satisfactionem pro nobis, quoniam debita esset peccatis suis ignominia, crucisque supplicium. Denique humanitas Christi à divinitate regebatur, imo opera, quæ naturæ humanæ propria sunt, de ipso Verbo Deique Filio enuntiantur, cum recte dicatur Deus passus & crucifixus. At non rexisset Verbum humanitatem, si permisisset, ut in scelera prolaberetur, atque esset indecorum & impium, si posset Dei filius, uti mortuus, ita dici impius & sceleratus. Hæc autem postrema ratio non solum probat fuisse Dominum Jesum Christum expertem cujusque criminis, sed etiam potentiæ peccandi.

9. Objicitur & respondetur

Videtur his repugnare, quod in cruce exclamaverit, *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* in quibus verbis actum desperationis impii quidam hæretici notaverunt: sed quam præfracte, atque imperite, jam dixi cap. IX. Movere pariter nos non debet quod delicta nostra appellaverit sua: nam id argumentum est charitatis, qua sustulit pœnam iniquitatum nostrarum; & per metonymiam causæ delictum pro supplicio commemoratur. Quod vero Apostolus 2. Corinth. 5. scribat Christum pro nobis *peccatum* fecisse; metonymia pariter est in sacris literis frequentissima; ubi *peccatum* appellatur sacrificium oblatum pro peccati ejusdem expiatione. Ita in Exodo XXIX. 14. & XXX. 10. & persæpe in Levitico quotiescunque memoratur sacrificium *pro peccato*, Hebraice dicitur חַטָּאת *peccatum;* quod rectissime *pro peccato* vertit Latinus: imo retinet alicubi eandem phrasim, ut Oseæ IV. 8. *Peccata populi mei comedent*, id est, factas pro sceleribus oblationes, ut liquet ex collatione capitis VII. Levitici vers. 7. & 8. Si dixeris: Cur repugnat Filium Dei dici peccatorem, & impium, & non repugnat dici pauperem ac mortuum, cum æque divinitati adversetur peccandi & moriendi potestas? Respondemus mortem malum esse pœnæ, non culpæ; ideoque eadem mors subest regimini divinæ personæ, in quantum malum pœnæ in rectum finem dirigitur: unde potuit etiam Verbum mortalem naturam induere, & in hac se in ara crucis offerre, ac mori ad redemptionem perficiendam. At peccatum malum est morale, neque in rectum finem est dirigibile: & idcirco subesse non potest divinitatis providentiæ effectrici; neque decens erat, ut Verbum assumeret humanitatem obnoxiam malo istiusmodi, quod definitam Redemptionem magnopere labefactasset.

10. Cur Christus non peccaverit.

His de Christi impeccantia explicatis, videndum remanet unde illa tanquam à vera causa profluxerit, an à carentia concupiscentiæ vel fomitis, an ab unione hypostatica, an denique à visione Dei, quæ voluntatem omnium Beatorum rapit in summum Bonum, efficitque delectationem vehementissimam & necessariam. Et quantum ad peccati fomitem, non fuit quidem in carne Christi mortali, & licet per suggestionem tentatus fuerit à dæmone, non potuit sensuum illecebris, noxiaque cupiditate percelli: sed tanta spiritus, membrorumque concordia nequit, ut in homine primo demonstravit experientia, ita voluntatem hominis continere, ut non possit servire

peccato, cum sit naturâ mutabilis & infirma. Oportet ergo ut Christi impeccantiam à supernaturali virtute repetamus, eaque vel erit visio intuitiva, vel unio hypostatica. Atque visionem divinitatis manifestam conferre sanctæ charitatis firmissimam perpetuamque virtutem, extra controversiam positum arbitramur: & in hac parte assentimur Scotistis. Sed hinc potissimum derivare Salvatoris nostri impeccantiam, adeo ut separatus à visione divinitatis (si tamen id percipi potest) foret voluntas humana Christi capax peccandi, hoc sane cum Scholasticis reliquis pernegamus.

11. Causa assignatur.

Dicimus ergo beatissimam Christi animam, quæ fruitur ob contemplationem divinitatis impeccantia illa adventitia, nec ad ejus substantiam spectante, qualis in omnibus Comprehensoribus invenitur, esse substantialiter quoque impeccabilem, propterea quod conjuncta sit divinitati in unitate personæ. Ita nimirum Concilia, Patres, & ipsa ratio commonstrant. Sexta enim Synodus Oecumenica damnans Monothelitas, qui in Christo humanam voluntatem denegabant ea ratione ducti, quod hac admissa forent in illo voluntates duæ pugnantes invicem, & contrariæ; posteaquam hæresim illam profligavit, cur nequeat in Domino statui oppositarum voluntatum certamen ac lucta, Act. VIII. hac ratione declarat: *Quemadmodum*, inquit, *corpus nostrum regitur, ornatur, atque ordinatur ab intellectuali, & rationali anima: ita in homine Christo tota humana ejus conspersio ab ejusdem Verbi divinitate semper, & in omnibus mota Deo mobilis fuit.* Ex quibus hæc ratiocinatio concluditur. Christus est impeccabilis in quantum nequit habere voluntatem pravam, & rationi reluctantem. Atqui hanc habere non potest ob unionem substantialem, qua tota ejus conspersio regitur à divinitate, quemadmodum corpus ordinatur ab anima. Igitur Christus impeccabilis est propter ipsam unionem substantialem atque hypostaticam.

12. Probatur ex Patribus.

Eadem est Patrum doctrina. Enimvero Dionys. Alex. in Epistola superius laudata contra Samosatensem, *Nisi Christus*, inquit, *idem esset Deus Verbum, non poterat esse alienus à potestate peccandi.* Cyrillus Alex. lib. VI. in Joannem: *Prorsus fieri nequit, ut in peccatum incidat, qui ex Deo prodiit Deus verus.* S. Pater Augustinus de Corrept. & Grat. cap. XI. *Neque enim metuendum erat, ne isto ineffabili modo in unitatem personæ à Verbo Deo natura humana susceptа, per liberum voluntatis peccaret arbitrium; cum ipsa susceptio talis esset, ut natura hominis à Deo ita susceptа nullum in se motum malæ voluntatis admitteret.* Fulgentius denique lib. III. ad Trasim. cap. 29. *Propterea etiam Christi humanitas sine peccato permansit, quia eam in unitate personæ divinitas accepit, quæ naturaliter peccare non novit.* Hæc, aliaque plura Sanctorum testimonia assertionem nostram corroborant. Præcisa enim visione beata, Christus substantialiter Deus est, atque humana natura à Verbo Deo in unitatem personæ susceptа vivifica Divinitatis virtute dirigitur. Igitur etiam non attenta contemplatione summi Dei, non poterat motum malæ voluntatis Christus admittere, eique assentiri.

13. Probatur ex ratione.

Accedit aperta ratio. Etenim si duæ naturæ in unitatem personæ nexu substantiali copulentur, competit superiori jus regendi inferiorem, alioqui non erit in ea persona rectitudo ordinis, & naturalium facultatum debita harmonia. Hoc autem jure supposito, si pars inferior à recto æquitatis ordine deflectat, in superiorem regentem culpa refunditur, sicut imputatur animæ effrenis carnalium membrorum licentia. Ex quo igitur sit inter divinum Verbum humanamque naturam indissolubilis unio, competit divinitati jus munusque humanitatem regendi, non solum lege atque institutione, quemadmodum princeps moderatur rempublicam, sed etiam intimo regimine, ac dominio, quo unaquæque persona præest liberis corporis, animique sui motibus. Posset ergo in Verbum Deum refundi peccatum, si peccare posset humanitas sibi in unitate personæ conjuncta.

14. Libertas humanæ voluntatis in quo consistat.

Verum tamen est, quod humana voluntas suam libertatem exercet cognitione & amore; neque potest Verbum esse humanæ naturæ formalis cognitio vel amor. Ad componendam ergo Scotistarum à cæteris Theologis discrepantiam, arbitror plurimum conducere, si etiam hoc loco, ut supra diximus de sanctitate, distinguamus inter genera causarum. Itaque ob unionem hypostaticam debet Verbum Deus humanitatem susceptam continere, ut principium efficiens, dirigensque singulos ejus motus. Ut autem hoc jure humanitatem contineat, ejus mentem perspicua veritatis cognitione collustrat, & Spiritus sancti communione perfundit. Quod si fieri posset, ut humanitas Christi tanto

lumine

lumine privaretur, non posset Verbum permittere, ut sensibilium rerum caligo inditum rationis lumen quomodolibet offuscaret. Atque ita semper Christi voluntas debuit intra æquitatis jura amoris rectitudine contineri, qui amor est impeccantiæ ratio, ut appellant, *formalis*. Nunquam ergo excogitari potest in Christo proxima potentia peccandi attento divinitatis regimine, & rectitudine amoris, quorum unum est impeccabilitatis causa efficiens, alterum causa *formalis*.

De Christi Libertate.

15. Variæ de Christi libertate opiniones.

Quam perplexa sit quæstio de libertate Christi, supposita ipsius impeccantia, deducitur ex variis Doctorum opinionibus. Etsi enim consentiunt omnes Christum libere subiisse crucis patibulum, quod aperte divina scriptura, ipsumque meritum redemptionis comprobat, discrepant tamen plurimum ut hanc in morte subeunda libertatem cum impeccantia concilient. Spinosum enim videtur obvium istud ac pervulgatum ratiocinium: Si potuit Christus non mori, potuit etiam præceptum patris: qui illum misit in mundum, ut pro peccatoribus moreretur, pessundare ac transgredi, ideoque peccare; aut econtra si peccare non potuit, necessitate, non electione morti se tradidit. Mirum quanta viri docti, ut hinc evaderent, excogitarunt. Negarunt alii fuisse hoc præceptum moriendi impositum Christo: quidam hoc præceptum asseruerunt, sed ea conditione latum, ut posset Salvator petere, si voluisset, ejus dispensationem: nonnulli præceptum absolutum & obligans esse negarunt: permulti docuerunt propositam hoc præcepto mortem, non circumstantias à Christo libere seligendas: affirmarunt quamplurimi fuisse Christum liberum ad moriendum in sensu diviso, non in sensu composito, & mortuum necessitate consequenti, non antecedenti: fuerunt etiam qui in Christo ad merendum negarunt necessariam libertatem indifferentiæ.

16. Essentialia requisita ad libertatem.

In tanta opinionum diversitate quid nobis tenendum sit liquet, si ad memoriam revocentur, quæ de libertate pluribus in locis disputavimus. Percurre, si mente exciderunt, libri IV. caput ultimum libri X. caput 13. libri duodecimi caput 10. & libri XVI. caput 2. His in locis conati sumus demonstrare primo ad libertatis essentiam requiri posse agere, & non agere, quoniam liber non est, qui non est dominus sui actus, qui non habet potestatem motum voluntatis suæ cohibendi, qui non potest optione sua eligere utrumlibet: quare etsi voluntas, ut natura est, sola trahatur voluptate qua in bonum necessario tendit; ut tamen est illa facultas, quam appellamus *liberum arbitrium*, agit indifferenter, & habet suorum operum electionem perfectumque dominium. Diximus præterea voluntatem ferri erga bonum in communi naturali necessitate, eoquod extra bonum, qualecunque tandem illud sit, digredi nullatenus valeat; eademque naturali necessitate adhærere summo bono in se inspecto, propterea quod nequeat in illo apprehendere speciem aliquam mali, ideoque non consistat cum manifesta contemplatione divinitatis indifferentia judicii. Ex quibus animadvertimus libertatem, ut est indifferens potestas, attendendam esse solummodo comparate ad media, quæ ad consecutionem finis eliguntur, & consequenter nihil aliud esse, quam vim, & potestatem electivam mediorum. Ex eodem capite, quod media eligantur ratione finis, certissime inferri diximus, non spectare ad essentiam libertatis posse peccare, quoniam peccare est à recto fine deflectere, ideoque non perfectio libertatis est, sed defectus, quemadmodum vitium est ac defectus intellectionis ratiocinia contexere non servata connexione principiorum.

17. Sufficit indifferentia medii secundùm se.

Sane medium quod à voluntate pro fine consecutionis eligitur potest dupliciter considerari, nimirum in se quatenus in differens est, & prout aliqua suppositione facta necessario connectitur cum ipso fine. Sufficit autem ad libertatem, quod medium sit indifferens secundum se, licet ex suppositione cum fine connexum sit, nec possit absque noxia mutabilitate non eligi. Atque id in omni agente libero est manifestum. Liber est enim Deus ad creandum, vel non creandum. E G. hominem, quoniam, homo non habet cum ipso Deo necessariam connexionem: at posito decreto, cum Deus immutabilis sit, non potest hominem non creare, quia res futura cum divina prædefinitione connectitur; & nihilominus creatio hominis libera est, propterea quod homo in se inspectus est divinæ voluntatis objectum indifferens. Liber est Angelus ut hoc, vel illud munus exerceat, cum nulli sit necessitate addictus: at si Deus præcipiat ut ad custodiendum hominem descendat, cum non possit Creatori, cui jam immutabiliter adhæret, repugnare, non potest non suscipere custodiam hominis; quæ tamen liberri-

berrima est, quia secundum se est indifferens objectum voluntatis angelicæ. Liber est homo ut sine culpa ducat uxorem, vel religiosum institutum complectatur: facto tamen voto Religionis, non potest absque peccato illud non exequi: exequitur tamen plenissima libertate, quoniam religiosa vita est secundum se objectum indifferens voluntatis humanæ. Hujus rei manifesta ratio est, quoniam si necessarium esset ad libertatem, ut possit omitti actus non solum spectatus in se, verum etiam prout habet connexionem cum decreto, aut præcepto divino, foret de essentia libertatis posse peccare, & eligere media non servato, ac prætermisso ordine finis, quod est proculdubio falsissimum.

18. Christus liberè fuit mortuus.

Est itaque sententia nostra Christum Dominum plenissima libertate fuisse mortuum, quia poterat mortem subire, & vitare, quoniam spectata ipsa morte secundum se, erat illa voluntatis ejus objectum indifferens, cum plura alia eligi potuissent ad finis consecutionem, quamquam supposito decreto ac præcepto patris non posset non mori, in quantum mors cum ipso decreto, vel præcepto connectebatur. Atque hanc sententiam propugnant Vincentius Baronius in dissert. de humana libertate, & gratia, Contenson. de Incarnat. dissert. 6. Ant. Massoulie in D. Thoma sui Interprete disp. 11. q. 8. J. B. Du-Hamel lib. III. de Incarnat. cap. ult. aliique viri docti. Esse autem sententiam D. Thomæ liquet ex iis, quæ nos ipsi de libertate scripsimus libro XVI. adv. hæresim Calvinianam.

19. Probatur 1. ex scripturis.

Sententia ista, quamvis non alia opus habeat confirmatione, comprobari primo potest ex Scripturis. Nam ipse Salvator Matth. XXVI. 53. Petro suam in moriendo libertatem confirmans ait: *An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Quibus verbis aperte innuit, quod spectata in se morte, atque potestatis suæ dignitate poterat hostes omnes prosternere, atque se insidiis illorum subtrahere. Verum addidit nunquam se id facturum, quia positis jam prædefinitionibus divinis, prædictisque per ora Prophetarum, ipse qui venerat legem implere, & facere voluntatem ejus, qui eum miserat, non debebat statutis summi Dei reluctari; ideoque ait: *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?* In hoc itaque sita est Christi libertas, quod plenissimam habebat vel moriendi, vel non moriendi potestatem; tametsi spectata morte quatenus definita, ac præcepta non poterat non mori, quoniam transgredi non poterat divinarum promissionum jota unum, vel apicem. Eodem pacto Joannis x. 18. inquit Salvator, *Potestatem habeo ponendi animam meam*, atque id libertatis ejus invictum est argumentum: at ne quis inferret posse illum transgredi paternum præceptum, aut hoc præceptum non dari, inquit eo loci: *Hoc mandatum accepi à patre meo.*

Probatur deinde ratione. Libertas enim est electio mediorum, quæ cum non sint summum bonum, ac finis ultimus, sunt natura sua objectum, quod voluntati proponitur cum indifferentia judicii, & ideo in ipsorum electione relucet potestas, optio, & dominium eligentis. Quod si Deo præscribente, ac mandante hoc determinate medium sit eligendum, stat adhuc electionis potestas, quoniam Dei præscriptio, ac mandatum non facit ut medium ipsum appareat menti per se summe bonum, ideoque non evertit quod intrinsece constituit libertatem indifferentiæ, sed tantum dirigit medium illud ad certam finis consecutionem: à qua non est necesse quod liberum arbitrium possit deflectere, imo cum in finem trahatur naturali necessitate, non potest non eligere medium, quod posita divina præfinitione unice ad finem conducit: & nihilominus eligitur plenissima libertate, quoniam non est ipsum medium, sed finis, qui in se necessarium amorem voluntatis convertit, & attrahit: atque etiam majori indifferentia media ipsa eliguntur, cum voluntas intimius infinito bono adhæresci, quia minus diliguntur terrena, quo magis possidentur cœlestia. En totum libertatis systema. Atqui mors Christo proposita non exhibet plenitudinem voluptatis, neque præceptum efficit, quin illa tristitiam, & amaritudinem pariat. Ergo etiam præcepto supposito mors indifferentia libertatis eligitur; quamquam spectata connexione finis ac proposito legem implendi, Christi peccandi nescia voluntas non potuerit non mori. Possunt ad hanc argumentationem reduci pervulgata Scholasticorum ratiocinia, quod divinæ præfinitiones, ac præcepta non immutant naturalem potestatem operandi, sed efficiunt duntaxat, ut medium, quod libere eligitur, ponatur actu, atque ad finem conducat.

20. Ex ratione.

Tandem

21. Confirmatur.

Tandem confirmatur assertum nostrum explodendo aliorum placita. Quid enim hac nostra assertione probabilius? Num Christo impositum non fuisse rigorosum mortis præceptum? Frustra quidem hoc fingitur. Ait idem Salvator, *Hoc mandatum accepi à patre meo*, & Apostolus ad Philipp. II. 8. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Obedientia autem mandatum supponit. Est etiam perfectius mori ex obedientia, quam ex electione, ideoque negantes præceptum ut facilius explicent libertatem, derogant Chtisti meritis. Præterea etiamsi Christo non fuisset impositum rigorosum præceptum, sed conditionatum tantummodo, sive ab ejus acceptione dependens, in eandem omnino difficultatem impingeret disputatio. Habens enim Christus concordissimam cum Patre voluntatem, quomodo poterat mortem refutare, cognoscens se missum in mundum, ut pro hominum redemptione funderet sanguinem? Verum quod Christo impositum fuerit moriendi præceptum Scriptura aperte declarat, neque oppositum evincunt quorundam Scholasticorum contorta sophismata. Neque illud reponi potest propositam sub præcepto mortem, non circumstantias; quandoquidem circumstantiæ ipsæ priusquam Christus conciperetur, fuerunt per Isaiam prænuntiatæ, neque Apostolus ait tantum Christum præstasse obedientiam *usque ad mortem*, sed qualitatem etiam mortis designans addit, *mortem autem crucis.* Fuerat ergo prædefinita mors, & mortis quælibet circumstantia, ipsumque crucis patibulum. Consimili ratione facillimum est alias opinationes refellere.

Solvuntur objectiones.

22. Objectiones.

Militant adversus sententiam nostram hæc argumenta. Primum: Si Christus poterat non mori, poterat etiam transgredi præceptum patris. Si poterat transgredi præceptum patris, poterat peccare. Igitur si Christus poterat non mori, etiam peccare poterat. Alterum huic affine: Promeruit Christus moriendo, & adimplendo mandatum patris: ait enim Joan. x. 17. *Propterea me diligit pater; quia ego pono animam meam.* Atqui ad merendum requiritur libertas indifferentiæ, scilicet posse agere, & non agere. Potuit ergo Christus non mori, & non adimplere mandatum Patris. Tertium parum absimile: Mors connectitur cum præcepto. Non potuit Salvator præceptum violare. Itaque non potuit non mori.

23. Respondetur

Hæc jam fuerunt expedita: sed claritatis gratia ad primum dist. ma. Si Christus poterat non mori morte in se inspecta, poterat etiam divinum mandatum transgredi, nego: si poterat non mori spectata connexione mortis cum præcepto, conc. majorem. Ad alterum distinguo minorem: Ad merendum requiritur libertas indifferentiæ, servato ordine finis, id est, potestas eligendi unum, vel alterum mediorum quæ valeant ad finem perducere; concedo: requiritur libertas indifferentiæ, prætermisso, ac perturbato ordine finis, nimirum potestas abjiciendi media sub ea etiam ratione, qua cum ipso fine habent ex Dei proposito ac præcepto firmissimam connexionem, nego. Ad tertium pariter distinguo consequens; Potuit ergo Christus non mori, spectata morte in se ipsa, conc. considerata, ut subest præcepto, subdistinguo: atque præceptum istud inducit necessitatem moriendi attenta ipsa morte, & voluntate mortem eligentis, nego: considerata connexione finis, & voluntate summo bono immutabiliter adhærente, concedo consequentiam. Oportet ergo ad solutionem istiusmodi argumentationum, quæ tardiores mentes solent plurimum vexare, ut diligenter consideretur mors in se ipsa, quatenus nequit proponi nisi cum indifferentia judicii; & quatenus cadens sub præcepto nequit vitari, nisi perturbato ordine finis. Primum ad libertatem necessario requiritur; alterum si desit, non est libertatis interitus, sed perfectio. Similiter in executione præcepti considerari debet motus voluntatis, in quantum fertur in opus, quo præceptum ipsum completur; & in quantum medio hoc opere fertur in finem. Priori modo motus voluntatis tendit in media, altero modo non in media, sed in finem protendit. Quoniam igitur libertas, ut diximus, in ordine tantum ad media spectatur: ut Christus dicatur plenissime liber in adimplendo præcepto, sat est quod ejus voluntas fuerit prædita libera potestate relata ad operis præcepti executionem, tametsi non posset præscriptum opus omittere, quatenus illud implendo perfecta unitione ultimo fini adhærebat.

24. Rursus objicitur

Rursus oppones. Actus voluntatis Christi prout in finem ultimum tetendit necessarius fuit, non enim poterat à fine ultimo deviare. Sed præceptum patris implevit voluntate in finem ultimum tendente. Igitur præceptum adimplevit actu necessario. & Respondeo me jam explicasse

Respondet.

plicasse quo pacto voluntas in finem tendat naturaliter, in media autem per electionem, atque dixisse eligi media ratione finis; unde consequitur voluntatem diverso actu fini adhærere, & mandata servare. Quare distinguo minorem: implevit Christus præceptum patris voluntate ultimo fini adhærente eodem actu, quo implevit præceptum, nego: actu diverso, concedo. Dico autem actum *diversum* connotative, quemadmodum Deus diverso modo amat semetipsum & creaturas, quamvis amor creaturarum sit ab amore sui ipsius re ipsa indistinctus; & rationalis creatura diverso pacto amat beatitudinem, & bonum particulare, licet unius amor in amore alterius contineatur.

25. Alia instantia.

Ultimo objicies. Expedita est via conciliandi Christi libertatem cum præcepto, si dicamus sufficere ad meritum libertatem lubentiæ; non enim ad Christum referenda est damnata IV. propositio Jansseniana, manifesto de hominibus naturæ lapsæ prolata. Sufficere autem in Christo hanc libertatem demonstrari potest auctoritate, & ratione. Sanctus enim Thomas in III. dist. 18. art. 2. ad 5. ait. *Dicendum quod etiamsi liberum Christi arbitrium esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest; tamen ex hoc non amisit libertatem, aut rationem laudis, sive meriti, quia in illud non coacte, sed sponte tendit, & ita est actus sui dominus.* Et quidem ex nostris principiis Christus Deum necessario diligebat, quia illum intuebatur in se, ideoque non erat in hujusmodi amore indifferentia judicii. Si ergo promeruit servando præcepta, promeruit diligendo Deum, quod est præceptum primum ac maximum, & consequenter habuit meritum absque libertate indifferentiæ.

26. Resolvitur.

Resp. nos hanc sententiam, quæ nonnullis recentioribus placet, repudiare tanquam Jansenianam. Disputavit quidem Jansenius de libertate hominis lapsi sub dominatu concupiscentiæ, vel gratiæ; sed iisdem principiis argutabatur, quod ad essentiam libertatis non pertineat indifferentia, obtrudens hæc eadem exempla libertatis Dei, Christi, ac Beatorum. Nos hunc errorem refutavimus libro XVI. permultisque argumentis etiam ex D. Thoma petitis ostendimus non dari absque libertate indifferentiæ potestatem liberi arbitrii, non solum in nobis, sed neque in Beatis, neque in Deo. Auctoritati Divi Thomæ, quæ nunc objicitur, illic cap. 3. cumulate satisfecimus. Quod additur de actu charitatis, & amoris Dei non una responsione diluitur. Sunt qui in Christo, sicut duplicem scientiam, ita duplicem amorem distinguunt, & necessarium unum derivatum ex visione beata, liberum alterum proficiscentem à scientia viatoris aut infusa, aut acquisita. Huic ergo amori, non illi, tribuunt rationem meriti. Alii defendunt, Deum prout est summum bonum, necessitate ab iis amari, qui illum facie ad faciem intuentur; diligi tamen libere hoc, aut illo actu ad creaturas relato. Demum aliqui distinguunt inter actus à charitate elicitos, & inter actus imperatos, id est, inter illos, qui dilectione tendunt immediate in finem ultimum, & illos qui dilectione finis spectant ad exercitamenta virtutum; actibus ergo à charitate directis & imperatis concedunt meriti laudem, quam actibus elicitis denegant. Utere pro libitu his responsionibus nunquam indifferentiam à libertate arbitrii disjungens.

CAPUT XIII.

De Hæresibus adversus Unionem hypostaticam pugnantibus, ac primum Nestoriana.

SUMMARIUM.

1. 2. & 3. Pohuntur præliminaria.
4. Propositio 1. probatur.
5. Usque ad 11. defensoribus Nestorii respondetur.
11. 12. & 13. Probatur unitas personæ in Christo.
14. & seqq. Respondetur sophismatibus Nestorii.

1. Doctrina Nestorii.

ABSOLUTA de corpore & anima Christi dotibusque adhærentibus disputatione, pertractandum modo est de mirabili humanæ naturæ cum divinitate unione, cum recta methodus postulet, ut à partibus ad rem complexam progrediamur. Principio autem refutanda occurrunt Nestorii, & Eutychetis nefaria dogmata. Nestorius ex Monacho Sacerdos primum Ecclesiæ Antiochenæ, deinde vertente anno 427. renuntiatus Constantinopolitanus Episcopus, cœpit circa hæc tempora spargere præconceptæ hæreseos venena. Eo enim sedente Anastasius Presbyter differens in Templo ad populum hortatus illum est, ne Beatissimam Virginem *Deiparam* appellaret, ut principio Ecclesiasticæ Historiæ

storiæ refert Evagrius. Venerat autem Anastasius Constantinopolim una cum Nestorio, ejusque semper usus fuerat consuetudine, ita ut fuerit unus ab altero pestiferis imbutus erroribus, jam antea sparsis ab Ebionitis, Samosatensibus, atque à Nestorii præceptore Theodoro Mopsuesteno. Accessit horum satelles Dorotheus, qui pro concione ausus est inclamare, *Si quis Mariam Deiparam dixerit, sit anathema.* Istud ergo fuit capitale dogma Nestorianum. Revocarunt quidam in dubium, num in refutanda pertinaciter *Deiparæ* voce Nestorius tantum erraverit; an vero asseruerit Dominum Jesum à primo conceptionis instanti non fuisse vere & proprie Deum Verbum, neque naturam humanam fuisse substantialiter divinæ conjunctam in unitate personæ. Quod foret sane repudiandi vocabulum *Deipara* causa princeps.

2. Monetur Nestorius à Pontifice.

Oppugnantibus compluribus Nestoriana blasphemiam, & rumore serpentis hæresis ad Cælestinum Papam delato, is per literas Nestorium ad resipiscentiam, errorisque retractationem hortatus est, indicta post decem dies communionis Ecclesiasticæ privatione. At spretis Romani Pontificis literis eadem, ac deteriora dogmata palam evomuit, etiam sanctum Cyrillum, qui adversus Nestorium ipsum capitula quædam conscripserat, ut Apollinaristam, Arianumve traducens. Tanta Nestorii pervicacia probos, fideique servatores permovit, ut se ab ejus communione segregarent; quod ille tam ægre tulit, ut non solum ad Generalem Synodum provocarit, verum etiam adversarios suos, nulla habita ratione dignitatis vel ordinis, traderet vinctos Præfecto Urbis flagris immani crudelitate cædendos. Verum annuente Cælestino coacta Synodo universali, quæ est celebris Ephesina celebrata anno D. 431. audax ille homo non comparuit; ac privatus Ecclesiasticis infulis exul ac profugus, dum in blasphemias erumperet, efflavit animam.

3. Status quæstionis.

Nestorii fama & vetus consuetudo impulit Joannem Antiochenum Antistitem, ut susciperet perditissimi hominis patrocinium. Sero itaque ac diu expectatus Joannes Ephesum venit, stipatus Episcopis aliis, factionis præsertim Pelagianæ, atque Nestorio addictissimis: rejecit damnationem Nestorii factam à Synodo, & Cyrilli Capitula proscripsit tanquam hæretica, aliaque plura patravit, quæ de eo ingerunt suspicionem. Attamen quia fidei suæ optima alias præbuit experimenta, ac tandem etiam cum Cyrillo fœdus iniit; merito quæritur an revera hæresim probaverit Nestorianam. Plura de hac hæresi, ejusque fortuna tradunt Sacri omnes Historici, nec non Dionysius Petavius lib. 1. de Incarnat. cap. 7. & 8. atque ex nostratibus Christianus Lupus in Scholiis ad Synodum Ephesinam, & Norisius in Controversia *De uno ex Trinitate passo*, quæ magna contentione adversus Nestorianos fuit agitata. Est ergo inquirendum primo de ipso errore Nestorii, an negaverit Christum esse substantialiter Verbum, sublata inter utramque naturam hypostatica unione: deinde idem error est refellendus: videndum postea an Virgo sit appellanda Deipara: posthac an Cyrillus Nestorianos exagitans in oppositam hæresim lapsus fuerit: denique an Joannes Antiochenus ejusque fautores sint hæreticis connumerandi. De controversia enim circa *Unum de Trinitate passum* dicam libro proximo, differens de propositionibus, quæ possunt de Christo Reparatore enuntiari.

4. Propositio I.

Propositio I. Nestorius vere negavit Verbum Deum in unitatem personæ humanam assumpsisse naturam, atque Virginem Mariam proprie appellandam esse Deiparam.

Probatur.

Probatur non solum communi Scriptorum clarissimorum suffragio, Leonis Magni, Vincentii Lirinensis, Cassiani, Evagrii, Liberati Diaconi, Facundi Hermianensis, aliorumque Nestoriano sæculo proximiorum, atque ex judicio Apostolicæ Sedis, & Ephesinæ Synodi; verum etiam ipsius Nestorii scriptis, doctrinisque perversis; unde hæc argumenta promuntur. I. Qui asserit hominem à Virgine genitum non esse Deum Verbum, sed Deum Verbum in illo homine habitavisse, proculdubio personas dispescit, atque inter utramque statuit solam unionem moralem. At Nestorius asseruit Virginem non peperisse Deum Verbum, sed hominem tantum, in quo Deus Verbum inhabitaverit. Igitur Nestorius plures constituit in Christo personas, & negavit naturæ humanæ cum divina unionem substantialem. Minor probatur ex primo Nestorii adversus S. Cyrillum anathematismo: *Si quis eum, qui est Emmanuel, Deum verum esse dixerit, & non potius Nobiscum Deus, hoc est inhabitasse eam, quæ secundum nos est, naturam, per id quod unitus est nostræ, quam de Maria Virgine suscepit: Matrem etiam Dei Verbi, & non potius ejus, qui Emmanuel est, nuncupaverit; ipsumque Dei*

Verbum in carnem versum esse, quam accepit ad ostentationem Deitatis suæ, ut habitu inveniretur ut homo, anathema sit. Præterea negabat Nestorius Christum, quem Virgo peperit esse Deum, affirmans plenum fuisse divinitate eo sensu, quo Joannes Baptista plenus fuit Spiritu sancto, ideoque non plus sacram Virginem dicendam matrem Dei, quam matrem Spiritus sancti Elisabetham, ex Virgine autem Deum *processisse atque emicuisse, non autem natum.* Atqui inter Joannem Baptistam ac Spiritum sanctum non fuit unio substantialis. Igitur in sensu Nestorii nec fuit talis unio inter hominem, quem genuit Maria Virgo, atque inter Deum Verbum. Major probatur ex verbis Nestorii recitatis ab Evagrio, & Theodoro Episcopo Ancyrano: *Egone eum qui spatiis menstruis adoluerit, Deum appellavero?* atque ex Relatione Cleri, & populi Constantinopolitani, quæ talis est: *Hominem illum in matris utero fuisse fatetur plenum Deo Verbo, quomodo Joannes Baptista plenus Spiritu sancto,* &c. Similiter in libro ab ipso Nestorio conscripto, & perlecto Act. 1. Synodi Ephesinæ, asseritur Christum eadem ratione dici filium Dei, quemadmodum Moyses appellatus est Deus Pharaonis, & Saul, ac Cyrus Christi nomen obtinuerunt. Tertio qui duas in Christo personas distinquit, quarum una sit Dei serva, neque appellari possit Unigenitus Dei filius, altera sit Domina, neque vocari possit filius Virginis, aut Redemptor pro humano genere crucifixus, is proculdubio negat utramque naturam divinam & humanam conjunctas esse in unitate personæ. Hæc omnia Nestorius protulit. Ait enim Anathematismo v. non esse unum Dei filium, qui natus est ex Virgine, & quem Pater genuit ante Luciferum: *Si quis unum esse post assumptionem hominis naturaliter Dei filium audet dicere, cum sit Emmanuel, anathema sit.* Idem tradit anath. VII. & X. Quarto non sufficit ut dicatur Nestorius admisisse in Christo hypostaticam unionem, quod asseruerit Verbum tanquam in templo habitasse in humanitate, nec sufficit admisisse tantummodo vocabula unionis, dignitatis, auctoritatis, æqualitatis: imo hæc demonstrant multitudinem personarum, quemadmodum Sancti, qui templum sunt Spiritus, & quibus ait Apostolus, *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro,* non sunt eadem cum Spiritu sancto persona, nec eadem persona sunt duo viri vel amicitia conjuncti, vel pares dignitate atque honore. Nestorius autem in Epistola ad Cyrillum, quæ extat 1. p. Concilii Ephesini, docuit Verbum Deum in Christo homine tanquam in templo habitasse, atque ideo unum ab altero fuisse inseparabile, quia *Templum illud nunquam fuit aliquo peccato contaminatum;* addiditque se in Christo honorem atque cultum non separare, quoniam homo Deum gestabat, ita ut Deifer fuerit, non Deus, Dominicus, non Dominus, neque dividenda sit adoratio propter solam conjunctionem auctoritatis & dignitatis. Igitur Nestorius hypostaticam unionem duarum naturarum penitus oppugnavit. Insuper Nestorius, tametsi in sermone quodam execratus est hæresim Pauli Samosateni, attamen in publica Contestatione proposita à Clero Constantinopolitano, in Collect. Conciliorum Ph. Labbei Tom. III. pag. 337. convictus est has capitales blasphemias cum Paulo pronuntiasse: *Maria Verbum non peperit. Qui fieri queat, ut Maria ex se genuerit antiquiorem se? Qui ex Virgine natus est, homo est.* Ac facta collatione assertionum Pauli ac Nestorii ibidem concluditur: *En Paulo Samosateno hæretico, qui alium asserit esse Verbum, & alium Jesum Christum, neque unum esse ut orthodoxa profitetur Ecclesia, plenissime adstipulatur.* Postremo si attendantur Nestoriana principia, simul apparet non potuisse hunc hæresiarcham inter Filium Virginis, ac Filium Dei unionem aliam fateri præter moralem, atque existimasse ex Catholica doctrina fieri consequens, ut vera sit hæresis Apollinarii autumantis divinitatem in humanitatem fuisse conversam; ideoque nil ad purgandum Nestorium valet, quod ubique Arium, & Apollinarium insectetur. Enimvero cum Paulo Samosatensi, Photino, aliisque superiorum ætatum hæreticis opinabatur Nestorius non posse naturam propria subsistentia exspoliari, ac propterea hæc erant ejus verba apud Cyrillum in Epist. ad Successum, *Si Christus perfectus Deus, idemque perfectus homo intelligitur, ubi naturæ est perfectio, si hominis natura non subsistit?* Igitur Nestorius cum duplicem in Christo naturam adversus Apollinaristas fateretur, debebat ex falso illo principio, quod natura sine propria subsistentia sit imperfecta, inferre, quod in Christo duplex subsistentia debeat admitti. Illud etiam ex Nestoriano principio erat consequens, quod Maria non sit vere Deipara; nam cum Verbum Deus non possit habere initium subsistentiæ ex muliere, & alias hæc pepererit filium hominem, in quo natura & subsistentia creata juxta Nestorium inveniebatur, non

poterat

poterat ipse percipere sacram Virginem esse Dei genitricem, *cum non genuerit nudam & seorsim positam divinitatis naturam*, ut refert S. Cyrillus in suo Apologetico.

QUAE PROFERUNTUR IN DEFENSIONEM NESTORII.

5. Objicitur in defensionem Nestorii.

At rectam fidem Nestorium incorruptam servasse, posset quis contendere illustribus testimoniis, atque ejusdem Nestorii contestatione ac doctrina. Testimonia vero sunt quæ sequuntur. Joannes Antiochenus in Epistola ad Nestorium, quæ extat in Synodo Ephesina, illum hortatur ut sacram Virginem Mariam appellare non detrectet Deiparam, quandoquidem compertum sibi foret ex relatione multorum, qui illum non infrequenter audierant, *quod ipsam solam vocem, non piam quoque ipsius vocis notionem* aversaretur. Atque in Epistola ad Firmum, quam scripsit Joannes posteaquam Catholicis accesserat, edita à Garnerio differt. v. de Causa Theodoreti, *Sapiebat*, inquit, *sic prius sanctissimus Episcopus Nestorius, sicut res ipsæ docuerunt. Cavebat vero nomen, veluti dare posset, unde nos sequaces hæretici Apollinarii reprehenderent. Quia vero sic & ante sapuit, inde convincitur, quia cito constitit admonentibus nobis, & ipsum nomen accepit, & in duobus sermonibus sanam fidei expositionem, & irreprehensibilem nobis direxit.* Theodoretus in Epistola ad Alexandrum Hierapolitanum ait immerito *venerabilis, & sanctissimi Episcopi Nestorii dogma fuisse damnatum.* Rectum Nestorium tenuisse sensum testatur etiam Acacius Episcopus in Epistola ad Cyrillum, & alii, de quibus noster Lupus in Schol. ad Syn. Ephesinam. Etiam Socrates lib. VII. H. E. cap. 32. hæc de Nestorio profert: *Meo quidem judicio neque Paulum Samosatenum, neque Photinum imitatur, neque Dominum hominem solum esse dicit, sed vocem duntaxat Deipara tanquam larvam reformidat.*

6. Respond.

Resp. hæreticos omnes, & maxime Nestorium, cui in faciem restiterunt ex ipso Clero Constantinopolitano viri doctrina & pietate præclari, verborum involucris, & specioso insectandi damnatas hæreses prætextu proprias summa fraude occultasse. *Sunt enim illi*, (inquit Synodus Ephesina in Relatione missa per Palladium ad Theodosium,) *qui diversa à recta fide sentiunt, adeo callidi, ut quidam quoque sanctissimi Episcopi occultato errore à Nestorio decepti sint, eique se adjunxerint; qui tamen postquam dilucide quid sentiret essent percunctati, illumque suas blasphemias retegentem comperissent, ab eo defciverunt, Synodo se adjunxerunt, patefactaque ejusdem blasphemia condemnationis sententiam adversus illum tulerunt.* Inter prædictos Episcopos connumerandos esse Joannem Antiochenum, ac Theodoretum, demonstrabimus infra. Scripsit vero Joannes ad Firmum post acceptam Nestorii Epistolam, in qua callidus hæreticus scripsit, se concedere ut Virgo Dei Genitrix nominetur propter unitionis rationem, non juxta sensum Apollinarii vel Arii; quæ confessio decepisset unumquemque, cui non esset manifestum qualem unitionem Nestorius adstrueret, & cur Apollinarii, Ariique sensum execraretur: quod nos in postrema argumentatione explicavimus. Hinc inita pace cum Cyrillo, Joannes omnes hæretici tergiversationes detexit atque proscripsit: & etiam Theodoretus, qui impense partibus Nestorianis studuerat, cognita nequitia Nestorium tetulit inter hæreticos lib. IV. cap. 12. Hæreticarum fabularum. Cum potuerit ambiguus Nestorii sermo decipere tales Præsules, nil mirum, quod lectitando ejus opuscula Socrates hominem illum potius imperitum, quam impium existimaverit.

7. Urgetur defensio Nestorii.

Ex doctrina Nestorii possunt hæc ad ipsius defensionem urgeri. I. In sermone quem habuit Constantinopoli causam reddens cur potius sacram Virginem appellaret *Christotocon*, quam *Theotocon*, id est Christi genitricem, non Dei, ait: *Quoniam Christus, id est, hoc appellationis nomen significativum est utrorumque, id est, Dei & hominis.* Addit sequi se exemplum Evangelistæ, qui non ait, *Liber generationis hominis, ne purum nobis hominem videretur ostendere, neque Liber generationis Verbi Dei, ne Divinitatem nobis ex parte humanitatis induceret.* II. In serm. altero apertissime profitetur in Christo unitatem personæ dicens: *Christus indivisus est; non enim habemus duos Christos, vel duos filios.* III. Serm. 12. his verbis execratur errorem Pauli Samosatensis: *In stupore dentium remaneat Paulus Samosatenus, qui nobis Dominicam humanitatem nudam à Deitate delirat.* Hæc omnia ita pro Nestorio possunt opponi. Non errat in dogmate, qui affirmat Virginem Mariam peperisse Christum, in quo Dei, & hominis reperitur natura; & dummodo fateatur advetsus Paulum Samosatensem humanitatem Deitati conjunctam, & Christum unum, atque indivisum Dei filium, tenet per omnia fidem Orthodoxam.

Nestorius asserit Mariam esse Genitricem Christi, hunc esse unum atque indivisum, neque habere humanam naturam à divinitate sejunctam. Igitur Nestorius fuit per omnia Catholicus atque Orthodoxus.

8. Respondetur.

Resp. Nestorium multiplicem inter Christi humanitatem, ac divinitatem unitionem admisisse, nunquam tamen *hypostaticam*, qua utraque natura copulata est in unitate personæ. Admisit enim unitionem, quam appellabat συνάφειαν, id est, *societatem*: item consortium & copulationem secundum dignitatem filiationis, & secundum eandem voluntatem, beneplacitum, & *homonomyam*: similiter adunationem & propinquitatem ratione affectionis & amicitiæ: unionem pariter secundum inhabitationem veluti in domo, vel templo; ulterius conjunctionem ratione operationis & imperii divinitatis, ad cujus nutum Christi humanitas omnia compleret: demum unionem personalem, non *hypostaticam*, sed tantum secundum coaptationem, cum quis personam subiens alterius ejus vice loquitur, atque operatur. Hæc unitionis genera statuisse Nestorium constat ex Cyrillo, Damasceno, Liberato, aliisque laudatis à Petavio lib. III. de Incarnat. cap. 3. Liquet autem hæc omnia distinctionem personarum demonstrare, quoniam societas, amicitia, affectio, homonomya, propinquitas, & auctoritas, qua aliquis vice alterius loquitur, & alia istiusmodi plures personas consignificant. Resp. itaque Nestorium in priori sermone affirmare appellationem Christi significativam esse Dei & hominis, non quod Dei genitrix enixa esset Deum Verbum, sed quod peperisset hominem, in cujus persona, tanquam in templo inhabitaret persona Verbi: nam post allata verba eodem sermone ait: *Quoniam sancta Virgo est Dei genitrix ideo, quia illud templum, quod in ea ex Spiritu sancto creatum est, Deitati erat unitum; hominis vero genitrix, eo quod naturæ nostræ primitias assumpsit, &c.* Eodem pacto negavit Christum esse purum hominem, in quantum non est solum templum, in quo Sacerdos inhabitat, neque sola auctoritas Proregis, quæ mandata legesque præscribit. Ad 2. dicimus quod Nestorius admisit unum filium dignitate, honore, adoratione; non natura atque hypostasi: oppositum namque tradidit in V. Anathematismo, de quo supra, Arg. 3. Ad ultimum; tametsi Nestorius execrabatur hæresim Pauli quantum spectat ad Trinitatem divinarum personarum, ideoque fatebatur secundam Personam, id est, Verbum Deum societate, dignitate, auctoritate, atque omni alia unitione morali conjunctum fuisse humanitati, quod Paulus negabat: uterque tamen, Paulus ipse ac Nestorius conveniebat in oppugnanda Incarnatione Dominica, ut supra contestatione Cleri Constantinopolitani, & Collatione dogmatum utriusque demonstratum est. Ad postremam argumentationem dist. ma. Non errat in dogmate, qui affirmat sacram Virginem genuisse Deum & hominem, ita, ut Deus & homo sint unus Virginis filius unitate personæ, concedo: ita, ut unus sint unitate morali superius exposita, nego majorem: & distincta eodem pacto minori, nego consequentiam.

9. Aliis argumentis pro Nestorio.

Insuper argumentaberis. Nestorius intendebat solummodo in Christo asserere duas naturas distinctas atque impermixtas, Catholicam veritatem propugnans, dummodo Apollinarii, Ariique damnaretur impietas. Etenim in Epistola ad Joannem Antiochenum ait ideo negasse se Virginem Mariam esse Dei Genitricem, quoniam sermo, quod dicitur Θεοτόκος à multis hæreticis assumitur ut suus: hos autem hæreticos declarat esse sequaces Arii, & Apollinarii. Deinde asserit se Virginem appellare Χριστοτόκον, medium incedens inter eos, qui nominabant Θεοτόκον, ut insinuarent Divinitatem à Virgine sumpsisse initium, & qui appellabant Ανθρωποτόκον, ut ostenderent in Christo nudam extitisse humanitatem; & ideo ait: *Christi eam vocavimus Genitricem, ut hæc vox utrumque manifeste significaret, id est, Deum & hominem.* Addit concedere se, ut pie *Genitricem vel Particen Dei Virginem nominemus, sed non juxta Apollinarii vel Arii sensum, quasi divinitas Unigeniti ex sancta Virgine sumpserit initium.* Præter hæc Sermone 6. profitetur se probare vocem Θεοτόκον, dummodo sacra Virgo minime dicatur Dea, quomodo dicenda esset in sensu Apollinarii, & si illa peperisset divinitatem, quoniam filius Matri debet esse consubstantialis: *Si quis inter vos*, inquit: *simpliciter voce Θεοτόκος gaudet, apud me nulla lis est de voce, tantum ne Virginem Deam nominet.* Denique Nestorius in Epistolis ad Cyrillum, ad Cœlestinum, atque in sermonibus habitis in Templo Constantinopolitano fatetur Christum esse Deum & hominem, & Virginem Θεοτόκον propter unitionem divinitatis, atque humanitatis, tantum non esse Dei genitricem juxta sensum hæreticum Apollinarii.

Resp.

10. Reſpondetur.

Reſp. juxta Neſtorium, atque ipſius principiis ſuppoſitis, fidem Catholicam, qua profitemur Deum & hominem unum eſſe Chriſtum unitate perſonæ, apertiſſime eſſe hæreſim Apollinarii. Vidimus enim admiſſam à Neſtorio cum natura humana hypoſtaſim, & ſubſiſtentiam creatam, quæ initium habuerit ex Virgine. Si igitur naturæ humanæ ac divinæ una ſubſiſtentia ſit, conſequens eſt in ſententia Neſtorii, divinitatem habuiſſe ſubſiſtendi initium à Virgine, & divinam naturam converſam in naturam creatam, ut tradidit Apollinarius. Hujus itaque hæreſim execrando cum duplici natura duplicem in Chriſto ſtatuebat hypoſtaſim, duplicemque perſonam, unam Deum Verbum & Unigenitum Patris, alteram hominem & filium Virginis. Inter utrumque tamen unitionem quamdam ſtatuminans unum Chriſtum prædicabat, ſed unum per ſocietatem, adunationem, affectum, inhabitationem, & voluntatis concordiam, ita, ut impium eſſet aſſerere quod filius genitus à Virgine ſit filius Dei genitus ante Luciferum, & filius Dei ante Luciferum genitus, ſit pro nobis natus, paſſus, crucifixus & mortuus, denegata cum unitate perſonæ etiam communicatione idiomatum. Hanc eſſe Neſtorianam doctrinam ſuperius eſt demonſtratum. Diſtinguo itaque propoſitionem, Neſtorius propugnabat duas in Chriſto naturas, & dummodo damnaretur Apollinarii & Arii impietas, etiam admittebat vocem Θεοτόκον; & ex alia parte arbitrabatur in ſenſu Catholicorum, qui profitentur duas in Chriſto naturas ſubſiſtere in unitate perſonæ, contineri ipſam hæreſim Apollinarii, concedo: & diſcrimen admittebat inter Apollinarii hæreſim, & ſententiam Catholicorum, nego. Poſtrema argumentatio pro theoremate noſtro producta difficultatem omnem eliminat.

11. Propoſitio 2.

PROPOSITIO II. Admittenda eſt in Chriſto una tantum Perſona.

Probatur 1. ex Scripturis.

Hujus theſis veritatem comprobant omnia argumenta producta Volumine II. lib. VII. cap. 9. & 11. ubi adverſus Socinianos demonſtratum eſt Chriſtum eſſe filium Dei unicum, proprium, eique conſubſtantialem. Nam ſi duplex in Chriſto admittatur perſona, divina nempe, & humana; illa neceſſario erit perſona filii naturalis & coæterni: hæc perſona filii aſſumpti, atque adoptivi. Attamen breviter atque directe contra Neſtorium, Scripturis, Patribus, ac ratione veritatem Catholicam propugnabo. Chriſtum itaque nobis tanquam unicam perſonam, in duabus tamen naturis conſiſtentem Scriptura divina proponit. I. Apoſtolus in priori ad Corinthios cap. VIII. 6. ait: *Unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia.* Dixerat autem Joannes cap. 1. 3. de Verbo, quod in principio erat apud Deum, *Omnia per ipſum facta ſunt.* Igitur perſona Domini noſtri Jeſu Chriſti, una eademque eſt cum perſona Verbi, quod erat in principio. Compluribus aliis textibus confirmari poteſt hæc argumentatio. Eodem enim cap. verſu 18. utique de Chriſto inquit idem Joannes, *Unigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris ipſe enarravit.* Matth. XVI. 16. ait Petrus, *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Salvator ipſe Joan. VIII. 58. *Antequam Abraham fieret, ego ſum.* Thomas ipſius vulnera palpans Joan. XX. 28. exclamavit, *Dominus meus, & Deus meus.* Apoſtolus ad Hebræos 1. 3. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus, &c.* Joannes initio prioris Epiſtolæ: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, &c.* Hæc omnia de Chriſto nemo dubitat pronuntiari. Ipſe ergo non quantum ad humanam naturam attinet, ſed quantum ad perſonam eſt ipſum Verbum, quod fuit ab initio, quod eſt ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Patris, quod eſt verus Deus antiquior Abrahamo, & in æternitate permanens in ſinu ejusdem Patris: atque hæc omnia citatis locis vindicavimus ab impiis interpretamentis hæreticorum. II. Neſtorium refutat ipſius Domini teſtimonium Joannis III. 13. *Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in Cælo.* Quis enim loquitur? Chriſtus. Ubi erat, dum hæc loqueretur? In terra. Igitur perſona Chriſti quæ loquebatur, eſt Filius Dei, qui deſcendit de cœlo. Eſt aliquid aliud in verbis ipſis adnotandum. Dum hæc Filius hominis in terra loquebatur, erat in cœlo: nam inquit, *Filius hominis, qui eſt in cælo.* At non erat in cœlo ratione naturæ humanæ, quam nondum glorificatus ad Patris dexteram collocaverat. Erat itaque filius hominis in cœlo ratione perſonæ, quam proinde cogimur aſſerere eandem perſonam eſſe, ac perſonam Verbi immenſam ac ſempiternam. Aliud quoque in iisdem verbis obſervandum eſt. τὸ *aſcendit*, & *deſcendit* non eſt præſentis temporis, ſed præteriti, ut liquet ex Græco, οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς. Quo autem pacto Filius hominis, dum Nicodemum

mum alloqueretur, cœlum conscenderat, nisi ratione personæ, quæ sicut descendit accipiens formam servi, ita filium hominis *hypostatica* unione exaltavit? Huc spectat quod legimus cap. VI. versu 59. *Hic est panis, qui de cœlo descendit;* & versu 63. *Si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius.* Sed legendus de hoc argumento Cassianus lib. IV. de Incarnat. cap. 6. & quæ ibidem adnotavit Gazæus. III. Idem confirmant loca, quæ nobis Divini Verbi incarnationem, ac mortem proponunt; cujusmodi sunt Joannis I. 14. *Verbum caro factum est.* I. ad Corinth. II. 8. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Ad Philipp. II. 7. *Semet ipsum exinanivit formam servi accipiens.* Enimvero nisi in Christo una tantum persona admittatur, sed duæ, quas inter sit unio duntaxat moralis, de qua præcedenti propositione; non potest admitti inter divinam, humanamque naturam talis idiomatum communicatio, ut Verbum possit dici incarnatum, crucifixum, & exinanitum; quemadmodum hæc minime enuntiantur de Spiritu sancto, cujus tamen justi sunt templum, atque habitaculum. Verum de communicatione idiomatum infra: interim legite Augustinum I. de Trinit. cap. XIII. n. 28.

12. 2. Ex Patrum Traditione.

Accedit ad refellendos Nestorianos Sanctorum Patrum traditio; de qua plura Bellarminus lib. III. de Incarnat. cap. 6. Jodocus Coccius lib. II. art. 2. Petavius de Incarnat. lib. III. cap. II. Tournely Q. VII. art. I. omnesque Theologi. Quare necessum non est, ut omnia exscribamus, sed proferendi sunt nonnulli ex Græcis, Latinisque Patribus illustriores, Athanasius, Nazianzenus, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, & Augustinus. Athanasius ergo in libro de Incarnat. inquit: *Homo una persona, & unum animal est, ex spiritu & carne concretum; ad cujus similitudinem intelligendum est Christum unum esse, & non personas duas.* Nazianzenus, Orat. XXXI. *Id, quod non erat assumpsit, non duo factus, sed unum ex duobus fieri sustinens: Deus enim ambo sunt, id quod assumpsit, & quod est assumptum: naturæ duæ in unum concurrentes, non duo filii.* Chrysostomus in Epistola ad Cæsarium: *Etsi enim* (in Christo) *duplex natura; verumtamen indivisibilis unio, in una filiationis persona, & subsistentia.* Ambrosius de Incarnat. cap. 5. *Non alter ex Patre, alter ex Virgine: sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine.* Hieronymus contra Helvidium: *Natum Deum ex Virgine credimus, &c.* S. P. Augustinus cap. 5. Enchiridii: *Christus Jesus Dei filius, Deus & homo est, Deus quia Dei Verbum, homo autem, quia in unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis, & caro:* & Tractatu 49. in Joannem: *Anima & caro Christi cum Verbo Dei una persona est, unus Christus est.* Jure itaque meritoque ex tam apertis Scripturarum testimoniis, atque ex perpetua traditione, quam & antiqui servaverant, & posteriores Patres collustrarunt, proscripsere Nestorium Synodus Ephesina, Chalcedonensis, Quinta Oecumenica; sive Constantinopolitana secunda, atque universalis Ecclesiæ irrefragabilis auctoritas.

13. Ex ratione.

Confoditur denique hæresis Nestoriana Theologicis ratiociniis. Principio Fidei Symbola, & Apostolus ad Ephesios IV. 5. aliisque in locis supra laudatis, Dominum Jesum Christum unum esse testantur; & Symbolum præsertim Nicænum, ut observatum à Rufino in Exposit. Symboli §. 4. in ea voce *Unum* emphasim quamdam constituit, εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστόν. Si hac fide revincitur error Gnosticorum, qui Christum à Jesu divellentes, ut inquit Irenæus lib. I. cap. 2. negabant unitatem personæ Salvatoris, cur etiam non refutatur Nestoriana blasphemia? Profecto Gnostici affirmantes Christum Creatoris & Demiurgon transiisse per Virginem, ut per canalem assolet aqua, & in illo Jesum ex Pleromate descendisse, atque inhabitasse; nec non Valentiniani, qui autumabant alium esse *Monogenem*, Unigenitum, alium *Logon*, Verbum, & unum in alterum advolasse, antiquis Græcorum Symbolis damnabantur. Atque hinc factum puto, quod Occidentales Ecclesiæ, in quibus Gnosticorum errores non adeo invaluerant, priscis sæculis vocem *Unum* communiter non enuntiarent. At eandem unitionem, quam statuit Nestorius inter Verbum, & Christum, illi hæreticorum aliorum antesignani constituebant inter Demiurgon & Jesum, sive inter Monogenem, & Logon; ut res per se loquitur. Fides ergo Apostolica quemadmodum Ebionis, Valentini ac Cerinthi commenta retundit proponens unum Dominum Jesum; ita ab initio Christiani nominis illorum germen Nestorium evidentissime prædamnavit.

Hæc nostra argumentatio fons est, & fulcrum aliarum omnium, quas adhibuerunt in hoc dogmate Viri docti. Sunt illæ,

illæ, quod si in Christo multiplicentur personæ, neque sit inter istas unitio alia, præter eam, quam Græci appellant κατὰ παράθεσιν, *secundum appositionem*, qualis est inter lapides coacervatos, aut inter corpus ejusque indumentum, sive inter domum ibique habitantem; non magis est unus Dominus Jesus Christus, quam unum sint Deus & templum, vestis & homo, lignum & lapis. Quod si in rationabilem animum possit cadere; neque unus est Christus, neque Verbum caro factum est, neque Salvator habuit efficaciam mundum redimendi, neque recte appellatus est Dei Unigenitus, neque in mysterio Dominicæ Incarnationis occurrit dignum aliquid divinum, atque admirandum. Id vero cum Christianorum aures perhorrescant; execrari debemus impiissimum sceleristissimumque Nestorium, non tantum ut Gnosticorum germen veneficum, verum etiam ut Paganum, Judæum, hostemque Religionis nostræ infensissimum; quod proximo capite confirmabo.

Ad Nestoriana Sophismata.

14. Objicitur 1. Pro hæresi Nestoriana possunt ea, quæ sequuntur, opponi. Primum: Divina Scriptura nobis humanitatem Christi describit comparatione templi, tabernaculi, atque indumenti. Ut ergo ista non habent cum homine subsistentiæ communionem; ita Dei filius non habet cum assumpta humanitate eandem hypostasim. Ant. probatur, quoniam Christus de corpore suo ait Joan. 11. 9. *Solvite templum hoc.* Idem Christi corpus tabernaculo comparatur Psalmo XI. 10. & in Epistola ad Hebræos cap. IX. 11. necnon habitui & vestimento ad Philippenses II. 7. & Apocalypsis XIX. 16. hæc enim loca de humanitate Christi Patres, atque interpretes solent accipere.

15. Respondetur. Respondeo etiam comparate ad rationalem animam dici in sacris literis corpus domum, tabernaculum, indumentum. Apostolus enim in II. ad Corinth. v. 1. ait: *Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, &c.* & infra 4. *Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati:* & similiter Judæ versu 23. de corpore vitiis polluto, *Odientes eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam:* quod recte usurpatum est ad commonstrandam spiritualis, & corporalis naturæ diversitatem. At de Christo ob aliam quoque causam vocabula illa enuntiantur. *Templum* corpus suum appellavit, propterea quod sicut Jerosolimitanum ædificavit Salomon, atque illud replevit gloria Domini: ita plasmavit Sapientia corpus Dominicum, & in eo inhabitat *omnis plenitudo Deitatis corporaliter*, ut inquit Apostolus ad Coloss. 2. 9. Sicut etiam templum illud postquam dirutum fuerat, magna cum gloria fuit iterum ædificatum, ita Christus agens de morte triumphum resurrexit à mortuis. *Velamen* etiam, & *vestimentum* dicitur ejus humanitas, quoniam in ea latebat divinitas: quod Apostolus demonstrat citato capite ad Philippenses, ubi nobis proponit Christi humilitatem, *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, &c.* Vide etiam, quæ diximus adversus Phantasiastas cap. 2. hujus libri. Distinguo itaque ant. Christi humanitas comparatur templo, tabernaculo, atque indumento; quoniam dissolvenda erat per mortem, quoniam in ea habitat plenitudo divinitatis, quoniam sub ea latebat divina majestas; concedo: ita his rebus comparatur, ut denegetur inter divinam, humanamque naturam unio substantialis & *hypostatica*; nego antecedens.

16. Objicitur 2. Præterea videntur Nestorianum dogma confirmare complures sententiæ Patrum: quorum aliqui cum Basilio in Sermone de Spiritu sancto ad Amphilochium, & in explicatione quinquagesimi noni Psalmi appellarunt Christum hominem *Deiferum*, ut adversus anathematismos Cyrilli ait Theodoretus. Alii cum Augustino lib. XI. de Civit. Dei cap. 2. scribunt filium Dei *hominem* assumpsisse; alii demum cum Chrysostomo Hom. 3. in Epistolam ad Hebræos affirmant Deum, & hominem *duas esse personas.*

17. Respondetur. At hæc non sunt alicujus momenti. Basilius enim non hominem *Deiferum* appellat Christum, sed Σαρκαθέφορον, *Carnem Deiferam*, eoquod revera humana caro sit unita *hypostatice* Deo Verbo: quamquam si *hominem Deiferum*, aut Basilius, aut alius dixerit, opposuit vocabulum istud Apollinario, qui à Verbo assumptam denegavit animam rationalem; ideoque Christum adversus Apollinaristas quidam hominem *Deiferum* appellarunt, ne quis crederet divinum Verbum solam carnem absque anima rationali, quæ humanæ substantiæ pars est præcipua, sibimet copulasse. Ad commonstrandam in Christo perfectam humanitatem corpore, animoque conflatam, à Verbo assumptum hominem Patres tradiderunt; ideoque per τὸ *hominem* non

significarunt hypostasim, sed naturam. Et de Augustino nulla quidem occurrit dubitatio; cum eo loci probet ideo Christum esse Mediatorem Dei & hominum, quia in unitate personæ duas habet naturas; hominis, qua est via perveniendi ad Deum, & Dei, ad quam homines pervenire appetunt; ideoque ait: *Sola est adversus omnes errores via munitissima, ut idem ipse sit Deus, & homo, quo itur Deus, qua itur homo.* Chrysostomus denique ex Epistola ad Hebræos refellit pervicaciam Judæorum, qui negant venisse promissum Liberatorem, hæreticosque illius ævi, præsertim Paulum Samosatensem, & Marcellum Photinianum, qui oppugnarunt divinarum personarum distinctionem. Scribens ergo duas esse *personas*, Deum, & hominem, quod ibidem bis affirmat, contra Judæos primum, deinde contra Marcellum; significat primo, præter Deum invisibilem qui Christum unxit, esse Deum hominem qui à Patre unctus est, exponens ea verba, *Propterea unxit te Deus, Deus tuus*: deinde inquit plures dari personas secundum *hypostasim* divisas, Filium nimirum & Patrem; atque ita mysterium Incarnationis & Trinitatis collustrat. Quare errant, qui putant accipi à Chrysostomo *Personam* pro *natura*; quod omnino apud Chrysostomum inusitatum est, & liquet ex repetitione ejusdem sententiæ contra Photinianos: dum enim ait S. Doctor, δὺο πρόσωπα, *duas personas* esse Patrem & Filium, oppugnans Marcellum proculdubio demonstrat per τὸ πρόσωπα hypostases, non discrepantes naturas. Qui vero cum Sixto Senensi lib. VI. Biblioth. S. Annot. 329. Vellosillo Adv. in Tom. IV. Chrysostomi quæst. 29. aliisque doctis viris arbitrantur verba Chrysostomi in Græcis codicibus fuisse depravata, etsi id conantur ostendere ex Theophilacto, & ex verborum antithesi, manifestæ rationis patrocinio destituuntur.

18. Objicitur 3. Nestoriani insuper objiciunt: Christus perfectus homo est; perfectio autem hominis ubi est, si natura humana nequaquam per se subsistat? Imo si natura illa propria caret subsistentia, quomodo est vere proprieque substantia? Econtra, cum humanitatis substantia in Christo una sit, quemadmodum una est in Socrate, aut alio naturæ humanæ individuo; habet consequenter subsistentiam suam, rationemque personæ, cum nihil hæc sit aliud, quam *rationalis naturæ individua substantia.* Hanc enim ex Boetio desumptam definitionem personæ Theologi communiter recepere.

19. Respondetur. Resp. in substantia distinguenda esse duo. Unum est οὐσία, *natura*, atque *essentia*, in eo sita, quod sit per se, scilicet non adhæreat alicui adinstar accidentis, quod permanente eadem natura potest deperdi; & si forte alteri conjuncta est, sit tamen de se idonea, ut existat à quocunque altero separata. Id in Christi humanitate nequaquam deest, quippe ex intrinsecis suis est anima rationalis, & caro, neque ita adhæret Redemptori nostro, ut ab eo divelli possit, subsistente adhuc Christi, qui duplici constat natura, hypostatica unione: quoniam si humanitas abesset, non Christus homo foret amplius, sed Verbum in forma Dei. Est etiam humana Christi natura adeo in genere suo completa, ut nisi haberet cum divina communionem hypostasis, subsisteret per se ipsam. Nihil ergo eorum, quæ ad οὐσίαν pertinent, illi deest. Alterum, quod in substantia debet spectari, est ὑσιώδες, substantiæ adventitia *habitudo*, ut quod subsistat se sola, aut conjuncta alteri; id enim quemdam existendi modum importat, non perfectionem, quæ requiritur ad οὐσίαν, sive, ut inquiunt, *ad speciem* constituendam: atque hac ratione immortalis anima *substantiam* suam habet, sive conjuncta sit corpori, sive ab eo separata; cum hoc tamen discrimine, quod anima, cum *forma* sit, adhæret carni nexu connaturali, at Christi humanitas, cui nihil deest ex modulo speciei suæ, mirabili œconomia, & virtute Spiritus sancti transiit in consortium divinitatis. His explicatis diluuntur Nestoriana argumenta. Si enim spectetur in humanitate Christi οὐσία, & *natura*; habetur eadem substantialis perfectio, ac in hominibus cæteris: si attendatur ὑσιώδες, & *existendi modus*; est longe humanitate nostra præstantior: quippe melius est esse Dei, quam creaturæ, & præstantius regi divina potestate, quam imbecillitate mortali. Est etiam Christus, quemadmodum Socrates, aut hominum alter, *individuum* humanum, in quantum unus homo est, præditus propria & singulari *substantia*: at non est in ratione *personæ* Filius Dei aliis hominibus æquiparandus; quoniam cum *persona* sit individua substantia sui juris, & *incommunicabilis* alteri, natura Socratis à Deo non assumpta, neque alia communicatione fruens, quàm naturalium proprietatum, sui juris est, sive persona creata:

sed

ſed humana natura Chriſti conjuncta Verbo, & fruens conſortio divinitatis, tranſiit ad jura divinæ perſonæ; & ideo quamvis una ſit, atque individua, caret propria *perſonalitate*, & hypoſtaſi. Definitio itaque Boetii vera eſt, ſi nomine *ſubſtantiæ* intelligas naturam *completam*, & affectam peculiaris exiſtentiæ modo, atque, ut Scholæ loquuntur, *ultimò terminatam*; falſa autem ſi intelligas aut naturam *incompletam*, qualis eſt anima rationalis, aut naturam aſſumptam, & ad jura divinitatis evectam, qualis eſt humanitas Salvatoris.

CAPUT XIV.

An Beata Virgo dicenda ſit Θεοτόκος, id eſt, Deipara.

SUMMARIUM.

1. Status quæſtionis.
2. 3. & 4. Probatur Mariam rectè dici Deiparam.
5. & ſeqq. Solvuntur objectiones.

1. Status quæſtionis. PRÆCEDENTI affinis eſt quæſtio, an intemeratam Virginem appellare debeamus Θεοτόκον, *Dei matrem ac Genitricem*, an, ut contendebat Neſtorius, Χριστοτόκον tantum, ſcilicet *Matrem Chriſti*: quod ut rite definiatur, vis nominum eſt inquirenda. Verbum τικτειν non ſolum ſignificat *parere*, & *in lucem foetum effundere*, ſed etiam illum gignere, atque in propriis viſceribus formatum emittere. Affert complura exempla ex Homero, Sophocle, & Heſiodo Robertus Conſtantinus in Lexico; nonnulla etiam ex Patribus, qui idem verbum uſurparunt in explicanda æterna Patris generatione, de Incarnat. lib. III. cap. 15. eruditus Petavius. Hinc apparet Neſtorii vafrities, & liquet cur aliquando viſus ſit Θεοτόκον non reprobare, in quantum Virgo puriſſima ediderit Salvatorem, at non Deum factum hominem, ſed Chriſtum, in quo ipſe Deus inhabitaverit. Econtra etiamſi veriſſime genuerit illa dominum Jeſum Chriſtum, ſitque proinde Χριστοτόκος; vigente tamen Neſtoriana hæreſi, oportunum erat Χριστοτόκον non pronuntiare, ne Chriſtum, ac Deum Verbum quis in duas perſonas diſpeſceret. At explicatis vocabulis, pertractandum de dogmate.

2. Propoſitio I. PROPOSITIO. Virgo Maria recte appellatur Θεοτόκος, *Deipara*, cum revera Deum genuerit, atque in utero ſuo formatum ediderit.

1. Demonſtratur. Demonſtratur 1. auctoritate Scripturarum. Principio huc ſpectant; quæ filium hominis Deum ac dominum eſſe declarant, de quibus libro VII. cap. XI. nec non vaticinium Eſaiæ explicatum cap. 1. hujus libri. Deinde manifeſta ſuntverba Apoſtoli ſcribentis ad Rom. 1. 3. de Filio Dei: *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem.* Quem ergo enixa eſt Virgo mater, eſt idem Filius Dei, & quidem non adoptione, ſed nativitate, generatione, ac natura. Enimvero ſi cum aliquibus legendum putas, περὶ τὸ υἱὸ αὐτὸ τὸ γενομένο ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κάτα σάρκα, *qui factus eſt ex ſemine David ſecundum carnem*; aperte Dei Genitricem fateris; ſi contendis ſcriptum τὸ γεννώμενο, *qui natus, & genitus eſt*, idem ſequitur apertiſſime: fateris enim Mariam non ſolum peperiſſe filium Dei, ſed etiam illum genuiſſe; & hominem efformaſſe. Neque de filio adoptivo loquitur Paulus, cum addito pronomine αὐτὸ deſignet filium proprium ac ſingularem, illum dominum appellet, & commiſſum ſibi Evangelicum munus commendans ſcribat per ipſum Chriſtum, non per homines, ſe fuiſſe vocatum Apoſtolum, & ſegregatum in Evangelium. Atque ad Galatas IV. 4. ait idem Paulus: *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege.* Utrumque occurrit hoc loco, γεννώμενον ἐκ γυναικὸς, *genitum, & hominem factum ex muliere*, atque γενόμενον ὑπὸ νόμον, *factum & conſtitutum ſub lege.* Ex his argumentamur. Recte appellatur Dei Genitrix, quæ concepit, peperit, genuitque Verbum unigenitum Dei filium. Maria Unigenitum Dei filium concepit, ac genuit. Recte ergo Maria ſemper virgo dicitur Dei Genitrix.

2. Confirmatur. Confirmatur Catholica veritas traditione: Martyr Juſtinus in Apologetico inquit: *Verbum formatum eſt, & homo factus ex Virgine.* Ignatius in Epiſt. ad Epheſios: *Deus noſter Jeſus Chriſtus ex Maria genitus eſt.* Hyppolitus Martyr laudatus etiam à Theodoreto: *Verbum Deus, & homo, primogenitus in utero*

formatus. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. XII. *Crede illum ipsum unigenitum filium, ex Virgine iterum genitum esse.* Nazianz. Orat. 51. *Si quis Sanctam Mariam Deiparam non credit, extra divinitatem est.* Cyrilli Alexandrini, qui adversus Nestorium pro honore Deiparæ decertavit, non opus est exscribere testimonia: nam ubique Virginem esse Dei Genitricem contendit, in suis Anathematismis, in Epist. ad Acacium, ad Clericos Constantinopolitanos, ad Monasteria, in suo Apologetico, &c. Afferamus & Latinorum aliquos. Tertullianus de Carne Christi cap. 17. *Ante omnia*, inquit, *commendanda erit ratio, quæ præfuit, ut Dei filius de Virgine nasceretur.* Ambrosius Epist. 63. *Filium coæternum patri suscepisse carnem, natum de Spiritu sancto ex Virgine Maria, &c.* Augustinus denique de dono Perseverantiæ cap. ultimo: *Dicimus Christum Deum verum, natum de Deo Patre sine ullo initio temporis, eundemque hominem verum, natum de homine matre certa plenitudine temporis, &c.* Nisi hæc sufficiant vide Coccium lib. II. art. 2. Petavium libro III. de Incarnat. cap. 14. & 15. & Nat. Alex. dissert. III. in Hist. Eccl. Sæculi V.

4. Stabilitur rationibus.

Addam postremo loco rationes. I. Qui Virginem esse Deiparam imperite negant, huc necessario adiguntur, ut Christum in duas personas dividant, constituantque duos filios, unum genitum ante Luciferum, & alterum factum ex semine David secundum carnem. Id vero superiori capite refutavimus. II. Aut filius Virginis verus est Deus, aut verus Deus non est. Si non est verus Deus, subvertitur Incarnationis mysterium, neque *Verbum caro factum est*, quod tam aperte legimus in Evangelio. Si autem filius Virginis est verus Deus; debemus illam appellare Θεοτόκον, ac Deiparam. III. Judæi filium Virginis crucifixerunt, quod se faceret filium Dei; ob eandem causam Pontifex Caiphas scidit vestimenta sua, quasi blasphemum fuerit, quod ipsi interroganti Matth. XXVI. 63. *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei vivi;* respondit Dominus, *Tu dixisti.* Porphyrius etiam, Julianus Apostata, aliique Pagani hoc maxime in Christiana Religione deridebant, quod credamus ipsum Deum conceptum ex Virgine, natum, & crucifixum. Si Christus est idem Filius Dei, Maria Θεοτόκος est; & jure meritoque Nestorius damnatus est tanquam Paganus, Judæus, novus Caiphas, atque Porphyrius, aut Julianus, ut in Notis ad Synodum Ephesinam demonstrat vir eruditissimus Christianus Lupus. Econtra si quem genuit Maria, non est idem verus, proprius, ac naturalis Dei filius: merito illum damnarunt Judæi, merito Caiphas quasi blasphemum redarguit, merito Pagani negant ipsum Deum crucifixum; quod cum sit valde nefastum, impium, dictumque horrendissimum, Christum Deum & hominem, & beatissimam Virginem Matrem Dei appellare debemus: ita Scriptura, Patres, & ratio ipsa demonstrant; ita etiam, ne sacros Vates hoc loco prætermittamus, lib. VI. de Laude Castitatis Alcimus Avitus:

Ante ævum de Patre, ex Matre in tempore natus,
Seminis hinc expers omnino, & temporis illinc.
Sic Virgo fœcunda fuit, quæ pondere casto
Factorem portare suum, Dominumque perennem
Edere promeruit, dignoque agnomine dici
Virgo DEI MATER.

Objecta diluuntur.

Sequuntur contraria argumenta, quorum primum sit. Probant Catholici Mariam esse Θεοτόκον, quod enxia sit Filium Dei, genitum ex semine David, & factum ex muliere, ut in Epist. ad Rom. scribit Apostolus. Atibidem versu 4. Christus natus ex semine David dicitur Filius Dei prædestinatione & gratia, non generatione & natura; nam legimus: *Qui prædestinatus est filius Dei.* Corruit ergo prior argumentatio petita ex Apostolo. Additum est in hujus confirmationem, quod Christus in Sacris literis dicitur Deus. Verum nonne idem nomen Moysi, Judicibus, Regibus, Angelis, & piis, justisque tribuitur? Nequit ergo Nestorius auctoritate Scripturarum refelli. 5. Objicitur

Resp. nego minorem; siquidem verborum Apostoli sensus est, Christum fuisse prædestinatum filium Dei, in quantum prædefinitum erat, ut virtute miraculorum, & præsertim resurrectione ex mortuis palam fieret illum esse, quem olim prænuntiarunt Prophetæ. Aque hunc sensum planum mihi reddunt sequentia. I. Syrus ορισθέντος vertit, *Qui cognitus est.* II. Ὁ ῥισθεντος apud Chrysostomum idem est, 6. Respondetur.

est, ac δειχθέντος, ὁποφανθεντος, κεληθεντος ἀπὸ τῆς ἁπαντων γνώμης, καὶ ψήφε, id est, *Qui demonstratus, declaratus, & judicatus est omnium sententia ac suffragio Filius Dei.* III. Ibidem innuit Apostolus, quomodo sit prædestinatus, dicens: *in virtute, secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum.* IV. Idem commonstrat anthithesis & ordo verborum: nam primum ait Apostolus hunc Dei filium promissum in Scripturis sanctis; deinde factum ex semine David secundum carnem; tum prædestinatum in virtute; non ergo de sola prædestinatione, quæ est electio gratiæ facta ante mundi constitutionem, sed de manifestatione divinitatis, & de prædefinita gloria Christi loquitur sanctus Paulus. Si mavis tamen Christum esse prædestinatum Filium Dei *secundum carnem*, hoc sensu, quod præfinitum fuerat Verbum carnem fieri, atque ita hominem esse ob substantialem unionem inter utramque naturam Filium Dei naturalem, hanc etiam explicationem admitto. At Filium Virginis appellari Deum attributione quadam, ut Moyses & Angeli, falsum esse demonstravi lib. VII. cap. XI. ex nomine tetragrammato, ex appellatione unius Dei, ex eadem cum Patre operatione ac potestate, aliisque characteribus, qui nequeunt alicui, nisi summo Deo, convenire.

7. Objicitur 2. Secundum pro Nestorio argumentum est: Vox *Deipara* inusitata penitus est: frustra illam in sacris literis perquiras: nullam ejus mentionem fecit Nicæna Synodus. Apud Patres nunquam occurrit ante Leonem Magnum, qui omnium primus illam intrusit: noluerunt illam Symbolo addere Patres Synodi Chalcedonensis, etiamsi id flagitarent nonnulli. Nova est ergo vox illa, atque repudianda.

8. Respondet. Resp. Nihil hac argumentatione pro Nestorio concludi. Nam I. neque in Scripturis invenient Nestoriani voces Χριστοτόκον, καὶ Θεοδόκον, id est, *Dei susceptricem*, quas pro *Deipara* impie substituebant. Deinde, si hæc vox in sacris literis non reperitur, occurrit ibidem res ipsa, ubicunque Christum esse Deum, & esse unum pronuntiant: ac possumus idcirco respondere, quæ de vocabulo ὁμοσιῶ scribit Augustinus in Epist. ad Pascentium laudata Volumine II. pag. 64. Præterea quælibet hæresis, ut veritas Catholica diligentius defenderetur, impulit nos ad usurpanda quædam vocabula, & ad quæstiones instituendas, de quibus soliciti non erant antiquiores. Quantum ad Patres attinet, S. Cyrillus in Apologetico pag. 162. & 163. Tom. I. demonstrat hac voce usos fuisse Petrum Alexandrinum, Athanasium, & Amphilochium Episcopum Iconii, alibi laudat Antiochum, & Ammonem. Etsi non omnes Θεοτόκον expresse protulerint, ut animadvertit cit. cap. 5. Peatavius, tradiderunt tamen vocis significationem; ac splendide mentitur Nestorius, dum ait vocabulum istud adinventum ab Apollinario, & primum in usu receptum à Leone, cum manifesta sit Gregorii Nazianzeni sententia paulo supra producta. Vide Not. Christ. Lupi ad I. Cyrilli Anathematismum. Quantum vero spectat ad Nicænam Synodum, respondit idem Cyrillus in Epistola ad Cler. Constantinop. voculæ hujus non meminisse, quia nil ejusmodi in controversiam adducebatur: si tamen lubeat vim sententiarum perpendere, sacram Virginem ab eadem Synodo declarari Deiparam, dum illum ipsum, qui ex Deo Patre natus est, dicit incarnatum & hominem factum. Eandem sententiæ vim tenuerunt Patres Ephesini & Chalcedonenses; qui *Deiparam* Symbolo non addiderunt ob grassantem hæresim Eutychianam; ut diximus Tomo II. pag. 90. His ergo penitus Nestoriana argumentatio revincitur.

9. Objicitur 3. Argumentum alterum Nestorii erat: Virgo non genuit divinitatem, quomodo ergo dicenda est Dei mater? Huc spectant omnia alia ejusdem hæresiarchæ sophismata; illud maxime, quod Mater filio consubstantialis est, ideoque qui Mariam dicunt *Theotocon*, illam faciunt Deo consubstantialem ac Deam, renovantque hæresim Appollinarii, qui asserebat natam ex Virgine divinitatem, idem vocabulum Θεοτόκος adhibens in suæ impietatis structuram. Addebat Nestorius, quod cum sit in Christo duplex substantia, non potuit utraque ex Virgine generari, ideoque genita ab illa est tantummodo substantia hominis, unde hominis Genitrix fuit, non Dei.

10. Respondet. Respondeo in Christo duplicem esse naturam, divinam atque humanam, atque ut Virgo dicatur Dei parens, satis esse, quod genuerit ipsum Christum, qui ob substantialem inter utramque naturam unionem simul est verus homo, & verus Deus: neque ullatenus ad hoc requiritur, ut divina substantia absolute spectata sit genita ab ipsa Virgine. Enimvero mulieres omnes, quæ genuerunt, matres dicuntur hominum, qui constant corpore & anima rationali; quamvis ipsam animam partem hominis nobiliorem non generaverint: neque dici solent genitrices corporum, quibus formam dedere,

dere, sed personarum, in quibus corpora unita sunt animabus. Audiatur Cyrillus hæc scribens in Epist. ad Monachos: *Etsi mulieres istæ nonnisi terrenorum sint corporum matres; nihilominus cum totum animal pepererint ex anima & corpore compositum, non solam ejus partem peperisse dicuntur. Nec aliquis dixerit, Ex. causa, Elisabetham matrem Joannis carnis esse genitricem, non animæ: peperit enim animatum Baptistam, ac sic tanquam unum aliquid ex ambobus hominem, anima videlicet, & corpore. Hujusmodi quidpiam actum esse fatebimur in Emmanuelis generatione; quippe natum est, ut dixi, ex Dei Patris substantia Unigenitum ipsum Verbum. Cum autem carnem susceperit, eamque propriam sibi fecit, ut filius hominis esset, ac similis nostri fieret, tunc minime est absurdum dictu, imo necessario profitendum, illum ex muliere secundum carnem esse natum, quemadmodum anima una cum proprio corpore gignitur, & unum cum eo reputatur.* Præterea etsi nonnulli Patres genitam à Virgine divinitatem scripserunt, quemadmodum etiam quidam appellarunt Verbum substantiam genitam; nos nequaquam dicimus divinam naturam ex fœminæ utero extitisse, sed affirmamus genitam ex muliere personam, quæ secundum divinitatem est Filius Dei verus, & secundum carnem filius hominis verus; ut recte animadvertit S. P. Augustinus lib. III. contra Faustum cap. 6. Quare illi Patres, qui ex Virgine genitam divinitatem dixere, non naturam solam nomine divinitatis significarunt, sed naturam cum *hypostasi*; quoniam natura ex se, & absolute spectata, nec gignit, nec gignitur, ut dictum est alibi. Atque hæc notanda sunt pro conciliandis SS. Patrum sententiis.

11. Ulterior Responsio.

Ergo ad Nestorii argumenta respondeo, quod Virgo non genuit divinitatem, sed genuit secundum carnem Christum, qui est verus Deus; atque id sufficit, ut dici debeat Θεοτόκος: neque proinde est Dea aut Deo consubstantialis, quoniam illum non genuit secundum divinitatem, quam ab æterno habuit à Patre, sed secundum carnem, quam ex matre susceptit in tempore. Eo pacto qui Θεοτόκον fatentur, non incidunt in hæresim Apollinarii, quoniam non inquiunt divinam Christi naturam ex utero Virginis primum extitisse, sed ex eo carnem assumpsisse Verbum, quod in principio erat Deus. Imo ut observarunt docti viri, Petavius de Incarnat. cap. XIX. libri V. & Lupus in Scholiis ad Synodum Ephesinam, Anath. I. Cyrilli, probantque evidenter ex Facundo Hermianensi, Apollinarius negabat Deum esse genitum ex Virgine: putabat enim sibi partem substantiæ suæ, id est, Deitatis in carnem vertisse, & in Maria, non ex Maria fuisse incarnatum; autumans illam carnem conversam in divinitatem consubstantialem esse Patri, non Matri. Quapropter Nestorius Appollinarii hæresim inscite nimium, & audacter Catholicis obiciebat. Quod postremo addebatur non posse duas substantias gigni ex una, haberet aliquid roboris, si gigneretur utraque substantia separatim. At nos dicimus cum Ferrando in Epist. ad Anatolium, genitam ex Virgine divinam substantiam adunando sibi humanitatem, sive genitam ipsam divinitatem incarnatam: aut fortasse melius, non divinam substantiam, sed divinam Personam secundum carnem.

12. Objicitur 4.

Peracutus quidam Scholasticus, mihique etiam amicitia conjunctus ludicra quadam argumentatione ita argutabatur: Beata Anna appellari nequit Dei avia, quemadmodum definitum est Romæ in damnatione libri Joannis Thomæ à S. Cyrillo, *De laudibus Divæ Annæ magnæ Matris Deiparæ, dignæ Verbi Incarnati Aviæ.* Igitur Virgo Maria nequit appellari *Deipara:* atque hac argutatione contorsit valde (tale est Sophistarum ingenium) haud rudem Theologicæ Cathedræ Moderatorem.

Ad hanc lepidam, nec vulgarem objectationem ego quidem reposuissem, posse Catholico sensu Divam Annam dici Salvatoris nostri aviam, tametsi magis expediat ab istiusmodi nimium communi abstinere vocabulo, ne videatur adinstar hominum cæterorum Christus natus ex Virgine carnali propagatione. Eo namque pacto, quo Dominum Jesum filium Abraham, & Davidis nominamus non solum ob divinas promissiones, verum etiam quia factus est ex illorum semine, nimirum ex Virgine ab illis progenita; non repugnat dicere ipsum Dominum nepotem Joachimi & Annæ, in quantum ex filia utriusque genitus est. Revera Tom. X. Biblioth. PP. pag. 685. extant Andreæ Cretensis Canones, & Triodia, quorum unum præfert titulum. *Die nona Decembris Conceptio Sanctæ, ac Dei Aviæ Annæ:* neque id tribuendum est Latino Interpreti, cum & Græcus pag. 252. Parisiensis editionis Codex Operum Cretensis habeat: Δεκεμβρίε θ! ἡ σύλληψις τῆς ὁγιας, καὶ θεοπρομήτορος Ἀννης. Qui vero aviam Christi dixerunt, licet non adeo conspicui, laudantur

13. Respond.

dantur à prædicto Joanne Thoma cap. 28. citati libri. Atque hunc proscriptum esse, non ob hæreticam doctrinam, sed ob aspera quædam, atque ut ita dicam, nimiæ devotionis argumenta, liquet ex Indice librorum expurgandorum. Et sane Auctor ex quo avia Christi sit Anna, pag. 392. & seqq. demonstrare nititur ejusdem Annæ cognationem esse divinam, eandem appellat socrum Spiritus sancti, contendit esse Dominam Angelorum, ait esse aviam Christi *plenius*, quam alia mulier avia sit nepotum suorum, affirmat & ipsam *concurrisse* ad unionem hypostaticam; ac scribit alia complura, in quibus erga D. Annam devotio dialectice syllogizans potest simpliciores in errorem inducere. Hac ergo ratione Annam Dei aviam dicere non debemus.

CAPUT XV.

Vindicatur S. Cyrillus Alexandrinus à nota hæreseos.

SUMMARIUM.

1. Nestorius tribuit Cyrillo errorem Apollinarii.
2. Cædes Hypatiæ immeritò affingitur Cyrillo.
3. 4. & 5. Vindicatur S. Cyrillus.
6. & seqq. Solvuntur objectiones.

1. Nestorius tribuit Cyrillo errorem Apollinarii.

NULLUS Nestorium magis exagitavit, quam sanctissimus Alexandrinus Antistes Cyrillus, qui anno 412. Theophilo vita functo successerat. Is erumpente circa annum 419. Nestoriana hæresi ejus auctorem gravi, & erudita Epistola admonuit; deinde cognita Nestorii pervicacia per aliam Epistolam certiorem reddidit pernicioši erroris Romanum Pontificem Cœlestinum. Coegit etiam adversus Nestorianos Synodum Alexandrinam, in qua edita fuerunt duodecim Capitula, sive Anathematismi contrarii Nestorianis blasphemiis; quibus anathematismis impius hæresiarcha duodecim alios oppositi. Ut ergo Nestorius à Cyrillo redarguebatur, quod unum Christum in duos filios dispesceret, & Virginem Mariam negaret esse *Deiparam*; ita Cyrillus insimulatione erroris Apollinarii, & Arii reprehendebatur à Nestorio, quod statueret unam in Christo naturam. Nec defuerunt Cyrillo adversarii clarissimi ex eo præsertim commoti, quod scripserit *unam esse naturam Dei incarnatam*: inter quos numerantur Joannes Antiochenus cum Orientalibus aliis, Andreas Samosatensis, & Theodoretus Episcopus Cyri: qui duo mandantibus aliis adversus Cyrillum coactis, studuerunt illius anathematismos scriptis impugnare. At Cyrillus editis vindiciis, & libro Apologetico omnem à se propulsavit suspicionem erroris, ita, ut etiam Joannes Antiochenus cum cæteris Orientalibus tandem Ephesinæ Synodo accesserint, & Theodoretus inita cum Cyrillo concordia Nestorium damnaverit. Nec sola Apollinarii hæresis objecta est Cyrillo, sed etiam scelus maximum, & immane, scilicet, quod Hypatiam celeberrimam Philosopham Alexandrinam ductus invidentia, & livore feciisset à plebe membratim discerpi, & adversus Orestem Præfectum plebem commovisset. Hypatiæ cædem contigisse anno Alexandrinæ Aeræ 406. & V. Ae. 413. demonstrat Pagius ad annum cccxv. num. 20.

2. Cædes Hypatiæ immeritò affingitur Cyrillo.

Hanc impactam Cyrillo calumniam repellit Nat. Alex. Hist. Ec. sæc. v. cap. IV. art. 14. quod plebs Christianorum conspiratione facta exacerbarit Orestem, & Hypatiam occiderit inscio Cyrillo, qui tantum zelo fidei catholicæ permotus ejecerat Alexandria Judæos post illatam ab his ingentem cladem Christi fidelibus: quam ob rem Præfectus ratus à Cyrillo auctoritatem suam fuisse labefactatam, nunquam adduci potuit, ut injustam reprimeret indignationem. Atque hinc populi adversus Præfectum, & Hypatiam ei singulari amicitia conjunctam, & forsitan altricem dissidiorum, tumultuosa concitatio. Illius propterea auctorem fecit Cyrillum primus omnium Damascius in vita Isidori Philosophi, de quo Suidas, & H. Valesius in Notis ad Socratem pag. 86. Verum Damascio nullam fidem debemus, quod fuerit, ut animadvertit Guilielmus Caveus in H. Eccles. Script. Christianæ Religionis hostis acerrimus. De his plebis Alexandrinæ in Orestem, & Hypatiam conspirationibus plura habet etiam Socrates lib. VII. cap. 14. & 15. nec Cyrillo admodum plaudit. Sed Socrates addictus erat Novatianis, quibus S. Antistes extremum bellum indixerat: ac præterea idem Socrates scribit Monachos Nitriæ, quibus auctoribus deteriora evenerunt, non à Cyrillo fuisse commotos, sed ferventiore

re animo præditos jam inde à temporibus Theophili, qui illos adversus Dioscorum armaverat. Fatetur etiam Hypatiam interemptam, non Cyrilli, sed Petri Lectoris conspiratione. Hac itaque calumnia repulsa, alteram, quæ spectat ad institutum nostrum nunc expungemus.

3. Propositio. Probatur 1. ab Auctorit. Pontif. Concil. ac Patrum.

Propositio. S. Cyrillus immerito insimulatus est hæresis Apollinarii.

Theologi solent hanc propositionem demonstrare extrinsecis argumentis ab auctoritate Summorum Pontificum, Conciliorum, ac Patrum. Cœlestinus enim in Epistolis ad ipsum Cyrillum, ad Joannem Antiochenum, atque ad Nestorium, Cyrilli studium commendat, doctrinam probat, fidem confirmat, & zelum dignissimis laudibus concelebrat. Idem præstat Gregorius II. in Professione Fidei ad sanctum Germanum Constantinopolitanum Antistitem. Probarunt insuper duodecim Cyrilli Capitula Episcopi Aegyptii, qui ad Synodum Alexandrinam convenerant. Concilium Ephesinum illa ab omni errore declaravit immunia omnium Episcoporum consensu Act. 1. & Act. 9. in Relat. ad S. Pontificem Cælestinum. Synodus pariter Chalcedonensis Act. 2. contestata est, se idem credere quod Cyrillus: & in definitione fidei Act. 5. ejusdem Cyrilli Epistolas suscepit, & consecravit. Quinta denique Generalis Synodus can. 13. eo nomine damnavit Scripta Theodoreti, quod oppugnare studuerit anathematismos Cyrilli. Catholicam præterea Cyrilli doctrinam, & ab Oecumenicis Synodis comprobatam, scribit Epiphanius Archidiaconus Alexandrinus in Epist. ad Maximianum Episcopum, Joannes Sebastenus in literis Synodicis ad Leonem Augustum, Liberatus in Breviario, & alii. Nefas est igitur insimulare hæreseos sanctum Cyrillum tam amplo, firmissimoque judicio summopere commendatum.

4. prob. 2. Argumentis aliorum.

Hæc sunt argumenta, quæ in defensionem Cyrilli proferri solent: hæc producit Natal. Alex. Dissert. VIII. in Hist. Eccl. sæc. v. Juenin Dissert. v. de Essent. Incarnat. Cap. 11. Art. 2. Tournely Q. VII. de Incarnat. pag. 259. Boucat Dissert. III. sect. 3. &c. Neque hæc à nobis infirma putantur: sed singula in compendium redacta sunt; illisque robur addimus ex quo Cyrillum *invictissimum Fidei propugnatorem* appellet Ecclesia Romana in Martyrologio die 27. Januarii, & Menologium Græcorum die 9. Junii: Anastasius quoque Sinaita in Hodego cap. V. Eulogius Archiepiscopus Alexandrinus in Oratione adversus Calumniatores SS. Patrum; Photius etiam in Biblioth. Cod. 311. Idatius in Chronico, Gennadius de Script. Eccles. cap. 65. & posteriores omnes Historici. Verum cum non defuerint viri improbi, qui conati sunt adversus Cyrillum stylum acuere, contendentes Synodum Ephesinam immerito illius scripta probasse, & deceptos fuisse in hac causa quamplurimos errore facti, & Nestoriani dogmatis ignorantia; videtur nobis opportunum vindicias Sancti Cyrilli non solum prædictis, sed etiam sequentibus argumentis contexere.

5. probatur 2. Argumentis Auctoris 1mo.

Cyrillum itaque ab errore Apollinarii fuisse immunem ulterius his momentis evinco. I. Qui post Incarnationem duas in Christo naturas, divinam, humanamque docuit impermixtas, atque in suo *esse* distinctas permanere, is non est proculdubio Apollinarii infectus errore. S. Cyrillus duas post Incarnationem naturas impermixtas, & quantum ad ἀυσίαν attinet distinctas profitetur. Igitur S. Cyrillus imbutus non est Apollinaristarum errore. Probatur minor. Idem Cyrillus in libro 11. contra Nestorium ait: *Ergo unum* (Christum) *confitere, naturas non dividens, sed ita, ut scias interim, & sentias, aliam esse carnis rationem, aliam divinitatis sibi ipsi convenientem. Non enim carnem ipsam Verbi divinitatem factam esse dicimus.* Et lib. III. *Altera quippe res est divinitas, altera nostræ similis humanitas; si eam, quæ naturis inest, naturam consideres: verum conventione, quæ in veram unitionem fit, unus ex ambabus Christus existit.* Item Epist. ad Nestorium: *Differentes sunt, quæ in veram unitatem coactæ sunt naturæ; sed unus ex ambabus Christus, & Filius existit.* Plura alia afferentur in solutione argumentorum. II. Quidam insimularunt Beatum Cyrillum hæresis Apollinarii, quod scripserit unam esse naturam Verbi incarnatam, quod inter divinitatem & humanitatem admiserit *naturalem* unitionem, & quod prædicaverit duas in Christo naturas *indivisas*. At nullam ex his præcipuis causis, quas prætexerunt Orientales, posse labefactare fidem Cyrilli invicta argumenta commonstrant. Immerito ergo hanc fidem quidam conati sunt vellicare. Prob. minor quantum ad primam partem. Etiam S. Flavianus in Professione Fidei, quam inscripsit Imperatori Theodosio probata ab omnibus Orientalibus, & relata à Sancto Eulogio Alexandrino apud Photium Codice CCCXI. ait: *Etenim è duabus naturis Christum post Incarnationem*

Secundò,

nem in una hypostasi confitentes, unam naturam Verbi Incarnatam, & carne indutam dicere non negamus. Dixerunt pariter unam naturam Dei Verbi incarnatam Athanasius in libro de Incarnat. Basilius Seleuciensis, & alii laudati à Dionysio Petavio lib. IV. cap. 5. & 6. & in Synodo Lateranensi celebrata contra Monothelitas sub Martino I. damnatur anathemate. *Quisquis secundum SS. Patres non confitetur proprie, & secundum veritatem, unam naturam Dei Verbi incarnatam.* Immerito itaque Divo Cyrillo conflatur calumnia, quod refellens Nestorium *unam incarnatam naturam* dixerit. Probatur ejusdem propositionis pars altera: Cum Nestoriani inter divinam humanamque naturam admiserint solam unionem moralem, & *secundum dignitatem*; fides catholica profitetur unionem veram, & *secundum hypostasim*, per quam Christus in duabus naturis subsistens sit verus Deus, sit una persona, sit idem Dei filius, & Virginis: id vero Sanctus Cyrillus affirmat statuens unionem *naturalem*; scribens in Declaratione tertii Anathem. Tom. 6. Regiæ edit. Parisiensis, pag. 149. se duarum naturarum unitionem appellare φυσικὴν adversus illos, *qui subsistentias post unionem dividunt, & singulas, hoc est, Deum, & hominem separatim ponunt, talemque illarum copulam confingunt, quæ secundum solam dignitatem contingit.* Et in Apologetico pag. 167. *Si naturalem unionem dixerimus, veram intelligimus.* Igitur S. Cyrillus immerito hæresis insimulatus est, quod in Christo unionem agnoverit *naturalem.* Probatur ejusdem minoris pars tertia. Appellare Christum *indivisum* eo sensu, quod sit unus *secundum hypostasim*, etsi natura humana non sit natura divina, non est consentire Apollinario, sed mysterium Incarnationis propugnare. At Divus Cyrillus ita prædicat de Christo *indivisum*, ut evincat unum esse *secundum hypostasim*, manente proprietate, ac distinctione utriusque naturæ: scribit enim in Epistola ad Valerianum Iconii Episcopum; *Confitemur quod à carne quidem est carnem esse, quod à Deo Deum esse; sed idem secundum utraque Christus, unus Filius, unus Dominus.* Et in Epistola ad Acacium Episcopum Melitenensem testatur se cum Orientalibus *non dividere unum Filium, & Christum, è Patre ut Deum, & ex muliere natum in carne ut hominem.* Sanctus ergo Cyrillus prædicans Christum *indivisum* propugnat Catholicam Fidem Incarnationis, non consentit Apollinario, non Ario, non Eunomio, non hæreticorum alicui. III. Etiamsi in composito duæ sint distinctæ naturæ, ut in homine natura spiritualis, atque corporea; post earum substantialem unitionem recte dicitur *una natura compositi*, v. g. una natura hominis; neque dicendo unam hominis naturam, significatur esse unam eandemque substantiam carnis, & spiritus, sed esse unam personam in utraque substantia. At D. Cyrillus nunquam dixit absolute unam esse in Christo naturam, sed aut esse *unam naturam Dei incarnatam*, ut inquit in Commonitorio ad Eulogium; aut esse *naturam unam Verbi facti hominis, post unionem*, ut in Epist. ad Acacium; aut *unam esse naturam tantum in composito*, ut in Epist. ad Successum: imo prohibet unam naturam dicere, *quia Christus est unus ex duabus naturis*; in eadem Epistola, aliisque in locis productis à Photio in Bibliotheca pag. 850. & seqq. Ergo Cyrillus non ait unam eandemque in Christo esse naturam humanam, atque divinam, sed unam *naturam* Christi secundum *hypostasim*, scilicet, post unionem esse unam Personam indivisam ex duabus naturis compactam. IV. Orientales, qui adversus Cyrillum convenerant, omni procul dubio duas in Christo fatebantur naturas, easque expresse distinguebant in Professione Fidei exhibita Sancto Cyrillo à Paulo Emisseno. At idem Cyrillus Fidem Orientalium probavit in Epistola ad Acacium Melitenensem; & Epistolam redditam sibi à Paulo Emisseno scribens ad Joannem Antiochenum appellavit *irreprehensibilem*: imo cum nonnulli accusarent Orientales, propterea quod duas naturas confiterentur, ut scribit S. Eulogius, primo Cyrillus erubuit, veritus ne denegarent cum Nestorio hypostaticam unionem; quippe idem Nestorius prætextu duarum naturarum curabat etiam hypostases separare: sed Epistola Orientalium accurate perlecta, se illis per omnia consentire affirmavit, scribens ad Valerianum Iconii Episcopum, etiam Orientales damnare hæresim Nestorii, Virginem fateri *Deiparam*, & unum Christum perfectum in divinitate, & perfectum in humanitate, non divisum in duos Filios, & Dominos, venerari. Si igitur Apollinaristæ non fuerunt Orientales, qui nondum explorata veritate steterunt adversus Cyrillum; neque Cyrillus ipse Apollinario consensit. Hæc quatuor argumenta à nobis addita iis, quæ communiter afferuntur, reddunt causam Cyrilli non solum auctoritate munitam, verum etiam invictissimis rationibus definitam, ac certam.

Tertiò.

Quartò.

ARGUMENTA ADVERSUS FIDEM CYRILLI.

6. Objicitur. Pugnant adversus Cyrillum primum extrinsecis testimoniis. Illum quippe tanquam suspectæ fidei traduxerunt Joannes Antiochenus cum cæteris Orientalibus, Theodoretus, Ibas, & Isidorus Peluſiota. Quorum auctoritas pluris facienda est; nam quantum ad Orientales attinet, idem Cyrillus, ut vidimus, illorum Fidem asseruit irreprehensibilem, eique subscripsit; neque vicissim petiit ab iis, ut suis anathematismis subscriberent. Theodoretum tanquam Catholicum recepit Synodus Chalcedonensis, non exigens ab illo, ut revocaret quæ scripserat contra Cyrillum. Isidorus Peluſiota ab ipso Cyrillo Patris loco habebatur. Ibas etiam à Chalcedonensi Synodo habitus est Orthodoxus. Horum itaque testimonium adversus Cyrillum grave est admodum ac æstimandum.

7. Respondetur. Resp. si ad testes provocemus, longe plures, atque auctoritatis præcipuæ stare pro Cyrillo, ac Synodum ipsam Chalcedonensem, quam producunt in commendationem Ibæ, & Theodoreti, in definitione Fidei, quæ extat Act. v. suscepisse, probasse, atque declarasse Orthodoxam ejusdem Cyrilli doctrinam. Itaque omnes, qui siniſtre de Cyrillo judicarunt, errore facti decepti sunt. Primo enim Joannes Antiochenus, Theodoretus, & Ibas olim opinabantur Nestorium recte sentire, ut liquet ex præcedenti cap. XIII. Nil ergo mirum si ex adverso erroris insimulabant invictissimum Nestorii Oppugnatorem. Deinde hos revera fuisse deceptos demonstrabimus capite proximo. Præterea hæreses, quæ præcesserant, contra sacrosanctum Incarnationis Mysterium, & nondum explorata Nestorii vafrities, novum etiam *unionis hypostaticæ* vocabulum, quod ad refellendam hæretici tergiversationem opportune Cyrillus adhibuit, nec non unionis naturalis, & unius naturæ incarnatæ, nonnullos principio commoverunt ac perturbarunt.

8. Respondetur ulterius. Generali hac responsione præmissa; quantum spectat ad Orientales, si Cyrillus illorum doctrinam probavit, si Epistolam sibi redditam à Paulo Emisseno appellavit irreprehensibilem, si tandem inita pace Orientales Cyrillo adhæserunt; profecto in fide, & dogmate minime discrepabant. Hac de causa Cyrillus Orientalium Fidei subscripsit; noluit tamen, ut illi instabant, profiteri se contra Nestorii blasphemias non recte scripsisse, sed Apologeticis, & Declarationibus suos anathematismos confirmavit. Quod si Cyrillus reciproca instantia non petiit, ut Orientales iisdem anathematismis subscriberent; fecit id prudentissima œconomia; quoniam rectam in illis fidem deprehendens, sperabat fore ut sedatis tandem animis, & dogmate majori in luce posito, damnarent & ipsi Nestorium. Neque id tantum Cyrillus præstitit, verum etiam stetit pro iisdem Orientalibus adversus eorum accusatores: ex qua agendi ratione quantum fidei acceserit utilitatis, & quantum existimationis Cyrillo, probavit rerum eventus, & inita Ecclesiarum concordia. Legatur Epistola Cyrilli ad Acacium Melitenensem non semel in hoc capite laudata.

9. Respondetur objectis Theodoreti. De Theodoreto plura dicam infra. Nunc sat est reponere ejus contra S. Cyrillum scripta Quintam Synodum proscripsisse. Fuisse etiam Theodoretum à Cyrillo nimis aversum probant quæ de illo tradit in dissert. Historica de ipsa V. Synodo noster Norisius. Etenim etiam post initam pacem, imo Cyrillo jam mortuo, se erga illum esse amaro animo significavit in Epistola ad Domnum, in qua ait in XII. Capitulis latere venenum. Hæc autem scribebat Theodoretus circa tempora Concilii 2. Ephesini, anno 449. & quinquennio post Cyrilli obitum. Recepit quidem Theodoretum Synodus Chalcedonensis; sed primum cum de ejus ingressu ageretur, Aegyptii omnes, Illyriciani & Palæstini exclamarunt, *Magistrum Nestorii foras.* Sedit tandem ob auctoritatem Orientalium, sed ea conditione, ut ipsius causa postmodum cognosceretur. Ubi ad id absoluta Synodo perventum est; coactus est anathematizare Nestorium, & cum vellet coram Synodo Apologiam recitare, fuit rumore universorum prohibitus. Ideo autem Synodus de scriptis Theodoreti ipsum recipiendo iterum non egit; quoniam actione v. illos plane abrogaverat probando S. Cyrilli doctrinam. Sed vide citatam Norisii dissertationem cap. XI.

10. Ibæ impugnatio nihil valet. Quid vero de Iba? In Epistola, in qua scribit Cyrillum lapsum in Apollinarii dogma, ait etiam Nestorium fuisse Episcopatu privatum *judicio, & inquisitione non facta.* In hac Epistola Vigilius Papa contineri dixit *profanas blasphemias*: eamque S. Gregorius in Epist. ad Secundinum appellavit *non Catholicam.* Plura de hac Epistola citato loco Norisius. Fuit tamen

tamen Ibas restitutus Sedi suæ, quia constabat ex Actis in Synodo Berytensi, dixisse anathema Nestorio, ideoque retractasse, quæ scripserat in Epistola ad Marim Persam, nimirum in illa, in qua S. Cyrillo dogma Apollinarii affricavit. Sed de his iterum. Nil ergo valet adversus Cyrillum quod asseruit Ibas partibus Nestorianis addictus, & quod ipse coactus est retractare. Facundus Hermianensis lib. VI. p. 242. ait Ibam non fuisse assecutum *intentionem dictorum beati Cyrilli:* cujus alucinationis causam paulo supra explicavimus.

11. Nec adversatur Cyrillo S. Isidorus.

S. Isidorus Pelusiota Epist. 310. lib. I. ad Cyrillum, & Epist. 370. ejusdem libri, ipsum quidem hortatur, ut comprimat simultates, atque dissidia, sed minime ait se fidem præstare iis, quæ de Cyrillo in vulgus spargebantur. Imo laudata Epist. 310. *Si ab utraque lema* (inquit) *purus, atque immunis esse studes, noli violentas sententias ferre: verum illata crimina justo, & integro judicio committe.* Vide Biblioth. PP. Tom. VII. pag. 564. nec non proximam Epistolam 324. pag. 566.

Explicantur XII. Anathematismi D. Cyrilli.

12. Objicitur 1. & Respondetur.

Deinde objiciuntur adversus Cyrillum ipsius anathematismi: in quorum primo illud carpunt, quod scripserit S. Antistes de Virgine Deipara, γεγέννηκε σαρκικῶς σάρκα γεγονότα τὸν ἐκ Θεοῦ πατρὸς λόγον, *Genuit carnaliter incarnatum Dei Patris Verbum.* Hinc duo videntur consequi; unum quod Verbi divinitas conversa fuerit in carnem, quæ est hæresis Apollinarii: alterum, quod Deipara genuerit Dei Verbum *carnaliter*, non virtute Spiritus sancti. Verum respondetur, idem esse τὸ σαρκικῶς, *carnaliter*, ac κατὰ σάρκα, *secundum carnem*; eademque voce uti Athanasium Orat. IV. contra Arianos, & Greg. Nazianzenum in Epist. ad Cledonium. Male ergo Theodoretus ita hanc vocem accepit, quasi affirmasset Cyrillus demutatam fuisse Verbi divinitatem in carnem: contra quam interpretationem S. Cyrillus ita mentem propriam expressit in Explanat. hujus Anathem. Tom. 6. pag. 147. *Natum est enim Verbum secundum carnem ex S. Virgine, & æque ac nos homo factum est, non amittens esse Deum, sed existens quod erat, & in divinitatis natura permanens.* Quod vero opponebant Orientales denegari à Cyrillo, quod beata Virgo Christum peperit virtute Spiritus sancti, ita idem Doctor dispellit in Apologetico pag. 160. *Carnaliter dicere non est tollentis admirabilem divinitatem, neque evertentis Spiritus sancti operationem, qua in utero formavit partum: sed docentis potius, quod sicut Deus gignitur divine, digne Deo, secundum suam naturam, ita homo humane, hoc est, caro carnaliter.*

13. Objicitur 2. & Respond.

Vellicarunt in 2. anathematismo quod ait Cyrillus, σαρκὶ καθ' ὑπόστασιν ἡνῶσθαι τὸν ἐκ Θεοῦ πατρὸς λόγον, *carni secundum hypostasim unitum Dei patris Verbum.* Objecit Theodoretus hanc vocem ignotam esse, neque à præcedentibus Patribus usurpatam, atque per illam significari utriusque naturæ mixtionem. At Cyrillus in Explicat. hujus anathematismi respondet adhibuisse se hæc verba contra eos, *qui ajunt hominem secundum solum dignitatis, vel auctoritatis consortium Deo conjunctum esse.* Eulogius Patriarcha Alexandrinus ait ab Ephesina Synodo primum receptam vocem unionis *secundum hypostasim,* quoniam hac refelluntur aperte Nestoriani: non enim adversus hos hæreticos sufficit fateri *unionem,* ut contendebat Theodoretus; cum ipsi minime generalem hanc vocem respuerent. Neque inusitatum est novis hæresibus erumpentibus nova etiam usurpare vocabula, quemadmodum Nicæna Synodns recepit adversus Arianos ὁμοούσιον. Unius tamen personæ Latini Patres jam meminerant, præsertim Tertullianus adversus Praxeam, & Augustinus laudatus cap. præcedenti, nec non Græcorum quamplurimi, quorum Cyrillus sensum, ac mentem expressit.

14. Objicitur 3. & Respond.

In tertio anathematismo notarunt Adversarii hæc verba Cyrilli κατὰ ἕνωσιν φυσικὴν, *secundum unionem naturalem*; quasi utriusque naturæ significent permixtionem. At respondet Cyrillus in declarat. hujus anathemat. pag. 149. se hanc vocem usurpasse primo ad demonstrandam unitionem veram, & propriam, ac perfectiorem morali, quo sensu in Epist. ad Ephesios dicimur *natura filii iræ*, id est, *vere ac proprie*: deinde ait usum se iisdem vocibus adversus Nestorianos, *qui subsistentias post unionem dividunt, & singulas, hoc est, Deum, & hominem separatim ponunt.* Quo autem sensu in hoc anathematismo scripserit post unionem non esse in Christo dividendas *hypostases*, ipse explicat in Apologetico pag. 165. scribens: *Dividere autem unum in duos filios, & solvere veræ unitionis opus, distinguendo seorsum, & ponendo privatim hominem, & privatim Deum crimen est impium.* Itaque laudatis verbis Cyril-

lus demonstrat Christum unicam esse personam. Quidam putant difficillimum esse intellectu, an hoc loco Cyrillus nomine *hypostasis naturam*, an *subsistentiam* significet: sed opinione mea quærunt nodum in scirpo. Ex allata enim explicatione ipsius Cyrilli constat illum asserere non esse dividendas substantias, in quantum Deus & homo non sunt *separatim ponendi*. Sive ergo dixeris, quod non sunt in Christo dividendæ Personæ, sive quod non subsistunt in Christo duæ naturæ separatæ ac disjunctæ, aut solum unitæ morali consortio dignitatis; eadem ratione hæresis Nestoriana refellitur. Nihil ergo ad hanc quæstionem spectat altera de significatione *hypostaseos*. Opinor autem Cyrillum disputantem contra Nestorium, qui in Christo dispescebat non solum personas duas, sed etiam naturas; dum ait dividendas non esse *hypostases*, utrumque significare, & quod Christus sit una persona, & quod una natura non subsistat ab alia divulsa, ita, ut *hypostasis* non solam naturam importet, sed etiam ejusdem naturæ subsistentiam. Ita non dividuntur in Christo personæ, quia est unus filius; & non dividuntur naturæ, quia licet in suo esse permaneant, non existunt tamen separatim.

15. Objicitur 4. & Respondetur cohærenter præc. Respons.

Arguebant Orientales Cyrillum antilogiæ, quia in Epist. ad Monachos scripserat: *Quantum ad suam naturam, non sanctificatum esse solum Dei patris Verbum, neque eum, qui ex sancta Virgine genitus est, unctum esse, & sanctificatum solum.* Hinc inferebant etiam Cyrillum duas in Christo agnoscere hypostases. Natalis Alexander ait, ipsum Cyrillum respondere, se duas subsistentias *duas naturas* intellexisse. Nescio num verum sit, & num revera hæc respondeat idem Cyrillus. Enimvero in loco, quem opponebant Orientales non occurrit vocabulum istud ὑπόστασις, sed ipsi Orientales duas *hypostases* inferebant ex textu allato, qui ad hunc modum se habet: ἐκὲν ὅσον ἦκεν εἰς ἰδίαν φύσιν, ἐχ' ἡγίασαι κατὰ μόνας ὁ ἐκ Θεὸ πατρὸς λογος, εἰ δὲ τὶς οἴοιτο τὸν ἐκ τῆς ἁγίας παρθένε γεγεννημένον κεχελάθαι, καὶ ἡγίασαι μόνον. Hæc scripsit Cyrillus: hæc objectarunt Orientales. Vide opera Cyrilli Tom. VI. pag. 164. At hic expresse duæ *hypostases* minime nominantur. Et responsio Cyrilli est, se ad Monachos scribentem tradidisse, quod non sunt ponendi duo filii seorsum, & privatim, neque Verbum Patris unctum esse oleo exultationis, separatim ab eo, qui est genitus ex Sancta Virgine, ut affirmat inventor blasphemiarum Nestorius; sed unum esse Christum, incarnatum, & hominem factum unigenitum Dei Verbum, in quo sunt quidem duæ naturæ, at non divisæ post unionem. Naturas, non ὑπόστασεις appellat Cyrillus postremis his verbis, sed φύσεις: omniaque præcedenti responsioni cohærent. Vide Cyrillum eodem Tom. VI. pag. 166.

16. Objicitur 5. & Respond.

Adversus quartum anathematismum objiciebant Cyrillum affirmare, quod *Dei Verbo tribuendæ sint voces, quæ in Sacris literis de Christo enuntiantur.* At id videtur duarum naturarum perimere differentiam; quoniam plura enuntiantur de Christo, quæ illi nequeunt convenire, nisi secundum naturam humanam. Quare etiam Arius, & Eunomius, ut divinitatem deprimerent, attribuebant illi quæ sunt in homine vilia, & infirma. At immerito hæc Adversarii insectabantur. Etenim Cyrillus nunquam asseruit tribuenda esse naturæ divinæ quæ conveniunt tantum humanæ, sed damnavit Nestorianos, qui dividentes personas Filio Dei attribuebant divina, filio Virginis attribuebant humana, tanquam προσώποις, καὶ ὑποςασέσι δυσὶν, *duabus personis, separatisque hypostasibus:* quibus verbis utitur in hoc Anathematismo Cyrillus. Hinc in ejus declaratione pag. 150. ait: *Omnes itaque Evangelii voces, sive illæ humanum quid sonent, sive divinum,* ἑνὶ προσώπῳ, *uni Personæ tribuimus.* Atque in Apologetico pag. 170. *Arius, Eunomius, & Apollinarius, & omnes societatis illorum chori, studebant inducere nomen hoc* Dei Genitrix, *ut si commixtio fieret, & naturæ non distinguerentur, nihil humile de humanitate accipiendum esset, locumque jam haberent ipsi contra Deitatem.* Et paulo infra: *Nos vero utilissime anathematismum fecimus, non permittendo in duas dividi personas, & subsistentias,* εἰς δύο προσώπα τὲ, καὶ ὑποςάσεις, *unum Dominum Jesum Christum.* Adverte Cyrillum tam in Anathematismo, quam in ejus declaratione non solum ὑποςάσεις posuisse, sed etiam προσώπα, dispellens omnem erroris suspicionem.

17. Objicitur 6. & Respond.

In V. Anathematismo ægre ferebant Orientales, quod nollet Cyrillus *Christum dici* Θεοφόρον, *Deiferum*; cum idem vocabulum etiam Basilius, aliique usurpaverint. Sed facili negotio Cyrillus criminationem istam propulsat pag. 152. demonstrans adhibendam non esse hanc vocem θεοφόρον adversus Nestorianos autumantes Verbum habitare in Christo tanquam

quam in Sanctis, de quibus Apostolus in 1. ad Corinth. VI. 20. *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro*: Et II. Epist. VI. 16. *Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos.* Et quidem nonne etiam Ignatius Martyr dicitur Θεοφόρος, in Chronico Alexandrino, in Actione prima Concilii Generalis VIII. in Græcæ Ecclesiæ Menæo, atque in suarum Epistolarum initio, ut diximus Volumine II. pag. 160? Hoc itaque nomine, quamvis nondum exortis Nestorianis inculpate usurpato, intempestive usus foret horum hæreticorum acerrimus Insectator. De Basilio dictum est cap. XIII. præcedenti.

18. Objicitur 7. & respondetur.

Movit Orientales, quod Cyrillus inquit in VI. Anathematismo, *Deum non esse Dominum Christi*, cum is tamen servus dicatur ab Esaia. Verum Anathematismus ad hunc plane modum se habet. Εἴ τις Θεον, ἢ δεσπότην εἶναι λέγει τοῦ Χριστοῦ, τὸν ἐκ Θεοῦ πατρὸς γόλον, *Si quis dixerit Dei Patris Verbum esse Deum, vel Dominum Christi, &c.* Non ait hoc loco Cyrillus, aut non esse in Christo formam servi, aut non posse appellari servum Patris secundum humanitatem; negat alium esse Verbum Dominum Christi, & alium Christum servum Dei Verbi, adversus Nestorium, qui Christum à Domino divellebat. Explicat se apertissime Cyrillus sequentibus ejusdem anathematismi verbis: *Et non potius Deum simul, & hominem ipsum confessus fuerit, prout Verbum caro factum est, &c.* Et in libro contra Nestorium III. cap. 2. *Ubi unquam Deus Christi ipsum Dei patris Verbum dictum est? Unus est enim Dominus Jesus Christus.* Nihil anathematismus iste ad illam quæstionem, num Christus spectata natura hominis possit dici servus Patris, de qua infra: hic enim solummodo definitur Christum non esse servum Verbi; quia nemo servus est sui ipsius.

19. Objicitur 8. & respondetur.

Adversus anathematismum VII. in quo vetat Cyrillus, ne dicatur *Deum Verbum in homine Jesu fuisse operatum*, opponebant Sophistæ negari ab eodem Cyrillo, quod tradit Paulus scribens ad Ephesios I. 19. & legitur Act. Apost. II. Christum virtute Dei è mortuis surrexisse, & mirabilia patrasse. Retundit hanc oppositionem Cyrillus in Declarat. hujus anath. pag. 176. dicens nunquam se denegasse, quod Pater in Christo, & Verbum in assumpta hominis natura fuerint operati, sed duntaxat quod Verbum Deus operatum fuerit in homine Christo, tanquam in persona ab ipso Verbo distincta. *Quod Pater* (inquit) *ex mortuis resuscitasse Dominum nostrum Jesum Christum dicatur, ex opere scilicet circa ejus carnem effecto, nemo est, qui ambigat. Ipse autem cum sit vita, & vivificator, & operatoria virtus Patris, suum vivificabat templum, juxta illud: Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Itaque quod vivificabatur non erat alienum, neque alicujus ex hominibus nobis similibus, sed proprium ipsius Verbi corpus.* Sat est ad omnem expellendam criminationem ipsius anathematismi verba expendere, Εἴ τὶς φησὶν, ὡς ἄνθρωπον, ἐνηργῆσθαι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ λόγε τὸν Ιησοῦν, καὶ τὴν τοῦ μονογενοῦς πεελῆφθαι, ὡς ἑτέρῳ παρ' αὐτὸν ὑπάρχοντι. *Si quis Jesum tanquam hominem à Dei Verbo operandi vim habuisse, & Unigeniti gloriam illi, tanquam alteri cuipiam ab ipso Verbo advenisse ait, anathema sit.* En aperte affirmat S. Cyrillus Verbum Deum non operatum in homine Jesu, ὡς ἑτέρῳ παρ' αὐτὸν, tanquam in alia persona distincta ab ipso Verbo Unigenito filio Dei.

20. Objicitur 9. & respondetur.

In VIII. Anathematismo, in quo docuit Cyrillus *una adoratione colendum esse Emmanuelem, neque assumptum hominem adorandum cum Deo Verbo tanquam alterum cum altero*, rationem afferens, quia particula *cum*, σὺν significat distinctam personam; arguebant Cyrillum secum ipso pugnare, quod alibi scripserit *Verbum assidere Deo Patri* μετὰ σαρκὸς, *cum carne.* Est enim vis eadem particulæ σὺν, & μετὰ. Respondet Cyrillus Apologetici pag. 180. utique utriusque particulæ eandem esse potestatem, sed verborum complexionem esse spectandam. Nam si dixero, E. G. animam cum suo corpore honore affici; particula *cum* non demonstrat distinctionem personarum, quia personæ his verbis minime significantur, anima enim & caro non personarum sunt nomina, sed naturarum. At si dixero simul conglorificari servum & Dominum, hominem & Deum, possum innuere personarum discrepantiam, quoniam hæc vocabula non significant tantum naturas, sed etiam hypostases, ac personas. Bene habet. Itaque Cyrillus dicens *Verbum simul cum carne adorandum*, τὸν λόγον μετὰ σαρκὸς δεῖν προσκυνεῖσθαι, non multiplicat subsistentias, quia *caro* nomen naturæ est, non personæ: at Nestorius affirmans *hominem assumptum una cum Dei Verbo adorandum, tanquam alterum cum altero*, τὸν ἀναλῆφθέντα ἄνθρωπον συμπροσκυνεῖσθαι δεῖν τῷ Θεῷ λογῷ, ὡς ἕτερον ἑτερῷ, personas divellit; quia dicens *hominem*,

minem, & Deum, alterum, & alterum, designat sejunctas hypostases. *Igitur factus est anathematismus contra eos, qui modis omnibus dividunt Emmanuelem in hominem seorsim, & Deum Verbum seorsim:* inquit eo loci Cyrillus.

21. Objicitur 10. & respondetur. Anathematismus IX. definit *Dominum Jesum Christum non esse glorificatum à Spiritu sancto, tanquam ab aliena virtute.* Accusatores Cyrilli hinc inferebant, ab ipso denegari, quod Christus plura signa fecerit efficientiâ, ac potestate divini Spiritus. At merito vir sanctus respondet hanc esse puram putamque calumniam, Affirmans enim Spiritum sanctum non esse virtutem alienam à Christo, imo statim addens eundem Spiritum sanctum, per quem signa operatus est, proprium esse ejusdem Christi, sicut est Patris, docuit manifeste Christum non esse personam sejunctam à Deo Verbo, nec signa patrasse virtute aliena, quemadmodum de seipso testatur Petrus Act. III. 12. sed esse eandem personam Verbi, & habere cum Spiritu sancto unam divinitatis naturam, ac potestatem, ideoque operatum fuisse signa, ac prodigia virtute propria. *In proposito anathematismo* (inquit in Apologet. pag. 182.) *affirmavimus manifeste, proprium esse Filii Spiritum sanctum, & quod per ipsum perfecerit divina signa. At illi, quamvis sæpe affirment me oblitum esse meorum sermonum, in eam prodiunt stupiditatem, imo dementiam, ut putent me dicere, quod Jesus dæmonia non ejecerit per Spiritum. An non hæc manifesta calumnia est?*

22. Objicitur 11. & respondetur. Definit Cyrillus in X. Anathematismo, *ipsum Deum Verbum esse Pontificem, & Apostolum confessionis nostræ:* quod sane Christo tribuitur in Epistola ad Hebræos III. 1. Adversus Cyrilli assertum opponebant Orientales, non posse Deo Verbo convenire, ut dicatur summus Sacerdos. Nam in eadem Epistola ad Hebræos, III. 15. legitur hunc Pontificem, ut compateretur infirmitatibus nostris, tentatum fuisse *per omnia prosimilitudine absque peccato*: quæ in Christum ut hominem possunt quadrare, at in Deum Verbum non possunt. Præterea Sacerdos Deo offert sacrificium: Verbum autem, cui Deo suo, vel quale ministerium suum offerre potest? Hæc Insectatores Cyrilli. Sed is respondet, Verbum exinanitum accipiendo formam servi, & carnem factum, quemadmodum sacræ literæ tradunt. Ut ergo Deus Verbum dicitur exinanitum, & factum caro ratione humanitatis assumptæ; ita non repugnat, quod sub hac ratione appelletur *Apostolus & Sacerdos.* Quoniam vero Nestorius ajebat Christum Jesum, & Filium Virginis esse alium à Deo Verbo, & paulatim ad Pontificis dignitatem fuisse provectum; docet Cyrillus hoc anathematismo, Christum, qui est Pontifex, & Apostolus confessionis nostræ esse unum, idemque Verbum Dei Patris, quod fuit ab æterno. *Quomodo enim* (inquit contra Nestorium lib. III. cap. 4.) *progressus est, ut temere fabularis, ad Pontificis dignitatem, cum Deus sit omnipotens?* Objectionem itaque Orientalium plane diluunt, quæ idem Cyrillus scribit in Apologetico pag. 189. *Quando dicis, indignum esse Deo, ut sacrificet, adstipulor & ego. Sed si solum esset, & absque carne Verbum, verum diceres: at vero quia factum est caro, vide & sacrificantem propter humanitatem, & in dignitatibus ultra creaturam, sicut Deum.*

23. Objicitur 12. & respondetur. Undecimus anathematismus definit *Domini carnem vivificam ipsius Verbi, quod ex Deo Patre est, propriam esse, & non alterius cujuspiam ipsi Verbo secundum dignitatem conjuncti.* Ipsi Orientales in hujus anathematismi oppugnatione affirmarunt *propriam factam dominicam carnem Verbi per unionem*: unde apparet non dogmate illos errasse, sed mala verborum Cyrilli intelligentia. Suspicati ergo sunt, ne forte opinaretur Cyrillus dominicam carnem non esse è nobis assumptam, cum hæreticis cap. 2. refutatis. Superfluum quippe eis videbatur adjicere, quod non est caro dominica alterius cujuspiam, posteaquam dictum fuerat quod est propria Verbi: ideoque suspicabantur in his verbis latitare perfidiam antiquorum hæreticorum. At nugæ sunt istæ, & putidæ cavillationes: nam Cyrillus in hoc anathematismo expresse docuit dominicam carnem non esse alterius cujuspiam, *tanquam alicujus personæ conjunctæ cum Verbo secundum dignitatem,* ὡς ἑτέρᾳ τινὸς πρὸς αὐτὸν, συνημένῃ μὲν αὐτῷ κατὰ τὴν ἀξίαν. Itaque vox ἑτέρᾳ, *alterius,* non excludit consubstantialitatem dominicæ carnis cum materna, ex qua assumpta fuit ac propagata: sed tantum demonstrat non esse carnem *alterius personæ*, ut contendebat Nestorius; cujus nequitiam si plane Orientales deprehendissent, nunquam certe tanta acerbitate doctrinam Cyrilli vellicassent.

24. Objicitur 13. & respondetur. Postremus anathematismus tribuit Deo Verbo passiones, ipsumque appellat *passum, & crucifixum.* Quomodo, inquiunt Orientales, possumus Deo Verbo mortem

tem ac passionem adscribere? Inepta, & nimis cavillosa objectatio. Non ait Cyrillus divinitatem passam, & crucifixam; imo nec absolute inquit passum & crucifixum Deum; quæ tamen num dici possint in sequentibus inquiremus: sed omni adhibito temperamento, ne quis passionem ac mortem tribueret divinitati cum Apollinaristis, aut negaret Christum passum & crucifixum esse ipsum Dei Verbum incarnatum cum Nestorianis, ait idem Verbum *passum carne, crucifixum carne, mortuum carne*, παθόντα σαρκὶ, καὶ θανάτου γευσαμένου σαρκὶ. Atque ex his apparet nihil esse in Divi Cyrilli anathematismis, quod non sit per omnia fidei Catholicæ consentaneum.

CAPUT XVI.

De fide illorum, qui steterunt adversus anathematismos Cyrilli.

SUMMARIUM.

1. Præliminaria ad propositionem.
2. Joannes Anthiochenus cum suis non approbavit Hæresin Pelagianam.
3. Nec Nestorianam.
4 & 5. Objectioni satisfit.
6. 7. & 8 Quid senserit Theodoretus de Cyrillo.
9. & seqq. Solvuntur objectiones.

1. Status quæstionis.

MANIFESTUM est ex dictis refutasse Anathematismos Cyrilli Orientales, qui cum Joanne Antiocheno convenerant ad Pseudosynodum Ephesinam, & singularem eorundem Anathematismorum Confutationem edidisse Theodoretum Episcopum Cyri. Oritur hinc quæstio, num hi errore facti personæ tantum Nestorii fuerint patrocinati, an etiam probando illius dogmata Orthodoxam fidem pessumdederint. Et quoniam adhærebant Joanni Julianus, Orontius, aliique Episcopi Pelagiani è propriis sedibus expulsi, atque in Actis ejusdem Synodi legitur quidam Canon Pelagianam hæresim continens; hoc etiam controvertitur, an hanc foverit idem Joannes Antiochenus Antistes. De Joannis, ac factionis suæ supposito Pelagianismo erudite pertractant Lupus dissert. de Synodo Ephesina cap. 4. Garnerius Tom. 2. in Opera Mercatoris pag. 61. & sequentibus, Norisius lib. 11. Hist. Pelagianæ cap. 9. Pagius ad annum 431. num. XXVIII. & alii permulti. Immunem fuisse Joannem à dogmate Nestoriano probant cum laudatis eximiis viris Nat. Alexander dissert. IX. in Historiam Eccles. Sæc. V. Tournely de Incarnat. pag. 256. Boucat dissert. III. Sect. IV. De Theodoreto plura ibidem Lupus, Norisius in dissert. de Synodo quinta, Garnerius in Operum Theodoreti Auctario. Omnia singillatim sunt proximis positionibus finienda.

2. Propositio I.

PROPOSITIO I. Joannes Anthiochenus, & Orientales, qui steterunt adversus anathematismos Cyrilli, neque Pelagianam, neque Nestorianam hæresim approbarunt.

Probatur 1ma pars.

Et quidem, licet in illo seditioso congressu Pelagiani Episcopi adhærerent Patriarchæ Antiocheno, is illos minime admisit ad subscribendum damnationi XII. Capitulorum Cyrilli, ut liquet ex nomine singulorum, inter quos nec unus Pelagianorum enumeratur. Deinde cum Joannes Synodo absoluta, & minacibus Theodosii literis permotus ad ineundam cum Cyrillo pacem edidisset Symbolum fidei suæ, atque illud per Paulum Episcopum Emissenum curasset perferendum ad ipsum Cyrillum; non solum Pelagiana dogmata nullatenus expressit, ut liquet ex eodem Symbolo, quod recitatur à Liberato cap. 8. & legitur in Actibus Ephesinis; verum etiam fidem Catholicam, & irreprehensibilem exposuit, ipsius Cyrilli testimonio probatam, & confirmatam, ut dictum est Capite præcedenti. Ferventibus insuper inter Cyrillum & Joannem dissidiis, utrinque sibi objiciebant Pelagianismum, & communionem cum Cælestianis, ut demonstrat Norisius ex Epistolis S. Cyrilli ad Cælestinum, & Orientalium ad Rufum Thessalonicensem; quamquam calumnia erant aperta quæ adversus Cyrillum Schismatici diffamaverant; Cyrilli autem suspicio temeraria non erat, sed orta ex Pelagianorum cum Nestorianis, ipsisque Schismaticis consuetudine. At inverisimile est Orientales in Ephesina Pseudosynodo probasse hæresim Pelagianam, cujus Memnonem, Cyrillum, aliosque Orthodoxos insimulabant. Ad hæc Sanctus Cyrillus ineundo pacem cum Orientalibus nihil legitur postulasse de Pelagiano canone, quem aliqui in Synodo illa Orientalium putant fuisse editum:

editum: quod feciſſet utique, ſi revera Joannes eique adhærentes eundem canonem approbaſſent; nunquam enim in communionem recepiſſet addictos erroribus Pelagianorum, quos ipſi Patres Epheſini damnaverant, & damnatos Romæ acceperant à Legatis Sedis Apoſtolicæ. Demum ipſe Neſtorius in Symbolo, quod extat in Collect. Conciliorum Edit. Ven. Tom. IV. pag. 207. Chriſtum opponens Adamo hunc originalis peccati, & præſentium calamitatum facit auctorem: ideoque ſi Neſtoriani ipſi ſaltim aperte non negabant originale peccatum, licet eundem cum Pelagianis inſtitutorem habuerint, Theodorum ſcilicet Epiſcopum Mopſueſtenum; multo minus idem peccatum denegaſſe dicendi ſunt in Epheſino conciliabulo Joannes Antiochenus, & Epiſcopi Orientales.

3. Demonſtratur, Joannem cum ſuis non adhæſiſſe hæreſi Neſtorianæ.

Hæreſi autem Neſtorianæ nunquam Joannem cum ſuis præbuiſſe aſſenſum demonſtratur primo, quia ante Epheſinam Synodum Joannes ipſe coegit Conventum Antiochenum, mandavitque ut omnes Apoſtolicis Cœleſtini Epiſtolis exhiberent obedientiam: ipſum Neſtorium de turbatis Eccleſiis, & refutata voce Theotocos acriter literis ſuis redarguit; ipſumque ad palinodiam recantandam, appellandamque *Deiparam* ſacram Virginem graviter hortatus eſt, ut liquet ex præcedenti cap. XIII. narratque in diſſert. de Synodo Epheſina Chriſtianus Lupus, Pagius ad annum 430. num. XX. aliique viri docti complures. II. Si cum primum pervenit Joannes Epheſum obſtitit Cyrillo & Synodo Orthodoxorum; plures ſimul cauſæ virum optimum in facti errorem, ſiniſtrumque judicium pertraxere. Prima harum cauſarum fuit celeberrima Neſtorii fama, hujusque ad Joannem Epiſtolæ, quibus hæreticus vaferrime conteſtabatur ſe non alia ratione vocem *Theotocon* repudiaſſe, niſi ob hæreſim Apollinarii, & ne quis impie opinaretur divinitatem fuiſſe demutatam. Acceſſit cauſa altera, quod Epiſcopi Pelagiani ſuadente Neſtorio ex Regia urbe ad Joannem perrexerant Antiochiam, innumeris impenſisque laudibus eundem Neſtorium cumulantes, Cyrillum vero inſimulantes tyrannidis, hæreſeos, animique contumaciæ. Adfuit cauſa tertia, quod cum vix perveniſſet Epheſum, & nondum excuſſo pulvere ingreſſus eſſet cubiculum, ſtitit ſe illi Candidianus comes accuſans Cyrillum, quod ſe ejeciſſet è Synodo, quod adverſarios Epiſcopos barbarice inſectaretur, & quod in Neſtorium absque ullo examine & maturitate judicii ſententiam jam pronuntiaſſet. His ergo permotus Antiochenus antiſtes, his fraudibus circumventus, quid mirum ſi indicto ſuorum Conventu irritam habuit Neſtorii depoſitionem, & ſiniſtrum de Cyrillianis Capitulis judicium protulit? III. In ipſo Pſeudoconventu nunquam legitur approbaſſe dogma Neſtorianum: Symbolum ibidem conſcriptum, atque Orientalium Apologiam idem Cyrillus in Epiſtola ad Acacium appellavit irreprehenſibilia; neque addictos partibus Neſtorianis admiſit ad ſubſcriptionem Actuum Synodalium, quemadmodum in ſuperioribus dictum eſt. IV. Cum reverſus Antiochiam rerum à ſe geſtarum Romano Pontifici, aliisque Epiſcopis per literas rationem exhibuit, nullus Joannem damnavit crimine hæreſeos, ſed tam à Sixto III. quam à Synodo Chalcedonenſi Act. 16. accepit fidei ſuæ præclariſſimum teſtimonium. Romanus enim Pontifex hæc de illo ſcripſit: *Non ſe exuli veſtro* (id eſt Neſtorio) *frater noſter Joannes addiderat, non ejus eſt blaſphema prædicatione deceptus: nam, quantum rerum exitus docet, ſuſpendit ſuam ſententiam, non negavit.* Ac Synodus Chalcedonenſis: *Sapientiſſimus Joannes Antiochenus Epiſcopus, qui hæreticorum maledicta repellens, & Apoſtolicæ doctrinæ rectiſſimum dogma declarans totius Orientis confeſſionem velut ex uno ore ſanctiſſimo Proclo, & ei qui per idem tempus mundi regebat gubernacula, deſtinavit.* V. Reverſus Joannes Antiochiam Imperatori ipſum provocanti ad ineundam cum Cyrillo pacem nullis perterritus minis reſpondit, *Præter illa ipſius Capitula Fidem meam Cyrillo dirigam, quam ſi ſuſcipiens ſubſcripſerit, communicabo ei: alioqui pacificus cum eo eſſe non potero.* Et revera coacta anno 432. Antiochena Synodo Fidem edidit, quam ſupra diximus delatam ad Cyrillum per Paulum Epiſcopum Emiſſenum, & quam ipſe Cyrillus appellavit *irreprehenſibilem*, affirmans coram univerſo Alexandrino populo ita de Chriſto credendum eſſe, ſicut Joannes credebat. Perlata poſthac à Paulo Antiochiam Epiſtola Cyrilli, & exhibita Archiepiſcopo, ejusque Concilio, hi *pacem cum eodem Cyrillo, & ejus fecerunt Concilio damnantes Neſtorium*; inquit Liberatus Diaconus in Breviario cap. VIII. in Conc. Labbei Tom. V. pag. 748. Servavit itaque Joannes Antiochenus cum Orientalibus ſuis Fidem, quantum ad dogma ſpectat, incontaminatam, ac puram; apertoque errore deceptus eſt Ricciolius,

Demonſtratur 2dò.

Demonſtratur 3tiò.

Demonſtratur 4tò.

Demonſtratur 5tò.

lius, qui illum hæreticis accensuit, jure optimo castigatus à Norisio lib. II. Hist. Pelagianæ cap. IX.

DILUITUR OBJECTIO.

4. Objicitur. At Joanni Antiocheno, & celebratæ ab ipso Orientalium Synodo jure Pelagianæ ac Nestorianæ hæresis notam africari, potest primo evinci, quoniam in subscriptione ejusdem Synodi reperitur Julianus Pelagianorum signifer, qui Episcopatu dejectus confugerat ad Asiaticos. Deinde in ea Synodo definitum fuisse, *Adæ animam peccato non esse mortuam*, ut inquit Gregorius Magnus Epistola ad Eulogium. Præterea Episcopos illius Synodi fuisse Nestorianos conjicitur ex impugnatione ab ipsis facta Anathematismorum S. Cyrilli, ex quo Orthodoxæ Synodo Ephesinæ pugnacissime obstiterint, & demum ex Cyrillo, aliisque Orthodoxis qui non semel Orientales erroris insimularunt, ut constat ex Apologia ipsius Cyrilli, & ex Epistola Synodica Concilii Ephesini ad Clerum Constantinopolitanum.

5. Respondetur Respondetur hæc nullius esse momenti: nam ad primum aperte liquet, non Julianum Eclanensem, de quo plura in 2. Volumine, sed Julianum Episcopum Lariss æ firmasse Epistolam Synodicam ad Episcopos Provinciarum, una cum aliis Act. Synodi Orientalium, in cujus subscriptione conspirarunt XLIII. Catholici Episcopi, nulla mentione facta sive Juliani Pelagiani, sive Orontii, sive Flori, sive aliorum Pelagianorum. Extant adhuc Acta illius Pseudo Concilii, & Episcoporum nomina in Collect. Concil. Labbei Tom. 3. pag. 589. & Harduini Tom. 2. pag. 1446. ibique Juliani nomen habetur hoc pacto: Ἰουλιανὸς Λαοδικείας. Ad alterum satisfecit Aorisius lib. 2. H. P. cap. 9. demonstrans ex eadem Gregorii Epistola Pelagianum canonem non esse genuinum, sed suppositum, affirmante ibidem Gregorio, *Perscrutantes Ephesinam Synodum, nihil in ea tale invenimus contineri: de Ravennati quoque Ecclesia vetustum valde codicem ejusdem Synodi ad nos deferri fecimus, & ad Synodum, quam habebamus eum ita concordare invenimus ut in nullo discreparet, & nihil aliud continet in definitione anathematis & reprobationis, nisi quod duodecim Capitula beatæ memoriæ Cyrilli reprobat.* Tertium habet ex dictis manifestam solutionem; nam Cyrillus & magna Synodus Ephesina putabant Orientales probare Nestorianas blasphemias, propterea quod noluerant Synodo interesse, oppugnarant XII. Anathematismos, coegerant in eadem urbe Ephesi Synodum aliam, & Nestorio addictis familiariter utebantur. At id Joannes cum suis fecit deceptus errore facti, nunquam Catholico dogmate labefactato; ut demonstratum est supra.

PROPOSITIO II. Ut de Theodoreto certum proferatur judicium, tempora, ejusque scripta distingui debent. 6. Propositio 2.

Explicatur, ac simul probatur propositio. Dum primum erupit hæresis Nestoriana, & etiam circa tempora Ephesini Concilii, atque ante initam pacem Ecclesiarum, Theodoretus saltem Nestorii personæ adhæsit. Id extra omnem controversiam positum est: ac probatur primo, quoniam Theodoretus impugnavit S. Cyrilli anathematismos: scripsit ex civitate Ephesina ad Andream Samosatensem Epistolam, qua gravissime culpat Orthodoxorum Synodum, & Theodosium Augustum; & etiam conqueritur fidem Christi, omnemque Ecclesiam periclitari. Dedit & Epistolam ad Nestorium, in qua scribit inique hunc fuisse damnatum, ipsumque blandis ac lenocinantibus verbis solatur, perpetuam spondens illi amicitiam, & S. Cyrillum tanquam Apollinaristam insectans. Deinde probatur, quoniam Theodoretus tanquam Nestorianus audiit non solum apud Cyrillum, verum etiam apud Marium Mercatorem, Vigilium Papam, Quintam, Sextam, ac Septimam Synodum, Pelagium Secundum, Gregorium Magnum, Maximum Antiochenum, Liberatum Diaconum, & alios, quorum testimonia recitat, doctisque notationibus illustrat Garnerius diss. 3. Auctarii. Accedit argumentum negativum: nam nulla Synodus Oecumenica Theodoreti scripta probavit, nec etiam Chalcedonensis, quæ ipsum faustis acclamationibus recepit: nulla pariter Synodus Catholica dogmata confirmavit depromptis ex Theodoreto testimoniis: nullum denique ætate sua habuit defensorem, qui eorum, quæ scripserat adversus Cyrillum, susciperet patrocinium. explicatur, & simul probatur.

Nec solum Theodoretus Nestorianis patrocinatus est, verum etiam aliquando tradidit illorum dogmata: quod primo ex ejus scriptis ostenditur. In confutatione enim I. Cyrilliani Anathematismi negat Deiparam Virginem revera Deum genuisse, docens generasse duntaxat *hominem unitum Deo, qui eum complasmavit.* Oppugnat quoque in Anath. X. unionem *secundum hypostasim*: atque in Pentalogio cap. V. explicat nexum duarum 7. Error Theodoreti ulterior probatur.

rum in Christo naturarum exemplo viri, & uxoris, de quibus scriptum est, *Jam non sunt duo, sed una caro*: & quod apertissime Nestorianismum redolet, ait ibidem: *Sine sua persona nefas est asseverare substantiam.* Videatur Garnerius citato loco, & Nat. Alex. Diss. IV. Sæculi VI. Præterea V. Synodus cap. XIII. adversus impia Theodoreti scripta, vulgo *secundum capitulum* nuncupata, atque in eos, qui scripta illa defendunt, intorsit anathema: neque Synodus hæc præstitit adulatorie, atque ex rescripto Justiniani; sed Collatione V. perlecta fuere ipsa Theodoreti adversus Cyrillum Excerpta, & Epistolæ, quas paulo supra commemoravi, cum alia de morte Cyrilli, de qua infra. Itaque maturo judicio Theodoreti causa peracta est, & sacrosanctæ Synodi definitio etiam à Vigilio, re diligenter excussa, & à Pelagio, cæterisque successoribus confirmata plurimi est facienda. Demum qui huic assertioni repugnant, possunt ex memorato canone XIII. hac ratiocinatione percelli: Defendit Scripta Theodoreti quisquis affirmat in his nequaquam contineri errorem Nestorii. At qui defendit scripta Theodoreti ab Universali Ecclesia subjicitur anathemati. Igitur subjicitur anathemati, quisquis affirmat in Scriptis Theodoreti minime contineri errorem Nestorii. *Quid ergo fiet Theodoreti quibusdam quasi idololatris?* inquit Garnerius laudata differt. III. pag. 465.

8. Theodoretum resipuisse probatur.

Resipuit tamen Theodoretus, & magis illuscente veritate, ac errore Nestorii patefacto, impium ejus dogma refellit. Atque id probatur primo, quoniam subscripsit Epistolæ Leonis Magni, in qua Nestoriana hæresis profligatur, & ab ipso Leone in communionem receptus est, declaratus Orthodoxus, atque dignis laudibus cohonestatus. Deinde probatur, quia anno 451. & ipse interfuit Oecumenicæ Synodo Chalcedonensi, à qua receptus ex decreto Leonis, & Marciani, quamvis principio obsisterent Episcopi Aegyptii, Illyriciani, ac Palæstini, suscepit Ephesinum Concilium, & S. Cyrilli Epistolas ad Nestorium, & ad Orientales: subscripsit etiam Act. 5. cum cæteris Episcopis decretis Synodalibus, dixitque anathema iis, qui in duos filios dividunt Dominum nostrum Jesum Christum. Præterea Theodoretus in Epistola ad Dioscorum, aliisque in locis disertissime Catholicam veritatem propugnat, præsertim si consulantur, quæ serius conscripsit & circa annum 447. quo data est laudata ad Dioscorum Epistola num. LXXX. Tandem cum absoluta Synodo Chalcedonensi causa Theodoreti VIII. Kal. Novembris discuteretur, & nollent Episcopi audire quam paraverat Apologiam, plena voce exclamavit: *Anathema Nestorio, & eis, qui non dicunt Dei genitricem Virginem Mariam, &c.* Igitut Theodoretus tandem etiam Nestorii personam nominatim anathematizavit, quod Sancti Episcopi jure meritoque mandarunt, etiamsi ille Synodo subscripserat, & probaverat Epistolas S. Cyrilli, propterea quod ad Ecclesiam pertineat non solum hæreses proscribere, & Catholicæ fidei dogmata propugnare, verum etiam Auctores errorum compescere; quia nisi damnaret hæreses, fides Christi labasceret; & nisi hæreticos ipsos percelleret, perpetuo ebullirent schismata ac seditiones.

Epistola Theodoreti suppositida.

Denique Theodoretus diu erga D. Cyrillum videtur fuisse animo iniquo, revera existimans hujus anathematismos consentire hæresi Apollinarii, idque etiam post initam cum Joanne Antiocheno concordiam. Constat ex ejus Epistola de morte Cyrilli, de qua vide Lupum cap. 3. differt. Synodi V. Norisium cap. 7. Pagium ad annum 444. num. 8. & Garnerium 2. p. Op. Mercatoris pag. 274. In hac Epistola dicitur Cyrillus defunctus, *cum majora & pejora pertractaret*, posteaquam prava somniaverat dogmata, & perturbaverat regiam Urbem. Assutam quidem hanc Epistolam, suppositamque plures censent, quibus non dissentit idem Lupus; ea ducti ratione, quod scripta dicatur ad Joannem Antiochenum, quem constat vita functum ante beatum Cyrillum: at Norisius post Petrum Marcam animadvertit non ad Joannem, sed ad Domnum fuisse datam, & pro *Domno* scriptum *Joannem* Antiochenum: cui Norisianæ sententiæ subscribunt Pagius, & Garnerius loco citato. Producit quoque Norisius alteram ad Domnum Epistolam Theodoreti num. 112. in qua Theodoretus ait in duodecim Cyrilli Capitulis latere venenum: cumque hæc Epistola data sit anno 449. optime infert doctissimus Cardinalis potuisse Theodoretum etiam in alia Epistola contumeliis impetere Sanctum Alexandrinum Antistitem vita functum, quem constat obiisse anno 444. Verum, ut supra diximus, Theodoretus anno 451. doctrinam Cyrilli, & Synodum Ephesinam suscepit. Atque ex his explicata est, & comprobata nostra de Fide Theodoreti sententia.

AD

AD EA, QUAE IN CONTRARIUM OBJICIUNTUR.

9. Objectiones. Quod nunquam Theodoretus probaverit dogma Nestorianum posset primum ostendi, quia etiam in scriptis & Epistolis, quæ exaravit ante Synodum Ephesinam confitetur unum esse Dominum nostrum Jesum Christum. II. Quia summis laudibus celebratur à Facundo Hermianensi, & maximam habuit venerationem apud Antiochenos. III. Quia fidei causa vexationes complures ab Eutychianis perpessus est. IV. Quia undique veritatem Catholicam spirant illius Epistolæ ad Leonem, & ad Dioscorum, nec non libri hæreticarum fabularum.

10. Ad has respond. At hæc nullo pacto assertionem nostram concutiunt. Ad primum dicimus neque Nestorium aliquando negasse unum Dominum nostrum Jesum Christum, unum scilicet honore, dignitate, amicitia, & animi consensione; nec in libris Theodoreti, scriptisque prioribus aliud ad significandam duarum naturarum unitionem reperiri vocabulum, quam unum ex istis etiam à Nestorio usurpatis, ἐνοίκησιν. ἔνωσιν, ἀνακλησιν, ἐνανθρώπησιν, συνάφειαν, id est, *inhabitationem, indumentum, receptionem, permanentiam in homine, & connexionem.* Ad 2. respondemus non minorem fuisse famam ac celebritatem Theodori Mopsuesteni (quem tamen constat non fuisse Catholicum) apud cives Antiochenos, & Facundum Hermianensem; atque hunc præsertim pro tribus Capitulis acerrime olim stetisse. Quod sequitur nihil probat, cum è diametro pugnent hæreses Nestorii atque Eutychetis. Hujus generis est quod objicitur postremo loco; nam Theodoretus scripsit ad Dioscorum post annum 447. ad Leonem anno 449. libros vero hæreticarum fabularum anno 452. Nos vero Theodoretum hoc tempore resipuisse minime denegamus.

11. Sententia Norisii impugnatur. Veronenses Presbyteri, quamquam sententiam Norisii de scripta à Theodoreto Epistola adversus Cyrillum jam demortuum non audeant refellere, imo illam confirment auctoritate Marii Mercatoris commemorantis sermonem, quem adversus Cyrillum vita functum Theodoretus habuit Antiochiæ, in edit. Baluzii pag. 339. attamen aliqua momenta proferunt, quibus videtur infringi. Primum est, quia Norisius ex arbitrio & nullius manuscripti auctoritate nomen Joannis Antiocheni in Domnum commutavit. Alterum, quia Theodoretus post initam cum Cyrillo communionem, ipsius quidem anathematismos repudiabat, sed suam in eundem Cyrillum observantiam palam professus est, in Epist. præsertim ad Dioscorum, & dialogo 2. in Eranistę. Tertium, quia hæc Epistola neque in Chalcedonensi Synodo, neque à Mario Mercatore nominata fuit. Quartum, quia hæretici alias Theodoreto Epistolas apposuerunt, auctore Leontio Byzantino. Proximum argumentum est, quod auctor Epistolæ suadet illum, ad quem scribit, ut sepulchro Cyrilli imponat lapidem aliquem maximum & gravissimum, ne possit ad vivos remeare; quod Antiocheno Episcopo nullum jus habenti in tumulum Alexandrini nequit competere. Quod autem à Mario Mercatore affirmetur Theodoretum in Ecclesia Antiochena coram Domno Cyrilli beatæ dormitioni insultasse, etiam elevari potest, ex quo id Mercator referat ex Actis Latrocinalis Ephesinæ, in qua plura objecta fuerunt Theodoreto, quæ num ipsius fuerint omnino non liquet: & ex quo ipse Theodoretus epistola 83. narret adscriptum sibi per calumniam habitum Antiochiæ sermonem, quo duos filios dogmatizaverit. Præterea auctor illius sermonis aperte se Nestorianum hominem prodit illis verbis, *Homo generat hominem;* quod incredibile est ausum fuisse Theodoretum. Demum Pagius, qui ad annum Christi 444. pro Norisii sententia acriter dimicavit, magis explorata veritate illam Epistolam suppositiam affirmavit ad annum 553. num. 13.

12. Vindicatur Sententia Norisii. Resp. ad 1. Norisium non ex arbitrio, sed ratione ductum mutasse in Domni nomen Joannem Antiochenum: cum enim liqueat ex omni Conciliorum collectione Epistolam illam dormitioni S. Cyrilli insultantem haberi in Actis v. Synodi, ibi fuisse lectam, & ex ea, aliisque hæc Synodus confirmarit sententiam Concilii Ephesini adversus Theodoretum; atque ex alia parte inverisimile sit, neminem ex Patribus v. Synodi compertum habuisse, quod Joannes Antiochenus decesserat ante Cyrillum, ideoque neminem hujus Epistolæ deprehendisse suppositionem; sequitur hanc esse fœtum Theodoreti genuinum, ac nomen Joannis pro Domno mendose irrepsisse. Deinde etiam Epistola 117. & 140. supponuntur scriptæ una ad Florentium Episcopum, altera ad Asparem Consulem; & tamen licet utriusque inscriptio mentiatur, nemo prudens censet esse repudiandas. Præterea statim post hanc Epistolam recitatum est fragmentum Allocutionis, quam Theodoretus habuit Antiochiæ præsente Domno; ex quo Marca confirmat sententiam suam, quod etiam præcedens Epistola Domno fuerit directa. Ad 2. resp. quod Epistola Theodoreti ad Dioscorum data est anno 447. tribus

post obitum Cyrilli annis, cum Theodoretus, ut diximus, incipiebat resipiscere, & de persona Cyrilli servata æquitate loquebatur, etsi improbabat adhuc ejus anathematismos: serius editi fuerunt Dialogi, in quibus aliorum Episcoporum post Cyrillum recitat testimonia; ut nihil dicam interim de variis circa eosdem Dialogos opinionibus. Ad tertium hæc sit responsio: Epistola Theodoreti ad Domnum legitur in Act. v. Synodi: & nos repetimus cum Garnerio in Auct. Theodoreti pag. 130. *Dedit igitur Domno Antiochiæ Episcopo Epistolam, quam ego ipsi malim cum Concilio generali tribuere, quam vel abjudicare cum Baronio, vel cum aliis vanas ob causas suspectam habere.* At Mercator non omnes prorsus Epistolas Theodoreti collegit: ac præterea si hujus auctoritatem, ut æquum est, recipere volumus; cur non fateamur Theodoretum in publica concione oblocutum Cyrillo, quod tam aperte affirmat Mercator? cur tantum virum deceptum opinemur actis Synodi Latrocinalis Ephesinæ? In Chalcedonensi autem Synodo, posteaquam Theodoretus dixit anathema Nestorio, causa ipsius absoluta est; neque ejus accusationes, neque ejus Apologia lectæ fuerunt. Respondeo ad 4. detur hæreticos Epistolas plures supposuisse Theodoreto, ut inquit Leontius; num supposuerunt & istam, quam illi tribuunt cum v. Oecumenica Synodo omnes fere docti, si fides habenda est Garnerio in notis ad hanc Epist. pag. Auctarii 99.? Unde autem supposuisse probantur? An quia exiliter, & impudenter dicta continet? Scripta est anno 444. statim post Cyrilli obitum; & scripta ab homine, qui diu bilem intime compresserat, scripta etiam ad Antiochenum familiari sibi amicitia conjunctum. An Epistolæ Auctor objicit Cyrillo aliquid, quod alibi Theodoretus non carpat? Nec quidem: nihil aliud dogmatis Cyrillo objicitur, nisi quod Deum passum dicat, & divinitatem faciat mortalem; id scilicet, quod millies Theodoretus objectaverat. Sed de quarto argumento satis. Quod proximo loco objicitur, movit doctissimum Marca, ut suspicaretur Epistolam Theodoreti agere non de Cyrillo, sed de aliquo Episcopo subdito Patriarchæ Antiocheno: quod animadvertit etiam Baluzius. Vide postremam Collect. Venetam Tom. VI. pag. 127. At quis non videt Theodoretum, dum hortatur Domnum, ut Cyrilli tumulo prægrande saxum imponat, imitari jocularem orationem Luciani in Dialogis de Mortuis, præsertim in Cataplo, ubi accusante Cynisco similis pœna statuitur Megapenthi; cui fortassis versatus & eruditus Cyrensis tacite comparat Cyrillum, à nonnullis, ut apud Lucianum Megapenthes, de tyrannide & patrata cæde accusatum?

13. Aliis quibusdam objectionibus Respondetur.

Ea vero quæ opponuntur adversus concionem à Theodoreto habitam Antiochiæ, videntur evincere oppositum. Si enim Mercator affirmate & absque ulla dubitatione tribuit illam Theodoreto: qua ratione in Latrocinali Ephesina ab illius æmulis supposita fingitur? cur, dum ipsius concionis fragmentum recitatum est in v. Synodo, nullus Orientalium, qui aderant, & impense Theodoreto patrocinabantur, respondit hæc supposita esse, & nunquam illum talia aut scripsisse, aut recitasse? Dum ergo quidam Mercatoris testimonium elevant, plenariæ Synodo impingunt notam ignorationis, turpisque oscitantiæ. At inquiunt, ipsemet Theodoretus in Epist. 83. quæ est sua ad Dioscorum Apologia, ait sermonem illum sibi per calumniam adscribi. Idne ait Theodoretus? Minime: recitatam à se Concionem non negat; negat quod in ea Concione Christum diviserit in duos filios, quod perperam negabant omnes Nestoriani: & consequenter ex hac Epistola probatur concionis γνησιότης. Insistunt: At Nestorianum se prodidit hujusce sermonis auctor. Quid inde verò? Sermo habitus est prope finem anni 444. quando Theodoretus adhuc cum Nestorianis sentiebat. Reponunt: Id nequaquam toleraſſet Domnus, & populus Antiochenus: nunquid enim erant omnes Nestoriani? Dicimus nec toleraſſe; ea enim concione habita, constat Theodoretum fuisse apud Imperatorem accusatum tanquam hæreticum Nestorianum, & reum seditionis, atque impietatis: quod narrat Theodoretus ipse Epistola 82. ad Eusebium Ancyranum. Sed vide Historiam Theodoreti in Auct. pag. 131. & notas in Epist. 83. pag. 221. Quid de eruditissimo Pagio? Is ad an. 553. num. 13. ait, Epistolam, quæ legitur in Actis v. Synodi esse supposititam, *ut recte*, inquit, *vidit Baronius, & suo loco ostendimus.* At Pagius ostenderat oppositum ad annum 444. num. 8. nec demonstrant hæc verba, magis illum exploraſſe veritatem, sed ob immensam rerum copiam, quæ obversabantur ampliſſimæ illius menti, ad ea quæ scripserat non attendisse; aut saltem supposititam appellasse eandem Epistolam, non quantum ad ejus auctorem, sed quantum ad inscriptionem Joannis Antiocheni.

CAPUT

CAPUT XVII.

An recte tria Capitula tanquam Nestoriana fuerint proscripta.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. & 4. Ponuntur præliminaria ad propositionem.

5. & 6. Probatur, tria Capitula meritò fuisse damnata.

7. & seqq. Variis satisfit objectionibus.

1. Status quæstionis.

RECEPTO in Ecclesiæ communionem Theodoreto in Synodo Chalcedonensi, ut diximus supra, Origenistæ auctore Theodoro Cæsareæ in Cappadocia Antistite, ad ultionem eorum, quæ contra Origenem gesta fuerant, curarunt novas excitare turbas impellendo Justinianum Imperatorem ad damnationem trium Capitulorum, ut prædictæ Synodi Chalcedonensis elevarent auctoritatem. Moverunt autem piissimum Imperatorem fraude, ac prætextu comprimendi sectam Acephalorum, eosque ad Ecclesiæ communionem adducendi, qui ab Alexandrino Episcopo quod recepisset Chalcedonensem Synodum rebellarant, *Acephali* ideo appellati, quia sine Capite dogmatizabant. Sunt autem tria Capitula, Theodoreti scripta contra XII. Anathematismos Cyrilli, Ibæ Edessæni Archiepiscopi Epistola ad Marim Persam, & Theodori Mopsuesteni, quem supra diximus Nestorii magistrum, scripta, quæ *Judaicæ Nugæ*, *ac maledicta* appellantur. Horum autem Capitulorum disquisitio, quamvis multo post damnatam Nestorii hæresim tempore fuerint discussa, hoc à nobis loco instituitur propter maximam, quam habet cum ipsa Nestoriana hæresi affinitatem. Itaque adversus tria Capitula Justinianus Edictum promulgavit anno juxta Baronium 546. juxta Garnerium 545. juxta Norisium verò anno 543. aut initio sequentis. Norisio subscribendum est, cum Imperatoris Edictum rescripto firmaverit Euphremius Antiochenus, qui è vivis decessit anno 544. Vide Norisium de v. Synodo cap. 3. Pagium ad an. 546. & defensionem dissertationis Norisianæ editam à Ballerinis Tom. IV. pag. 1002.

2. Divisio Ecclesiæ.

Divisa est ob Imperatoris edictum in partes Ecclesia; nam illud Orientales receperunt, ac Occidentales steterunt pro tribus Capitulis, rati horum damnatione decurtari Synodum Chalcedonensem, ejusque fidem imminui. Vigilius adversus tria Capitula *Judicatum* edidit anno 549. atque illud misit ad Mennam Patriarcham Constantinopolitanum, contestatus se tria Capitula condemnare *salva Synodo Chalcedonensi*, & existimans hac ratione satisfactum iri utrique parti, Orientalium, quod tria Capitula proscripsisset Occidentalium, quod nullatenus Chalcedonensis Synodi minueretur auctoritas. At adversus Vigilii *Judicatum* steterunt quamplurimi, præsertim Facundus Episcopus Hermianensis, cujus extant pro defensione trium Capitulorum libri XII. ad Justinianum Imperatorem. Justinianus, qui anno 546. Synodum indixerat, quam ob causam Vigilius perrexerat Constantinopolim, videns rem longius protrahi, nam absque Occidentalium Episcoporum interventu noluerat Pontifex sententiam Synodaliter pronuntiari, atque ex alia parte ob Vigilii Judicatum dissidiis percrebrescentibus, sollicitatus à Theodoro Cappadoce tria Capitula condemnavit affixo edicto in Placidana domo, & Episcopis omnibus tum Græcis, cum Latinis evocatis. In hoc Edicto asseritur Theodori nomen deletum è sacris Ecclesiæ Mopsuestenæ diptychis; quod compertum fuerat in Synodo Mopsuestena celebrata anno 550. ideoque edictum istud diversum est ab eo, quod promulgatum diximus anno 544. aut sub finem præcedentis, atque editum est anno 551.

3. Restitit Imperatori Vigilius.

Vigilius perspiciens Theodorum Cappadocem omnia moliri, atque his violentiis detineri Occidentales ne convenirent Byzantium, acerrime Edicto restitit, suspensis ab Apostolicæ Sedis communione iis, qui Edictis Justinianæis præberent assensum: in Theodorum ac Mennam sententiam dixit habito congressu Italorum Episcoporum: quam tamenpaci consulens minime duxit publicandam: fugitque eodem anno 551. Chalcedonem, non ut Baronius scripsit, anno elapso. Justinianus proximo anno 552. videns nihil firmari posse Romano Pontifice reluctante, eundem per Legatos convenit, ut publica accepta fide rediret Constantinopolim: sed renuit Pontifex rerum circumstantiis inspectis. Proximo anno 553. rogatus ab Eutychio Patriarcha Constantinopolitano, ab Apollinari Alexandrino,

Domno Antiocheno, & Elia Theſſalonicenſi, ut Concilium tandem celebraret, & trium Capitulorum cauſam definiret, collaudata ipſorum fide, annuit, ut *facto regulari conventu, & ſervata æquitate* eadem cauſa diſcuteretur. Conſentiente itaque Vigilio celebrata eſt v. Synodus generalis prædicto anno 553. cui tamen ob parvum numerum Epiſcoporum Occidentalium ipſe Vigilius minime interfuit. In Collatione IV. habita die 12. Maji, & in V. habita die 17. ejusdem menſis, ut demonſtrant Baluzius, & Pagius, lecta fuere ſcripta adverſus Theodorum, ac Theodoretum, & Collat. VI. habita die Maji 19. diſcuſſum eſt Capitulum III. ſcilicet Ibæ Epiſtola. Collatione VIII. habita die 2. Junii, aut 4. ut contendit Baſnagius, Capitula fuerunt damnata.

4. Edictum Vigilii Papæ.

Ediderat Vigilius Papa *Conſtitutum*, quo Synodi acta exauctoraverat, propterea quod non expectatis Occidentalibus Synodus coacta eſſet ex majori numero Græcorum Patrum, nec ſubeundum eſſet novum examen Theodoro, Theodoreto atque Ibæ; quorum ille in pace Eccleſiæ obierat, licet peſſima dogmata aliquando aſſeruerat, hi autem, ſcilicet Theodoretus & Ibas à Synodo Chalcedonenſi fuerant abſoluti, ac dignitate priſtina decorati. At *Conſtitutum* Vigilii in Synodo, quidquid cauſæ fuerit, lectum non eſſe demonſtrant adverſus Baronium Petrus de Marca in diſſert. de Vigilii decreto pro Confirmat. v. Synodi, & Pagius ad annum 553. num. XV. Cæterum Vigilius, qui in *Judicato* primum tria Capitula condemnaverat, poſtmodum Theodori fraude detecta diu hæſitaverat, & Synodum etiam illius artificio ſolicite, nec datis induciis coactam prædicto *Conſtituto* abrogaverat; eandem Synodum approbavit vel eodem anno 553. ut ſcribit Noriſius in diſſert. de v. Synodo Cap. 8. vel proximo anno 554. ut ex altero *Conſtituto* Vigilii edito pro damnatione trium Capitulorum affirmat Pagius in hunc annum num. 4. Eandem Synodum v. confirmarunt alii Romani Pontifices, ut dicam infra. Ex his liquet Controverſiam de Trium Capitulorum damnatione ampliſſimam eſſe, & plurimarum rerum contingentia, ac difficultate graviſſimam. Legi de ea poterunt Noriſius & Lupus in Diſſert. de v. Synodo, Nat. Alex. diſſert. IV. in VI. ſæcul. Facundus Hermian. cum notis Sirmondi, Garnerius diſſert. 4. de v. Synodo in Auctario Theodoreti, Pagius in not. ad annos ſupracitatos, & Pagius alter in Vigilio, prælaudata defenſio diſſertationis Noriſianæ; & Notæ Variorum ad ſect. 103. Anaſtaſii Tom. 3. pag. 278. & ſequentibus. Nos proxima theſi ea comprehendere curabimus, quæ quæſtionem hanc dirimant, & quæ eidem conglomerantur ſufficienter explanent.

PROPOSITIO. Fuerunt tria Capitula merito, ac jure damnata a. v. Generali Concilio tanquam Neſtoriana. 5. Propoſitio.

Ejusdem Concilii definitione, fide teſtium omni exceptione majorum, atque ex ipſa trium Capitulorum doctrina hæc propoſitio firmatur. Ac prior argumentatio ſit: Extra omnem controverſiam poſitum eſt Synodum v. poſt accuratam trium Capitulorum diſcuſſionem eadem in octavo confeſſu damnaviſſe. Canone enim XII. intortum eſt anathema in eos, qui defendunt *impium Theodorum Mopſueſtenum, qui dixit alium eſſe Deum Verbum, & alium Chriſtum.* Canone XIII. in eos, qui defendunt *impia Theodoreti conſcripta, quæ contra rectam fidem, & contra primam Epheſinam ſanctam Synodum, & ſanctum Cyrillum, & duodecim ejus Capitula expoſuit.* Canone demum XIV. in eos, qui defendunt *Epiſtolam, quam dicitur Ibas ad Marim Perſam hæreticum ſcripſiſſe, quæ abnegat Deum Verbum de ſancta Dei Genitrice ſemper Virgine incarnatum, & hominem factum eſſe, dicit autem purum hominem ex ipſa natum, quem Templum vocat.* Atque hæc ſunt tria Capitula Neſtorianam, ut liquet hæreſim continentia: ideoque nonniſi v. Generalis Synodi ſententiâ ſpretâ poſſunt propugnari. Neque vero audiendi ſunt, qui reponunt Quintam Synodum toleratam potius eſſe, quam approbatam. Enimvero conſtat Vigilium Papam re maturius diſcuſſa, Epiſtola decretali data ipſomet anno poſt Conſ. Baſilii 12. id eſt 553. quæ extat Tom. VI. poſtremæ Collect. Concil. pag. 239. reſciſſis actis omnibus, quibus v. Synodum exauctoraverat, & *Conſtituto* abrogato, trium Capitulorum damnationem confirmaſſe; ut demonſtrat cap. VIII. illuſtris Noriſius: cui duo addimus, Liberati ſcilicet Breviarium cap. 23. ubi recitantur hæc Vigilii verba: *Anathematizamus Paulum Samoſatenum, Dioſcorum, Theodorum, Theodoretum, & omnes, qui eorum ſtatuta coluerunt, vel colunt,* eodem Volum. Conc. pag. 456. necnon *Conſtitutum* Vigilii erutum à Baluzio è vetuſto Codice Biblioth. Colbertinæ, in quo num 28. legitur: *Prædicta igitur tria impia Capitula anathematizamus atque damnamus, id eſt, Epiſtolam, quæ dicitur Ibæ ad Marim Perſam, in qua nefandæ ſuperius deſignatæ blaſphemiæ continentur, & impium* Theo-

Probatur.

Theodorum Mopsuestenum cum nefandis ejus conscriptis, & quæ impie Theodoretus conscripsit &c. Vide cit. Volum. pag. 310. Datum est autem hoc Vigilii *Constitutum* VII. Kalendarum Martiarum anno 13. post Consulatum Basilii, id est, anno 554. & germanum, & genuinum esse, neque à stylo Vigilii dissentire consentiunt Eruditi cum Pagio ad hunc annum num. 4. Quare nullus jam ambigit, quin Vigilius approbaverit Quintam Synodum, ac proscripserit tria Capitula. Extat eodem Volumine pag. 259. liber Pelagii II. sive Epistola ad Eliam Aquilejensem, & ad Istriæ Episcopos, qui consentire renuebant trium Capitulorum damnationi: in qua Pelagii Epistola non solum tria Capitula anathematizantur, verum etiam v. Synodi collationes in Epitomen rediguntur, atque ex testibus, scriptisque ipsorum refutantur Theodorus, Theodoretus, & Ibas. Et ne alia producam, S. Gregorius Magnus pluribus in Epistolis Quintam Synodum approbavit, præsertim 36. lib. 2. in qua etiam laudat præcitatum Pelagii librum; & Ep. 24. lib. 1. ubi ait: *Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo Epistola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur: & Theodorus personam Mediatoris Dei, & hominum in duabus subsistentiis separans ad impietatis perfidium cecidisse convincitur. Scripta quoque Theodoreti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur.* Atque his non tantum ostenditur justa trium Capitulorum damnatio, sed etiam Quintæ Synodi asseritur auctoritas.

6. Confirmatur. Alterum argumentum est hujusmodi. De Theodoro Mopsuesteno scribit Proclus Constantinopolitanus laudatus in libro Pelagii, & in Epistola ad Joannem Antiochenum persuasisse illum Nestorio, *quod filius Dei vivi, qui de Sancta Virgine Maria natus est, non est qui ex Patre natus est Deus Verbum.* Cyrillus Alex. in Epistola ad Lamponem Presbyterum appellat eundem Theodorum *patrem Nestorii.* Habuisse *consonantem Nestorii perfidiis intellectum*, scribit in Epistola ad eundem Cyrillum Rabbula Edessenæ Ecclesiæ Antistes, ubi asserit Theodorum primum omnium affirmavisse, *non esse vere Dei genitricem sanctam Virginem, tanquam Deo Verbo non suscipiente secundum nos nativitatem.* Hesychius Hierosolymitanus in Eccles. H. ait Theodorum senectute jam cana debilitatum libros scripsisse adversus Domini apparitionem; quo in libro tradebatur, *hunc non incarnatum Verbum, sed hominem per vitæ provectionem, & passionum perfectionem conjunctum Deo Verbo.* Plura aliorum judicia extant Collat. 5. Synodi quintæ. Eundem Theodorum expunctum è sacris Mopsuestenæ Ecclesiæ diptychis constat ex Synodo Mopsuestena celebrata anno 550. cui præsedit Joannes Episcopus Anazarbi, seu Justinopolis. In hac enim Synodo die 17. Junii recognita fuerunt diptycha, nec adinventum in iis Theodori nomen: imo Martyrius presbyterorum provectissimus, & qui à 60. annis in Ecclesiæ Mopsuestenæ Clero militabat, sacramento testatus est, nunquam inter Episcopos in diptychis enumeratos nomen se Theodori audivisse; ideoque jam ab anno 490. Theodorus è sacris diptychis fuerat expunctus. Idem Theodorus numeratur inter Nestorianos in legibus Theodosii & Valentiniani recitatis eadem collat. 5. & denique ipse facundus Herm. in conventu Constantinopolitano, apud Lupum dissert. de v. Synodo cap. 4. simpliciter testatus est, se à contradicentium communione subtraxisse, non propter Theodorum, sed propter Theodoretum, & Ibam. Imo lib. 2. cap. 2. scribit, adjecta tamen particula *ut ajunt*, Theodorum magistrum quidem Nestorii fuisse, majore autem quam ille impietate blasphemasse. De Theodoreto actum capite præcedenti. Ibam vero non solum Clerici Edesseni & Monachi, sed & primates, & clari militiâ non semel accusarunt, quod Theodori scripta omni plena impietate transtulisset lingua Syrorum, & ubique disseminasset, ut constat ex Collat. VI. Concilii v. pag. 133. *In Constituto* autem Vigilii num. 2. pag. 285. apertissime demonstratur ipsum Ibam in Synodo Chalcedonensi Act. 9. denegasse suam esse Epistolam ad Marim Persam, affirmando se in secundi Ephesini Concilii nefariis gestis injustitiam ab Eutychete fuisse perpessum *ob falsa figmenta*: unde ait Vigilius, quod si apud Judices ab Iba editam doceri potuisset Epistolam, aut ab Adversariis comprobatum esset, quia ejusdem Ibæ fuerit, aut ipse Ibas, quia ejus fuerit, fuisset confessus, *nunquam eorum sententia Ibas meruisset absolvi.* Ex quibus adverte, quam prudenter quinta Synodus Romanique Pontifices reiecerint Epistolam, *quam dicitur Ibas scripsisse*, cum non sit penitus exploratum Ibam ipsius Epistolæ fuisse auctorem. Ea tamen ejusdem Ibæ aut vera, aut falsa excusatione liquet esse impiam, hæreticam, Nestorianam. Tertiò probatur

æqua

æqua trium Capitulorum damnatio ex illorum doctrina. Theodorus enim in Symbolo recitato Collat. 4. v. Synodi pag. 64. docet ideo non dici duos filios, quoniam Christus cum Deo Verbo habet *conjunctionem*, & *communionem honoris*, item *nominationem filii & Domini*, aperte denegata substantiali unione. Lib. VI. in Joannem scribit Dei nomen Christo non convenire, nisi quatenus est *Templum Dei Verbi assumptum pro salute hominis*. In Evangelium Lucæ ait, Christum dici filium dilectum, *solum per adoptionem in Baptismate, secundum comparationem Judaicæ adoptionis, nam & ad illos dictum est, Ego dixi dii estis, & filii excelsi omnes*. In III. libro contra Apollinarium inquit: *Non existimandum est Deum de Virgine natum esse, &c.* Plura in citata Collat. v. collecta partim à Monachis Armeniæ, partim vero à Benigno Episcopo Heracleæ Pelagoniæ. In Epistola Ibæ, ne repetamus quæ supra de Theodoreto dicta sunt, de Theodoro Mopsuesteno legitur, *Beatus Theodorus prædicator veritatis, & doctor Ecclesiæ*: de Cyrillo autem, *Cyrillus lubricavit & inventus est cecidisse in dogma Apollinarii*: & hæc profertur ratio, *quia non ponit differentiam inter templum, & habitantem in eo*. Ephesini quoque Patres dicuntur ab eodem Cyrillo *veneno obcæcante* seducti. Epistola itaque ad Marim Persam ab Iba, ut fertur, conscripta scatet hæresi Nestoriana, atque in Cyrillum, & sanctam Ephesinam Synodum atrocissimis injuriis. Ex doctrina itaque trium Capitulorum, ex testibus fide dignissimis, & ex Quintæ Synodi auctoritate satis compertum atque exploratum est, tria Capitula servato æquitatis jure fuisse damnata.

Objectionum enodatio.

7. Objectio I.

Prima objectio in trium Capitulorum defensionem potest hac ratione compingi. Damnatio trium Capitulorum facta est abrupte, inconsiderate, imprudenter, nec illam cohonestare potest Synodi v. sententia. Principio enim, ut diximus, tria Capitula damnavit Justinianus impellente Theodoro Cappadoce homine Origenista, & dissidiorum, quæ Græcam Latinamque Ecclesiam vexarunt, auctore. At damnatio à sæculari Principe, & illegitimo Ecclesiasticorum dogmatum judice prolata haberi nequit rata & firmissima, dolo maxime hominum improborum extorta. Quinta autem Synodus eodem Imperatore jubente coacta est, Vigilio Romanæ Ecclesiæ Pastore refragante, & invito: qui & adversum ipsam Synodum edidit Constitutum quælibet ejus acta exauctorando. Si posterioris ævi Pontifices, ut Pelagius II. ac Magnus Gregorius quintam Synodum approbarunt, nec viderunt Constitutum Vigilii, nec deprehenderunt adversariorum fraudem, qui Vigilii Synodicam Epistolam, qua tria Capitula proscribuntur, licet suppositiam ac spuriam, temere actis Synodi inseruerunt. Atque ita Vigilii successores errore facti comprobarunt trium Capitulorum damnationem suppositæ decretali Vigilii: qua in re nullatenus Romani Pontificis derogatur auctoritati, quoniam gravissima de tribus Capitulis controversia non spectat *dogma* Nestorianum, jam profligatum atque proscriptum, sed *facti* quæstionem de Theodoreti, Ibæ, & Theodori personis aut damnandis, aut absolvendis: atque in quæstionibus istiusmodi potest Romanus quoque Pontifex induci in errorem.

8. Responsio Garnerii.

Vigilium quidem non approbasse quintam Synodum, & spuriam esse præcitatam Epistolam validis argumentis demonstrat eruditus Garnerius in Auct. Theod. dissert. 4. pag. 535. Sunt autem quæ sequuntur. Primum in hac Epistola testatur Vigilius se diaboli dolo impulsum multa loquendo & scribendo differuisse, ac subtraxisse se à fratrum communione: quæ Vigilii integritatem, animique constantiam plurimum dedecent. Ad hæc ait tunc factam pacem Ecclesiarum; quod liquet esse falsissimum. Deinde cum Vigilius paulo ante ediderit adversus v. Synodum *Constitutum*, hoc rescindendo levissimi animi, nimiæque in mutanda sententia facilitatis præbuisset indicia. Præterea ait secutum à se exemplum Augustini, qui propria scripta retractavit: cum non sit instituenda inter Ecclesiæ Caput, privatumque doctorem comparatio. Accedit, quod Justinianus Sacra data Chalcedone pridie Idus Julias anno 553. jussit Vigilii nomen è sacris deleri diptychis, eundemque Vigilium quinquennio detinuit exilio, ad annum scilicet 558. ut scribunt Halloixius, Sirmondus, Lupus apud Norisium cap. 8. Inficiatur quidem ipse Norisius Vigilii exilium: at Pagius ad annum 553. num. 23. demonstrat oppositum, cum ex Liberato, qui in fine Breviarii ait depositos, & in exilium missos quintæ Synodo, *non consentientes*, capite autem 22. scribit Vigilium ab hæresi fuisse *afflictum*: tum ex præcitata Justiniani Sacra, qua Patribus Concilii præcepit, ut à diptychis Vigilium dispungerent. Atque ex

ex his liquet nunquam Vigilium quintam Synodum approbasse.

9. Responsio Auctoris.

Resp. minime nos propugnare justam trium Capitulorum proscriptionem ob Justiniani Imperatoris edicta, quæ tamen excusat ex parte optima reducendi ad communionem Acephalos intentio, damnat tamen usurpata convocandi Synodum invito Pontifice jurisdictio, & inhumana erga Vigilium, sæva, & violenta tyrannis; sed illam proscriptionem defendimus ob Synodi quintæ auctoritatem, firmissimumque Apostolicæ Sedis judicium. Laudatæ Synodi celebrationem factam Vigilio refragante legitimam non fuisse fatemur: post Romanorum Pontificum approbationem, non esse recipiendam negamus. Falsum est causam trium Capitulorum inconsiderate ac tumultuarie peractam. Perlecta enim fuerunt innumera Scriptorum Theodori fragmenta, producta testimonia, revisa præcedentium Conciliorum acta, & habita rerum omnium accurata inquisitio. Garnerius ipse differt. 3. de fide Theodoreti p. 465. acerrime illos redarguit qui asserunt canones, sive trium Capitulorum anathematismos aut adulatorie ex Justiniani scripto desumptos, aut temere conditos causa non attente discussa. Ac sufficit, ut id perspiciatur, oculos in Codicem memoratæ Synodi conjicere. Cur Virgilius *Constitutum* pro tribus Capitulis emiserit, & in varias sententias visus fuerit distractus, docet in Epist. ad Episcopos Istriæ Pelagius II. pag. 265. quoniam scilicet, *Latini homines, & græcitatis ignari errorem tarde cognoverunt*: unde Pelagius infert tanto eis celerius esse credendum, *quanto eorum constantia, quousque verum cognosceretur, à certamine non quievit.* Loquitur autem de Vigilio, eique adhærentibus Episcopis, quorum exemplum ad pervicaciam propriam excusandam Antistites Istriæ afferebant. Nihil præterea in Vigilio invenitur, quod honestum non sit, opportunum, ac prudentissimum. Dum *Judicatum* edidit, proscripsit cum tribus Capitulis Nestoriana dogmata salvo jure Synodi Chalcedonensis. Quid magis directum & consonum æquitati? Si emisit *Constitutum*, per id temporis pactis conditionibus non servatis celebrabatur Synodus, fovebantur inter Græcos, Latinosque dissidia; cumque sæpenumero ad Ecclesiarum pacem conducat, si proscriptis hæresibus humaniter agatur cum auctoribus, præsertim vita functis in fidelium communione, ægre ferentibus permultis damnari Theodorum, qui obierat in pace Ecclesiarum, & Theodoretum & Ibam à Synodo Chalcedonensi absolutos, sperabat Vigilius eo *Constituto* tumultus compescere, præscribens ut jam damnato Nestorianismo nihil innovaretur. Postquam verò Vigilii *Constitutum* hæc non produxit, & Theodoreti ac Theodori nomen indies audaciores reddebat Origenistas, Nestorianos, atque Schismaticos, necessum fuit tria Capitula proscribere, quod fecit laudata Epistola Synodica; & etiam Synodum approbare, quod præstitit alterò *Constituto*, proximo anno 554. Nec unquam in dogmate Vigilius à se ipso dissensit; nam tria Capitula jam damnaverat in *Judicato* anno 548. *Constitutum* vero, quo exauctorabat acta v. Synodi editum œconomiæ causa, & pacis consilio, nec facta damnatione Synodali trium Capitulorum, provide prudenterque rescidit. Ipsum autem *Constitutum* neque in Synodo lectum & discussum fuit, neque tria Capitula judicio peremptorio ac definito damnabat, ut demonstrat vir doctissimus Joseph Augustinus Orsi lib. 1. de Rom. Pontif. Auct. cap. xx. art. 2. & 3. in eo quippe de personis tantummodo actitatum est, neque aliquid sub anathematis pœna propositum. Quod vero scribit Halloixius, hoc *Constitutum* ignotum fuisse Pelagio II. falsum evincitur ex hujus responsione ad Episcopos Istriæ superius citata, & pluribus refutatur à Norisio de v. Synodo cap. IX. §. 4.

10. Vigilius v. Synodum approbavit.

Approbatam v. Synodum à Vigilio non solum constat ex Synodica ejus epistola eruta anno 1276. è vetusto Codice Vaticano à Leone Cinommo, sed etiam ex *Constituto* edito à Baluzio, de quo supra, ex Epistola Pelagii II. & ex antiquorum omnium consensu; unde concedi posset spuriam esse præcitatam Epistolam, neque hinc aliquid adversum v. Synodum concluderetur. At quoniam nihil probant Garnerii conjecturæ, brevi illas refellam. Principio falsum est scripsisse Vigilium se à diabolo fuisse impulsum; cum asserat tantum suadente humani generis inimico plures propositum suum implere studuisse, etiam nomine ipsius Vigilii: unde coactus fuerat multa loquendo, & scribendo differere. Vide cit. Tom. VI. Conc. pag. 239. Deinde asserendo pacem tunc esse factam, nihil falsi narravit; non quod redissent ad communionem cum Orientalibus Episcopi Illyrici, & Africæ, ut sentit Natalis Alexander in Synopsi H. Ec. Sæc. VI. art. 9. constat enim diu schismata viguisse, sed quia in v. Synodo *communi, & generali anathema-*

te rejecti sunt Origenes, & Theodorus Mopsuestias Episcopus, ut inquit Cyrillus Scythopolitanus in Vita S. Sabæ, citatus Act. 1. septimæ Synodi: quo in loco Cyrillus etiam asserit *quatuor Patriarchas* concordi animo damnationem hanc approbasse. Ad tertium dicimus *Constitutum* Vigilii, si spectentur rerum circumstantiæ, non esse levis animi argumentum, sed prudentissimam vigilantissimi Pastoris curantis pacem Ecclesiarum œconomiam, ac simul Sedis Apostolicæ adversus illos, qui absque illius auctoritate œcumenicam Synodum congregant, æquissimam protestationem, ut dictum supra. Quod sequitur nimium est futile; quoniam retractare *Constitutum*, in quo diximus latam non esse peremptoriam sententiam, & in hoc imitari beatissimum Augustinum, non infringit Apostolicæ Cathedræ firmitatem, sed commonstrat Vigilii humilitatem, sapientiam, ac sedulam veritatis perquisitionem: quamquam facta mentione Augustinensium retractationum, hæc de se Vigilius proloquitur gravi ac Pontifice digna oratione: *Nos quoque similiter illis exemplis incitati, in controversia trium Capitulorum supra memoratorum nunquam destitimus, quin investigaremus quid de prædictis capitulis in Patrum nostrorum literis verius inveniri posset;* quibus verbis constat exemplum Augustini ad significandam potius assiduam rerum inspectionem, quam pristinæ revocationem sententiæ, fuisse à Vigilio productum.

11. De Sacra Justiniani non conveniunt eruditi.

De *Sacra* Justiniani data pridie Idus Julias Chalcedone, ac de nomine Vigilii deleto è sacris diptychis, ejusque exilio, non conveniunt eruditi. Baluzius qui Justiniani literas septimæ Collationi inseruit, eas enim adinvenit una cum Præfatione Constantini Quæstoris habita in eadem Collatione, in qua Imperatoris jussu literæ Patribus exhibitæ, & lectæ fuerunt, necnon Pagius ad an. 553. genuinas agnoscunt; & idcirco idem Pagius recedit à sententia Norisii negantis Vigilium deportatum fuisse in exilium. At argumenta plura evincunt *Sacram* illam Justinianeam esse adulterinam ac spuriam, atque illud in primis, quod legi non potuit Constantinopoli VII. Kal. Junias Epistola data pridie Idus Julias ejusdem anni Chalcedone, nec ejusdem Epistolæ mentio fiat in Collatione VIII. ubi singula præcedentia Acta commemorantur, neque in ulla Conciliorum editione ante Baluzium, neque in aliquo vetusto Codice; quod in ea denique falsum narretur, Vigilium scilicet trium Capitulorum defensores à suâ communione repellere, quod nec Justinianus Synodo significasset, cum id obstaret potius, quam conferret eorundem Capitulorum tanta anxietate animi quæsitæ condemnationi: de qua re legi poterit Defensio differt. Norisianæ cap. 6. & P. Orsi cit. Capit. XX. art. 3. Atque ita persistit sententia Norisii improbantis exilium Vigilii, nam Liberatus in fine Breviarii, ubi de exilio loquitur, Vigilii non meminit, afflictumque à Justiniano ante absolutam quintam Synodum nullus negat. Verum quidquid sit de Justiniani *Sacra*, & de exilio Vigilii, omni procul dubio Justinianus anno 554. erat animo erga Vigilium amico, ut probat ex sanctione ejusdem Imperatoris recitata post Novellas eximius Noris: ideoque Vigilius anno 554. Synodum confirmaverat: quod ad præsens sufficit institutum.

12. Urgetur objectio.

Dices: At damnationi trium Capitulorum, tametsi in quinta Synodo peracta sit, possumus refragari. Primo quia hæc quæstio non circa dogma versatur, sed circa factum; in quo etiam Generalis Synodus, & Summus Pontifex errare potest. Scribit enim lib. 2. Ep. 36. Greg. Magnus, in v. Synodo *nihil actitatum de fide, sed de Capitulis quibusdam extra fidem, ac de personis tantum.* Deinde idem Gregorius literis ad Constantium Episcopum Mediolanensem, qui reducere conabatur ad communionem Ecclesiæ reginam Theodelindam seductam à trium Capitulorum propugnatoribus, inquit *recte factum*, quod Constantius ad Reginam non transmiserit Gregorii Epistolam, *pro eo quod quinta Synodus in ea nominabatur*, cum inde Theodelinda *potuisset scandalizari*: unde aliam idem Gregorius Epistolam misit, in qua solummodo quatuor Synodi laudabantur. Censuit ergo Gregorius dissimulandum esse, si quis nolit Quintam Synodum, ac trium Capitulorum damnationem recipere. Præterea non solum Istriæ Episcopi, verum etiam Ecclesiæ Hispaniarum, quæ servabant cum aliis Ecclesiis communionem, diu Quintam Synodum repudiarunt: quod propterea etiamnum videtur tolerandum.

13. Respondetur.

Resp. Hanc de tribus Capitulis quæstionem non esse de Catholico dogmate, quatenus non pertractat absolute de fide Incarnationis, aut de hæresi Nestoriana, jam profligata, & proscripta; sed esse de *facto dogmatico*, in quantum versatur circa libros scatentes eadem hæresi, & circa personas ipsius hæreseos disseminatrices. Ac in *factis dogmaticis* Apostolicæ

stolicæ Sedis judicium esse inconcussum, peremptorium, irreformabile ostendimus ex hac quoque trium Capitulorum discussione postremo Capite de H. Janseniana. Postquam ergo latam à v. Synodo sententiam firmavit Vigilius, ei cuilibet fidelium erat accedendum, nec ulli contraire fas erat. Quoniam tamen, si Ecclesiæ omnes impium dogma refellant, non adducitur in magnum discrimen fides orthodoxa; ideo Vigilius principio obstiterat trium Capitulorum damnationi; eaque proscripsit, ubi compertum habuit posse ex illorum pervicaci defensione recisa errorum portenta iterum germinare. Ob eandem causam ajebat Magnus Gregorius in v. Synodo non actitatum de fide, & *dispensative*, atque ad tempus permisit ne reginæ Longobardorum Theodelindæ, quam alias constabat piissimam esse & catholicam, v. Synodus commendaretur. Idem cum Hispanis servatum est, causâ œconomiæ, & prudenti dispensatione: nam si v. Synodum repellendo tentassent instaurare damnatas hæreses, debuissent ad illam recipiendam Ecclesiasticis censuris compelli. Cæterum Gregorius testatur, se Quintum pariter Concilium venerari; atque istud tanto certioris est auctoritatis, quanto post diuturnam Schismaticorum repugnantiam annitentibus summis Pontificibus, & omnibus, quæ objiciebantur, discussis, compertum est à Vigilio firmatum, & ubique terrarum receptum est: quod non diffitetur Garnerius Dissert. 3. de fide Theodoreti pag. 465.

14. Objicitur 2. Secunda argumentatio erit in defensionem Theodori Mopsuestini, ac primi Capituli. Et primo proferri possunt complurium in laudem Theodori testimonia, præsertim Joannis Antiocheni in Epist. ad Nestorium, Facundi Hermianensis in trium Capitulorum defensione, & Isidori Hispalensis de Viris illustribus.

15. Respondetur. At ad hæc respondet Summus Pontifex Pelagius II. *Plus Synodo primæ Ephesinæ, plus Cyrilli libris, plus Hesychii, quam aliis commodandum.* Addit laudatum à Joanne Antiocheno, dum *ejus error occultus adhuc & dubius fuit*; sed postea *omnium pene magnorum Patrum sententiis, velut immanem bestiam, quasi crebrescentibus jaculis*, fuisse confossum. Profert & exemplum Origenis, quem laudarunt Gregorius Nyssenus, Hieronymus, & Eusebius, constat tamen nihil *Origene in Hereseiarchis invenire deterius.* Addimus perpauca: ac primum Joannem Antiochenum aliquando errore facti deceptum adhæsisse Nestorianis, & Ephesinam Synodum oppugnasse, quod supra vidimus; deinceps Theodorum magnam sibi laudem comparasse Apollinarium insectando, quamvis in oppositum errorem impegerit: tum Facundum Hermianensem fuisse acerrimum trium Capitulorum defensorem, ut liquet ex duodecim libris ab eo conscriptis, completis tamen anno 548. antequam tria Capitula damnarentur, ut testatur Garnerius: Isidorum denique & libros Facundi perlegisse, & erasse quoque scribendo Theodorum purgatum in Concilio Chalcedonensi, in quo nihil actum de ipso Theodoro.

16. Objicitur 3. Præterea objici potest, semper Theodorum tanquam Catholicum audivisse, & nunquam è sacris Mopsuestenæ Ecclesiæ diptychis fuisse expunctum. Enimvero diptycha perlecta in Synodo Mopsuestena anno 550. supposita sunt, neque enim extabat in iis nomen Macedonii qui interfuit, & subscripsit Nicænæ Synodo, sicut nec Meletii, nec Auxentii: unde Garnerius recte asseruit vetera Ecclesiæ Mopsuestenæ diptycha suppositis novis deperdita, tempore, quo Cnaphæus pulso Calendione invasit Ecclesiam Antiochenam. Etiam edictum Theodosianum contra Theodorum est confictum & spurium; siquidem tertia parte Concilii Ephesini cap. 45. extat idem edictum absque nomine Theodori. Ad hunc ergo damnandum prolata sunt à malevolis adversariis apocrypha monumenta.

17. Respondetur. Resp. Diptycha Ecclesiæ Mopsuestenæ perlecta anno 550. fuisse vetera, & genuina; probata quippe fuere nationali Synodo, & sacramento Martyrii presbyterorum provectissimi: cujus aliorumque patrum fidem inique Garnerius vellicat, dum divinans, nullaque fretus ratione inquit suppositâ nova diptycha Cnaphæi tempore. Macedonius à fide Nicæna, quam pobarat, defecit, & subscripsit anno 345. Sardicensi Arianorum Conciliabulo. Auxentius unus extat in diptychis; alter hujus nominis dicendus est aut Nestorianus, aut Arianus. Meletium pariter Nestorianum fuisse liquet ex Collectione Baluziana Epistolarum Synodicon cap. 92. Horum ergo nomina, quemadmodum Theodori, in diptychis non debebant adscribi. Cur in lege Augustorum perlecta in Concilio Ephesino non reperiatur nomen Theodori, me latet: fortassis tunc necessarium non videbatur mentionem facere hominis vita functi. Decesserat enim Theodorus anno 427. ut demonstrat Norisius lib. 2. Hist. Pelag. cap. 4. affirmatque etiam Garnerius

rius in Auctario Theodoreti differt. IV. §. 5. sive anno 429. ut contendit Pagius ad annum 427. num. XII. In lege autem Augustorum altera, quæ extat etiam in Actis Concilii Chalcedonensis, expresse Theodorus commemoratur.

18. Objicitur 4. Profertur ad hæc præcipua pro Theodoro defensio. Iniquum videtur præclarum Antistitem, qui in Ecclesiarum communione satis cessit, anathemati subjicere. In mortuos enim sævire nimia videtur impietas, præsertim cum adversus Theodorum nec Proclus, nec Cyrillus anathema intorserint. Pervulgatæ huic argumentationi robur adjicimus; nam Patres V. Synodi ad damnandum Theodorum vita functum inducti sunt momentis frivolis & leviſſimis. Præcipua, quæso, expendamus. Protulit Eutychius Josiæ factum, qui ossa eorum, qui vitulis immolaverant, post mortem effodit atque combussit, 4. Reg. XXIII. 16. At Josiæ exemplum non est ad rem; nam qui vitulis immolarant, non decesserant in pace Ecclesiæ, ut observat Lupus differt. de V. Synodo Cap. 2. Et tamen Evagrius lib. 4. cap. 38. pag. edit. Valesianæ 413. scribit, *Hoc ab Eutychio aptissime dictum esse cuncti qui aderant censuerunt.* Sextilianus produxit canonem 81. Ecclesiæ Africanæ, quo dicitur anathematizandum Episcopum post mortem, *si hæredes extraneos à consanguinitate sua, vel hæreticos etiam consanguineos, aut paganos Ecclesiæ prætulerit:* quod, tametsi Natalis Alex. censet validissimum argumentum, nullius est roboris: nam Episcopus condens vetitum testamentum juxta Cyprianum. Ep. 66. ad Furnitanos, & juxta Canonicas Aforum sanctiones decedebat prævaricator, ac statutum Concilio erat, ut si quis hoc fecisset, *non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur,* inquit Cyprianus pag. 246. In cassum itaque tam exemplum Josiæ, quam canon Africanus adversus Mopsuestenum fuerunt producta. Affirmavit Benignus Heraclensis *ex Ecclesiastica Traditione posse aliquem propter impia conscripta anathematizari post mortem*, cum traditio evincat oppositum. Nam Dionysius Alexandrinus, auctore Eusebio lib. VII. H. Eccl. cap. 24. non ausus est damnare Nepotem Episcopum, qui tradiderat prava dogmata, sed ex hac vita in Ecclesiæ pace migraverat. Epiphanio volenti damnare Origenem respondit Theotimus apud Socratem lib. 6. cap. 11. nequaquam fas esse in mortuum desævire. Ipse Vigilius in *Constituto* auctoritate Gelasii, & Leonis asserentium Ecclesiæ solummodo potestatem esse ligandi, aut solvendi viventes, quoniam Petro dictum est, *Quodcunque ligaveris super terram, &c.* ajebat Theodorum non esse anathematizandum, ut revera non anathematizaverant Patres Chalcedonenses, & Ephesini. Joannes etiam IX. adversus Stephanum VII. qui damnarat Formosum in pace Ecclesiæ defunctum inquit: *Quod nunquam decessorum nostrorum temporibus factum fuisse traditum est, penitus abdicamus.* Alia plurima profert Lupus cit. loco: at hæc sufficienter commonstrant Patres Quintæ Synodi in Theodoro damnando vetustam Ecclesiæ disciplinam, ac traditionem violasse.

19. Respondetur. Resp. Benignum Heraclensem negavisse in V. Synodo, quod Theodorus in pace Ecclesiarum obierit: *Ille enim*, inquit, *in communione, & pace Ecclesiarum defunctus est, qui usque ad mortem recta Ecclesiæ dogmata & servavit, & prædicavit: quod vero Theodorus non servavit & prædicavit recta Ecclesiæ dogmata, certum est ex ejus blasphemiis.* Imo damnatum jam Theodorum innuerunt in Quinta Synodo Patres omnes, dum perlectis impio ejus Symbolo, excerptisque quamplurimis, exclamarunt: *Hæc jam condemnavimus, hæc jam anathematizavimus, &c.* Porro, etsi non expresse, Theodorus cum Nestorio damnatus fuerat, cum eadem sit utriusque doctrina, & si Theodori nomini aliquandiu Patres perpercerunt, non poterant non illud execrari, cum illius immodica celebritate, & injusta commendatione hæresis Nestoriana contritum caput ausu temerario erigeret. Quare damnatio Theodori non fuit in demortuum impietas, sed dissimulatæ, nec ulterius ferendæ nequitiæ necessaria improbis adoratoribus exprobatio. Atque hac responsione diluuntur omnia argumenta, quæ videntur probare neminem in Ecclesiæ communione defunctum posse anathematizari post obitum.

20. Mortui quoque Anathematizari possunt. Falsum præterea est, non posse impium à communione fidelium, posteaquam satis cessit, repelli. Siquis enim post mortem absolvi potest & declarari orthodoxus, cur non subjici tanquam hæreticus anathemati? Recte Benignus adversus Theodorum universæ Ecclesiæ protulit traditionem. Quæ enim Synodus Valentinum, Marcionem, Basilidem, aliosque primi & secundi sæculi hæreticos, nisi postquam decesserant, condemnavit?

Inveni-

Invenimus anathematizatum post mortem Dioscorum in Schismate contra Bonifacium II. electum, atque Theodorum ipsum damnatum à Rabula Edessæno, & expunctum ex diptychis Ecclesiæ suæ. Pelagius II. in Epistola superius citata etiam à Synodo Ephesina Theodorum anathematizatum affirmat: *Nam*, inquit, *cum ab ejus discipulis dictatum ab eo Symbolum fuisset prolatum, illico à sanctis Patribus cum auctore damnatum est.* En Theodorus, auctore Pelagio, à Synodo Ephesina recepta à trium Capitulorum defensoribus, anathematizatus post mortem. Addit Pelagius dignam Romano Pontifice sententiam: *Si Jesum Dominum ac Deum nostrum post mortem Theodorus damnavit; cur Theodorus, qui tot blasphemiis Redemptori nostro hostis extitit, non debet anathematizari post mortem?* Accedunt enucleata testimonia Augustini in eadem quinta Synodo lecta, & probata, ex Collat. 3. Carthag. cap. 587. de Unit. Ecclesiæ cap. 2. & ex libro III. contra Cresconium cap. 35. & 39. In hoc adversus Cresconium Opere, priori loco ait S. Pater: *In hac communione si fuerunt, quos nescio traditores, cum eos demonstraveris, & carne, & corde eos detestabor: nequaquam tamen à vivis in ejusdem Ecclesiæ sancta unitate manentibus propter mortuos alienabor:* & postremo loco, *Judicium non tantum de vivis, sed etiam de mortuis haberi potest: licet enim sit mortuus qui peccavit, nunquam illud morietur quod admisit.* Nec minus perspicua sunt alia Augustini loca, quibus perlectis nihil aliud Patres ad damnandum Theodorum expetiverunt; tanti valere singulis visa est Doctoris præstantissimi auctoritas: ut adnotatum quoque in Florentina Synodo sess. VII. Atque ex his liquet posse impium etiam post mortem ab Ecclesiæ communione repelli.

21. Non obstant Argumenta opposita.

Neque oppositum evincunt argumenta contraria. Exemplum enim Josiæ prolatum ab Eutychio, nec in Actibus Synodalibus insertum est, erratque Evagrius scribens visum iis qui aderant aptissimum; quamvis & id concedi potest, si cum Benigno Heraclensi dicamus Theodorum in pace Ecclesiarum non obiisse. Canon pariter Africanus à Sextiliano productus nulla legitur exceptus Synodi approbatione. Nepotis Arsenoitis Episcopi exemplum non est ad rem, is enim propugnaverat errorem Millenariorum nondum ætate sua ab Ecclesia proscriptum; at Theodorus tradiderat usque ad senectam nefarias blasphemias damnatas in Ebionæis, atque Samosatensibus. Cyrillus & Vigilius humanius cum Theodoro sese gerebant, quando ignorabant hæreticos jactato Mopsuesteni nomine fieri pervicaciores: semper tamen Theodorum *implicite* anathematizabant, dum damnabant Nestorianismum; ac perspecta hæreticorum machinatione, etiam mortuum anathemate percusserunt; Cyrillus quidem in lib. *De eo, quod unus est Christus.* Vigilius autem in ultimo *Constituto.* Origenem damnatum post mortem ante Edictum Justiniani, etiam ab Epiphanio in Epist. ad Joannem Jerosolym. & *ab omni tam Orientis, quam Occidentis Ecclesia* hæreticum denuntiatum, ut inquit 2. Apolog. contra Rufinum S. Hieronymus, invicte probat in dissert. de v. Syn. cap. 2. Norisius, quare Theotimus nimia usus est in Origenem comitate. Dum Sanctus Leo, Gelasius, aliique scribunt Ecclesiam neminem absolvere aut damnare post mortem, tantum asserunt defunctos præmium, aut pœnam consecutos neque solvi à peccatis, neque ligari; sed quemadmodum ii, qui dum viverent doctrinæ ac probitatis specimen præbuerunt, post obitum ab Ecclesia sacrificiis juvantur, & commendantur laudum preconio: ita æquum est illos, qui nefariis conscriptis fidem pessumdederunt, privari post mortem sanctorum communione, proscindi maledictis, & cum heterodoxis repelli. Cum mortuis neque illud judicium exerceri potest, quod partium conflictatione, atque interrogationibus & responsis peragitur: neque præcipitanter ac temere, ut in Formosum fecit Stephanus, pronuntiandum: quamobrem Stephanus à Flodoardo dicitur

Durus qui nostris, propriis ac durior instat:
Sæva quidem legat vivis, truciora sepultis;
Folconemque minis, Formosum concutit actis.

Sed Formosi historiam complecti hac dissertatione non vacat. Legi potest Baronius, & Pagius ad annum 897. Nat. Alex. in H. E. Sæc. IX. art. 13. & 14. Auxilius apud Morinum P. 2. de Sacris Ordinat. Papebrochius in Propylæo, Sandinus, &c.

22. Objicitur 5.

Argumentum tertium est in defensionem II. Capituli, scilicet Scriptorum contra Cyrillum Theodoreti. Nam si hunc absolverat, suæque Sedi restituerat sancta Synodus Chalcedonensis, quomodo

non violato hujus œcumenicæ Synodi jure poterat subire juste evibratum anathema?

23. Respondetur. Verum nil concludit isthæc objectio. In v. enim Synodo nil contra Theodoreti personam actitatum, sed contra impia ejus scripta adversus anathematismos Cyrilli: quæ scripta ipsemet Theodoretus *implicite* condemnavit, dum in Synodo Chalcedonensi prælata voce dixit anathema Nestorio, & cuicunque neganti beatissimam Virginem esse Deiparam. Patres quippe Chalcedonenses illum *non aliter suscepissent, nisi prius anathematizasset Nestorium, & ejus blasphemias, pro quibus antea scripsit defendens eas*, inquiunt Patres v. Synodi collat. 5. pag. 130. Hinc Pelagius II. citata epistola pag. 276. objectionem ita retundit: *Neque enim Theodoreti omnia scripta damnamus, sed sola, quæ contra duodecim Cyrilli Capitula, sola, quæ contra rectam fidem aliquando scripsisse monstratur; quæ tamen & ipse damnasse cognoscitur; qui in sancta Chalcedonensi Synodo vera confessus invenitur.*

24. Objicitur. 6. Si opponas: Jam ergo Theodoretus impia dogmata proscripserat, jam à plenaria Synodo fuerat absolutus. Quid opus erat hunc iterum movere lapidem, ac tantas ciere procellas?

Et Respondetur. Verbis Vigilii in *Constituto* num. XXVII. pag. 310. respondebo: *Eo quod Nestoriani sub ejus Episcopi nomine, qui à beatæ recordationis Leone Papa, & à sancta Chalcedonensi Synodo legitur fuisse susceptus, eadem scripta ad adstruendi sui erroris videntur adhibere suffragium, non aspicientes quod non solum sancti Patres in Chalcedone congregati damnato Nestorio cum suis dogmatibus, & ista damnaverint, sed etiam ipse Episcopus Theodoretus omnia dicta, quæ beati Cyrilli in Ephesina prima expositis videbantur contraire dogmatibus, in Chalcedonensi Synodo aperta professione respuerit.* At de Theodoreto plura cap. præcedenti.

25. Objicitur 7. Postrema in patrocinium III. Capituli, sive Epistolæ, quæ dicitur Ibæ, argumentatio erit istiusmodi. Ibas in Chalcedonensi Synodo, quamquam Act. x. lecta fuerit ejus ad Marim Persam Epistola, declaratus est Orthodoxus, atque sedi suæ restitutus. Non poterat ergo salvo jure Concilii Chalcedonensis ejus Epistola à Synodo v. proscribi.

26. Respondet Natalis Alexander. Respondet Natalis Alexander 1. in Synodo Chalcedonensi Ibam declaratum orthodoxum, non propter Epistolæ dogma, sed propter contestationem ab eo factam, & comprobatam ex actis Synodi Beritensis quod consensisset paci inter Cyrillum, & Orientales initæ, & anathematizasset Nestorium. II. Omnia acta judicialia peracta post actionem sextam, & post fidei definitionem conscriptam, *nullius penitus firmatis* fuisse, quia Legati Apostolicæ Sedis *ad hoc tantum fuerunt directi, ut excisis hæresibus catholicæ essent fidei defensores.* Ita nimirum scribit S. Leo in Epist. ad Joannem Antioch. & similia ad Episcopos Istriæ Pelagius II. Respondet 3. non fuisse de Epistola Ibæ idem Patrum singulorum judicium, nam licet Maximus Antiochenus dixerit etiam Epistolam Ibæ esse catholicam, alii tamen non Epistolam, sed solum Ibam ob anathematizatum Nestorium Orthodoxum declararunt, alii restituendum dixerunt, quoniam etiam ii suscipiendi sunt, qui ab hæreticis revertuntur. Hæc autem omnia verissima sunt, & constant ex Actis Chalcedonensibus: sed plura falsa supponunt, scilicet Patres Chalcedonenses judicasse Epistolam esse Ibæ, de hac minime pronuntiasse illam hæreticam declarando, ut humaniter exciperent ipsum Ibam suscipientem Synodum Ephesinam, & anathematizantem errores Nestorii, saltim Maximum Epistolam illam judicasse orthodoxam. Omnes, quotquot legi, in eadem opinione versantur, etiam noster Lupus in Appendice ad Synod. Chalced. Act. 9.

Mea tamen sententia est, Ibam fuisse in Synodo Chalcedonensi absolutum, quia nunquam ejus Adversarii demonstrare potuerunt ipsum revera fuisse auctorem Epistolæ ad Marim Persam, & aliàs evidens erat tandem anathematizasse Nestorium; illam tamen Epistolam directe contrariam definitioni Synodi Chalcedonensis semper Ibam à se conscriptam negasse, & neminem, nec Maximum Antiochenum, illam existimasse Catholicam: atque defensores trium Capitulorum, sicut ex absolutione Theodoreti subdole etiam ejus scripta contra Cyrillum contendebant fuisse approbata, ita ex restitutione Ibæ callide suscepisse patrocinium etiam Epistolæ ad Marim, eidem Ibæ attributæ: ipsum denique Ibam hanc Epistolam in Synodo Chalcedonensi saltim implicite proscripsisse, quemadmodum, ut supra diximus, Theodoretus quoque *damnasse cognoscitur* quæ scripserat *contra duodecim Cyrilli Capitula.* Hæc si demonstravero, nihil in hac controversia remanebit arduum ac perdifficile. 27. Responsio Auctoris.

Hæc

Probatur. Hæc autem evidenter probo collatione Actuum Synodicon, & *Constituti* Vigiliani. I. Act. IX. Chalced. Ibas libellum obtulit significans se *ab Eutychete injustitiam & falsa figmenta perpessum*, Epheſi ſub Dioſcoro *falſam accuſationem* pertuliſſe, inventum *innocentem ab illatis ſibi calumniis*, conſtare ex Actis à Photio, & Euſtathio ſubſcriptis ſe plane fuiſſe purgatum, ſuamque Orthodoxam fidem conſtare teſtimoniis omnium Edeſſenorum Clericorum. Cum ergo hæc omnia perpeſſus fuerit ob Epiſtolam ad Marim Perſam, *Evidentiſſime declaratur*, inquit Vigilius in *Conſtituto* num. II. *à ſæpedicto Iba Epiſcopo memoratam ad Marim Perſam Epiſtolam, quia ſua fuerat, denegatum.* II. Cum producta eſſent Acta Eccleſiæ Edeſſenæ, & Photius & Euſtathius vera ac genuina eſſe teſtati fuiſſent, ex his apparuit Ibam ſe purgaſſe exhibita *profeſſione rectæ fidei*, & ad ſatisfactionem eorum, quæ objiciebantur, hanc ab eo exactam promiſſamque ſatisfactionem, ut in Eccleſiæ Edeſſenæ alloquio manifeſte anathematizaret Neſtorium, ac profiteretur ſe credere omnia, quæ placuerant Epheſinis Patribus, & quæ continentur in literis Conventionis inter Joannem Antiochenum, & Cyrillum Alexandrinum. At quid neceſſum erat, inquit Vigilius num. V. *de Orthodoxæ fidei ſinceritate quid ſapiebat ſcripto depromere*, niſi vitaſſet *perfidiæ maculam* in ipſa Epiſtola, *quæ objecta fuerat*, clareſcentem? III. In *Judicato* Photii, & Euſtathii extabat Ibam *fuiſſe falſis accuſationibus impetitum*, ac propterea Ibas hoc *Judicatum* produxerat; atque ideo tale de Iba prolatum fuerat judicium, quia accuſatores intereſſe noluerunt, & Ibas aperta confeſſione anathematizavit Neſtorium. Eatenus ergo Photius & Euſtathius declararunt Ibam Catholicum, quia comprobatum non fuit eſſe illum revera auctorem Epiſtolæ ad Marim Perſam, & ex alia parte anathematizando Neſtorium, & approbando decreta Epheſina rectam fidem profitebatur. Vide *Conſtitutum* Vigilii num. VII. Præterea Patres Chalcedonenſes hac Ibæ juſtificatione non contenti, Act. X. relegi mandarunt accuſationes adverſus Ibam, & audiri Maran, & Theophilum; cumque accuſatores aſſererent Ibam non ſemel appellaſſe hæreticum S. Cyrillum, reſpondit hæreticum appellaſſe tantum ante Synodum Epheſinam, cum audiebat tanquam Apollinariſta, neque abſolute, ſed niſi recepiſſet Synodum Orientalem. Quomodo ergo poterat Ibas ſuam fateri Epiſtolam, in qua poſt Eccleſiarum unionem ſcriptor, quisquis fuerit, Cyrillo obloquitur, Synodumque Epheſinam vilipendit? V. Cum Maras eadem Act. X. objeciſſet Ibam oblocutum Cyrillo, decretisque Epheſinis etiam poſt initam pacem Eccleſiarum, atque ad hoc comprobandum produxiſſet Epiſtolam ad Marim Perſam, & hæc in ſacro Conſeſſu perlecta eſſet; quid tum Ibas? Epiſtolamne ſuam agnovit? Ita Patres allocutus eſt: *Jubeat veſtra Clementia relegi & literas Clericorum Edeſſenorum, ut cognoſcatis quia & ab his, quæ mihi illata ſunt alienus exiſto, & violentiam ſum perpeſſus.* Oſtendit ergo, inquit Vigilius num. XII. *ſe per omnia alienum & ab aliis, quæ præcedenti loco ei objecta ſunt, & ab Epiſtola ad Marim Perſam ſcripta, quæ ſtatim relecta fuerat.* VI. Cur Ibas relegi curavit Epiſtolam univerſi Cleri Edeſſeni conteſtantis illum eſſe Orthodoxum, Synodum Epheſinam probare, revereri Cyrillum, & nunquam ex ejus ore ſe audiviſſe blaſphemiam illam, *Non invideo Chriſto facto Deo, quoniam & ego, ſi volo, poſſum fieri ſecundum illum*; quæ etiam blaſphemia Ibæ objiciebatur: cur inquam, hæc relegenda curavit, niſi ut repelleret Epiſtolæ ſibi attributæ perfidiam? Cum ergo his relectis Patres Chalcedonenſes Ibam receperint, luce meridiana perſpicuum eſt, Ibam reſtitutum, quia Epiſtolam ad Marim à ſe conſcriptam negabat, quia id non potuerunt aperte accuſatores demonſtrare, & quia aliunde ex univerſi Cleri Edeſſeni conteſtatione ejus aut orthodoxia, aut ſaltem reſipiſcentia clarebat. VII. Non ſolum hæc noſtra ſententia ex Conſtituto Vigilii apertiſſima eſt, verum etiam magis magisque roboratur ex Collatione 6. Quinti Concilii; ubi poſtquam Theodorus Cappadox, aliique Epiſcopi affirmaſſent, *quod Ibas in ea Synodo non ſolum abnegavit, ſed etiam anathematizavit Epiſtolam* ad Marim Perſam; à Synodo univerſa reſponſum eſt, *Scimus & nos hæc ita ſubſecuta eſſe:* atque ad majorem cautionem juſſum, ut acta Chalcedonenſia relegerentur. VIII. Quis, niſi omnino deſipiat, ſuſpicari poteſt, aut Ibam, aut Maximum Antiochenum, aut alium ex Patribus Chalcedonenſibus exiſtimaſſe probandam Epiſtolam ad Marim Perſam, quæ, ut recte v. Synodus definivit, *contraria per omnia eſt definitioni, quam pro recta fide ſancta Chalcedonenſis Synodus pronuntiavit*? IX. Ipſe Pelagius in Epiſt. ad Epiſc. Iſtriæ, quamquam recte cum Leone Magno ait licenter poſſe reprehendi Epiſtolam Ibæ, etiamſi

etiamsi illam Episcopi Chalcedonenses approbassent, quia in Act. VI. *Professio fidei consummatur, moxque canonum regula figitur*; inquit tamen, quod si quis affirmat Epistolam ad Marim Persam fuisse à Synodo probatam, *gesta ejusdem Synodi destruere conatur*: addit, *quia probata sit, aut difficulter, aut nullatenus demonstratur*: affirmat quod *ab eadem Epistola alienum se Ibas respondit*; quæ nos hisce argumentationibus demonstravimus. X. Amussim omnia huic assertioni conveniunt. Apparet primum utriusque Synodi Chalcedonensis, & Quintæ consonantia: tum claret singulorum Patrum Chalcedonensium sententia; Legati enim Apostolicæ Sedis judicarunt Ibam innoxium, *relectis chartis*, unde non comprobatur adversantium accusatio, & Clericorum suorum absolvebatur contestatione: Episcopi Cæsarienses, & Cyzicensis eundem orthodoxum appellarunt ex Judicato Photii, & Eustathii: Sebastenus Antistes illum asseruit recipiendum ob *abnegationem* objectæ Epistolæ, ac Nestorianæ perfidiæ: Juvenalis Jerosolymitanus dignum *pervidit*, qui impetraret clementiam, nam aliqua de conscripta ab illo Epistola persevarabat suspicio; ubique tandem hanc Epistolam cautione ista novimus reprobatam, *quæ dicitur Ibæ.*

28. Objicitur 8. Insistes: At Patres Chalcedonenses ideo Ibam pronuntiarunt orthodoxum, quoniam Catholicam judicarunt Epistolam ad Marim Persam. Hanc itaque Epistolam una cum Iba approbarunt. Probatur antec. Paschasinus & Lucretius non tantum dixere, *Relectis chartis agnovimus ex sententia Reverendissimorum Episcoporum Ibam Reverendissimum innoxium approbari*, quæ verba probant judicium latum à Photio & Eustathio; verum etiam addiderunt, *Relata ejus Epistola agnovimus eum esse orthodoxum*; quibus Ibam etiam ex Epistola ad Marim Persam, quæ post Judicatum Photii, & Eustathii fuerat relecta, Ibam judicarunt innoxium, ideoque & Epistolam approbarunt. Maximus etiam Antiochenus inquit: *Ex his quæ modo relecta sunt, manifestum est, quia ab omnibus ei illatis reverendissimus Ibas innocens est repertus; & ex relecto quoque rescripto Epistolæ, quæ probata est ab eo qui adversarius ejus existit, orthodoxa ejus declarata est dictatio.* Quid apertius? Maximus declaravit Ibam orthodoxum, & orthodoxam Epistolam ab eo *dictatam*, prolatamque ab Ibæ adversario Mara, id est, ad Marim Persam conscriptam.

29. Respondetur. Quamvis revera hi tres Catholicam Epistolam pronuntiassent, nihil evincerent trium Capitulorum patroni, cum acta judicialia Synodi Chalcedonensis potuerint retractari, Magno id Leone asserente. At respondemus neminem præcitatam Epistolam per omnia sanctæ Chalcedonensi Synodo contrariam judicasse orthodoxam. Legati Apostolicæ Sedis illis verbis, *Relecta ejus Epistola agnovimus eum esse orthodoxum*, significarunt, inquit Vigilius in Constituto n. 19. Ibam innocentem fuisse repertum relecta Epistola Clericorum Edessenorum, contestantium *ab illius Epistolæ ad Marim Persam crimine alienam Ibæ conscientiam.* Itaque *ejus Epistola* non appellatur Epistola ad Marim, sed Cleri Edesseni; enimvero hæc supplicante Iba fuerat relecta post objectam illi ad Marim Epistolam. Neque officit quod dicatur *Epistola ejus*, inquit Vigilius; primo *quia ipsius appellatur, quam pro se relegi petiit*: deinde quia communi loquendi modo in judiciis *eorum documenta chartæ & Epistolæ dici solent, qui eis pro se utuntur, & quorum ostenduntur prodesse negotiis*: rursus quia magis æquum est, ut Ibæ dicatur Epistola, *quam ille pro sua orthodoxæ fidei approbatione ut relegeretur exigit*; quam conscriptam ad Marim Persam, *quam ad Ibam oppugnandum objiciebant adversarii.* Hæc Vigilius num. XXII. Corroboratur hæc responsio sententia Maximi, qui non ait declaratam orthodoxam *dictationem* Ibæ in Epistola prolata ab Adversario, sed ex *relecto rescripto Epistolæ*, scilicet, *ex relecto rescripto* Edessenorum, quo recitato *omnia*, inquit Vigilius, *non solum adversariis non probantibus, aut Iba Episcopo denegante, verum etiam damnante fuerunt reprobata.* Quare *dictatio* non significat, ut vulgo accipitur, conscriptionem Epistolæ, sed Ibæ apud Judices actionem. Ita apud Jurisconsultos *actionem dictare* nihil est aliud, quam formulam intendere, sive cum adversariis in judicio experiri, apud Paulum *L. Non distinguemus. ff. illud. D. de recept. arbit.* In Græco apud Harduinum Tom. I. pag. 540. extat. ὀρθόδοξος ὄφθη αὐτῆς ἡ ὑπαγορεία, *Orthodoxa declarata est ejus significatio.* Hactenus de tribus Capitulis, & de hæresi Nestoriana.

CAPUT

CAPUT XVIII.

Eutychianum dogma refellitur.

SUMMARIUM.

1. & 2. Ortus, & damnatio Eutychianæ hæresis.

3. 4. & 5. Demonstratur dualitas naturarum impermixtarum in unitate personæ.

6 & seqq. Respondetur Eutychianis.

1. Ortus Eutychianæ Hæresis.

COÆVA fere Nestorianæ, atque è diametro opposita est hæresis Eutychetis, quam erupisse scribit Anastasius Sinaita decem circiter annis post Synodum Ephesinam, nimirum circa annum Christi 441. Gelasius tamen in Epistola ad Episcopos Dardaniæ exortam hæresim illam affirmat anno 448. rationem habens illius temporis, quo Eutyches à S. Flaviano in judicium vocatus fuit, accusante Eusebio Episcopo Dorylæi. Fuit Eutyches ex parentibus Orthodoxis progenitus, Presbyter Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & amplissimi Monasterii ἡγούμενος, id est, Archimandrita, vel Præses. Is ægre ferens initam pacem inter Cyrillum & Joannem Antiochenum, cœpit adversus Orientales obloqui, eosque tanquam Nestorianos traducere; arbitrabatur enim duas, quas illi propugnabant naturas, duas personas constituere, quæ fuerat cum Gentilium, tum superiorum hæreticorum halucinatio. Quamobrem unam in Christo personam defendens ait naturas duas, humanam, atque divinam ita in Incarnatione permixtas, & confusas fuisse; ut licet antea diversæ fuerint, post adunationem tamen in unam transierint. Innovavit propterea etiam hæresim Apollinarii, etsi in eum aliquando anathema intorserit; quoniam docens post naturarum adunationem humanitatem à divinitate fuisse absorptam, eam, quam appellabat Christi carnem, putabat esse divinitatem ipsam, quasi de cælo delapsam, nullum propterea corpus Christi agnoscens, nisi phantasticum, & contendens ipsam divinitatem fuisse affixam cruci, & in sepulchro reconditam. Jure itaque, meritoque Eutychianum dogma appellatur à Facundo Hermianensi scitum profanum ac fatuum, & bruta contentio: & ipse Eutyches à Leone Magno in Epistola ad Pulcheriam dicitur senex indoctus atque imperitus. Sed vide sacrarum historiarum, aut hæresum accuratos scriptores, necnon dissertat. Lupi de Synodo latrocinali Ephesina.

2. Damnatur Eutyches à Leone Papa.

Delatus, & impietatis ac hæresis Eutyches accusatus apud S. Flavianum Episcopum regiæ urbis Constantinopolis, hujusque monita parvipendens damnatus est à Synodo Constantinopolitana ab ipso Flaviano coacta VI. Idus Novembris Coss. Flaviano Zenone, & Postumiano, anno nempe 448. subscribentibus Synodo Episcopis XXXII. & Archimandritis XXIII. ut recte Pagius ad hunc annum num. 7. At damnatus Eutyches per literas conquestus est apud S. Leonem agentem Pontificatus sui annum 9. & quoniam significavit iterum Nestorianam hæresim germinare, movit Pontificem, ut datis Epistolis ad Flavianum, quæ scriptæ fuerunt proximo anno 449. zelum Eutychetis commendaret, jubens ne innocens vexaretur. Verum acceptis postea à Leone cum Actis Synodi Constantinopolitanæ literis Flaviani, Leo ipse Eutychetem damnavit; atque impius hæreticus audacter appellavit ad prætorium Imperatoris; à quo dante operam Chrisaphio Eunucho, obtinuit ut indiceretur Synodus Ephesina, facta ipsi Eutycheti facultate Episcopos convocandi. Sanctus autem Leo, cum Theodosium à cogendo Concilio non potuisset avocare, misit qui suas gererent vices; & Synodus quæ indicta fuerat ad Kalendas Augustas, celebrata est die VIII. ejusdem mensis. Hæc est Synodus, quam dicunt Latrocinium Ephesinum, sive Synodum Prædatoriam. Ibi enim renuentibus Legatis Apostolicæ Sedis, à Dioscoro Alexandrino, & Episcopis aliis Eutychianis, absoluto Eutychete, damnati fuerunt Sanctus Flavianus, Eusebius Dorylæensis, Ibas Edessenus, Theodoretus Cyrensis, & Domnus Antiochenus. Imo Flavianus interponens appellationem adeo indigne tractatus est, ut ex numero & atrocitate vulnerum animam efflaverit; etsi non omnes consentiant, an Ephesi obierit, an Epipæ in Lydia, quò eum relegarant, an in itinere inter cohortes militum & catenis devinctus. Dolore tamen plagarum, quas acceperat, migrasse ad Dominum, tradunt scriptores omnes, Evagrius, Liberatus, & alii apud Lupum citato loco. Hæc, aliaque Eutychianorum facinora in causa fuerunt, ut defuncto interim Theodosio, atque ad Imperium evecto Marciano, indiceretur Synodus Oecumenica. Hanc idem Marcianus cogi primum curaverat

Nicææ in Bithynia, ut Eutyches damnaretur in eadem urbe, ubi proscriptus fuerat Arius; & jam illuc Episcopi quamplures perrexerant: sed cum S. Romanus Pontifex Leo optaret quam maxime, ut Synodo interesset etiam piissimus Imperator, translata est Chalcedonem, ibique præsidentibus ejusdem Leonis Legatis inchoata est VIII. Idus Octobris, & absoluta Kal. Novembris an. 451. Pontificatus Leonis XII. & Imp. Marciani II. In hac Synodo damnatus est Eutyches, proscriptus iterum Nestorius; at Theodoretus utrumque hæresiarcham anathematizans fuit in sedem suam restitutus. Exposita nunc historia hæresis Eutychianæ, ipsam aggredimur refutandam.

3. Propositio.

PROPOSITIO. Duo sunt in Christo post adunationem naturæ distinctæ invicem, atque impermixtæ, licet separatim minime subsistentes, sed in eadem hypostasi, atque persona, unitione physica copulatæ.

Demonstratur 1mo.

Demonstratur I. Dominus noster Jesus Christus, cum sit unus atque indivisus, ut supra adversus Nestorianos probatum est; perfectus tamen est Deus, ac perfectus homo, præditus divinitate, & rationali anima & corpore humano: quorum primum libro VII. cap. 9. & in hoc ipso libro cap. XIII. propos. 2. alterum vero cap. 2. adversus Phantasiastas fuit apertissime demonstratum. Et quidem assumptæ à Filio Dei humanitatis invictum exhibent argumentum ea loca, in quibus dicitur filius hominis, filius Davidis, factus ex muliere, flagellis cæsus, crucifixus, atque de eo narratur vulnera sua palpanda discipulis præbuisse: ac divinitatem ea contestantur, in quibus appellatur Deus, Unigenitus permanens in sinu Patris, Filius Dei proprius, Panis qui de cælo descendit, antiquior Abrahamo, & Dominus benedictus in sæcula. Quæ omnia divinarum scripturarum auctoritate comprobata necessum non est, ut iterum producamus. At ex quo Dominus Jesus Christus sit Deus verus, divina in ipso natura debet propugnari; & ex quo sit perfectus homo, tenemur perfectam in ipso humanitatem profiteri.

Demonstratur 2dò.

II. Huc spectant verba, quibus Verbi *Incarnationem* nobis divina eloquia proponunt. Ac primo Joannes Evangelista, posteaquam præclara de Verbi divinitate enuntiavit, affirmans quod in principio erat Deus, quod omnia per ipsum facta sunt, quod erat lux illuminans omnem hominem, *Et Verbum* (inquit) *caro factum est.* Itaque, ut inquit S. Leo in Epistola ad Flavianum lecta in II. Actione Synodi Chalcedoniæ, *Unus idemque (quod sæpe dicendum est) vere Dei filius, & vere hominis filius. Deus per id, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum: homo per id, quod Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: Deus per id, quod omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: homo per id, quod factus est ex muliere, factus sub lege.* Eadem est vis verborum Apostoli ad Philippenses II. 6. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.*

Demonstratur 3iò.

III. Eandem veritatem confirmant universa fere Christi opera, de quibus eadem ad Flavianum Epistola S. Leo: *Nativitas carnis manifestatio est humanæ naturæ; partus virginis divinæ est virtutis indicium: infantia parvuli ostenditur humilitate cunarum, magnitudo Altissimi declaratur vocibus Angelorum. Similis est rudimentis hominum, quem Herodes impius molitur occidere; sed Dominus est omnium, quem Magi gaudentes veniunt supplices adorare. Cum ad Præcursoris sui baptismum venit, ne lateret quod carnis velamine divinitas tegeretur, vox Patris de cælo intonans dixit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Sicut hominem diabolica tentat astutia; sicut Deo angelica famulantur officia. Esurire, sitire, lassescere, atque dormire evidenter humanum est: quinque panibus quinque millia hominum satiare, largiri Samaritanæ aquam vivam &c. sine ambiguitate divinum est. Non ejusdem naturæ est flere miserationis affectu amicum mortuum; & eundem remoto quatriduanæ aggere sepulturæ ad vocis imperium excitare redivivum: aut in ligno pendere, & in noctem luce conversa, omnia elementa tremefacere: aut clavis transfixum esse, & paradisi portas fidei latronis aperire. Non ejusdem naturæ est dicere, Ego & Pater unum sumus; & dicere, Pater major me est.* Vide Tom. IV. Conc. Labbei pag. 352. His vero quid proferri potest aut eloquentius, aut robustius, aut majori auctoritate firmatum?

4. Confirmatur ex Patrum traditione.

Addamus tamen ad frangendam penitus Eutychianam perfidiam argumentum quartum ex Patrum traditione depromptum. Plura afferunt testimonia Bellarminus lib. III. de Christo cap. 3. Nat. Alexander Differt. XXIV. sæculi V. ac Theologi omnes. Verum nos afferemus duntaxat aliqua ex Patribus, quorum testimonia recitata, ac probata fuerunt

runt Act. 2. Chalcedonensis Synodi. Sunt hi, Hilarius, qui libro nono de Trinit. ait: *Nescit plane vitam suam, nescit qui Christum Jesum ut verum Deum, ita & verum hominem ignorat.* Gregorius Nazianz. scribens in Orat. de Nativitate, *Missus est quidem, sed ut homo: duplex enim erat in eo natura.* Ambrosius, cujus in 2. lib. de Fide ad Grat. cap. 4. hæc sunt verba: *Idem Deus, idem homo: per divinitatem Deus, per susceptionem carnis homo.* Et paulo infra, *Servemus distinctionem humanitatis, & carnis.* Joannes Chrysostomus Hom. de Ascensione demonstrans quare Christus sit mediator Dei, & hominum exemplo illius, qui in medio positus duorum altercantium litem omnem dissolvit, *Se* (inquit) *medium Christus ingessit, & sociavit utramque naturam.* Similia tradit S. P. Augustinus in Epistola ad Volusianum: *Inter Deum & homines mediator apparuit, in unitate personæ copulans utramque naturam.* Cyrillus Alex. in libro de Incarnat. Cap. 13. ait: *Unum, eundemque Jesum Christum dicimus non ignorantes differentiam naturarum, sed eas inconfuse inter se servantes.* Ex his ab Oecumenica Synodo comprobatis liquet quænam sit communis SS. PP. traditio: quam etiam accurate expendit in Dialogis Theodoretus, & in Epist. ad Leonem Augustum S. Leo. Accedunt definitiones Conciliorum, Constantinopolitani, quod celebratum diximus sub Flaviano, an. 448. & alterius, quod ibidem habitum fuit sub Anatolio post biennium; Chalcedonensis celebrati proximo anno 451. cum interventu Episcoporum DCXXX. atque aliorum posteriorum.

5. Probatur ratione.

Denique probatur Catholicum dogma argumentationibus Theologicis: quarum prima est, quia nisi post unionem duæ in Christo asserantur naturæ; universa reparationis nostræ mysteria everturtur, atque unum ex his consequi necesse est, aut divinitatem fuisse immutatam mortique obnoxiam, aut humanitatem impatibilem atque immortalem. Quare si Christus mortuus est, ac mundum redemit pretio sanguinis sui, id perfecit in humana substantia, illam assumens in unitionem divinæ, atque, ut ait lib. 1. Act. Apost. cap. 4. Arator:

Se quoque permittens, fusæ Genitricis ab alvo
Carnis jura pati, vitam ne perderet orbis
Maluit ipse mori; sed quod de Virgine fœta
Nascitur, illud obit.

Altera ratio est, quod nequeat percipi hypostatica unio, nisi utraque natura in sua substantia permaneat. Quæ enim ad unum aliquod constituendum nectuntur; uno ex his modis uniri debent, quos cum Divo Thoma in IV. contra Gentiles Theologi omnes agnoscunt: vel enim uniuntur duntaxat aggregatione, utroque extremo integro, perfectoque permanente; quemadmodum ea, quæ unum *per accidens* constituunt, ut corpus, & habitus, aut acervus lapidum, vel cumulus arenarum; quam unitionem in Christo statuebat impius Nestorius supra refutatus: vel uniuntur secundum hypostasim, utroque extremo stante per eandem subsistentiam, sicut unitur corpori rationalis anima ad constituendum hominem; & hæc unitio postulat naturarum distinctionem, quotiescunque una in alteram nequit converti, ut spiritualis in corpoream; aut utraque non ita permiscetur, ut resultet tertia quædam substantia, ut evenit in compositione mixtorum. At natura divina nequit in humanam converti, & vicissim humana in divinam; non enim Deus mutabilis est, nec creatura fieri potest essentialiter immutabilis. Mixtio etiam, ex qua tertia quædam species coalescit, absque partium mutatione non evenit. Dantur quidem alia unitorum genera, in quibus duo inter se diversa unum constituunt, partium natura remanente, ut in sententia vulgari physicum corpus ex materia, & forma compositum; sed nec hujusmodi unitio reperitur in Incarnatione, cum nequeat divina natura habere veram propriamque rationem partis: neque hæc unio spectat ad refellendam hæresim Eutychianam, cum in hac unitione stet naturarum discrepantia ab Eutychete oppugnata. Num vero repugnet quod divina natura pars dicatur, est alia quæstio; quam puto nihil pertinere ad hæreticum dogma sacris literis, traditione Patrum, atque manifesta ratione profligatum.

Respondetur Eutychianis.

6. Objicitur 1.

Hæresim Eutychetis firmare videntur ea verba Joannis I. 14. *Verbum caro factum est.* Quod enim fit caro, in carnem vertitur. Si ergo Verbum factum est caro, cur versum in carnem non est dicendum? Virga quidem Moysis, de qua Exodi IV. 2. legimus factam colubrum, in verum serpentem fuit commutata, absorpta scipionis natura; uxor Lot, quam factam statuam, aut columnam salis legimus in Gen. cap. XIX. 26. nil fuit posthac, quam corporis humani in salinum con-

conversio; & áqua, quæ in nuptiis Canæ Galilææ facta est vinum, Joannis II. 9. nonne pristinam naturam commutavit? Idem ergo de illis verbis Evangelicis, *Verbum caro factum est*, videtur absque ulla cunctatione asserendum, maxime quod verba verbis ubique respondent in Græcis, tametsi alicubi Latina Versio conversionem significat, quam de assumpta humanitate minime enuntiat. Ut enim Joan. I. 14. extat, Καὶ ὁ λογος σαὲξ ἐγένετο, *Et Verbum caro factum est*; ita Gen. XIX. 26. Καὶ ἐγένετο ϛήλη ἁλος, *Et facta est columna salis*; Exodi IV. 2. Καὶ ἐγένετο ὄφις, *Et facta est serpens*; & Joannis II. 9. τὸ ὕδρων ὄινον γεγενημένον, *Aquam vinum factam*. Occurrit ubique idem Verbum γίνομαι demonstrans novæ alicujus substantiæ productionem. Addamus, nisi hæc sufficiant, exemplum ex ipso corpore Christi depromptum; negari enim non potest quod revera panis substantia in Christi corpus convertatur, idque demonstretur ex illis verbis Mat. XXVI. 26. *Hoc est corpus meum.* Ratione consimili si recte dicitur, *Verbum est caro*, aut *factum est filius hominis*, affirmare debemus conversionem divinitatis in carnem.

7. Respondetur. Resp. dist. ant. Quod fit caro, in carnem vertitur, si fiat assumptione humanitatis in Deum, nego: si conversione divinitatis in carnem, concedo. Priori modo Verbum factum esse carnem, Patres unanimi sensu demonstrant. Ignatius in Epist. ad Trallianos, Epiphanius H. 77. Ambrosius lib. 1. de Incarnat. cap. 6. Joannes Chrysostomus Hom. 11. in Joannem, Fulgentius de Incarnat. cap. 10. & Ecclesia demum universa in Symbolo Athanasiano. Legi poterunt interpretationes Patrum apud L' Herminier Tom. 3. pag. 181. Nos enim, ut istiusmodi argumentationes penitus evanescant, ac simul responsio nostra suppeditet locorum similium intelligentiam, hæc ducimus reponenda. Tam Hebraicum verbum הָיָה, quam Græcum γίνομαι, ac Latinum *fieri*, quæ in præfatis locis occurrunt, plures habent significationes; nam הָיָה idem est, ac *esse*, *compleri*, *evenire*, & aliquando etiam *perire*, *vel frangi*; hoc postremum tamen in conjugatione *Niphal*, ut Daniel VIII. 27. Similiter γίνομαι valet *fieri*, *exoriri*, *nasci*, *contingere*, *consistere*, necnon *conjungi*, *accedere*, atque *uniri*. Eadem, & longe amplior est significatio verbi *Esse*, ac *fieri*. Itaque ex verbis Evangelicis *Verbum caro factum est*, optime colligimus naturarum duarum unitionem, nec necesse est intelligere conversionem, & confusionem earundem. At cur hanc cæteris in locis admittimus? Non ex vi verbi: sed rerum, quæ *fieri* dicuntur. Si enim res nequeat in eam, quam *fieri* dicitur, mutari; absurdum est opinari *factam* taliter, ut sit immutata. Sic verbum mentis fit vox, dum ore profertur quod versatur in mente; sed cum verbum mentis spiritale sit, vox autem sonus sensibilis, nec spiritale in sensibile verti queat; nemo dixerit, dum loquimur, verbum quod fit vox, naturam amittere spiritalem; atque hoc exemplo exponit *Verbum caro factum est*, Doctorum Aquila Augustinus serm. 187. aliàs 17. de Tempore. At si natura rerum sit mutationi obnoxia, ut panis, aqua, humanum corpus, & quælibet res creata; ubi *fieri* dicitur aliquid, ac verba sensum exhibent proprium, ac literalem, mutationem naturarum debemus intelligere. Accipe traditam à Divo Cyrillo regulam in Dialogo de Incarnat. Unigeniti, Tom. V. pag. 717. *At si Verbum, inquiunt, factum est caro, jam non amplius mansit Verbum, sed potius desiit esse quod erat. Atqui hoc merum delirium, & dementia est, nihilque aliud quam mentis erratæ ludibrium. Censent enim, ut videtur, per hoc Factum est, necessaria quadam ratione mutationem alterationemque significari. Ergo cum psallunt quidam, Et factus est mihi Dominus in refugium: & rursus, Domine, refugium factus es nobis, quid respondebunt? Anne Deus, qui hic decantatur, desinens esse Deus, mutatus est in refugium, & translatus est naturaliter in aliud, quod ab initio non erat? Cum itaque Dei mentio fit; si ab aliquo dicatur illud, Factus est, quo pacto non sit absurdum, atque adeo vehementer absurdum, existimare mutationem aliquam per id significari, & non potius conari id aliqua ratione intelligere, prudenterque ad id, quod Deo maxime convenit, accomodari?*

8. Roboratur Responsio. Addo in iisdem Scripturæ locis talem phrasim contineri, ut non obscure significetur mulieris corpus, virgam Moysis, aquam, ac panem in salis acervum, in colubrum, in vinum, in corporis Christi substantiam fuisse commutata. Enim vero Genesis XIX. 26. habet Hebraicus codex וַתְּהִי נְצִיב מֶלַח: *Et fuit cumulus salis*, ac similiter Græcus, Καὶ ἐγένετο ϛήλη ἁλος, *Et commutata est in columnam salis*: quæ simplex phrasis, verbique *absque subjecto* expressio commonstrat priorem substantiam in alteram fuisse mutatam: quod dici nequit de versu 14. cap. 1. Joann. ubi subjectum apponitur cum articulo, ὁ λόγος; Vul-

Vulgata autem ibidem legit, *Versa est in statuam salis.* Veram itaque prioris naturæ conversionem istic phrasis ipsa demonstrat. Idem dicendum de versu 3. cap. IV. Exodi, ubi extat in Hebraicis וַיְהִי לְנָחָשׁ *Et fuit serpens:* in Græcis, Καὶ ἐγένετο ὄφις, *Evasit coluber*; in Vulgata, *Versa est in colubrum:* eadem scilicet phraseos simplicitate, ac proprietate sermonis. Notandum præterea est in hebraico suffixum ל. quod ut plurimum veram conversionem naturæ pristinæ innuit, ut Genes. II. 7. לְנֶפֶשׁ, *in animal vivens*: ibidem v. 22. לְאִשָּׁה, *in mulierem*: atque ipso capite IV. Exodi versu 4. לְמַטֶּה, *in baculum*, & versu 9. לְדָם, *in sanguinem.* In Græco etiam versu proximo conversionem virgæ in serpentem declarant apertissime ea verba: Καὶ ῥάβδον ταύτην τὴν γραφεῖσαν εἰς ὄφιν. In his ergo locis veram conversionem ipsa verba declarant, & γινόμαι, *fieri*, idem est, ac στρέφομαι, *converti.* In cap. II. Joannis satis ostenditur non fuisse cum vino permixtam aquam, ex quo architriclinus, & convivæ gustu experti fuerint vinum esse merum, *bonum*, ac priori robustius, non autem admixtum, sive aqua dilutum. Matth. denique 26. de Eucharistico Pane legitur, *Hoc est corpus meum*, τοῦτ' ἐστι τὸ σῶμά μου, neutro pronomine *hoc*, τοῦτο, tametsi masculini generis sint *panis*, & ἄρτος. Demonstrat autem pronomen *Hoc* id, quod illa enunciatione significatur, redditque sensum planissimum, *Hæc res*, demonstrato Corpore Christi, *est corpus meum.* Si autem permaneret post consecrationem substantia panis, non pronomine hujusce generis usus fuisset Salvator. Sed de hoc postremo loco dicam alibi. Nunc ex ipsa verborum proprietate liquet in omnibus locis supra allatis designari conversionem substantiæ, nec idem affirmandum esse de textu illo: *Verbum caro factum est.*

9. Notandum contra Eutychianos.

Verum est aliquid aliud adversus Eutychianos in his Scripturarum textibus adnotandum. Non adeo desipuit Eutyches, ut crederet divinitatem Verbi demutatam in carnem; sed credidit ipsam carnem ita à divinitate absorptam, ut transiens in hujus naturam divina fieret, & quod humanum est, & corporeum factum esset umbratile. Igitur nihil adducta exempla pro Eutychianis efficiunt, statua enim salis, in quam versa est uxor Lot, vera fuit, & suo tempore adhuc extitisse scripserunt Joseph lib. I. Antiquitatum cap. 12. & Rab. Benjamin in suo Itinerario: imo etiamnum persistere, quod incertum est tamen, arbitrantur Bochartus, & Adricomius citati à Tirino; &, si recipiendum foret Targum Jerosolymitanum, stabit usque ad mundi consummationem. Ita serpentis, ac vini substantia vera ac propria dicenda est. Idem de Christi corpore in Eucharistia docet Fides Catholicorum, probantque verba illa, *Hoc est corpus meum*, quarum vocum prima est pronomen proprium, ac subjecti demonstrativum, altera est verbum quo exprimitur vera existentia, & prædicati cum subjecto connexio, tertia nomen est proprium subsistentis carnis, postrema est manifesta nota personæ; nec ulla propositio est, quæ magis expresse literalem sensum exhibeat. Si ergo tenenda est prædictorum locorum æquiparatio, ex illa enuntiatione, *Verbum caro factum est*, consequitur tantum veram post Incarnationem extitisse carnem assumptam à Verbo: quod verissimum est, & immerito negatur ab Eutychianis.

10. Discrepantia naturarum in Christo.

Postremo Joannes Evangelista non solum ad demonstrandam substantialem duarum naturarum unionem inquit, *Verbum caro factum est*, sed etiam ad innuendam earundem naturarum discrepantiam addidit, *Et habitavit in nobis.* Quod animadvertens beatissimus Joannes Chrysostomus hom. II. in Joan. ait: *Quid enim subjicit? & habitavit in nobis; tanquam sic te alloqueretur: Vide, ne quid absurdi suspiceris ex illa voce. Non enim mutationem illam immutabilis illius naturæ significavi, sed habitationem, & commorationem. Porro id quod habitat, non est idem cum eo, quod habitatur, sed diversum.* Hoc itaque loco tam Nestoriana, quàm Eutychiana hæresis confoditur, & quemadmodum objectio Nestorii dividentis personam Verbi à persona Christi, ac probantis solam unius in altero inhabitationem ex illis verbis *Et habitavit in nobis*, retunditur ex præcedentibus, *Verbum caro factum est* demonstrantibus hypostaticam utriusque naturæ unionem: ita objectio Eutychetis ambas naturas confundentis & permiscentis, petita ex verbis illis *Verbum caro factum est*, revincitur ex iis, quæ proxime sequuntur, *Et habitavit in nobis*, aperte commonstrantibus duarum naturarum proprietatem, & discrepantiam.

11. Objicitur ex Patribus.

Sunt etiam aliqua veterum Patrum testimonia, quæ videntur facere pro Eutychianis. Etenim Tertullianus pluribus in locis appellat Christum *hominem Deo mixtum*. Ita in libro de Carne Christi cap. 3. 15. & 21. Apologetici. In lib. autem adversus Praxeam cap. 27. propugnat utriusque naturæ *mixturam*, & conversionem. Idem docet in Epistola ad Volusianum S. P. Augustinus. Eadem est doctrina S. Maximi Episcopi Taurinensis hom. 4. de Nat. Domini, Eulogii Alexandrini apud Photium, Leporii Presbyteri, imo & Leonis Magni serm. 3. de Christi nativitate. Horum loca collegit, expenditque Lupus in Synodum Ephesinam. De Cyrillo, qui unam dixit naturam Dei Verbi incarnatam, plura cap. xv. Favet Eutychianis Julius Rom. Pontifex in Epistola ad Dionysium Episcopum Corinthiorum, ubi aperte unam in Christo profitetur naturam. Sunt quidem nonnulli, qui hanc Epistolam spuriam censent; sed esse genuinam affirmat Ephræmius Antiochenus, & Gennadius de Scriptoribus Eccl. atque hunc male reprehendi à Baronio ad annum 352. n. 6. observat Petavius lib. IV. de Incarnat. cap. 6. Absque ulla deinde ambiguitate tradit dogma Eutychianum S. Greg. Thaumaturgus in celebri illa sententia, *In Christo non duæ personæ, neque duæ naturæ.* Denique desumi potest pro Eutychianis argumentum ex vetustissimo Scriptore Justino, qui in 2. Apologia instituit comparationem inter Incarnationem Verbi, & Eucharistiæ Sacramentum; & ideo quemadmodum panis fit corpus Christi per conversionem substantiæ, ita Verbum per substantiæ conversionem factum est caro.

12. Respondetur.

His respondentes dicimus Tertullianum, Augustinum, Maximum, Eulogium, & Leporium mixtionis & conversionis nomine intelligere veram assumptionem humanitatis, non talem permixtionem, qualis est corporum liquidorum, ex qua resultat tertia quædam substantia. Et quidem Tertullianus de Carne Christi hunc sibi scopum proposuit, refutandi errorem illorum, qui Christi corpus putabant umbratile atque phantasticum: atque in Apologetico demonstrata utriusque naturæ discrepantia commonet, ne arbitremur talem in Christo esse mixtionem, qualis fit ex auro & argento, dum efficitur electrum. At S. P. Augustinus in Ep. 3. nunc 137. ad Volusianum num. 9. ait. *Inter Deum & hominem* (Christus) *mediator apparuit, in unitate personæ copulans utramque naturam.* Itaque *mixturæ* nomine hanc personæ unitatem intelligit; quod seq. num. 11. sic exponit: *Nam sicut in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit: ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit. In illa ergo persona mixtura est animæ, & corporis: in hac persona mixtura est Dei & hominis; si tamen secedat auditor à consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam: quamquam & in ipsis corporibus aëri lux incorrupta misceatur. Ergo persona hominis mixtura est animæ & corporis: persona autem Christi mixtura est Dei & hominis.* Hanc esse S. Leonis doctrinam liquet ex iis, quæ deprompta sunt paulo supra ex aureis ejus contra Eutychetem Epistolis. Idem sensere Eulogius, & alii, qui mixtionis nomine usi sunt, ne quis induceret cum Nestorianis personarum divisionem; ut de Eulogio inquit ipse Photius, & de Cyrillo dictum est supra. Quandoquidem vero Cyrilli mentionem fecimus; dirimit ipse omnem oppositionem lib. 1. contra Nestorium cap. 3. *Mixtionis nomen* (inquit) *posuerunt nonnulli etiam Sancti Patres, sed quod metuere te dicis, ne qua confusio contigisse existimetur ad instar liquidorum, quæ inter se mutuo commiscentur, libero te hoc metu. Non sic illi senserunt. Minime: sed ea voce sunt usi, cum summam unionem ostendere studerent.* Julii Epistolam revera suppositam esse probat Leontius in libro de Sectis, ex quo tanquam fetum alicujus Appollinaristæ illam commemoret, ac refellat S. Gregorius Nyssenus in libro quem adversus Apollinarem conscripsit. Ephræmius autem, qui illam recipit ut genuinam, testatur non *unam* ibidem *naturam* dici absolute, sed *unam naturam divini Verbi incarnatam:* quod jam explicatum est in Cyrillo: ideoque potest probari hæc Epistola, & male reprehenditur à Gennadio. Verba, quæ ex Gregorio citata sunt, sunt hominis Apollinaristæ, & Sancto Episcopo Neocæsarienſi perperam afficta, ut animadvertit idem Leontius. Justinus denique in eo comparat Eucharistiam Incarnationi, quod sicut in Christo fuit vera humanitas prædita carne & sanguine, producta divinitus per Verbum Dei; ita in Eucharistia recipimus alimentum, quod vere ac proprie continet sub speciebus panis Jesu Christi carnem & sanguinem. Fieri autem utrobique naturarum eodem pacto conversionem Justinus minime affirmat: *Quemad-*

admodum, inquit, *per Verbum Dei caro factus Jesus Christus servator noster: & carnem, & sanguinem salutis nostræ causa habuit: ita quoque illud, in quo per preces Verbi ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimentum ipsius Jesu Christi Incarnati carnem, & sanguinem esse edocti sumus. Nam Apostoli in Commentariis à se scriptis, quæ Evangelia vocantur, tradiderunt ita sibi præcepisse Jesum, & pane accepto, gratiisque actis dixisse: Hoc facite in memoriam mei, Hoc est corpus meum.* Nullus itaque Patrum probavit Eutychetis insaniam; sed omnibus est sententia constans & inviolabilis, quod Unigenitus Dei semetipsum exinanivit formam servi accipiens, neque commixtionem passus, neque divisionem, atque, ut cecinit libro 1. de Partu Virginis Honorius Fortunatus:

Non Deus in carnem est versus,
Deus accipit artus,
Non se permutans, sed sibi membra levans.

CAPUT XIX.

Quam inscite & impudenter Avitus Academicus insimulaverit Eutychianæ hæreseos Homiliam Clementis XI. Pontificis Maximi.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis. 2. & seqq. Clementina Homilia demonstratur esse immunis ab omni prorsus errore.

1. Status quæstionis.

OPPUGNATAM hæresim Eutychetis visus est sibi deprehendere in Homilia, quam in sacro Purpuratorum Patrum Senatu, & frequentissima Ecclesiasticorum virorum concione habuit anno 1702. SS. Papa CLEMENS XI. in solemni die Dominicæ Resurrectionis, illamque à nullo Theologo posse à nota hæreseos purgari censuit Jansenianus quidam, qui parvum de hac homilia libellum vulgavit, cum hac inscriptione, *De Clementina periodo, Hodie forma servi reversa est in formam Dei.* His verbis hæresim contineri tam audacter, tam confidenter persuasum habet, ut Romanæ Communionis Theologos, & præsertim Pontificiæ auctoritatis Propugnatores ita alloquatur: *Qui è Magistris vestris ingenio, eruditione, calliditate præstant, ab errore Eutychiano liberent hanc periodum, &c.* Nec est unde miremur hujus insimulatoris licentiam: Jansenianus est enim, id est, ex illorum cœtu, quos memoratus Pontifex Maximus exemplo Prædecessorum suorum insectatus studuit omnino comprimere, confirmatis, novisque editis Constitutionibus, quarum alibi mentionem fecimus. Sed quod ait præfatam periodum neque ingenio, neque eruditione, neque calliditate posse demonstrari ab hæresi immunem, id non solum arrogantiæ perversæque mentis indicium est, verum etiam aut summæ ignorantiæ, aut exquisitæ malitiæ, calumniæque execrabilis. Illam quippe periodum veram, libratam, & Catholicam esse consequens propositio suadebit.

2. Propositio.

PROPOSITIO. Allata Clementina periodus ponderata est, gravis, & ab omni, vel minimo errore immunis.

Demonstratur.

Demonstratur. Ideo Avitus Academicus Clementinam periodum tanquam Eutychianam ausus est insectari, quoniam *forma* apud plures Ecclesiæ Patres *naturam* significat; & consequenter sicut forma, & natura servi secundum Christianæ Religionis effata nunquam fuit forma Dei; sic nec in illam resurgente Domino reversa fuit, nec reversura est unquam. Hæc tota Aviti argumentatio, nullo ingenii acumine, nulla dialectica arte, nulla, si ipsi fides est adhibenda, orationis solertia dispellenda. At *formæ* vocabulum sæpenumero significare *naturam*, præsertim apud Patres, qui Eutychetem confutarunt, verum est; hanc solam significationem habere, falsum est penitus. Plura congerit Avitus testimonia, in quibus duplex forma enuntiatur de Christo, scilicet, duplex substantia. Nos omnia probamus: revera enim habuit Salvator *formam Dei, in qua æqualis est patri, & formam servi, qua minor est patre;* inquit in Psalmum 63. Augustinus. At num id tantum *forma* significat? Minime: & apud Latinos, & apud Græcos, non profanos tantum, sed etiam sacros, divinosque Scriptores commonstrat effigiem, imaginem, & externa latentis naturæ, dignitatisque argumenta.

Hoc

Hoc sensu usurpat vocem illam Cicero in 2. de Officiis, & 2. de Finibus. Virgilius in 6. Aeneid. Terentius in Andria, & nullus est, qui non habeat in sermonis consuetudine, *Egregius forma, forma liberali, forma bona.* Clemens autem XI. latini sermonis proprietatem, quantum singula ejus scripta testantur, novit maxime. Non solum latinum *forma*, etiam græcum μορφὴ cum naturam, tum externam faciem significat. Duplicem naturam demonstrat Apostolus ad Philippenses scribens: Ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, & μορφὴν δούλου λαβών. *Qui cum in forma Dei esset*, &, *Formam servi accipiens.* Pro effigie, ac faciei imagine usurpatur vox eadem μορφὴ, Marci XVI. 12. ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ, *in alia effigie.* Itaque Clemens XI. dum ait, *Hodie forma servi reversa est in formam Dei*, non commixtionem ostendit humanæ divinæque naturæ, sed commutationem corporis tot vulneribus saucíati, & cujus non erat species aut decor, in splendidum ac redivivum, ita, ut quemadmodum ex priori effigie dignoscebatur humanitas, ita ex gloria resurgentis sit manifestata divinitas. Non ergo natura in naturam reversa est; sed nostræ mortalitatis imago in gloriam immortalitatis: ex qua Christum, quem reputarunt scelerosum & impium, agnoverunt esse mundi Reparatorem, & unigenitum Filium Dei.

3. Confirmatur 1.

Neque, ut Clementina oratio hunc referat sensum, indiget benigna interpretatione legentium. Sensum ipsum exhibet, & ob oculos statuit, ut qui illum non percipit, aut detorquet, vel insigniter sit malignus, vel habeat fungum pro cerebro. Enimvero in eadem Homilia ad hunc modum loquitur Romanus Pontifex: *Hodie nimirum novus Adam non in animam viventem, sed in Spiritum vivificantem formatus apparuit, novam mundo daturus progeniem, non terrenam & sordidam, sed cœlestem & splendidam. Hodie verum Dei Templum Judaica nuper impietate destructum divina post triduum Omnipotentia reparavit. Hodie forma servi reversa est in formam Dei, & exinanitio humilitatis ad pristinæ altitudinis rediit majestatem. Hodie qui traditus fuerat propter delicta nostra, resurrexit propter justificationem nostram. Reddunt inferna victorem, suscipiunt superna triumphantem; infirmitas quippe in virtutem, mortalitas in immortalitatem, contumelia transivit in gloriam.* Vide quid sit formam servi in Dei formam reverti? Non est utriusque naturæ permixtio, sed passionis, & contumeliæ in gloriam Resurgentis commutatio. Christus enim resurgens à mortuis, jam non moritur: atque *vir dolorum, cui non erat species, neque decor, despectus & novissimus virorum, in quo posuit Dominus iniquitates omnium nostrum: factus est speciosus præ filiis hominum: factus est incorruptilis, qui potuit vulnerari: factus est immortalis, qui potuit occidi: factus est impassibilis, qui potuit crucifigi:* inquit idem summus Pontifex homilia, quam habuit in eadem solemnitate anno 1704.

Cum itaque verborum suorum Clemens XI. sit tam disertus, atque accuratus interpres, neque ex eadem homilia potuerit invidus improbusque obtrectator haurire suspicionem erroris; undenam illam venefico ore potuit ebibere? Num alicubi fidei Custos & Ecclesiæ Pastor Eutychianum se prodit? Sed legat calumniator homiliam, quam in die dominicæ Nativitatis habuit eodem anno 1704. Pontifex sapientissimus. *Ineffabile divinum Verbum* (inquit) *quod in principio erat, & apud Deum erat, & Deus erat; è Patris sinu prodiens, Patri coexistens, Patri coæternum in ipsa Patris substantia semper manens, & ex ipsa semper effulgens, hoc sane Verbum, ut nuper audistis, caro factum est, & habitavit in nobis: in nobis, quos Verbi sibi divinitas coaptavit, cujus caro de utero Virginis sumpta nos sumus; gemina nimirum in unam Personam conveniente natura, verus Deus, & verus homo natus est Christus, ut illi vera inesset Deitas ad miracula operum, nec vera deesset humanitas ad tolerantiam passionum.* Atque tam aperta hæresum omnium adversus Domini Incarnationem, & maxime Eutychianæ, damnatio nonne debuit putidum Aviti os obstruere, & impudentem linguam frænare?

4. Confirmatur 2.

Sed quod magis damnat hominis audaciam: illa eadem Clementina periodus verbis Patrum contexta est. Desumptam ex Arnoldo Carnotensi, qui floruit ætate divi Bernardi, & cujus opera extant Tom. XXII. Biblioth. PP. animadvertit vir doctus Philippus Vanwaure nostri Ordinis, in Velitatione hæresis Jansenianæ, quam inscripsit *Augustinus Europæus.* Sed habet Auctorem longe celebriorem, sanctissimum nempe Martyrem Cyprianum; qui sermone de Resurrect. pag. 443. inquit: *Hæc Paschalia gaudia ipsi Angelici Spiritus, & resurgentis Domini gloriam admirantur; lætantur, & delectantur in eo, quod forma servi reversa sit in formam Dei, & exinanitio humilitatis ad depositæ alitudinis redierit majestatem.* Confer modo, Avite,

5. Confirmatur 3.

cum

cum Cypriano Clementem. Hic loquitur ad hunc modum: *Hodie forma servi reversa est in formam Dei, ac exinantio humilitatis ad pristinæ altitudinis rediit majestatem.* Cyprianus ait: *delectantur in eo, quod forma servi reversa est in formam Dei, & exinanitio humilitatis ad depositæ altitudinis redierit majestatem.* Non opus hic est Magistris, qui præstent ingenio, eruditione, & calliditate: eadem Cyprianum scribere, eadem Clementem videt enim lippiens, ac tonsor. Igitur aut Eutychianus uterque est, aut nec unus, nec alter. Quis autem audeat rodere Cypriani orationem, tanquam errore Eutychiano conspersam?

6. Confirmatur 4to. Non video, quid respondere possit Calumniator, nisi forte aliam verborum cautionem adhibendam fuisse Clementi longe post damnatum Eutychetem in conspectu universalis Ecclesiæ peroranti, quæ adhibenda non fuit Cypriano antiquiori tempore, atque in privata Ecclesia concionem habenti. Quod si forte effutiret, id magis ipsius Aviti contunderet temeritatem. Loquens enim Pontifex in Catholica Ecclesia, atque in cœtu Orthodoxorum Procerum, *non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quæstione nullus pulsabatur, securius loquebatur.* Atque hac responsione, qua Magnus Augustinus vindicat adversus Julianum lib. 1. cap. 6. quamdam sententiam Chysostomi, sarta tectaque esset Clementis oratio, quamquam foret ob aliquam texturam minus accuratam verborum sensus ejusdem orationis ambiguus. Apertissimus est tamen, ponderosus, Patrum undique auctoritate munitus, nec unum fere verbum ibidem occurrit, quod perspicuo simul mirabilique artificio non sit è Sanctorum libris depromptus. Illa quoque interpretatio, quam desiderare posset Criticus submorosus, ut liquatissime ex dictis apparet, eidem periodo subnectitur. Ad frangendam præterea Jansenii hujus audaciam accedit sermo XXXVII. Petri Chrysologi Ravennatensis Antistitis, in quo legimus: *Nonne Dominus, ut hominis faciem præferret & formam, formam propriæ deitatis aufugit?* En vocabulum *formæ* in eodem Clementinæ periodi sensu usurpatum à viro doctrina ac sanctitate spectabili, qui floruit vivente Eutychete, & adversus illum gloriose stylum exercuit.

Plura adversus summi Pontificis imperitum, injustissimumque accusatorem non proferam, tametsi possem permulta; ne forte opinetur, nos aut dissertationem illam pluris facere, aut ab ipso mentem nostram quamvis perhumilem, & angustam plurimum coarctari. At hæc respondere placuit, ut agnosceret quanta facilitate machinam, quam putat firmissimam, subvertamus. Bovem pinguem ac frisium, quem promittit se dono missurum ex Hollandia ei, qui satisfecerit exornatæ à se lucubrationi, illi det, qui ipsum à nota ignorantiæ atque audaciæ adhibito omni conatu defenderit.

CAPUT XX.

Explicantur Scholasticorum placita circa naturam, proprietates, causam, terminumque Unionis hypostaticæ.

SUMMARIUM.

1. Variæ Doctorum sententiæ.
2. Sententia Auctoris.
2 & 4. Solvuntur objectiones.
5. Proprietates unionis hypostaticæ.
6. An hæc unio facta sit in Natura, an in Persona.
7. 8. 9 & 10. Unionem hypostaticam nemo meruit quoad substantiam, benè verò quoad circumstantias.
11. Christi humanitas non promeruit sui unionem cum verbo.
12 & 13. Objectionibus satisfit.
14. & 15. An plures personæ Divinæ assumere potuissent eandem naturam, & an una Persona plures naturas.
16. An etiam naturam irrationalem.
17. Cur potius filius, quàm alia persona fuerit incarnata.

1. Variæ Doctorum sententiæ. PLURA Scholastici disputant de *hypostaticæ* unionis natura, proprietatibus, causa, ac termino: quorum si velimus prolixam habere dissertationem, prætermittenda nobis erunt utiliora, cum gravissimæ nobis adhuc dirimendæ sint controversiæ. Ut ergo Scholarum placita brevi expediamus; duarum naturarum unitionem quidam constituunt in *modo* ab extremis distincto, ut Scotus in III. dist. 1. Suarez disput. VIII. sect. 3. Vasq. disp. XVIII. cap. 3. Salmanticenses

disput. IV. dub. 1. Gabr. à S. Vinc. disput. 2. dub. 7. L' Herminier de Un. hyp. q. 2. aliique complures: quidam vero ab extremis negant illam distingui, ut Cajetanus in 3. p. q. 2. art. 7. Gonet disp. VI. art. 3. Maignan Ph. Sacræ p. 1. cap. 21. Juenin differt. v. q. 3. Tourneły quæst. VII. art. 2. atque ex nostratibus Aegidius in 2. dist. 2. Gregorius Arimin. in 1. dist. 28. q. 2. Gerardus dist. 7. q. 3. Gavardi quæst. v. art. 1. & fere omnes ab eodem Gavardi num. 8. laudati. Nos vero horum sententiæ absque ulla animi fluctuatione subscribimus. Principio enim non admittitur à nobis *modum* esse *entitatem* aliquam distinctam à subjecto, licet fateamur esse *habitudinem* quamdam intrinsecam, sive potius rem ipsam tali affectione præditam, & veluti sigilli impressionem, inhærentem quamdam *formam* à substantia indistinctam; ut diximus de relationibus, ac de habitibus disputantes. Deinde nullam aliam *hypostaticæ* unionis perceptionem ex Scripturis, ac Patribus in velitatione præcedentium hæresum productis haurire possumus, quam mirabilis œconomiæ, per quam Dei Verbum in unitatem personæ *formam servi*, ideſt, humanitatem assumpsit: cujus assumptionis modus captum superat humanum, neque potest per *entitatulam* aliquam productam innotescere mortalium mentibus. Præterea, ne vulgarem ratiocinationem omittamus, si duo habeant rationem *potentiæ*, & *actus*, quemadmodum habent corpus & anima, materia & forma; nullo egent superaddito nexu, quo, tanquam confixo clavo duæ tabulæ, colligentur; sed per se immediate uniuntur. Insuper, ut argumentatur citato loco Gregorius, non solum natura humana est unita Verbo, verum etiam Verbum est unitum naturæ humanæ; nec tamen ad hanc unionem explicandam recurrendum est ad modum, vel entitatem ipsi Verbo inhærentem, cum divina persona nequeat recipere *entitatem* aliquam, qua intrinsece afficiatur.

2. Sententia Auctoris.

3. Objectiones. Ducuntur qui oppositam sententiam tenent momentis istiusmodi. Primum, cum *hypostatica* unio sit actio, correspondere huic debet aliquis productus effectus, qui utique non est humana natura, cum potius hæc sit terminus creationis, ideoque erit *entitas* illa, sive *modus* ab extremis distinctus. II. S. Thomas 3. p. q. 2. art. 7. invicte demonstrat unionem esse *aliquid creatum*, quoniam non fuit ab æterno, & quidquid incipit in tempore, creatum est. III. Possunt Verbum & humanitas simul esse, quin sint unita hypostaticè. Unio ergo, inquit Maurus lib. IX. q. 25. est aliquid à Verbo, & ab humanitate distinctum. IV. Quod est indifferens, per aliquid adventitium determinari debet. At natura creata indifferens erat, ut assumeretur à Verbo. Itaque per modum aliquem adventitium determinata est. V. Plura enuntiantur de humanitate unita Verbo, quæ non verificantur de ipsamet humanitate Verbo non unita: quarum oppositarum enuntiationum ratio nulla est, nisi facta in humana natura mutatio.

4. Respondetur. Verum facile est hæc argumenta discutere: ad primum namque dicimus *Incarnationem* duas actiones comprehendere *connotative* distinctas, id est, naturæ humanæ productionem, quæ est creatio, & refertur ad totam Trinitatem tanquam ad causam efficientem, & ad humanam naturam *in se spectatam*, tanquam ad effectum productum; & ejusdem naturæ humanæ terminationem, quæ est Verbi assumptio, & refertur ad solum Filium tanquam ad principium suam tribuens subsistentiam, atque ad naturam humanam *prout subsistit divina hypostasi*: quare cuilibet actioni terminus respondet suus, creationi natura humana *absolute* spectata, id est, ut à Trinitate producta; assumptioni natura humana spectata *connotative*, id est, ut per Verbum subsistens. Ad auctoritatem divi Thomæ respondet Cajetanus *esse creatum*, quod intervenit in unione hipostatica, esse *passionem qua natura humana trahitur ad esse Verbi*: nos eidem responsioni insistentes dicimus, quod sicut unio *hypostatica* est actio facta in tempore *connotativa*, *ac terminativa*, ita habet effectum suum creatum quidem, sed connotantem divinum Verbum, à quo terminatur, id est, naturam humanam ut subsistentem: quod non repugnat divo Thomæ scribenti q. 6. art. 6. ad 1. *Unio naturæ humanæ ad Verbum est secundum esse personale, quod non dependet ab aliquo habitu, sed immediate ab ipsa natura:* qua auctoritate Gonet loco cit. n. 46. sententiam confirmat nostram. Corruit eadem responsione argumentum Mauri, propterea quod nequeat non esse unio *hypostatica*, ubi est humanitas *connotative* accepta, hoc est hypostasi Verbi subsistens; quamvis non precipiatur unio, si humanitas in se tantum absque tali connotatione spectetur.

Non

Non aliam responsionem adhibebo ad quartum; natura enim creata determinatur *ut sit Verbi* per hujus hypostasim, quæ illam *connotative* tantum immutat. Utor eadem doctrina, ut me expediam ab argumentatione postrema, quandoquidem ad salvandas enuntiationes oppositas sat est distinctio *connotatorum*, ut demonstravi lib. II. cap. 3. atque vi hujus distinctionis natura humana, ut subsistens divina hypostasi, dicitur Filius Dei, qualis non dicitur absolute in se inspecta. Positis itaque principiis nostris quam facillime hæc prima quæstio diluitur.

5. Explicantur proprietates unionis Hypostaticæ.

Quantum pertinet ad unionis *hypostaticæ* proprietates, consentiunt Theologi omnes illam esse substantialem, naturalem, omnium maximam, & perpetuam atque indissolubilem. Substantialem esse constat ex his, quæ diximus adversus Nestorium, à quo nulla alia inter Deum hominemque unitio admissa fuit, præter moralem, & extrinsecus adscitam. *Substantialem* itaque illam appellamus, quatenus utraque substantia divina & humana in eadem hypostasi conjunctæ persistunt, ut in una persona hominis anima spiritualis & caro. *Naturalem* vero hanc unionem dicimus contra Eutychetem, qui nonnisi unam naturam adstruit confusam atque permixtam; quippe ubi unum perit, aut in alterum permutatur, non unio intervenit, sed mixtio, aut corruptio: sive *naturalem* dicimus, prout idem est, ac vere, sine fuco, & absque simulatione, ut explicavimus in tertio Anathematismo Cyrilli. Nam si *naturale* accipiatur, prout idem valet, ac necessarium, naturæ debitum, aut ex naturæ conditione promanans; constat unionem *hypostaticam*, quæ maxima gratiarum est, divináque liberalitate peracta, dicendam non esse naturalem. Esse autem omnium maximam facile quisque percipiet, si attendat utriusque naturæ diversitatem, Deique & hominis discrepantiam: si animadvertat non potuisse humanam naturam altius attolli, ut libro proximo exponam; si denique inspiciat non ad tempus divinum Verbum humanam assumpsisse naturam, sed illam evectam ad Patris dexteram in perpetuo ac sempiterno regno locasse. Atque hæc est tertia *hypostaticæ* unionis proprietas, videlicet, indissolubilis humanitatis cum divinitate conjunctio: quam negavit Origenes affirmans post resurrectionem totam naturam corporis interituram, refutatus à Theophilo in Epistola 2. Paschali, nec non Marcellus Ancyranus: de quo Eusebius in III. libro de Eccl. Theologia cap. 13. & contra eundem Marcellum lib. II. cap. 1. S. Basilius Epist. 52. & Cyrillus Hierosolym. Catech. XV. Revincitur autem aperte hæc hæresis ex quo collata Christo filio Davidis potestas sempiterna, & absque fine dicatur Dan. VII. 14. & Lucæ I. 33. aliisque in locis; eaque de omni corpore interituro sententia sit purum putumque deliramentum directe pugnans cum iis, quæ alibi diximus de corporum resurrectione. Quare de unionis *hypostaticæ* proprietatibus hæc perpauca dicta sint.

6. An hæc unio facta sit in natura, an in persona.

Disputatur præterea in Scholis, an hæc unio facta sit in *natura*, an in *persona*: quæ pariter quæstio ex refutatis hæresibus aperte diluitur. Nam si sensus sit, num divina & humana natura in unam coaluerint; liquet id falsum esse, & de fide tenendum oppositum adversus hæresim Eutychianam: si verò sit sensus ambas naturas fuisse in eadem persona conjunctas, istud contra Nestorianos est asserendum. Ideoque illarum hæresim præmissa refutatio istam quoque difficultatem eliminat. Controvertitur tamen inter eos, qui distinctionem intrinsecam statuunt inter Verbi divinam naturam, ejusque *personalitatem*, an natura *immediate*, an ratione *personalitatis* humanam carnem assumserit: verum nos, qui divinam essentiam ac hypostasim unam simplicissimam rem, sola terminorum connotatione diversam lib. IX. cap. 2. propugnavimus, nulla hac in re dubitatione distrahimur, asserimusque incunctanter tribuendam naturæ humanæ assumptionem divino Verbo, sive personæ, quæ tamen est ipsamet Dei natura, non *absolute* accepta, sed tantum *connotative*; cum sint una summa res, incomprehensibilis, & ineffabilis Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Nam si humanitatis assumptio tribuenda foret naturæ divinæ, idest, summæ illi rei ineffabili *absolutè* consideratæ, non solum Verbum carnem assumpsisset humanam, sed etiam Spiritus sanctus, ac Pater, & vera esset hæresis Theopaschitarum. Possumus tamen in verbo *assumendi*, ut diximus paulo supra, distinguere principium *actionis* à principio *terminationis*, & illud tribuere divinæ naturæ singulis personis communi, istud verò propriæ Filii hypostasi, sive *personalitati*; ut observat illustris Estius in III. dist. XV. §. 1. Nam efficientem causam *Incarnationis* fuisse totam Trinitatem, quatenus illa actio est, controverti nequit, ut dicam proximi

lib. cap. IV. inquirens cur divini Verbi conceptio tribuatur Spiritui sancto, quamvis illam operata sit tota Trinitas.

7. Neme Incarnationem promeruit quoad substantiam.

Cum nulla itaque oriri possit difficultas de causa *Incarnationis* efficienti, disceptatur in Scholis de causa meritoria: & quæritur an *Incarnationem* mereri potuerint Sancti Patres, qui illam assiduis precibus ante Christi adventum petierunt; an beatissima Virgo, quæ inter omnes mulieres benedicta fieri meruit Dei genitrix; an saltem sacrosancta Christi humanitas ad gratiam *hypostaticæ* unionis evecta. Consentiunt autem Theologi omnes, nullum meritum *de condigno* potuisse in operibus aut veterum Patrum, aut Virginis intemeratæ inveniri, cui responderet tam eximium amplissimumque beneficium, quale est humanam naturam divino Verbo conjunctam esse substantiali unione. Et satis manifestam rationem proferunt, quoniam inter merita cujuslibet creaturæ, & maximum *Incarnationis* beneficium nulla excogitari potest proportio: unde illud divinæ misericordiæ, & charitati in sacris literis passim adscribitur. At si loquamur de merito *de congruo*, quod hujusmodi proportionem non exigit, tam beatam Virginem, quam Patriarchas promeruisse *Incarnationem* divini Verbi, quoad *substantiam*, & quoad *circumstantias*, scilicet promeruisse, ut Verbum naturam indueret nostram, & eam assumeret ex Abrahami Davidisque posteritate, atque citius, quam fortassis id perfeciset, sentiunt Theologi bene multi, Alvarez disput. XVII. num. 12. Joannes à S. Thoma disput. V. art. 1. Gonet disput. VII. art. 6. Suarez disp. X. a. 6. Salmant. disput. VII. dub. 3. L' Herminier Tom. 3. p. 130. aliique. Econtra Sanctos Patres promeruisse *Incarnationis* divinæ *circumstantias*, ideſt, accelerationem, electionemque stirpis Davidicæ, & beatissimam Virginem promeruisse tantum gratiæ augmentum, ut fieret dignum divini Verbi, ac Spiritus sancti habitaculum, non vero, ut *Incarnatio* fieret, & ipsa eligeretur in Dei matrem, tenent Theologi alii in Schola celebres, D. Bonavent. dist. III. a. 2. Scotus in IV. dist. II. q. 1. Noster Aegidius quodlib. V. q. 4. Gavardi q. III. de Incarnat. art. 3. Vasq. disput. XXIII. cap. 5. & alii complures; quibus subscribentes asserimus neminem quoad *substantiam* ullo pacto divinam *Incarnationem* promeruisse, sed tantum quoad *circumstantias*.

8. Probatur ex scriptura, Pa

Hujus assertionis fundamentum est, quoniam Scripturæ, Patres, ac ratio ipsa ita divinæ misericordiæ & dilectioni tribuunt Unigeniti Filii Dei adventum in carne, ut satis appareat nullo hominum merito fuisse illectum atque permotum; sed in hoc maxime divinam splendescere charitatem, quod per mortem Christi Deo reconciliati sumus, cum essemus filii iræ, filii vindictæ. Videatur Apostolus ad Titum II. 11. & III. 4. ac Joannes Epist. 1. cap. III. 10. Quibus in locis persuasum mihi est, omne excludi meritum tam *de congruo*, quam *de condigno*: quippe nulla excogitari possunt merita, ubi nulla præcedunt justitiæ opera, & ubi nulla dilectio nostra supponitur, quæ tantam Dei charitatem attraxerit. Est autem gratiæ maximum argumentum, si Dei munera nullis præcedentibus meritis conferantur. Accedit quod omnes in Adam peccaverunt, & *omnes egent gloria Dei*, ut inquit Paulus ad Rom. III. 23. ideſt, indigent omnes Christi Redemptione, quæ à peccato liberet, aut præservet; & nullus prorsus post Adæ lapsum quidquam Deo acceptum patrare potest absque gratia Liberatoris: ita enim Apostolicam sententiam exponit Magnus Augustinus Enarrat. 2. in Psal. XXX. num. 6. Quare omne meritum, etiam *congruum* duntaxat, gratiam supponit: gratia autem prædefinitam *Incarnationem*. Insuper nullum excogitari potest meritum absque fide, quam nonnisi per Christum donari tradit Paulus ad Philipp. 1. 29. affirmatque Augustinus de Grat. Christi cap. XXXII. num. 34. aliisque in locis sexcentis. Jure itaque, meritoque cum eodem Augustino concludimus: *Neque enim merita nostra præcesserunt pro quibus Filius Dei moveretur: sed magis quia nulla erant merita, magna erat misericordia.* Videsis in Psalmum LXXXV. num. 2.

tribus, & ratione.

9. Patres antiqui potuerunt promereri hanc unionem quoad circumstantias.

Supposita autem gratia ex prævisis Christi meritis collata, potuisse promereri antiqui fœderis Patres *circumstantias* Incarnationis, verissimum est, quoniam gratia ac libertate præmissa habetur quidquid requiritur ad merendum. Atque hinc legimus de Abrahamo Genes. XXII. 16. benedicendas in semine ejus omnes gentes, quia unigenito suo non pepercit. Similia habentur Ps. CIV. 9. & CXXX. 11. Lucæ 1. 55. Act. 11. 30. Gemitus quoque, & vota Patrum promeruisse *Incarnationis* accelerationem colligi potest ex Psalm. XI. 6. & ex Daniele cap. IX. 24. Adstipulatur & ratio, quam indigitat D. Thomas 3. p. q. 2. art. 11. quia scilicet *congruum erat, ut Deus exaudi-*

exaudiret eos, qui ei obediebant. Hac ratione beata Virgo suffulta supernæ gratiæ auxiliis potuit, ut ibidem ad 3. ait S. Thomas, ad illam sanctitatis excellentiam pertingere, per quam congrue fieret Dei genitrix: quo sensu inquit Ecclesia, Beata viscera Mariæ Virginis, *quæ meruerunt portare Dominum Christum*, & Venantius Fortunatus:

Virginitas felix, quæ partu est digna Tonantis.
Quæ meruit Dominum progenerare suum.

10. Roboratur præsertim de B. Virgine.

Atque, ut liquet ex dictis libro XIX. cap. 8. gratia *habituali* supposita, non solum *de congruo*, verum etiam *de condigno* potuit beatissima Virgo augmentum illud sanctitatis promereri. Quamquam hæc gratia ipsi ad promerendum collata supponit prædefinitionem Dominicæ *Incarnationis*, ejusque Virginis prædestinationem in Dei Matrem, quia Deus ex intentione finis media impertitur; ideoque gratiæ quidem incrementum promeruit, at non ut Verbum fieret homo, & seipsam in matrem præeligeret. At inquiunt sententiæ oppositæ assertores: Cum omnes prædestinati mereantur gloriæ consecutionem, quamvis ipsa prædestinatio omne antecedat meritum; quare mereri non potuerunt veteres Justi incarnationem *in executione*, tametsi hujus prædefinitio sit munificentissimæ charitatis Dei beneficium? Huic argumentationi, quam Scholastici recensiti priori loco verbis collocupletant, respondemus Christum nobis gratiam promeruisse, non quatenus prædefinitus à Patre, quia in hac prædefinitione nullum habent locum ipsius merita, ut Augustinus docet de Præd. SS. cap. XV. n. 31. sed quatenus Patri obediens subeundo crucem mundum redemit, in quo ejus obedientia meritumque deprehenditur, ut Apostolus ait ad Philipp. II. 8. & ad Hebræos II. 9. & consequenter quodlibet meritum præsupponere non solum Christi prædestinationem, verum etiam præscientiam peractæ *Incarnationis*: unde sicut mortalium nemo potuit mereri prædestinationem Christi, ita nemo mereri potuit ejus *Incarnationem* quoad *substantiam*, cum utraque omne meritum in Dei præscientia antecedat. Aut respondemus *gloriam* esse causam finalem, quæ non præexistit effectui suo, & unionem *hypostaticam* esse meritorum omnium causam effectricem ac meritoriam, quæ non operatur nisi præsupponatur ipsius existentia, ut disput. VII. dub. 2. demonstrant ipsi Salmanticenses.

11. Non promeruit Christi humanitas sui cum D. Verbo unionem.

Ex his infertur, neque Christi humanitatem sui cum divino Verbo unionem promeruisse: quod sequenti argumentatione confirmatur. Vel enim humana natura hanc unitionem promeruit per opera præcedentia, priusquam Christus conciperetur, vel in illo *priori naturæ*, in quo percipitur producta, antequam assumeretur à Deo, vel per opera *hypostaticam* unionem consequentia. Nequit primum affirmari, cum animæ Christi ante *Incarnationem* præexistentia sit Origenianum figmentum refutatum lib. XII. cap. 4. unde recte Augustinus citat. cap. XV. de Præd. SS. num 30. ait: *Respondeatur quæso: ille homo, ut à Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? Quod ejus bonum qualecunque præcesserit. Quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret?* Nec affirmare possumus humanitatem Christi promeruisse in illo *priori naturæ*, quo percipitur producta priusquam assumeretur à Verbo Deo, quoniam in illo à nobis excogitato momento, nondum natura humana subsistebat, & incapax erat operandi, alioqui si subsistentiâ prædita esset, Verbum Deus assumpsisset etiam personam hominis, ut opinabatur Nestorius: ideoque Augustinus cap. XXXVI. Ench. num. 11. *Nunquid antea*, inquit, *fuit homo, & hoc ei singulare beneficium præstitum est, cum singulariter promereretur Deum? Nempe ex quo esse homo cæpit, non aliud cæpit esse homo, quam Dei filius.* Denique mereri Christus non potuit per opera subsequentia, tum quia nemo aliquid meretur, nisi supponatur existens, ut dictum est nuper, ideoque omnia merita Christi supponunt peractam *Incarnationem*: tum quia ait S. Thomas citato art. 11. *Gratia non potest cadere sub meritum, quia est merendi principium: unde multo minus Incarnatio cadit sub merito, quæ est principium gratiæ.* Quod & rationi consentaneum est, quoniam omnis causa præcedit effectum; & gratia, quæ est principium meriti, nequit esse prævisi operis merces ac præmium, ut autumabant hæretici Pelagiani.

12. Objicitur.

Solent opponi verba Psal. XLIV. 8. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis;* & Apoc. V. 12. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem*: quæ videntur Origenis confirmare sententiam. Sunt & quidam, ut Suarez disp. X. sect. 4. Coninck de Actib.

supern. disput VIII. art. 7. & Ripalda disp. 86. qui contendunt non repugnare, quin Christus unionem *hypostaticam* potuerit promereri: & quorum præcipuum argumentum paulo supra productum est, videlicet, potuisse Deum decernere *Incarnationem* executioni mandandam dependenter à meritis Christi, licet gratis prædefinitam; quemadmodum per merita prædestinati consequuntur gloriam, ad quam electi sunt sine meritorum præscientia. Addunt etiam actus charitatis disponere ad gratiam *habitualem*, & nihilominus ab ipsa gratia produci: atque ratione consimili posse unionem *hypostaticam*, quamvis sit principium meriti, merito tamen rependi. Quidam denique illud afferunt, si principium intellectionis, id est, mens rationalis cadit sub intellectione: quare principium meriti, hoc est, *unio hypostatica* non potest cadere sub merito?

13. Respondetur. His brevi occurrentes respondemus ad primum, in Psal. XIV. *oleum lætitiæ* significare Christi exaltationem, hoc est, gloriam resurrectionis, ascensionis, dominationisque, ut Breviario in Psalm. inquit Hieronymus: aut si *unctionis* nomine intelligamus unionem hypostaticam; *propterea*, idem esse, atque, *in hunc finem*, & sensum reddere, unctum Christum *oleo exultationis*, & naturam humanam assumptam à Verbo, ut Redemptor noster *condigne* fungeretur Mediatoris officio, & excellentissime diligeret & exequeretur justitiam. In quinto pariter Apocalypseos *divinitas* idem est, ac divinus honor, & nominis Christi exaltatio, quam idem Christus sua morte promeruit, ut ad Philipp. II. 9. scribit Doctor gentium, sive divinæ gratiæ profusio, ad quam significandam habent Græci Codices, non *divinitatem*, sed πλεῖτον, *divitias*. Quod sequitur, facillime expeditur: commentitium est enim decretum, quo prædefiniatur *Incarnatio* per merita subsequentia, quia non potest prægnosci meritum ante existentiam personæ merentis: potest autem decerni gloria independenter à meritis, quibus comparatur, quia finis præeligitur ante prædefinitionem mediorum. Adde quod in prædestinatione ad gloriam per merita comparandam, ipsa merita non præcedunt, sed subsequuntur gratiam, propriamque causam effectricem: at si Christus prædestinatus esset ad unionem *hypostaticam* per propria merita, hæc prænoscerentur ante suum principium efficiens, & effectus præcederet causam, atque prima meritorum origo esset merces. Posset argumentatio proxima eludi reponendo dispositiones pendere à *forma*, tanquam proprietates causæ *formalis*, & ad ipsam *formam* disponere tanquam adminicula causæ efficientis, nec repugnare mutuam causalitatem in diverso causarum genere; repugnare autem in genere eodem, quale profecto esset, si merita præcederent ut causa moralis efficiens unionem *hypostaticam*, quæ est causa moralis efficiens meritorum: sed his omissis, dico contritionem quæ præcedit gratiam *habitualem* esse effectum gratiæ actualis: & si supponat gratiam *habitualem*, non ad ipsam disponere sed ad ejus augmentum. At in solutione postremi argumenti non immorabor; etenim mens, sive principium intelligendi cadit sub intellectionem *tanquam objectum*, quod præsupponitur ante ipsam intellectionem; *hypostatica* autem unio caderet sub meritum, *tanquam effectus*, qui nequit præsupponi ante causam; ne reperam præmissam contradictionem, quod si gratia principium meriti caderet sub meritum, merces ac præmium esset, non gratia. Hactenus de causa unionis hypostaticæ meritoria.

14. An potuerint omnes SS. Trinitatis Personæ assumere naturam unam. Circa assumptam à Deo Verbo naturam plures in scholis instituuntur quæstiones, ac præsertim, num eandem carnem quam Filius assumpsit, potuissent etiam assumere Spiritus sanctus ac Pater, num una duntaxat persona assumere potuisset naturas duas, num potuisset Deus terminare naturam aliam destitutam ratione, cur Filius, non persona alia, nostram induerit *formam*, cur non Angelicam substantiam; & quæstiones alias ejusmodi, in quibus terere nos tempus, ingeniumque torquere dictitant Insectatores Scholasticæ, ut vidimus in Prolegomenis. Brevi nos, non pertimescentes linguarum flabella, sed aliarum rerum inquisitioni multivolum animum addicentes asserimus potuisse omnes sacrosanctæ Trinitatis personas assumere naturam unam, cum singulæ eandem potentiam, virtutemque divinam habeant, necnon propriam hypostasim ac substantiam. Nec inde sequeretur, assumptum hominem esse unum, & non unum; quoniam τὸ *unum* significat unitatem duntaxat naturæ, quæ triplici terminata esset hypostasi; quemadmodum *unus Deus* commonstrat unam divinam naturam in tribus personis subsistentem: & quemadmodum unitas personæ assumentis non infert modò unitatem naturæ assumptæ; ita in hypothesi pluralitas personarum non infer-

infert modò unitatem naturæ assumptæ; ita in hypothesi pluralitas personarum non inferret assumptæ naturæ pluralitatem. Ita S. Thomas 3. p. q. 3. art. 5. Thomas de Argentina in III. dist. 1. q. 2. art. 3. Vasquez disput. XXIX. cap. 2. aliique communiter, excepto tamen Scoto, ejusque assectis: pro quorum sententia legi potest Mastrius disp. 1. q. 8. art. 1. & Frassen disp. 1. art. 2. sect. 2. q. 3.

15. An una Persona plures.

At posse eandem divinam personam assumere naturas duas sanctus Thomas eadem q. art. 7. Scotus in 3. dist. 1. q. 3. & utriusque discipuli, aliique omnes affirmant, eoquod divina persona virtutem infinitam habeat, quæ per *terminationem* unius naturæ finitæ nequit exhauriri. Discrepant tantum Theologi, an duæ illæ naturæ essent unus homo, vel duo: ac futurum unum tenent Thomistæ, quibus accedunt Suarez disp. XIII. sect. 3. aliique permulti; futuros duos homines censet ibidem Scotus, & Frassenius Concl. 2. necnon Vasquez 1. p. disput. CLV. cap. 5. Sed hanc controversiam inniti arbitror sola æquivocatione vocabulorum: enimvero si substantivum nomen *homo* accipiatur pro *forma*, sive natura, haud dubium, quin in hypothesi duo homines forent dicendi: & quoniam revera nomina substantiva primariò *formam* ac naturam significant, hac in parte subscribendum arbitror Scoto, cui etiam ex nostris assentitur laudatus Thomas de Argentina dist. 1. art. 4. At si vocabulum *homo* accipiatur *concrete*, prout connotat *formam* simul ac suppositum, nullum est dubium fore in hypothesi unum hominem, quemadmodum unus dicitur artifex idem homo pollens duabus artibus. Atque hoc exemplo confirmant D. Thomæ sententiam Suarez loco citato, & Gabr. à S. Vincentio disput. III. dub. V. Quamquam nescio, num allatum exemplum sit ad rem, cum *artifex* juxta regulam à nobis traditam lib. IX. cap. ult. nomen sit adjectivum, connotans personam artificium aliquod exercentem. Hinc S. Thomas aliam sententiam sequitur in Summa cit. artic. VII. aliam in III. sent. dist. 1. q. 2. art. 5. non sibi contradicens, ut falsò opinatur Thomas de Argentina, sed varia nominum significatione accurate spectata. Ad omnem ergo amphiboliam evitandam satius est dicere futuram in hypothesi unam personam subsistentem in duplici natura humana; quemadmodum in præsentia dicitur Christus una persona habens naturas duas, humanam, atque divinam.

16. An etiam naturam irrationalem.

De natura irrationali, si veterum perpaucos, Picum Mirandulanum, ac Tournelium excipias, illam potuisse assumi à Verbo, consentiunt Scholastici ea ratione ducti, quoniam quidquid gerere potest vicem personæ, id est, tribuere alienæ naturæ subsistentiam, potest quoque supplere munus *suppositi*, propriamque alteri communicare existentiam. Frassen id confirmat sect. 3. q. 1. concl. 2. testimoniis Patrum, eaque produxerat antea Vasquesius disp. XXX. cap. 2. Addunt alii Christum in triduo mortis tradidisse spiritum, sed non fuisse corpus exanime à divina persona sejunctum: de qua re alibi. Si dicas naturam irrationalem non esse capacem *personalitatis*; optime responsum à Theologis, capacem esse existentiæ, sive terminationis *suppositalis*, non *personalis*. Indulgendum est autem tempori, atque consuetudini, si hæc adhibuerunt vocabula. At indecorum est, inquit Tournely pag. 297. fieri communicationem idiomatum inter Deum, & creaturam ratione destitutam. Huic etiam oppositioni responsum à Vasquesio num. 14. nullam rem quantumvis sordidam posse divinitati vel minimam afferre maculam; quod comprobat verbis Tertulliani de Carne Christi cap. 4. ubi contra Marcionem irridentem tanquam indignam Deo nativitatem in carne, *Si revera*, inquit, *de lupa, aut sue, aut vacca prodire voluisset, & feræ, aut pecoris corpore indutus regnum cælorum prædicaret, tua, opinor, illi censura præscriberet, Turpe hoc Deo, & indignum hoc Dei filio, & stultum propterea qui ita credat. Sit plane stultum: de nostro sensu judicemus Deum. Sed circumspice Marcion, si tamen non delesti: stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientia.*

17. Cur potius filius quam alia Persona fuerit incarnata.

Cur Filius, non alia persona, naturam induerit nostram congruentias istas assignant Theologi, Estius præsertim in III. dist. 1. & Petavius lib. II. cap. 15. Prima est, ne fieret nominum confusio, & filii appellatio transiret ad aliam personam, aut duo essent in Trinitate Filii, scilicet, filius Dei, & filius hominis. Altera, ut per eum, per quem omnia creata sunt, omnia iterum instaurarentur. Tertia, ut per Verbum & Imaginem Patris reficeretur in nobis effigies ipsius Dei per Adæ culpam corrupta. Quarta,

Quarta, ut per Filium naturalem redderemur filii adoptivi, & meritis Primogeniti consequeremur hæreditatem. Postrema ut secunda Trinitatis persona fieret Dei & hominum Mediatrix. Denique cur Christus non redemerit dæmones, hanc rationem reddit Petavius lib. III. cap. 10. n. 6. quia corruit Angelus nihil infirmum ex carne gestans. Non videtur ab hac sententia alienus Augustinus Tract. CX. in Joan. num. 7. Adduntur congruentiæ aliæ, quia non corruerat tota natura Angelica; & quia assumendo hominem præditum anima & corpore, Filius Dei utramque naturam redemit spiritualem atque corpoream. At quoniam indubitatum est propter nimiam Dei charitatem Christum mortem subiisse pro impiis, recte ait ibidem Augustinus: *Hic ergo non meritum nostrum, sed Dei misericordia commendatur.* Atque hæc dicta sint de iis quæstionibus, in quibus discutiendis permulti veterum præcipuam impendunt operam.

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER VICESIMVS SEPTIMVS,

De iis, quæ ob hypoſtaticam utriusque naturæ unitionem vere proprieque de Chriſto Jeſu enuntiantur.

MIRABILIS divinæ, humanæque naturæ in unitatem perſonæ copulatio, quam hactenus explicare, & adverſus nefarias hæreſes defendere, ac propugnare curavimus, absque ulla contradictione illud præſtat, ut unus, idemque Dominus JESUS CHRISTUS ex æquo ſibi vindicet, quæ Dei, & quæ hominis ſunt, attributiones, atque proprietates: in quibus exponendis non ſolum quidam errarunt haud recte diſtinquentes quæ naturis duntaxat conveniunt ab iis, quæ de ſola perſona enuntiantur; verum etiam errores inſtaurarunt damnatorum hæreticorum, diſſidiisque turbarunt Eccleſiæ tranquillitatem. Quidam enim omnipræſentiam, ſive immenſitatem tribuentes humanæ Chriſti naturæ commenti iterum ſunt permixtionem parum diſſimilem Eutychianæ; nonnulli in Chriſto, ut homine, adſtruentes alieni filii adoptionem viſi ſunt inducere alteram cum Neſtorio perſonam; aliqui novas theſes intempeſtive ac temere defenſantes, ac præſertim de Una in Trinitate perſona affixa cruci, fuerunt graviſſimarum diſſenſionum auctores. Hoc itaque libro, ne quis diſputans de magno pietatis Sacramento, quo Deus manifeſtatus eſt in carne, abſurda vocabula, vel impia aſſerta pronuntiet, univerſales primum regulas tradimus ad enuntiationem quamlibet ad Chriſtum ſpectantem ſcite dijudicandam; deinde propoſitiones ipſas, de quibus potiſſimum diſceptatur, ſingillatim exponimus, inſertis hiſtoricis monumentis, atque Theologicis velitationibus.

CAPUT I.

De communicatione idiomatum, regulisque in qualibet de Verbo homine enunciatione ſervandis.

SUMMARIUM.

1. Præliminaria ad propoſitionem.
2. 3. 4. Probatur reſpectu perſonæ admitti debere communicationem idiomatum.
5 & 6. Non tamen datur communicatio idiomatum inter unam, & alteram naturam, ſeu in abſtracto.
7. Regulæ duodecim obſervandæ.
8. Usque ad 12. Probatur naturam humanam Chriſti non eſſe ubique.
12. & ſeqq. Solvuntur objectiones.

I. Status Quæſtionis.

EX unione ſubſtantiali duarum in Chriſto naturarum conſequitur vocabulorum permutatio, quam Græci appellaverunt ἀντίδοσιν, Latini *communicationem idiomatum*. Nequit hæc accuratius deſcribi, quam verbis Nazianzeni ſcribentis ad Theophilum. *Propter exactam unitionem aſſumptæ carnis, & aſ-*

sumentis divinitatis mutuo transferuntur vocabula, ut humanum ex divino, divinum ex humano denominetur. Quare Scholastici recte communicationem idiomatum definiunt, Est loquendi forma, vel modus, quo ea, quæ unius naturæ in Christo propria sunt, eique vere ac realiter competunt, propter personæ, quæ in utraque natura subsistit, unitatem toti concreto attribuuntur. *Concreto* autem dicimus, non *formæ*, aut *naturæ*; nam quemadmodum contra Nestorium unam in Christo profitemur personam, id est, unum Deum hominem, adversus autem Eutychetem naturas duas impermixtas; ita eidem personæ tribuenda sunt quæ utrique naturæ conveniunt, sed unius naturæ attributa non sunt in alteram transferenda. Quare qui denegant communicationem idiomatum, Nestoriani dicendi sunt; & qui illam adstruunt inter utramque naturam, Eutychiani. His accedere *Ubiquitarios*, qui immensitatem ac omnipotentiam in Christi humanitatem transfundunt, affirmant non tantum Scriptores Catholici, verum etiam post Theodorum Bezam, & Hessiandrum hæretici posteriores. Nefarii hujus erroris occurrunt vestigia aliqua in Lutherana Confessione de Cœna Domini; at illum, ut scribit Beza in Præfat. ad Christianum Hessiandrum, post obitum Melanchthonis Brentius invexit, ac pertinacissime propugnavit in Apologia ad Ingolstadianos Jacobus Andreas. Primum itaque contra Nestorii blasphemias, deinde contra Eutychianam, recoctamque perfidiam scita Theologorum explanabuntur.

2. Propositio 1ma. demonstratur.

Propositio I. In Christo admitti debet respectu Personæ communicatio idiomatum.

Demonstratur ratione simul, Scripturis, & Patrum auctoritate. Quemadmodum de una persona hominis, in qua simul corporea ac spiritualis substantia conglutinantur, affirmari potest quod sit ratione prædita, & morti obnoxia; quorum unum animi proprium est, alterum corporis: ita de Christo, in quo eâdem hypostasi divina, humanaque natura subsistunt, potest enuntiari quod sit Deus, mundi Conditor, sempiternus, immensus, omnipotens, sitque homo factus ex semine David, affixus cruci, mortuus, sepulchro conditus, in cælum assumptus, loco circumscriptus: quorum attributorum priora competunt divinitati, alia humanitati conveniunt. At hæc est vocabulorum permutatio, quam denegantes repugnant rationi, quoniam si fatentur duarum naturarum hypostaticam unionem, ut probant prædictas de homine enunciationes, ita de Christo allatas, & consimiles probare debent, cum utrarumque fundamentum sit unitas individua Personæ: adversantur Scripturis, quæ Christo homini tribuunt quæ sunt propria divinitatis, & Christo Deo quæ humanitati conveniunt: opponuntur denique Patribus asserentibus Deum Verbum per unionem dispensativam propria sibi fecisse quæ carnis erant, non alterius cujusdam, sed ejus, quæ inenarrabiliter ei erat unita. Ratione itaque, Scripturis ac Patribus communicatio idiomatum stabilitur.

1. Ex ratione.

Rationem ex unitione petitam suppeditat Cyrillus de Incarnat. Unigeniti cap. 26. scribens: *Cum enim idem sit homo simul, & Deus, propter unitatem propria sua ducit humana.* Ibique demonstrat, quomodo ob eandem unitatem dicitur de Christo quod proficiebat ætate & sapientia, & de plenitudine ipsius omnes accipiamus: quod baptizatus sit secundum carnem, & ipse baptizaverit Spiritu sancto: quod sanctificatus fuerit spiritu, & ipse omnes ad eum accedentes sanctificet; quæ, aliaque plura ita intelligenda sunt, *ut nec quæ Deitati conveniunt, humanitati ipsius attribuantur, nec quæ humanitatis propria sunt, ad Deitatem detorqueantur.* Tradit consimilia Augustinus libro 11. contra Max. cap. 20. *Si ergo attendas distinctionem substantiarum, Filius Dei de cælo descendit, filius hominis crucifixus est: si unitatem personæ, & filius hominis descendit de cælo, & filius Dei est crucifixus.* Et in Epist. ad Dardanum 187. num. 8. *Cum enim sit Christus Deus & homo, Deus utique unde dicit, Ego & Pater unum sumus, homo autem unde dicit, Pater major me est, idemque filius Dei unigenitus à Patre, & Filius hominis ex semine David secundum carnem; utrumque in illo observandum est cum loquitur, vel cum de illo Scriptura loquitur, & quid secundum quid dicatur intuendum. Nam sicut unus homo est anima rationalis & caro, sic & unus Christus est Verbum & homo. Proinde quod ad Verbum attinet, Creator est Christus, omnia enim per ipsum facta sunt. Quod vero ad hominem, creatus est Christus, Factus est enim ex semine David secundum carnem.* Proximo num. 9. demonstrat ex verbis Joannis III. 13. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis, qui est in cælo,* nec non ex Apostolo in 1. ad Corinth. II. 8. *Si enim cognovissent, nunquam*

nunquam Dominum gloriæ crucifixissent; demonstrat, inquam, quomodo Filius hominis secundum divinitatem erat in cælo, & Dominus gloriæ secundum humanitatem crucifigebatur in terra: atque ait hæc recte de Christo enuntiari, quia licet esset in cælo secundum id, quod filius Dei erat, secundum id vero quod filius hominis erat, adhuc esset in terra, & nondum ascendisset in cælum: ac similiter secundum id, quod filius Dei est, sit Dominus gloriæ, & crucifixus sit secundum id, quod est filius hominis; nihilominus dicitur Dominus gloriæ crucifixus, dicitur Filius hominis est in cælo; quoniam Filius hominis, & Dominus gloriæ una persona est: *nec cum filium Dei Christum dicimus, hominem separamus, nec cum eundem Christum filium hominis dicimus, separamus Deum.*

3. Ex Scripturis. Producta ex Augustino & Cyrillo ratio unitionis habet, ut constat, sanctarum literarum fulcimentum. Si enim de Filio hominis dicitur quod erat in cælo priusquam illuc ascenderet, & de gloriæ Domino quod sit crucifixus: profecto enuntiantur de Deo Verbo quæ conveniunt humanitati, & de Filio hominis, quæ divinitatis propria sunt. Neque hæc tantum in Scripturis occurrunt, sed alia complura: Nam Christus appellatur Unigenitus consistens in sinu Patris, Joan. I. 18. Genitus ante Luciferum, Ps. CIX. 3. Deus super omnia benedictus, ad Rom. IX. 5. Antiquior Abrahamo, ac sempiternus, Joan. VIII. 56. & ad Hebr. XIII. 8. Ac pariter Deus Verbum dicitur acquisisse Ecclesiam sanguine suo, Act. XX. 28. animam suam pro nobis posuisse, I. Joan. III. 16. appellatur Salvator, ad Titum II. 6. Agnus occisus, Apocalyp. V. 12. Quæ omnia satis commonstrant dari expositam permutationem vocabulorum.

4. Ex Patribus. Hanc agnovisse ac propugnasse Nazianzenum, Cyrillum, & Augustinum liquet ex dictis. Nec dissentiunt alii Patres. Hilarius enim IV. de Trinit. inquit: *Qui erat, nascitur: qui indemutabilis est, crescit ætate: qui impassibilis, patitur.* Vigilius Martyr adversus Eutychetem lib. IV. *Consonat & divinitatem humanitatis, & humanitatem divinitatis habere vocabulum, id est, Verbum dici carnem, & carnem dici Verbum; non quia in se utrumque mutatum sit, sed quia utrumque una persona, id est, unus Christus sit. Et ideo recte credimus, & prædicamus cum Apostolo Deum crucifixum, & mortuum in humana natura, quæ ex uniti Verbi consortio deitatis possidet nomen.* His cæteri omnes assentiuntur. Atque hinc apparet communicationem idiomatum esse rationi consonam, Scripturis innixam, Patribus consentaneam.

Propositio II. Non est admittenda in Christo permutatio vocabulorum inter unam, & alteram naturam, sive, ne abjiciamus Scholasticam orationem, *communicatio idiomatum in abstracto.* 5. Propositio 2.

Explicatur, ac simul demonstratur. Quemadmodum in hypostatica unione non moraliter, sed substantialiter utraque natura divina & humana spectant ad eandem personam, ut tenet Catholica fides contra Nestorium: ita eædem naturæ sunt in una eademque persona cum suis attributis ac proprietatibus impermixtæ & distinctæ, ut adversus Eutychen firmissime profitemur. Sicut ergo admittitur communicatio idiomatum respectu personæ, scilicet enuntiantur de Christo vocabula utriusque naturæ, propter indivisibilem unitatem: ita nequit una natura impertiri alteri quæ sui propria sunt, ob impermixtarum naturarum differentiam & distinctionem. Quamobrem & contra Nestorium pronuntiandum est, *Verbum est filius hominis, Dominus gloriæ crucifixus est, Filium Dei peperit Maria Virgo, Deus suffixus est cruci, Filius Virginis est conditor universorum,* & his consimilia, quoniam Deus Verbum, ac Filius hominis est unus Christus: & adversus Eutychen, *Natura humana quam Verbum assumpsit in tempore non est divinitas quam habet sempiternam à Patre, Christus carne, non divinitate passus est, Una Christi natura est æterna, infinita, passionum expers, altera autem creata, finita, ac morti olim subjecta:* quoniam in unitate Personæ utraque natura suam retinet proprietatem. Atque ita in vocabulorum permutatione tenemus Theologicum æquamentum ac trutinam, si quæ Nestorii, vel Eutychetis redolent impurum, nefariumque dogma, castigata locutione vitemus. Explicatur & demonstratur.

Accurate id commonent Patres: nam Cyrillus in X. Thesaur. *Duarum,* inquit, *naturarum discretio ex dictis & factis necessario facienda est. Quare debemus quæ vero Deo conveniunt divinitati ejus, quæ homini verò humanitati nostræ, quam propter nos assumpsit, accomodare.* S. P. Augustinus lib. II. contra Max. cap. 20. n. 2. demonstrat ex verba, *Tristis est anima mea usque ad mortem,* Matt. XXVI. 38. *nonnisi ex natura hominis intelligenda,* cum percipi non possit, *naturam Verbi Dei unigeniti tristem esse potuisse* atque hoc pacto excipit quod legitur eodem 6. Confirmatur ex Patribus.

eodem cap. XXVI. 39. *Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu vis*, & quod extat Joan. VI. 38. *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Similiter Vigilius in V. contra Eutychen: *Impium, & sacrilegum est ea, quæ sunt propria carnis Christi, ad naturæ Verbi proprietatem referre: & quæ sunt propria Verbi, carni adscribere.* Item Damascenus lib. III. cap. 4. *Divinitatem porro cum dicimus, de ea quæ sunt humanitatis propria neutiquam affirmamus. Non enim dicimus divinitatem patibilem, aut creatam. Sed nec de carne, hoc est humanitate, prædicamus divinitatis proprietates: non enim dicimus carnem, seu humanitatem increatam.* Ad hunc modum Fulgentius de Incarnat. & Grat. cap. 11. *In Christo unigenito Dei filio personam non dividunt propria naturarum: neque unitas personæ potest utriusque naturæ propria confundere vel auferre.* Habent similia alii Patres.

7. Duodecim Regulæ communicationis Idiomatum, positæ ab Auctore.

Duabus his propositionibus innituntur Regulæ communicationis idiomatum apud Scholasticos pervulgatæ: in quibus tamen connumerandis nequaquam consentiunt auctores; nam septem recenset Sylvius III. p. q. 16. art. 4. quinque Turnelius q. 9. art. 2. duodecim Petavius lib. IV. cap. 16. Harum prima est, quod proprietates duarum naturarum uni personæ tribuendæ sunt. Sit in exemplo, dum Christus ait, *Ego & Pater unum sumus*, &, *Pater major me est*, de eadem Christi persona enuntiatur quod sit Patri consubstantialis, & quod sit inferior Patre: quorum unum ex proprietate divinæ naturæ proficiscitur, alterum ex conditione naturæ humanæ.

II. Regula est, quod interdum tota persona ab una tantum natura, vel proprietatibus ejus denominatur: ut dum Christus appellatur *Filius hominis*, *Verbum homo*, *Deo crucifixus*, *Filius Dei passus ac mortuus*: quarum enunciationum manifesta ratio est, quoniam per hypostaticam unionem ejusdem personæ, non alterius, est utraque natura cum proprietatibus suis; ideoque potest persona vel ab una, vel ab altera denominari.

III. Tertia est, quod ob eandem rationem aliquando de eadem persona enuntiantur contraria, quæ tamen cum diversam spectent naturam, nullam repugnantiam involvunt. Sit in exemplo, *Christus in cruce patiebatur & gloria fruebatur: vivens mortuus est: regnabat in cælo, & conditus erat sepulchro.*

IV. Quarta præcedentis expositiva, quod de una quidem persona enuntiantur opposita, sed ratione diversæ naturæ, ut si dicamus, *Expers patiendi quatenus Deus, passus est carne: Ut Deus corruscabat miraculis, dum ut homo afficiebatur injuriis.*

V. Regula Abstracta, quæ naturis conveniunt, non communicantur promiscue, neque in abstracto, neque in concreto: non enim recte dicitur, *Divinitas est humanitas*, aut, *Homo est æternitas*, vel, *Deus est mortalitas*: idque propter utriusque naturæ impermixtam, & inconfusam persistentiam.

VI. Communicatio proprietatum non secundum *formam*, sed secundum *subjectum* est semper accipienda: nam si dixeris V. G. *Verbum caro factum est*, non sic intelligitur, quasi natura divina humanam assumserit, sed hoc de persona duntaxat affirmatur: ac similiter dum ais, *Filius hominis descendit de cælo*, sensus non est quod descenderit de cælo natura humana, sed persona, quæ naturam humanam assumpsit. Enimvero, ut singula ad idem principium reducantur, sive dicatur *Deus*, sive *homo*, significatur, una eadem, atque individua persona.

VII. Dum enuntiantur de Christo utriusque naturæ proprietates, affirmativæ propositiones absolute proferri possunt, non autem negativæ. Sit in exemplo, vera est hæc propositio, *Filius Dei passus est*, quoniam id Christo convenit ratione naturæ humanæ; at non est vera propositio negans, *Filius Dei passus non est*, etiamsi id Christo conveniat ratione naturæ divinæ. Ratio est, quia particula *non* removet attributum à subjecto: & à Christo removenda non est passio, quam subiit ratione humanæ naturæ. Quare in enuntiationibus negativis apponenda est expositio ad hunc modum, *Filius Dei non est passus secundum divinitatem.*

VIII. Eandem expositionem congruum est apponere in iis enuntiationibus, quæ licet alioqui veræ sint, in pravum sensum ab hæreticis detorquentur. Atque ita consultius est dicere, *Christus est creatura, quatenus homo*, ne videamur sentire cum Arianis asserentibus personam Verbi creatam esse; aut, *Unus de Trinitate passus est carne* ut vitetur error Eutychianorum, autumantium divinitatem, & humanitatem, qua Christus passus est, unam esse naturam.

IX. Pro-

IX. Propositiones, quæ unionem hypostaticam non supponunt sed exprimunt, excipiuntur à lege communionis idiomatum. Ita vera est hæc enunciatio, *Verbum caro factum est*, sive, *Deus factus est homo*, at non contra, *Homo factus est Deus*: quoniam hæc, *Deus factus est homo*, exprimit unionem, non supponit; & quæ unionem non supponunt, non inferunt communicationem idiomatum. Hanc regulam desumptam à Scoto in III. dist. VII. q. 2. plurimum commendat Petavius, utpote expeditam, & perspicue demonstrantem, cur falsa sit hæc propositio, *Homo factus est Deus*. At nobis videtur magis obvia hæc ratio, quod in hac propositione, *Deus factus est homo*, subjectum, *Deus*, est persona: non est autem persona subjectum alterius propositionis, *homo*; nec quemadmodum *Deus* habuit subsistentiam ante assumptionem naturæ humanæ, ita præexistebat humanitas. Quapropter nos causam, cur sit falsa hæc propositio, *Homo factus est Deus*, repetimus ex præcedenti regula sexta, quia nempe communicatio idiomatum non est accipienda secundum naturam, sed secundum personam.

X. Nequeunt de Christo enuntiari concreta adjectiva, quæ designare possunt diversam personam, & recte enuntiantur ea, quæ inferunt solummodo diversam naturam. Ita in sensu Nestorii blasphema est hæc propositio, *Christus est homo dominicus*, de qua infra.

XI. Si de Christo enuntientur quæ naturaliter & substantialiter ipsi insunt, appellatur communicatio idiomatum *naturalis*, ut *Christus est homo*: si vero enuntientur quæ suscepit misericordia ductus, dicitur communicatio idiomatum *secundum habitudinem*, ut, *Factus est pro nobis maledictum*, *Peccata nostra ipse tulit*: ubi *maledictum*, *& peccatum* significant pœnam, quam pro peccatis nostris misericorditer subiit.

XII. Idiomatum communicatio in Christo intelligenda est *substantialiter* & secundum hypostasim, non *moraliter* & secundum attributionem, ita ut dum dicimus, *Deus est homo*, significetur Deum, & hominem individuo nexu unam constituere personam, non unum in altero inhabitare, tanquam in templo: quod ex refutata hæresi Nestoriana satis est manifestum.

8. Propositio 3. PROPOSITIO III. In humanam naturam transfusa nequaquam est omnipræsentia; ideoque supinus est error, & hæresis execranda asserentium assumptam à Verbo humanitatem esse ubique.

Explicatur. Tametsi hæc propositio est consectarium præcedentis, confirmanda est ob impia dogmata *Ubiquistarum*, qui autumant vi unionis hypostaticæ convenire humanæ naturæ omnipotentiam, atque immensitatem: quod diximus totis lacertis primum propugnasse Joannem Brentium, & Jacobum Andream Schmidelinum. Lutherani enim in partes discissi sunt, nec usque ad obitum Melanchthonis, qui valide *Ubiquitatem* oppugnavit, fuit fictitia hæc omnipræsentia communi plausu recepta. At postquam fatis cessit Melanchthon, navante operam Illyrico communem fere nacta est Lutheranorum approbationem, ut refert illustris Bossuetius in H. Variat. lib. VIII. num. 42. Merito omnes Theologi errorem istum insectantur: Estius in III. dist. 22. §. 5. L'Herminier Tom. III. pag. 205. Juenin P. IV. dissert. V. Tournely quæst. IX. art. 2. sed omnium luculentissime viri tres Societatis Jesu doctissimi, Bellarminus lib. III. de Christo cap. 9. & seqq. Petavius lib. X. de Incarnat. cap. 7. & Gregorius de Valentia Tom. IV. disp. 1. q. 2. Ampliori etiam stylo, omnique argumentorum genere Ubiquistas profligavit in Refutatione dogmatis *de fictitia carnis Christi omnipræsentia* Christianus Hessiander. Hanc nos Scripturarum auctoritate, Patrum traditione, & ratione Theologica breviter refellemus.

9. Probatur ex Scripturis. Ex Scripturis enim liquet Filium hominis nostram assumendo naturam descendisse de cœlis, id est, cum antea cœlum terramque contineret, fuisse terreno, finitoque corpusculo circumscriptum, atque adveniente hora virginei partus in lucem editum, reclinatum in præsepio, postea vero sublatum fuga in Ægyptum, ac subinde in patriam rediisse, & nunc in Jerusalem, nunc in Templi ambitu, nunc deserto in loco, & in prælto monte, aut secus marinum litus, aut in campestribus commoratum: quid plura? suffixum cruci, sepultum marmoreo tumulo, atque in cælum denique assumptum, & ad patris dexteram collocatum. Ne autem quis credat hæc ita gesta circumscriptis in locis, ut simul Christi humanitas esset ubique diffusa, quomodo legimus aliquando Deum ad hortum Eden, ad turrim Babel, ad Sinai verticem, & ad vallem Mambre, aliaque loca plurima descendisse; testatur sacra Evangeliorum historia eo sensu

Christum hominem constitisse uno in loco, ut inspecta humanitate alibi non existeret. Enimvero Christum non fuisse in Bethania cum Lazarus obiit, non solum asseruit pia demortui soror, dum ait, Joannis XI. 21. *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*, verum & Salvator ipse ita discipulos alloquens, *Lazarus mortuus est & gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi.* Ita & Angelus quærentibus Christum ad monumentum, Matth. XXVIII. & Marc. XVI. 6. ait: *Surrexit, non est hic.* Et quid significant illa Christi verba Joan. XVI. 28. *Relinquo mundum, & vado ad Patrem?* quid ea Lucæ XXIV. 51. *Recessit ab eis, & ferebatur in cœlum?* quid Pauli ad Hebræos scribentis ratiocinatio, VIII. 4. *Si ergo esset super terram, nec esset Sacerdos: cum essent qui offerrent secundum legem munera?* Christus itaque ita corpore circumscriptus est, ut corporea præsentia locum aliquem sibi vindicet, & dum in uno commoratur, sit disjunctus ab altero.

10. Probatur Patrum Traditione.

Validiora sunt ista, cum accedat fida sacrarum Scripturarum, & Ecclesiasticorum dogmatum exploratrix, Fideique norma Traditio. Pervetustus enim Scriptor Hippolytus Portuensis docet Fragm. 3. in Christo *Divinitatis operationem mansisse extra naturæ circumscriptionem omnem, tametsi per carnem natura terminatam peracta fuerit.* Athanasius Orat. de Fide demonstrat ea verba, *Sede à dextris meis*, Christo convenire non secundum divinitatem, quæ cælum terramque implet, sed ratione corporis assumpti, propterea quod, inquit, *Sedere idem est, ac esse circumscriptum in loco:* quæ & repetit in libro de Communi Essent. Gregorius Nazinazenus in Epistola ad Cledonium appellat Redemptorem nostrum *corpore circumscriptum.* Chrysostomus hom. in quatriduanum Lazarum, *Corpore minime præsentem.* Cyrillus lib. 2. in Joan. *Ab Apostolorum consuetudine carne*, per ascensum in cælos, *disjunctum.* Damescenus lib. III. de Fide Orthodoxa cap. 3. *creatum & increatum, mortalem & immortalem, circumscriptum & incircumscriptum*, exponens quomodo id accipiendum est de duplici ac distincta natura. Tradunt vero consimilia Latini. Ambrosius in 2. de Fide cap. 4. *Neque enim* (ait) *Deus de loco ad locum transit, quia ubique est: ut homo est qui vadit, ipse qui venit. In eo ergo vadit, & venit, quod est commune nobiscum.* Augustinus in Epist. ad Dardanum num. 10. *Secundum hanc formam non est putandus ubique diffusus. Cavendum enim est, ne ita divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non est enim consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus.* Plura ibidem S. Pater, ubi quæstionem hanc dirimit data opera. Magnus Leo Serm. 3. de Ascensione, *ineffabili modo*, inquit, *per ascensionem cæpit esse divinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior.* Petrus Chrysologus. serm. 63. verba faciens de Lazaro, *Et erat*, inquit, *locus ubi non erat Christus? Fratres, erat ibi Christus Deus, sed ibi non erat homo Christus.* Fulgentius denique lib. II. ad Trasimundum cap. 17. *Unus, idemque homo localis ex homine, qui est Deus immensus ex Patre: unus idemque secundum humanam substantiam absens cœlo cum esset in terra, & derelinquens terram cum ascendisset in cœlum: secundum divinam vero, immensamque substantiam nec cœlum dimittens cum de cœlo descendit, nec terram deserens cum ascendit ad cœlum.* Abunde hæc sufficiunt ad comprobandam perpetuam atque universalem Græcorum, Latinorumque Patrum traditionem.

11. Probatur ratione.

Habent saltem Ubiquistæ aliquod humanæ rationis vel tenuissimum fulcimentum: at nulla his affulget libratæ perceptionis scintillula. Principio cum mysterium Incarnationis importet in hypostasis unitate naturas duas impermixtas, nullamque singularum naturarum proprietatem sublatam esse testetur in Confess. fidei sacrosancta Synodus Chalcedonensis, affirmet citata Epistola ad Dardanum Augustinus, ac profiteantur adversus Eutychen Catholici universi: qui autumant Christi humanitatem ubique diffusam, omnipræsentiam quæ divinitatis propria est, transfundunt in humanitatis circumscriptam naturam, & consequenter magnum Incarnationis sacramentum pervertunt. Quo argumento non soli catholici pugnarunt, verum etiam Theodorus Beza, Hessiander, aliique Calviniani, nec non alter Lutheranorum prodromus Melanchthon, ut refert lib. VIII. n. 32. Bossuetius. Imo Eutyches nulla ratione assecutus, quomodo humana natura absorpta à divina retineret carnis nostræ proprietatem, asserebat in Christo post naturarum adunationem corpus umbratile: dum Ubiquistæ pugnantia comminiscentes putant Christi corpus immensitate simul, & communi cum nostra natura præditum, ipsis Eutychianis, ut etiam hæretici observarunt apud Bossuet lib. XIV. n. 106. deteriores pervicacia, ingenioque obtusiores. His acce-

accedit, quod si Christi humanitati conveniat omnipotentia & immensitas, ob divinorum attributorum simul & cum natura *identitatem*, conveniat illi necessum est æternitas, independentia, eademque divinitas; quam consecutionem denegant Lutherani: sed hoc ab iis jure petimus, cur in humanitatem summa potestas, & omnipræsentia transfusæ sint, & non item attributa reliqua, si unum ab altero nequit dispesci? Etenim cum Deus solus sit æternus, immensus, omnipotens, independens; si humanitas immensa est, omnipotens quoque est, æterna est, independens est, divinitas est. Atque ratione consimili divina natura erit nata in tempore, affixa cruci, sepulchro recondita, quoniam hæc evenerunt naturæ omnipotenti atque immensæ, ideoque divinæ. Ita *Ubiquistæ* Incarnationis fidem subvertunt, & rem creatam & circumscriptam in divinam commutantes negant Christum hominem, quia ipsi auferunt naturam circumscriptione finitam: negant Christum Deum, quia ipsi tribuunt passionem ac mortem ratione naturæ omnipotentis & immensæ: negant Deum immortalem, quia morti subjiciunt naturam præditam omnipræsentia: me latet, num Arianos dicam, num Phantasiastas, num Eutychianos, num Atheos, num omnia ista. Tandem excogitarunt Lutherani corporis Christi omnipræsentiam, ut adversus Calvinistas facilius illud in Eucharistia realiter adesse propugnarent: qua commentatione nihil potuit excogitari futilius, non enim Christi corpus est in Eucharistia, quemadmodum in cælis, modo visibili ac sensibili, sed modo alio sublimiori, ac mirabili, quo in Sacramento duntaxat, non alibi existit. Si etenim degat sub speciebus panis, & vini ratione ubique diffusæ immensitatis, non alia ratione ibidem erit, quàm in elementis singulis, & ubique locorum, à quibus sejungi non potest immensitas. Atque ita Calvinistæ jure optimo contendunt, Lutheranos ad fictitiam carnis Christi omnipræsentiam confugientes denegare ejusdem carnis in Eucharistia peculiarem præsentiam, atque id aperte oppugnare, quod figmentis suis defendere moliuntur. Atque ex his constat undique in absurda Ubiquitarios impingere, eorumque assertа omni genere argumentorum, quod erat demonstrandum, everti.

12. Objiciunt Lutherani. At opponunt Lutherani: Christo omnipotentiam fuisse collatam testatur idem Salvator Mat. ult. 18. ubi ait: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Eundem sedere ad dextram Patris legitur Ps. CIX. 1. Matt. XXII. 44. Marc. XVI. 19. In ipso inhabitare divinitatis plenitudinem *corporaliter*, testatur Apostolus ad Colos. II. 9. ascendisse super omnes cælos, *ut impleret omnia*, affirmat idem Apostolus ad Ephes. IV. 10. Permansurum denique in terris *usque ad consummationem sæculi*, idem Christus pollicitus est Apostolis Mat. XXVIII. 20. At si omnem obtinuit potestatem, cur non omnem præsentiam? Si dextera Patris nullis locorum finibus circumscribitur, quomodo ad hanc sedens dexteram non est ubique diffusus? Si divinitas in Christo inhabitat *corporaliter*, qua ratione fieri potest, ut corporea substantia non omnia simul cum divinitate comprehendat? Si Christus implet omnia, cur cælum terramque immensitate propria non continet? Si tandem in cælum conscendens cum discipulis permansit in terris, quare non est simul nobiscum, & apud superos? Videtur ergo Lutheranorum assertum sacrarum literarum auctoritate munitum.

13. Respondetur. Resp. in hoc falli Lutheranos, quod ea, quæ conveniunt personæ, tribuant naturæ, cum, ut vidimus, communicatio idiomatum sit accipienda, non secundum *formam*, sed secundum *suppositum*. Christum itaque omnipotentem esse, implere omnia, ubique consistere, nec non esse æternum, ac Deum verum, quatenus hæc conveniunt personæ, quæ in tempore assumpsit humanam naturam, nemo nostrum diffentit; ipsi naturæ humanæ hæc omnia convenire negamus, cum in ipsa persona una, atque individua retineat utraque natura suas citra mixturam proprietates. Singula nihilominus expendantur. Principio data est Christo omnis potestas, quemadmodum datum est habere vitam in semetipso, & esse unum cum Patre; quia nimirum humana natura hypostatice conjuncta est Verbo omnipotenti, æterno, & unius cum Patre substantiæ, atque ratione hypostaticæ unionis *hic homo*, id est, Christus est Deus, est omnipotens, est immensus; at non *hic homo* ratione naturæ humanæ, qua inspecta est minor Patre, est natus in tempore, est loco circumscriptus; sed ratione personæ, quæ naturam habet aliam, divinam, incircumscriptam, æternam. Non solum id tradunt Patres superius laudati, verum etiam Lutherus, cujus hæc verba ab Hessiandro adversus Lutheranos producuntur pag. 93. *Eo ipso momento, quo divinitas & humanitas in unitatem personæ conjungi cæperunt, homo filius Mariæ est, & dicitur omnipotens, & æternus*

nus Deus, cujus est summa potestas, qui omnia creavit, & sustentat, per communicationem idiomatum, quatenus una cum Deo persona est; de hac potestate loquitur Matthæus capite ultimo: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Eadem est cum Scholasticis responsio Magistri in III. dist. 14. Addo nomine potestatis intelligendum Ecclesiæ regimen, exaltationem nominis, judicii auctoritatem, & cætera, quæ spectant ad Christi gloriam, atque fidelium gubernationem. Conferas Act. 11. 33. Ad Ephes. 1. 10. & ad Coloss. 1. 16.

14. Explicatur sensus *Dextera Patris.*

Dextera Patris aliquando significat potentiam ac plenitudinem majestatis, ut ad Hebr. 1. 3. aliquando locum & gloriam Deo proximiorem, ut Mat. XXI. 21. aliquando cœlestem beatitudinem. In priori sensu dextera Patris ubique est, ac similiter Christus ut Deus, sive Christus, qui Deus & homo est, ratione divinitatis: in secundo commonstratur duntaxat Christi, etiam ut hominis, super omnem cœlestem, terrenamque creaturam exaltatio, ipsi debita & propter personæ dignitatem, & propter singularitatem meritorum: in postremo autem sensu retorquetur argumentatio, nam si Christus secundum assumptam humanitatem sedet à dextris Dei in excelsis, profecto non est ubique locorum diffusus. Recte Augustinus contra Serm. Arianorum cap. XXXIV. n. 32. *Secundum formam susceptæ hominis, & ad dexteram Patris sedet vel stat, & orat, & gratias agit, & Sacerdos est, & minister est, & supplex est, & subditus est: secundum autem formam Dei, in qua æqualis est Patri, unigenitus est, & gignenti coæternus, &c.* Et Tract. 1. in Joannem num. 13. *Ascendit in cœlum, & non est hic. Ibi est enim. Sedet ad dexteram Patris: & hic est, non enim recessit præsentia majestatis.* Vide & Epist. ad Dardanum 57. nunc 187. n. 10.

15. Explicatur, *ut impleret omnia.*

At quomodo Christus ascendit in cœlum, *ut impleret omnia*? Vulgaris est Theologorum expositio, ut omnia Prophetarum vaticinia compleret. At forte melius respondetur Christum ascendisse, ut donis suis, ac effusione Spiritus sancti Ecclesiam cumularet, appositio neutro πάντα, *omnia*, pro communi. Nam Apostolus eo loci hortatur ad unitatem spiritus, demonstrans omnia charismata à Christo fuisse collata ad utilitatem & ædificationem Ecclesiæ; ac præmittit ea verba: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Addit postea verba, quæ à Lutheranis opponuntur. Tum Spiritus charismata enumerans ait, *Et ipse dedit quosdum quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, &c.* Quid ergo manifestius, quam Apostolum loqui de copiosa gratiarum largitione, ac idem valere, *ut impleret omnia*, ac, ut daret hominibus dona uberrima, sive, ut eadem phrasi loquitur præcedenti cap. III. 19. ut fideles implerentur *in omnem plenitudinem Dei?* Quamquam illud vellem à Lutheranis doceri, quomodo per ascensionem Christus implevit cælestia, si per omnipræsentiam jam erat ubique diffusus?

16. Explicatur vocula *corporaliter.*

Quid est autem in Christo plenitudinem divinitatis habitare *corporaliter?* Theophylactus ex Cyrilli sententia ait hoc vocabulo demonstrari adversus Nestorianos unionem hypostaticam, ita ut sensus sit, Divinitatem habitare in forma susceptæ indivisibiliter, & citra mixturam, *perinde ac in corpore immoratur anima.* Consentit Augustinus citata Epistola ad Dardanum num. 39. & in Psalmum LXVII. num. 23. docens Apostolum affirmare, quod in Christo inhabitavit Divinitas *solide atque veraciter*, non vero *præfigurantibus signis, neque umbraliter, tanquam in Templo à Rege Salomone facto.* Idem Apostolus, ut adnotatum est alibi, usurpat *corpus* ad significandam veritatem in antiquis figuris latentem, ad Colossens. II. 17. Dum ergo scribit in Christo habitare divinitatem *corporaliter*, adstruit unionem duarum naturarum veram, & substantialem, nec quidquam ait de fictitia assumptæ humanitatis omnipræsentia. Permanet denique nobiscum Christus *præsentia majestatis*, ut inquit paulo supra Augustinus, Ecclesiæ continuo regimine, gratiarum subministratione, necnon sub Eucharistici panis velamine. Ludunt itaque operam Ubiquitarii, nec ullo muniuntur sacrarum literarum testimonio.

17. Objectio.

Putant aliquod se invenire præsidium in humana ratione: primum quia omnipræsentia non videtur divinitatis essentialis proprietas, ut est æternitas atque independentia: priusquam enim crearetur mundus, erat Deus, nulli tamen loco præsens. Potest ergo, inquiunt, communicari attributum istud humanitati. Deinde humanitas ac divinitas Christi intime ac substantialiter uniuntur: & ideo ubicunque una est, & altera adesse debet: alioquin ab invicem distrahentur. Præterea nonne Christus Verbum Dei

Dei est? Itaque si Verbum divinum est ubique, ubique etiam est Christus.

18. Responsio. Resp. ad primum, attributa divina esse eandem divinitatis substantiam connotantem effecta aliqua, vel objecta; atque ante mundi productionem fuisse divinam immensitatem *substantive*, non *connotative* acceptam, quemadmodum tunc erat providentia, dominatus, & regimen universorum: vel dico non in hoc sitam esse immensitatem ut actu existat in omnibus, sed in eo, quod nulla res sit, ubi non existat, neque ulla esse possit, in qua producta non existeret; sicut omnipotentia ac providentia non omnia, quæ potest, actu exequitur, ac disponit, sed ea tantum quæ vult, & producit. Ad alterum respondeo indissolubilem esse divinitatis & humanitatis unitionem, neque unam distrahi ab alia, quoniam ubicunque est humanitas Christi, ibi est etiam divinitas: at non sequitur ex opposito, Ubicunque est divinitas, ibi est etiam humanitas, quia hæc in illa substantiali unitione suam non amittit proprietatem, permanetque circumscripta & finita; alioqui, ut Eutyches autumabat, una esset natura permixta, ac propriis affectionibus exspoliata. Ita in plurimorum philosophorum sententia rationalis anima in corpore ubique diffusa substantialiter unita est oculo, & ubi est oculus, ibi est anima: at non econtra ubicunque est anima, ibi pariter est oculus: nam anima est etiam in manu, pede, cæterisque partibus corporis; quoniam in hac unitione non transit oculus in animæ rationalis naturam, neque propriam coarctatam, & angusto comprehensam loco deperdit. In eo quod consequitur, non immorabor; nam ex quo Christus sit una cum divino Verbo persona, infertur quod sit ubique ratione personæ & naturæ divinæ, non ratione humanitatis assumptæ; ut dictum est supra.

CAPUT II.

An Christus dici possit filius Dei adoptivus?

SUMMARIUM.

1 & 2. Præliminaria ad resolutionem.
3. Usque ad 7. probatur. Felicem, & Elipandum locutos fuisse in sensu Nestorii.
7. 8. 9. & 10. Solvuntur objectiones.
11. Usque ad 18 Probatur, Christum non posse appellari filium Dei adoptivum, etiam secundum humanitatem.
18. & seqq. Solvuntur objectiones.

1. Status Quæstionis. Felix Episcopus Urgelis, urbs est sita in Pyrenæi montis jugo, consultus circa annum 783. à Toletano antistite Elipando quid de humanitate Christi sentiret, respondit hunc, quatenus homo est, appellandum Filium Dei, non naturalem, sed adoptivum. Est autem adoptivus filius, qui ab aliquo adoptione, id est, assumptione gratuita in locum filii, hæreditatemque eligitur, cum alterius sit generatione ac natura. Disputatur, num Felix, & Elipandus asserendo Christum Filium Dei adoptivum, negarent cum Nestorio hypostaticam unionem, & filium Virginis à Filio Dei, sive naturalem ab adoptivo distinguerent; an appellarent eandem personam filium naturalem ratione divinæ naturæ, ratione autem humanæ adoptatum. Hoc duntaxat dogmatizasse Felicem, & Elipandum, ideoque discrepare à Nestoriana hæresi Felicianam propugnat Vasquesius in III. P. disp. 89. tradit Juenin dissert. VI. de Incarnat. q. 6. dubitat Tournely quæst. XII. art. 1. At revera sensu Nestoriano locutos Felicem, & Elipandum tenent Binius & Surius in notis ad Concil. Francofordiens., Petavius lib. I. de Incarnat. cap. 22. Natalis Alex. dissert. 5. sæculi 8. Claudius Frassen de Inc. Tract. 1. disput. 2. Boucat disp. 3. art. 2. sect. 6. & prope finem Biblioth. Joseph Imbonatus. Et revera non desunt è schola illustres Theologi, inter quos Durandus in III. dist. 4. & Scotus in I. dist. 10. existimantes Christum ut hominem posse dici filium adoptatione, quamquam Scotus vitandum docet talem loquendi modum, ob hæreticorum vafritiem, & in usurpandis vocabulis calliditatem. Hos Scholasticos excusandos ab hæresi inquit Boucat dissert. III. art. 3. eo quod ignoraverint definitionem Concilii Francofordiensis in lucem editi à Surio circa annum 1567. Verum nec desunt viri docti, qui propugnant etiamnum citra fidem posse defendi, quod Christus *quatenus homo est* appellari queat filius adoptivus spectata humana natura, & gratia sanctificante: nec sibi constat laudatus Scriptor, qui præcedenti articulo tradiderat, Felicem & Elipandum adhæsisse Nestorianis. Nam si illi à Francofordiensi Synodo fuerunt proscripti, quod Nestorii sensum intenderent; nullum habet momentum ad opinionem Scoti

vel profligandam, vel excusandam Felicianæ hæresis ignoratio. Quare primum de opinione Felicis, & Elipandi differendum est, deinde de Scholasticorum sententia: in qua nos ad eorum partes accedimus, qui cum Thomistis, ac nostratibus contendunt, nulla ratione Christum dici filium Dei adoptatum, nec addita illa cautione, *quatenus homo*, sive, *ratione naturæ humanæ*.

2. Quando Hæresis feliciana fuerit damnata.

Atque ut priorem partem expediamus; tradunt fere omnes, Felicianam hæresim fuisse damnatam primo à Concilio Forojulienſi anno 791. Præside Paulino Episcopo Aquilejensi, deinde anno proximo 792. in Concilio Ratisponensi, ubi, auctore Eginhardo in Annalib. Felix errorem suum abjuravit, eodemque anno in Synodo Romana sub Hadriano, postea in Francofordiensi anno 794. atque iterum Romæ sub Felice III. anno 799. & hoc ipso anno Aquisgrani, ubi quidam referunt Felicem Urgelitanum celebrem Hilarii locum depravasse. At licet Paulinus Aquilejensis acerrime hæresim Felicianam sit insectatus, ut liquet ex libro Sacrosyllabo & Francofordiensi Concilio; Synodus tamen Forojulienſis neque ante annum 797. celebrata est, nec fortassis adversus Felicis errorem. Liquet enim hanc Synodum habitam anno XXIII. Caroli Magni, & XV. Pipini: Carolus autem regnare cœpit in Italia anno 774. erratumque à multis quod annos Caroli supputaverint ab anno 768. quo regnare cœpit in Gallliis. At neque Itali aliquam hujus epochæ habuere rationem, neque annus XXIII. istinc subductus convenire potest cum anno Pipini XV. ut eruditus Pagius demonstrat ad annum 791. Hæc tamen sat est innuisse.

3. Propositio.

Demonstratur 1. ex Scripturis.

Propositio I. Felix & Elipandus asseruerunt Christum esse filium adoptatione in sensu Nestoriano.

Demonstratur primo auctoritate Scriptorum, qui Felicem in duos filios Unigenitum Dominum nostrum divisisse, ac veterem Nestorianam hæresim suscitasse affirmarunt. Inter quos Paulinus Aquilejensis, Alcuinus, & Agobardus, qui eundem Felicem profligarunt, id apertissime asserunt. Ac Paulinus quidem, *In duobus vocabulis* inquit in primo contra Felicem libro *proprii scilicet & adoptivi, verique & nuncupativi filii, unicum eundemque Dei filium dividere fronte impudentissima non formidat.* Alcuinus vero lib. 1. contra eundem Felicem: *Non sibi sufficiebat tantummodo Christum, qui de Virgine natus est, negare proprium esse Filium Dei: sed novo, & inaudito sanctæ Dei Ecclesiæ nomine, nuncupativum Deum nominare illum non timet, dividens Christum in duos filios, unum vocans proprium, alterum adoptivum.* Agobardus: *Timens*, Felix, *permixtionem Eutychetis incurrere, corruit in divisionem Nestorii.* Idem tradunt Scriptores alii. Paschasius Ratbertus lib. v. in Mat. inquit: *Hæresis Feliciana, quæ veterum cineres voluit removere, duas personas in Christo introducens.* Jonas Aurelian. lib. 1. de Cultu Imag. ait Felicem *anathemati mancipatum cum auctore sui erroris Nestorio.* Joannes Mariana lib. VII. Hist. cap. 8. scribit suscitata in Hispania, Felice & Elipando auctoribus, *Nestorii placita Concilii Ephesini diligentia sopita.* Sigebertus in Chronico ad annum 793. *Feliciana hæresis unam personam Dei & hominis dividens in duas personas, scilicet veri filii & adoptivi.* Baronius denique ad annum 783. n. 6. *Error erat Elipandi perditissimi hominis non tolerandus, quem sacrosancta Ephesina Catholica Synodus in Nestorio condemnarat. Iste siquidem asserens Christum Dei filium, quod ad humanitatem spectat, dicendum esse adoptivum, & non proprium ac naturalem, in necessariam consequentiam deducebat, ut duas constitueret in Christo personas, atque asseveret duos filios, sicque horrendum dictu! damnata olim in Oriente hæresis nunc opera miseri Elipandi reviviscret in Hispania.*

4. Demonstratur 2. ex Confessione feliciana.

Demonstratur 2. ex Confessione Felicis & Elipandi, quæ extat in Concilio Francofordiensi Tom. IX. postremæ Collect. pag. 76. *Confitemur & credimus Deum Dei filium ante omnia tempora sine initio ex Patre genitum, coæternum & consubstantialem, non adoptione, sed genere.* Et infra: *Confitemur & credimus eum factum ex muliere, factum sub lege, non genere esse filium Dei, sed adoptione, non natura, sed gratia.* Qua in Confessione non tantum Feliciani autumant Christum esse filium *gratia, & adoptione*, spectata natura assumpta, & gratia sanctificante; verum etiam aperte negant filium factum ex muliere esse filium Dei *genere, & natura*, eumque ipsum, qui ante omnia tempora ex patre genitus est, & est filius *non adoptione, sed genere.* Dispescunt itaque apertissime Christum in duos filios: negant apertissime filium Dei esse factum ex muliere: asserunt apertissime filium ex muliere factum non esse filium Dei *genere atque natura.*

Qua

Quâ majori impietate poterant denegare hypostaticam unionem, renovare hæresim Nestorianam, beatissimæque Virgini gloriam Deiparæ nefaria temeritate auferre?

5. Demonstratur 3. ex Concilio Francofordiensi.

Tertio demonstratur ex ipso Concilio Francofordiensi. Ibidem enim in lib. Sacrosyllabo pag. 60. appellant PP. Felicianum errorem *hæresim veternosam, illustrium virorum calcibus mirabiliter conculcatam, catholicaque falce olim funditus detruncatam.* Pag. 68. testantur Felicianos adstruere *adoptivum Dei filium de Virgine natum*, atque *aut in utero Virginis eum adoptatum*, aut *purum hominem sine Deo natum, ac per hoc postea, quasi indiguerit adoptione, à Patre in filium adoptatum.* Ibi, ac sequentibus paginis hanc hæresim refutant omnibus Scripturæ testimoniis, quibus adversus Nestorium Ephesini PP. certarunt, demonstrantes Mariam peperisse filium Dei, & hunc esse unicam, individuamque personam: quæ argumenta quorsus tanto studio collecta sunt, si Felix fatebatur Mariam peperisse Deum, & Christum unicam esse personam? Sunt autem hæc argumenta deprompta ex Lucæ I. 35. *Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur filius Dei*: ad Galatas IV. 4. *Cum ergo venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, &c.* Mat. XVI. 16. *Tu es Christus filius Dei vivi*, aliaque supra adversus Nestorianos producta. Præterea in Epistola Synodica pag. 88. testantur PP. Francofordienses, tam Nestorium *copulationis* nomine, quam Felicem nomine *adoptionis* negare Christum *unam esse personam, & beatam Virginem Deum genuisse.* Scribunt eodem loco: *Nonne olim hæresis vestra in Nestorio ab universali sancta Ecclesia refutata est, etiam & damnata? Quapropter forte illum anathematizare noluistis; dum alios, Bonosum scilicet, Arium, & Sabellium, Manichæumque, qui prava de Dei filio senserunt, in Epistola vestra anathematizastis. Nunquid non ideo damnatus est, quia beatam Mariam semper Virginem, non Dei, sed hominis tantummodo credidit genitricem?* Cum ergo PP. Francofordienses tam aperte Felicianam hæresim appellent veternosam, & in Nestorio damnatam, ad eamque refutandam demonstrent Christum unam esse personam, ac Mariam virginem filium Dei genuisse; quo pacto, nisi forte, aut singulari ignorantia, aut nimia insectatione quorumdam Scholasticorum sententiæ, quidam Theologi, inter quos Juenin, neque Concilium Francofordiense asserere hæresim Felicianam prædamnatam esse in Nestorio, neque protulisse testimonia ad probandum Christum unam esse personam, contra tam expressa ejusdem Concilii testimonia, ex tripode ac definite pronuntiant?

6. Confirmatur.

Probatur ultimo. Nullum est argumentum invictum magis ac firmum, quo demonstretur Nestorium denegasse hypostaticam unionem, quam illud, quo evincitur impium hæresiarcham affirmasse assumptum hominem à Verbo Deo, non in primo conceptionis momento, sed postquam natus erat è Virgine purus homo, atque ob eam rem baptizatum, quasi indiguerit adoptione. Atque id asseruisse Nestorium scribit secundo adversus eundem libro, & undecimo Commentariorum in Joannem S. Cyrillus. Idem vero dogmatizasse Felicem Urgelitensem & conjectare possumus ex citatis verbis Concilii Francofordiensis, atque ex lib. 2. Alcuini contra Felicem, & absque ambiguitate deducitur ex Epistola Albini Diaconi ad Monachos Geticos. Albinus enim hac in Epistola testatur se præ manibus habere quemdam Felicis libellum, quem ait edito à se per id temporis opere confutari, in eoque contineri prænarratum Nestorii dogma. *Hæc considerantes diligentius* (inquit Albinus) *& animo tenete firmiter, & constanter prædicate unum filium, & unum Deum, eundem proprium & verum & perfectum esse, quia omnis veritas in Christo est, & nullum figmentum, & tota plenitudo divinitatis, & nulla minoratio, nec defectio, nec unum, sicut in libello præfati Felicis lectum est, baptismo indiguisse, sed mox sine peccato, & sine labe peccati Spiritu sancto conceptum esse Deum verum, & hominem verum.* Tam aperto testimonio, quod me latet num ab aliquo Scholastico hactenus fuerit expensum, legi autem poterit volumine primo Miscellaneorum Baluzii pag. 377. arbitror satis apparere hæresis Felicianæ cum Nestoriana concordiam.

7. Objici ur 1. & Respondetur.

Corruunt ex his Vasquesii, aliorumque diversa opinantium sophismata. Inquiunt Felicem & Elipandum appellasse Christum filium Dei adoptivum *secundum humanitatem*, sive *secundum quod homo est*; ita enim scribit Hadrianus Papa ad Episcopos Hispaniæ, Francofordiense Concilium, Jonas Aurelianensis, imo & liquet ex Confessione, quam Elipandus misit ad Carolum Magnum. Videntur ergo non aliud dogmatizasse, quam nonnulli ex Schola Theologi. At respondemus Felicianos additamento illo *secundum*

eundum humanitatem, non intellexisse exspoliatam propria subsistentia naturam humanam, illamque assumptam in consortium divinitatis in unitatem personæ; sed humanitatem propria hypostasi præditam, & divinitati unitam tantum *moraliter:* quod profecto nullus Scholasticorum unquam asseruit. Enimvero qui adstruit filium in tempore factum ex muliere non esse genere filium Dei, qui affirmat purum hominem ex Virgine natum, qui ait filium Virginis indiguisse adoptione, qui opinatur hunc adoptatum in filium per sanctificationem baptismatis, quæ omnia evomuerunt perditissimi Feliciani, nonne apertissime cum Nestorio dividunt Unigenitum, propriamque hypostasim assumptæ tribuunt humanitati?

8. 2. Objicitur & Resp.

Opponunt in ea Confessione, quam ad Carolum M. misit Elipandus adstrui hypostaticam unionem, & personam in Christo unam; habetur quippe: *Homo interior, in una eademque Dei, & hominis persona deglomeratus, filius adoptivus humanitate, & non adoptivus divinitate mundum redemit.* At primo respondetur, liquido apparere ex altera Confessione, quæ extat in Synodo Francofordiensi superius producta, Felicianos commentos filium factum ex muliere non esse illum, qui ante omnia tempora genitus est à Patre, & est filius natura & genere, ideoque in altera Confessione, quæ reperitur in libro à Beato Heterio contra Elipandum conscripto non aliam adstrui unitatem personæ, nisi moralem. Præterea non integra allata est hæc fidei professio, nam istiusmodi est: *Homo interior in una eademque hominis persona adglomeratus, atque carnis vestimento indutus: quia non per eum, qui natus est de Virgine visibilia & invisibilia condidit, sed per illum qui non est adoptione, sed genere, neque gratia, sed natura: & per istum Dei simul & hominis filium, adoptivum humanitate, non adoptivum divinitate mundum redemit.* Ubi dum negatur eum, qui natus est de Virgine, illum esse qui condidit visibilia, & invisibilia, nonnisi *moralis* unitio statuitur inter filium adoptivum, & filium genere. Rursus nonne ob unitatem dignitatis etiam Nestorius vetuit dici duos filios, aut duas personas, apud Cyrillum lib. 1. contra ipsum Nestorium, imo nonne intorsit anathema in eos, *qui non secundum conjunctionem unum dixerint Christum, qui est etiam Emmanuel secundum naturam?* Vide anathematismum III. Nestorii eadem phrasi, ac Feliciana professio, contextum.

Præterea objiciunt: Admisit Felix communicationem idiomatum, confessus filium Dei hominem factum, & exinanita divinitate passum & crucifixum. At in primis falsum est Felicem ad sensum Catholicorum admisisse communicationem idiomatum, si negavit mundum redemptum *per eum, qui visibilia, & invisibilia condidit,* & hunc *factum ex muliere,* quod revera negasse constat ex dictis. Deinde admittere communicationem idiomatum ob conjunctionem affectus, & unionem dignitatis, ob quam etiam Moyses appellatus est Deus, eadem est Nestoriana perfidia; à qua purgari nequeunt Feliciani, si filiorum in uno Christo invexerunt pluralitatem. Accedit quod Felix Urgellitanus non fuit in sententia firmus; nam in Conventu Ratisponensi, nec non coram Hadriano errorem suum ejuraverat, quem postea majori pervicacia studuit propugnare. 9. 3. Objicitur, & Resp.

Denique opponunt: Felix & Elipandus certa propriæ sententiæ persuasione rogarunt Carolum Magnum, ut in Concilio ipsorum causa discuteretur, ac oppugnatores damnarentur sui, Beatus præsertim & Heterius. Coacto Concilio Francofordiensi, non hæreseos Nestorianæ insimulati fuerunt, sed ea de causa tantum damnati, quod nova intruderent vocabula, atque Christum appellarent filium adoptione & gratia contra Apostolorum, & Catholicæ Ecclesiæ consuetudinem. Quare si apud Scriptores aliquos tanquam Nestoriani audierunt, non hoc de ipsis judicium latum est, quod revera Nestorio adhærerent, sed quod ex distinctione filii adoptivi, ac proprii videbatur Nestorii hæresis instaurari. Alioqui si Nestoriani revera fuissent, quomodo Concilium exoptassent? quomodo Beati & Heterii postulassent condemnationem? quomodo ipsorum dogma appellatum fuisset novum figmentum, pluribusque dissertationibus refutatum, cum adversus illud satis fuisset objicere Ephesina decreta, & contorta in Nestorium anathemata? Verum hæc nullius sunt momenti: nullus enim hæreticorum extitit, qui aut simulatione, aut erroris sui patrocinio fabricatum à se dogma à pluribus probandum fore desperaverit. Nestorius ipse ad Cælestinum Pontificem dedit literas, Ephesumque ad Synodum Oecumenicam perfricata fronte, & jam anathemate perculsus accessit. Consimili confidentia Felix Urgelitensis Carolum Magnum convenit per Epistolas, adiitque Synodales cœtus; quamquam non præditus incredibili 10. Objicitur 4. & Resp.

Nestorii

Nestorii audacia, sed eximia tamen aut rergiversatione, aut inconstantia. Falsum est autem Felicianam hæresim ob solam novitatem fuisse proscriptam: cum constet appellatam esse veternosam, antiquam, damnatam à Patribus Ephesinis, atque Nestorianam, iisdemque cum hac argumentationibus refutatam. Verum tamen est Felicem nova intrusisse vocabula: sed, ut inquiunt PP. Francofordienses, eandem nomine *adoptionis* cudebat perfidiam, quam Nestorius vocabulo *copulationis*. Quare novo etiam argumentorum genere Feliciana hæresis fuit refutata, uti à Cyrillo, aliisque Patribus Nestoriana, jam in Ebione, in Artemone, & in Photino præfocata. Atque Felicem non sola dogmatum consecutione, verum etiam subversione mysterii Incarnationis dominicæ Nestorianis conspirasse, argumento est, quod negaverit natum ex Virgine Filium Dei, & asseruerit filium Virginis indiguisse adoptione, & gratia baptismatis: quæ sunt Nestorianis placitis, ut sibi sunt ova ovorum, & apes apium, simillima.

11. Propositio 2. Demonstratur 1. ex Scripturis.

Propositio II. Nequit Christus appellari filius Dei adoptivus, etiam secundum humanitatem.

Demonstratur 1. ex Scripturis: in quibus etiam secundum humanitatem Christus appellatur Filius Dei unicus, dilectus, proprius, ac talis, qui ad angelorum omnium, hominumque distinctionem fruitur honore, ac proprietate Unigeniti. Ac Christum esse, atque appellari, quatenus homo est, filium Dei, nusquam mentione facta adoptionis, & gratiæ, adeo apertum est, ut probatione non egeat. Parituræ enim Virgini inquit Archangelus Luc. I. 35. *Vocabitur filius Dei*: eundemque filium Dei vocavit Petrus Matt. XVI. 16. *Tu es Christus filius Dei vivi*; nec ipse abnuit, dum summus Pontifex interrogavit Marc. XIV. 61. *Tu es Christus filius Dei benedicti?* Judæi quoque illum morti damnarunt Joan. XIX. 7. *quia filium Dei se fecit*: atque filium quidem naturalem, non adoptivum, ut demonstravimus lib VII. cap. 9. Esse autem filium Dei unicum legitur in Evangelio Joannis I. 18. *Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*: & III. 16. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum Unigenitum daret.* Cum vero adoptivi filii complures sint, unigenitus filius est natura, non adoptione. Proprium pariter Dei filium appellat Christum Apostolus scribens ad Rom. VIII. 32. *Proprio filio suo non peperit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*: nomenque filii ad differentiam Angelorum ipsi Christo deberi testatur idem Apostolus ad Hebr. I. 5. dicens, *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* In his quidem locis de Christo ut homine institui sermonem arbitror esse manifestissimum: nam secundum humanitatem in tempore natus est, regnumque Davidis obtinuit: secundum humanitatem à Patre Unigenitus in mortem traditus est: secundum humanitatem crucifixus & mortuus: secundum humanitatem Mediator novi testamenti, & Pontifex ex hominibus assumptus, qualem Paulus describit in sua ad Hebræos Epistola. Quare si Christus etiam secundum carnem, *secundum quam est David filius*, ut ratiocinatur in libro Sacrosyllabo Paulinus pag. 68. *est filius Dei non adoptivus, sed verus, non alienus, sed proprius*; quomodo dici potest, Scripturis repugnantibus, secundum humanitatem filius adoptione, vel gratia?

12. Demonstratur 2. ex Patribus.

Idem demonstratur ex PP. inter quos connumerari principio possunt qui negant recte dici duos filios Dei, ut Dionysius Alexandrin. in Epist. Synodica adversus Paulum Samosatenum, Athanasius in lib. de Incarnat. contra Apollinarium, Nazianzenus in Epistola ad Cledonium, Cyrillus Alexandrinus Hom. Paschali VIII. aliique superius citati contra Nestorium. Nam si filii dividi non possunt, nonnisi unum proprium ac naturalem fateamur necesse est. Accedunt Patres, qui negant Christum posse aliquo modo appellari filium Dei adoptivum: inter quos S. Hilarius citatus ab Adversariis, lib. VI. de Trinit. n. 44. recitatis nonnullis testimoniis Apostoli, quibus Christus appellatus est Filius Dei, *Filius suus est*, inquit, *filius ejus est: non adoptio ejus est, non creatura ejus est. Nomen naturam loquitur, veritatem proprietas enuntiat, fidem confessio testatur: non intelligo quid addi possit ad naturam filii.* Proximo num. 45. *Numquid etiam nunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis est nomen? Apostolus enim volens charitatem erga nos Dei ostendere, ut magnificentia Dei dilectionis ex comparationis genere nosceretur, non peperciſſe Deum proprio filio suo docuit: non utique pro adoptandis adoptato, neque pro creatis creaturæ, sed pro alienis suo, pro nuncupandis proprio.* In his utique Hilarius stylum acuit contra Arianos asserentes Christum esse creaturam, sed eos refellendo etiam ab ipso Christo penitus adoptivi appellationem

excludit. S. Hieronymus in cap. ultimum Matthæi p. 142. affirmat Dominum nostrum unum esse filium Dei, & filium hominis *juxta utramque naturam divinitatis & carnis*, ideoque nunc magnitudinis suæ, nunc humilitatis signa demonstrasse, & quamquam homo esset, qui crucifixus est, qui sepultus est, qui clausus est tumulo: eundem tamen filium Dei ostenderunt sol fugiens, tenebræ ingruentes, terra commota, velum scissum, saxa dirupta, mortui suscitati. Ita Christum filium hominis eundem, ac filium Dei, sive unum *in utraque natura* filium eloquenter demonstrat S. P. Augustinus Tract. 11. in Joannem n. 13. *Multi homines*, inquit, *cum filios non habuerint, peracta ætate adoptant sibi, & voluntate faciunt, quod natura non potuerunt. Hoc faciunt homines. Si autem aliquis habeat filium unicum, gaudet ad illum magis, quia solus omnia possessurus est, & non habebit qui cum eo dividat hæreditatem, ut pauperior remaneat. Non sic Deus: unicum eundem ipsum, quem genuerat, & per quem cuncta creaverat, misit in hunc mundum, ut non esset unus, sed fratres haberet adoptatos. Non enim nos nati sumus de Deo, quomodo ille unigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius.* Ac Tract. VII. num. 4. *Oportebat ergo ut ille baptizaret, qui est filius Dei unicus, non adoptatus. Adoptati filii ministri sunt unici: Unicus habet potestatem, adoptati ministerium.* Et in Enchiridio cap. XXXV. n. 10. *Cum enim esset unicus Dei filius, non gratia, sed natura, ut esset etiam plenus gratia, factus est & hominis filius: idemque ipse utrumque ex utroque unus Christus,* Et infra: *Unus Dei filius, idemque hominis filius; unus hominis filius, idemque Dei filius: non duo filii Dei Deus & homo, sed unus Dei filius, Deus sine initio, homo à certo initio, Dominus noster Jesus Christus.* Hoc testimonio usi sunt etiam PP. Francofordienses pag. 83. S. Fulgentius lib. III. ad Trasimundum cap. 3. *Unus est igitur filius ex patris natura genitus, qui ideo unigenitus dicitur, ut ex proprietate paternæ naturæ unus, & genitus demonstretur. Quid autem filio prodest, ut nuncupetur unigeniti nomine, si privatur vocabuli veritate? Frustra namque unigenitus dicitur, si in ejus generatione non naturalis de Deo generante veritas, sed creationis ex donante largitas prædicatur: & aliis enim, quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quod si etiam unigenitus filius factus dicitur ex gratia, non vere genitus ex natura, proculdubio nomen & veritatem unigeniti perdidit postquam fratres habere jam cœpit, privatur enim hujus veritate nominis, si in unigenito non est de patre veritas naturalis.* Vide & proximum cap. 4. pag. edit. Lugd. 65. Ildephonsus Archiep. Toletanus in libro de Illibata Virginit. Genitricis Dei Mariæ cap. XI. demonstrat ob unitatem personæ Deum assumentem dici filium hominis, & hominem assumptum dici filium Dei, & inquit: *Propter quam duarum naturarum proprietatem in unitate personæ connexam, Dei & hominis unius Christi hæc sola homo mater est Virgo. Ita in utraque natura unum generans filium, ut idem sit filius Dei qui filius hominis, nec alter sit filius hominis, quam qui sit filius Dei.* Ubi observandum est, quod propter unitatem personæ ita repugnat negare Mariam Virginem esse Dei genitricem, sicut repugnat negare filium ejusdem Virginis esse filium Dei. Quis autem hanc propositionem proferret, *Maria Virgo non est mater Dei, si consideretur Christus ut Deus est, & secundum proprietatem divinitatis, quia revera naturam divinam ipsa non genuit?* Id quidem nullus assereret, propterea quod gigni non naturæ est sed personæ. Verum hac de re audiemus iterum disputantem Albinum Diaconum. Ut ad Ildephonsum revertatur oratio, in libro contra eos, qui disputant de perpetua Virginitate S. Mariæ Tom. XII. Bibl. PP. p. 566. *Ergo non illum*, inquit, *ut cæteros adoptio filios Dei fecit filium, sed divinitatis natura illum in proprium Dei filium exaltavit, donavit & illi nomen, quod est super omne nomen: ut esset totus Dei filius, homo & Verbum: quia nunquam non fuit Dei filius, qui sempiternus permanet unici genitoris unigenitus. Nunquam igitur ipse purus homo conceptus, nec natus, sicut cæteri nascuntur infantes, ut ei ex adoptionis gratia, aut ex molimento virtutum prærogativa filii præstaretur: sed Dei Verbum, quia caro factum est, assumpsit hominem in se sine persona hominis, ut totus esset Christus proprius Dei filius, non dono gratiæ renascendo, ut cæteri, sed salva proprietate utriusque naturæ.* Valde illustris locus est, & quia Felix & Elipandus aliquando auctoritate Ildephonsi abusi sunt, & quia adoptionis naturam paulo infra explicandam egregie collustrat, & quia *totum* Christum, id est, etiam *ut hominem*, esse proprium ac naturalem filium Dei aperte declarat.

Ex

13. Christus est filius Dei naturalis &c.

Ex his liquet juxta Patrum doctrinam Christum *ut hominem* esse filium Dei proprium, filium naturalem, filium unigenitum: in ipso locum non habere nuncupationem adoptionis; nec adoptatum, nec alienum à Patre traditum, sed suum, propriumque pro adoptandis & nuncupandis. Liquet adoptionem fieri ab iis tantum patribus, qui filium, quem adoptant, non genuerunt; & voluntate duntaxat peragi, non autem natura atque generatione: quamobrem maximum est discrimen inter nos & Christum, quoniam hic est filius natura, nos gratia: ille unicus, nos multi: ille Sacramentorum habet potestatem, nos ministerium. Liquet tandem filium unigenitum non esse filium ex gratia: filium, qui nunquam fuit purus homo, non esse filium renascentia: filium, qui est una persona cum Verbo, *totam* habere proprii filii prærogativam. Atqui Christus est, *in quantum homo*, una cum Deo Verbo persona, nec unquam extitit absque hujus personæ unitate, ac præterea est filius unicus, filius alterius, quam cæteri sint, conditionis, filius proprius, ac Patris, qui eundem, quem genuerat, pro nobis tradidit. Quomodo ergo habere potest nuncupationem adoptionis, & per gratiam filii prærogativæ potiri?

14. Confirmatur 1. ratione.

Confirmantur hæc omnia explicatione adoptionis, simulque propositio comprobatur ratione. Adoptio itaque definiri solet *legitimus actus naturam imitans, quo liberos nobis quærimus.* A Græcis dicitur υἱοθεσία, id est, alieni in filii locum assumptio: fitque, ut ait Agell. lib. v. cap. 19. *cum in alienam familiam, inque liberorum locum extranei sumuntur.* Exemplum ex profana historia petitum sit Augusti: de quo Suetonius cap. 65. *Tertium nepotem Agrippam, simulque privignum Tiberium adoptavit in foro lege Curiata.* Inquit autem *lege Curiata*, quia adoptatio fit principis auctoritate, dum adoptamus eos, qui sui juris sunt, quæ species adoptionis dicitur adrogatio; vel imperio Magistratus, dum adoptamus eos, qui sunt in parentis potestate. Ex quo sequitur, requiri ad adoptionem, ut is qui adoptat liberos procreare non possit, ut ait Tullius insectans adoptionem Clodii in Orat. pro Domo sua: & adoptivos liberos esse, quibus naturales opponuntur, ut habetur I. ult. D. de bonor. donat. Alterum exemplum depromptum ex sacris literis est Moysis, quem genitum à viro de domo Levi filia Pharaonis Exodi II. 10. *adoptavit in locum filii*: de quo in libro Sacrosyllabo pag. 70. *Adoptivus dicitur, cui nihil à patre adoptante debetur, sed gratis indulgendo conceditur. Abusive namque, & non essentialiter adoptivus est filius dictus, sicut Moyses in filium adoptatus est à filia Pharaonis, alienus ab ea, & generatione, & sanguinis affinitate. Hoc ideo posuimus, ut patenter daretur intelligi, eum dici adoptatum, qui nondum prius fuerat proprius filius adoptantis.* Affertur ibidem exemplum alterum omnium nostrum, qui *cum essemus parvuli*, inquit Apostolus ad Galat. IV. 3 *sub elementis mundi eramus servientes:* at per Christi redemptionem factum est, *ut adoptionem filiorum reciperemus*; ex quo loco infertur *adoptivum alienum esse ab eo, à quo dicitur adoptatus, & gratis adoptionem tribui, quoniam non ex debito, sed ex indulgentia tantummodo præstatur.* Postremum exemplum sit eorum, qui Clericali tonsura initiantur, & recisis crinibus è laicorum cœtu in sortem & hæreditatem Domini adoptantur, pronuntiantque cum Episcopo verba Psalmographi, XV. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ, &c.* quod Paulus Diaconus lib. VI. 53. haud male observat esse imaginem quamdam adoptionis, quoniam veteres adoptabant præcidendo adoptandis capillorum extrema.

15. Confirmatur 2.

Atque ex his primo infertur nomen filii adoptivi nunquam naturæ convenire, sed esse vocabulum personæ, id est, geniti, subsistentis, atque vel liberi sui que juris, vel sub patria potestate constituti: adoptionem vero esse quamdam imitationem generationis naturalis, eâque in filium assumi, quem adoptans non genuit. Consequenter infertur filium adoptatum esse natura filium alienum, non proprium, & fuisse aliquando ante adoptionem, cum non fuerit sub potestate adoptantis, ita, ut adoptatus de non filio filius fiat, & de non hærede hæres. Item sequitur adoptionem non generatione fieri, sed voluntate; non natura, sed gratia; non jure nativitatis, sed beneficii largitione: ad solam autem naturam à subsistentia præcisam nonnisi impropria vocabulorum usurpatione, & confusione perceptionum vocabulum filii adoptivi à nonnullis Scholasticis detorqueri.

16. Confirmatur 3.

Hinc depromitur validissima ratio, cur Christus etiam in quantum homo, Filius Dei adoptivus nequeat appellari. Primo enim uti naturalis *filietas* non convenit naturæ, sed hypostasi atque personæ, non enim natura, sed *suppositum* concipitur, gignitur, nascitur; ita personæ, non

non autem naturæ convenire debet adoptio, quæ est quædam imitatio naturalis *filietatis*. At humanitas Christi non habet hypostasim diversam à Deo Verbo, sive à filio Dei naturali. Non ergo competere potest humanitati Christi adoptio, & *filietas*, quæ non sit propria, vera, ac naturalis. Hac vero argumentatione utitur Sanctus Thomas III. p. q. 23. art. 4. Consimiles sunt argumentationes libri Sacrosyllabi: ac prima pag. 68. quoniam Verbum inenarrabiliter de beata Virgine assumpsit carnem, neque hæc præextitit creata hypostasi ante inenarrabilem hanc assumptionem, ideoque humanitas non est adoptata in filium in utero Virginis, in quo à primo conceptionis momento Christus homo fuit eadem persona cum filio Dei, naturali: alioqui deberemus cum Nestorianis personas, filiosque dispescere; idque multo magis, si dicamus adoptatum Christum hominem, posteaquam prodiit ex utero Virginali. *Aut in utero Virginis*, inquit citatus liber, *eum suspicantur adoptatum, quod dici nefas est, quia de beata Virgine inenarrabiliter sumpsit, non adoptavit carnem: aut certe eum purum hominem sine Deo natum: quod cogitare impium est, necesse est fateantur, ac per hoc postea quasi indiguerit adoptione à Patre in filium sit adoptatus.* Altera argumentatio est, quod nunquam Christus fuit filius alienus: *Adoptatus autem dici non potest, nisi is, qui alienus est ab eo, à quo dicitur adoptatus*; legitur in eodem libro pag. 69. Quod profecto tenet etiam de Christo, ut homine, quoniam Christus ut homo non est filius alienus, sed filius unigenitus ac proprius Dei Patris. Tertia est hujusmodi: Adoptio non ex natura & generatione ducit originem, sed ex dilectionis affectu: *Omnis enim adoptio* (legitur ibidem pag. 71.) *ex affectione ducit vocabuli sui originem, quamquam etymologiæ suæ non videatur trahere similitudinis sonum. Habet namque ex utraque parte Utinam vocabulum eleganter insitum, ut si dicas: Utinam sis mihi in filium adoptivum; & econtra: Utinam merear à te in filium adoptari.* Eapropter diximus supra à JCC. adoptationem eorum, qui sui juris sunt, appellari *adrogationem*, quoniam & adoptans rogat eum, quem adoptaturus est, an velit justum sibi filium esse; & is, qui adoptatur, rogat adoptantem ut id fieri patiatur. Vide Justinian. l. 2. D. de Adoptionib. At Christus *ut homo* non affectu dilectionis in filium Dei assumptus est, sed vi hypostaticæ unionis, & generationis æternæ: ideoque nullo pacto appellari debet filius nuncupativus & adoptivus.

17. Roboratur adhuc aliis argumentis.

Communibus his argumentationibus tria alia addi possunt, quarum prima est: Sunt quidem in Christo naturæ duæ impermixtæ ac distinctæ, divina, quam ab æterno habet à Patre, & humana, quam in tempore sumpsit ex Virgine, & recte appellatur Deus & homo, filius Dei & filius Virginis; quemadmodum est in homine rationalis anima & corpus, quorum illa creatur à Deo, hoc in maternis visceribus gignitur & procreatur, ac dicitur homo mortalis carne, & spiritu immortalis. At cum utraque natura, caro videlicet & anima, conglomerata sit substantiali unitione; quis assereret filium ut rationalem non esse filium naturalem hominis, quoniam homo rationalem animam procreare non potest, & non potius totum hominem & corporeum & rationalem esse unum filium hominis naturalem ac proprium, quoniam corpori ab homine procreato substantialiter unita est spiritualis anima, hujusque unionis vi gignitur unus filius homo rationalis, homo corporeus? *Ita Christus*, inquit citata Epistola Albinus, *licet sit carne mortalis, & divinitate immortalis, tamen est unus Jesus Christus, & unus Dei filius, sicut dixi hominem unum esse filium, licet carne sit mortalis, & anima immortalis: & nullatenus filius uni patri potest esse utrumque & proprius & adoptivus.* Sit argumentatio altera: Beata Virgo non procreavit divinitatem, & tamen Christus ut Deus est filius Virginis, neque dividi potest in duos filios, ita ut in quantum homo sit filius Virginis, in quantum Deus sit filius Patris: sed quoniam Deus & homo est una persona Verbi, totus Christus Deus & homo est filius Patris, totus Christus Deus & homo est filius Virginis, adeo ut sit blasphemum, nefandumque asserere, Virgo non est Deipara, Virgo non peperit Deum Verbum. Pari ergo jure ob personæ unitatem asserendum est, Totus Christus Deus & homo est filius Patris proprius & naturalis; non autem, Christus Deus est filius Patris naturalis & proprius, & Christus homo est filius Dei nuncupativus & adoptivus. *Et si beata Virgo proprium potuit generare sibi filium, qui fuit ex æterno Dei filius: quomodo non potuit Deus Pater habere hominem filium proprium, qui est in tempore natus ex Virgine?* *Unus omnino est in utraque natura ad utrumque parentem Christus, & filius Dei proprius:* inquit citata Epist. ad Monachos Getas Albinus.

Albinus. Postremò Christo ut homini genua flectimus: datum est enim *illi nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur*, inquit ad Philipp. II. 9. Apostolus. *Adoptivo autem Deo non flectit genu creatura, sed vero*, ait in hunc locum Auctor Glossæ Ordinariæ, ideoque Christus etiam in quantum homo, ut hactenus Scripturis, Patrum testimoniis, ac Theologicis argumentis demonstratum est, dici nequit Filius Dei adoptione.

DILUUNTUR OBJECTA.

18. Objicitur 1. In contrarium objiciuntur primo loco verba Apostoli scribentis ad Rom. VIII. 29. *Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* At Christus primogenitus est gratia, & adoptione, non autem natura, secundum quam est unigenitus, nec fratres aliquos habet. Igitur filius est etiam nuncupativus, & per gratiam adscitus. Scripserat supra idem Apostolus cap. I. 4. *Qui prædestinatus es filius Dei in virtute.* Quid manifestius, ut percipiamus Christum esse filium Dei prædestinatione, & gratia; ut libro de Prædest. SS. cap. XV. luculenter sanctus P. Augustinus affirmat?

19. Respondetur. Resp. appellari etiam Dominum Jesum filium Dei naturalem, unigenitum, ac proprium, præsertim à D. Paulo: dici autem primogenitum, & quoniam prius, id est, ante sæcula genitus est, & quia per ipsum acquirimus hæreditatem, ut diximus Volum II. pag. 46. & hoc ipso pag. 51. Ibidem declaravimus, quo pacto dicatur prædestinatus, nimirum declaratus, & manifestatus virtute miraculorum, & per gloriam resurrectionis, juxta interpretationem Græcorum, & prædestinatus etiam ad filiationem Dei, non adoptivam, sed naturalem, in quantum nullis præcedentibus meritis prædefinitum fuit, ut Christus Dominus, cum primum in virginali utero procreatus est, & priusquam aliquid patraret boni, per summam hypostaticæ unionis gratiam esset idem naturalis & unigenitus Dei filius, qui ab æterno in sinu Patris consistit. Atque hæc est interpretatio Augustini tradita in libro de Præd. Sanctorum proximoque capite dilucidanda.

20. Objicitur 2. Præterea opponunt auctoritatem Sanctorum. Irenæus enim lib. III. adv. hæreses cap. 21. sive ex dist. Massuet 19. inquit: *Propter hoc enim Verbum Dei homo: & qui filius Dei est, filius hominis factus est, commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat filius Dei.* Hilarius lib. II. de Trinit. ita de Christo loquitur: *Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur.* Cyrillus in Dialog. III. contra Arianos ait: *Tanquam unus ex nobis in filium adscriptus est Dei, adoptatus nobiscum, & propter nos ille verus, & germanus.* Athanasius in disput. contra Arium n. 28. *Filius quidem verus Dei unus est Verbum, & Deus. Est autem & tanquam alius filius adoptatus per templum corporis ipsius Domini nostri Jesu Christi.* Marius Victorinus lib. I. adversus Candidum Arianum: *Nos adoptione filii, ille natura etiam, & quadam adoptione filius, & Christus, sed secundum carnem*, Eugenius denique, Ildefonsus, & Julianus Toletanæ Sedis Antistites in Missa de Cœna Domini ita dixerunt: *Qui per adoptivi hominis passionem, dum suo non indulsit corpori, &c.* Item in Missa de Ascensione: *Hodie Salvator noster per adoptionem carnis sedem repetivit Deitatis.* Evincitur itaque Patrum testimoniis Christum spectata carnis natura filium adscititium, & adoptivum esse appellandum.

21. Respondetur. Resp. 1. Patres locutos de *adoptione* sensu amplissimo accepta, prout idem est, ac naturæ assumptio, non vero de adoptione propria quæ est alienæ personæ ad jura proprii filii libera, & gratiosa translatio: ideoque hanc, aut consimilem loquendi methodum usurpasse, *carnis humilitas adoptatur, tanquam filius adoptatus, quadam adoptione filius, &c.* Deinde nonnulla in particulari reponimus. Et quantum ad Irenæum; evidens est ex iis quæ proxime præcedunt, & quæ subinde pertexit, quod ait, *ut adoptationem percipiens fiat filius Dei*, non ad Christum referendum esse, sed ad homines, quos redemit: & falli Erasmum, qui in Præfatione ad hunc III. librum inquit ab Irenæo Christum dici juxta humanam naturam adoptatum. Enimvero revincuntur eo loci qui Christum putant purum hominem è Josephi satu progenitum; quos paulo ante citata verba ait *non percipere munus adoptionis.* Atque recitatis iis, quæ objiciuntur, statim sequitur: *Non enim poteramus aliter incorruptelam, & immortalitatem percipere, nisi adunati fuissemus incorruptelæ & immortalitati.* Nec obscure Irenæi sensum demonstrat præsentis temporis verbum, *ut fiat;* nam si de Christo

esset accipiendum, adhibuisset præteritum. Præterea in eodem capite hac aperta Sancti Martyris sententia hæresis Feliciana confoditur: *Ipse*, Christus, *propriè præter omnes qui fuerunt tunc homines, Deus, & Dominus, & rex æternus, & Unigenitus.*

22. Sensus Hilarii de verbo *adoptatur* defenditur.

Divum Hilarium usurpasse verbum *adoptatur*, prout significat *adsciscí & assumi*, constat ex quo id enuntiet de *carnis humilitate*, non de Redemptoris persona; & ex quo tam aperte, ac luculenter lib. VI. omnem à Christo adoptionem repellat. Est tamen de hoc loco diversa Eruditorum sententia, affirmantibus aliis cum Vasquesio in 3. p. disput. 89. cap. 15. & præstantis ingenii viro Germonio p. 2. de vet. hæret. Eccles. Cod. corruptoribus legendum, non *adoptatur*, sed *adoratur*: contendentibus aliis retinendum esse verbum *adoptatur*, cum eximiis Scriptoribus Petavio lib. VII. de Incarnat. cap. 4. Custantio in Vind. vet. codd. & Vallarsio in Præf. ad Hilarium. Ac prior sententia nititur testimonio Hincmari, & Alcuini: quorum unus in Præf. ad lib. de Prædest. & in Tract. de non Trina Deitate scribit Felicem Orgelitanum tempore Caroli Magni Imperat. omnes Hilarii Codices quotquot arripere potuit adulterasse, & ubi scriptum erat, *Carnis humilitas adoratur*, suppositisse *carnis humilitas adoptatur*. Alter vero lib. VI. adversus Felicem inquit hunc verba Hilarii *consueta versutia immutasse*. Afferuntur etiam pro hac sententia vetusti Codices Corbejensis, & Veronensis, qui exhibent postremas syllabas verbi *adoptatur*, id est, *ptatur* loco cultellis abraso, aliena manu conscriptas, diversoque atramento, ut satis appareat fuisse olim scriptum *adoratur*. Accedit, quod nullus Codex, quem legerint aut Erasmus, aut Badius, aut Cribellus præferebat *adoptatur*, cum neuter edendo Hilarium ex scriptis exemplaribus accurate collectis hujusce lectionis meminerit. Tandem legendum esse *adoratur* etiam verborum sensus videtur evincere, cum eo loci agat Hilarius de exhibita à Magis adoratione, atque illa antithesi, *Dum carnis humilitas adoratur*, proferatur causa, cur inter vagitus, sordidosque pannos *potestatis dignitas non amittitur.*

23. Sensus Hilarii impugnatur.

Non destituitur tamen opposita sententia rationum præsidio. Nam Agobardus, qui ante Hincmarum de hæresi Feliciana accurate pertractavit, attentatæ à Felice depravationis non meminit, quam tamen Hincmarus ut rem notissimam venditat: Alcuinus vero de versuta potius interpretatione, quam de corrupto Hilarii loco videtur accipiendus. Deinde inter vetustos codices commendatur ab omnibus Vaticanus scriptus, ut inquit vir Cl. Mabillonius lib. v. de Re diplom. sub finem quarti sæculi, aut quinto ineunte; ubi abrasis literis p. t. aliena manu superinducta est lit. r quod aperte demonstrat antiquitus fuisse scriptum *adoptatur*. Atque id validum argumentum esse haud diffitetur ipse Germonius cap. 9. pag. 446. Quare arbitror ante tempora Felicis Orgelitani Hilarianos Codices variasse, Hincmarum vero illos à Felice existimasse corruptos, quod ipse diversæ lectionis Codicem haberet præ manibus, & revera Felix Aquisgrani exhibuisset præferentem verbum *adoptatur*. Quæ si vera sunt, haud facile erit Germonium inter & Custantium controversiam componere, genuinamque expiscari Hilariani textus lectionem. Accedendum tamen arbitror ad partes Custantii, cum ob Vaticani Codicis auctoritatem, tum ob orationis elegantiam sensumque verborum: nam & oratio minus apta videtur, si vox *adorandi* paulo ante posita repetatur, & in hoc ab Hilario instituitur antithesis, quod gloria, potestas, aliaque ornamenta divinitatis consistunt cum partu Virginis, vagitu infantis, pannorumque squallore, nec amittitur in *assumptione* carnis *dignitas potestatis*. Cæterum, quantum ad præsens attinet, sive *adoptatur*, sive *adoratur* legendum sit, nullum hinc habet Feliciana hæresis fulcimentum.

24. Vindicatur Cyrillus.

Quid autem de Cyrillo? Is cit. dialogo III. Tom. v. pag. 486. adoptionem accipit pro carnis assumptione; nam demonstrat *tunc vere datum esse Filio nomen, quod est super omne nomen, cum formam nostram assumpsit*, non autem post mortem tantummodo; ideoque licet servilem formam induerit, fuisse tamen à priori suæ conceptionis momento *Filium Dei verum ac germanum.* Imo paucis interjectis ait Christum *dejectum iri, si ex munere habeat filii Dei appellationem.* Ac in eodem dialogo pag. 489. ita ad rem nostram proloquitur: *Si quis autem interroget, utrum substantialem & naturalem filio tribuas filiationem, aut in sola Patris voluntate positam, sicut nimirum in nobis etiam conceditur, quid responderes Hermia? B. Substantialem quidem ego dixerim, sed non videbor adversariis vera loqui. A. Ita plane: sed adjicient delirare nos, & recta ratione destitui.*

Quis

Quis enim, quæso, istiusmodi sententiis adstipulari nolens eorum cachinnos effugiet, qui rabie sic efferati sunt, & eo intemperiarum venerunt, ut cogitandum putent adscititium esse filium, & in aliorum ordine positum?

25. Defenditur Athanasius.

Citatam contra Arium disputationem non esse Athanasii observarunt docti viri ex stylo, ex argumentis plerumque invalidis ne umbram quidem referentibus Athanasianæ ἐνεργίας, & ex vetustis in quibus non comparet, operibus ipsiusmet Athanasii. Vid. edit. PP. Ben. Tom. II. pag. 205. Scopus tamen hujus scriptoris est duas in Christo propugnare naturas, & humanam à divina distinctam: quam perinde æquiparat templo, filioque adoptato: ac num. 21. pag. 215. docet Christum nequaquam in duos filios dividendum esse, cum *unus sit invisibilis filius Dei, qui idem & visus est; incorporeus, qui & corpus assumpsit; immortalis, qui & carne mortem expertus est; intactus idem ac tactus:* & paulo ante num. 20. animadverterat non esse propter humanam naturam unum Dei filium seorsim nominandum, quemadmodum in Imperatore non imperat *seorsum homo, & seorsum purpura.* Verus autem Athanasius initio libri de Incarnat. Verbi pag. 1. ejusdem Volum. ait: *Qui igitur natus est ex Virgine Maria, Filius Dei natura, & Deus verus, non gratia, neque participatione, &c.* Eodem pacto Marius Victorinus duplicem in Christo naturam propugnat, & *adoptionem quamdam*, carnis scilicet assumptionem adstruit, non adscititiam atque nuncupativam *filietatem*, quoniam & ipse adversus Arianos decertat. Ad Missam Toletanæ Ecclesiæ respondent PP. Francofordienses in Epist. Synodica pag. 79. cit. Tom. IX. Ven. Collect. Concil. Gregorium Pontificem Romanæ Sedis clarissimum toto orbe Doctorem in suis Orationibus semper Christum filium Dei unigenitum nominare, atque opponunt collectam feriæ secundæ, & quartæ post Palmas, solemnisque diei Ascensionis dominicæ: quamquam in Missa olim à Toletanis decantata non *adoptio* in filium, sed *adoptio* tantum humanitatis & carnis, id est, humanæ naturæ assumptio exprimi videatur.

26. Objiciunt adversarii.

Præterea argumentantur à ratione. I. Est in Christo non tantum humana natura, quæ esse potest filiationis adoptivæ substratum, verum etiam *habitualis* gratia, quæ tribuit spiritum sanctificationis, arrham hæreditatis, & adoptionem filiorum, neque tali efficientia carere debet, cum juxta proloquium Scholasticum effectus *formalis* necessario formam suam consequatur. Deinde cum Christus ratione humanitatis dicatur recte crucifixus ac mortuus, & juxta quorumdam sententiam servus quoque, Deique famulus, curnam eodem pacto dici nequit filius nuncupativus atque adscititius? Contra si in quantum homo est, non satis apposite appellatur Deus, ne duarum naturarum intelligatur permixtio: quo jure dicetur secundum rationem illam, qua est homo, filius Dei naturalis, maxime cum idem prorsus sit Deus, ac Filius Dei? Rursus qui non est filius per generationem, non est filius natura. Christus vero secundum humanitatem non est genitus à Patre, ideoque nec natura ejus filius. Præterea nonne in quantum homo Christus est Patri extraneus? In eo itaque salvari potest tradita definitio adoptionis. Tandem sunt in Christo duæ filiationes, æterna una, altera temporalis: ac debet utrique diversus terminus respondere. At per filiationem æternam Christus est filius Dei naturalis; igitur per filiationem adventitiam ac temporalem est Dei filius assumptus, & adventitius.

27. Respondetur.

Resp. ad primum, non naturam, sed personam esse adoptionis subjectum: gratiæ autem *habitualis* præcipuum effectum esse animi decorem, divinæque participationem naturæ, & adoptionem filiorum per hanc gratiam iis tribui, qui Deo extranei sunt, nec habent ad hæreditatem jus proprium ac personale, quemadmodum habet Christus, cui proinde non impertitur gratia secundarium effectum adoptionis propter personæ dignitatem ac naturalem filiationem. Atque pervulgatæ huic responsioni addo Spiritum sanctum, per quem gratia, & charitas in cordibus nostris diffunditur, esse Spiritum proprium filii ad Rom. VIII. 9. & 1. Joann. IV. 13. ideoque gratiam in nobis efficere adoptionem filiorum & adventitium jus ad regnum, quoniam sanctificamur per spiritum Christi, at in ipso Christo jus non adscititium sed proprium, propterea quod sanctificatus est proprio Spiritu; quam responsionem confirmo auctoritate Cyrilli scribentis Dialogo III. de Trinit. Tom. V. pag. 492. *Qui ergo nos mortales filiationis gloria ornat, Spiritus nimirum, cum sit Filii, in aliis quidem adoptionem præstabit, nihil autem prorsus aget in eo, cujus est non adscititius neque extrinsecus inductus, sed substantialiter ejus est, & per ipsum Patris voluntate effunditur in eos, qui illo digno reperti fuerint.* Quod sequitur expedi-

tionem habet facillimam, quandoquidem hæc vocabula, *Deus*, *homo*, *servus*, *passus*, *crucifixus* spectant per se ac directe naturam, & ratione naturæ conveniunt personæ: adoptio autem & *filietas* personarum sunt nomina, & juxta ea quæ diximus de communicatione idiomatum, vocabula, quæ significant hypostasim, nequeunt naturæ competere: quamquam si naturæ humanæ conveniret filiatio ratione personæ, non esset nisi *filietas* naturalis, quia persona Christi naturalis filius est, non adscititius. Proximum hac ratione diluitur. Quamvis Mastrius in III. disput. 2. q. 5. art. 1. distinquat filium proprium à naturali, tradatque Christum ut hominem esse filium proprium ob unitatem personæ, non esse naturalem ob peractam in tempore generationem, atque juxta hanc sententiam à Belluto, aliisque probatam salvetur Christum ut hominem esse filium Dei proprium, licet non sit naturalis: asserimus tamen ad filiationem naturalem sufficere hypostaticam unionem, sicuti hæc sufficit ut beata Virgo sit vera, propria, ac naturalis Dei mater, prout paulo supra explicavimus: quare negamus Christum non esse filium Dei naturalem, etiamsi ut homo non procedat per generationem à Patre. Dicendum tamen arbitramur cum nostro Basilio Legionensi Tom. 1. variarum disput. relect. 4. quem plurimum commendat Gabriel à S. Vinc. disp. XXIII. dub. 4. hanc filiationem naturalem repetendam esse ab æterna divini Verbi generatione, quia ideo Christus *homo* est filius Dei naturalis, quia per unionem hypostaticam subsistit hypostasi Verbi, quod vi generationis æternæ est naturalis Dei filius: non ut putant Vasquesius disput. 89. cap. 14. & Suarez disput. 49. sect. 1. quia per unionem hypostaticam Christus ut homo habet jus ad hæreditatem filiorum. Præcisa enim æterna generatione non esset in Christo naturalis filiatio, quemadmodum hæc non esset si Spiritus sanctus, non Verbum, carnem assumpsisset humanam, quamvis non deesset in hac hypothesi jus ad gloriam, & hypostatica unio. At quod proximo loco sequitur, nullius est momenti; nec enim naturæ competit filiatio, ut dictum est sæpenumero, nec natura, quæ substantialiter est unita, appellari potest extranea. Ad ultimum reponimus non unam esse Doctorum Scholæ de duplici Christi *filietate* sententiam. Thomistæ enim cum Angelico Præceptore q. 35. art. 5. filiationem unicam adstruunt, eamque æternam ob unitatem suppositi: at Scotistæ cum Subtili Doctore in III. dist. 8. filiationes propugnant duas, ob æternam, ac temporalem generationem: affirmatque Franciscus Macedo Scoti argumentationes talis generis esse, ut iis Cajetanus non potuerit satisfacere. Videsis Macedi Collat. III. diff. 3. sect. 2. Attamen non videtur nobis dissidium istud tanti, ut inquiunt, momenti; nam si generationes ad suum referantur principium, æterna scilicet ad patrem, ac temporalis ad matrem, duæ sunt procul dubio; si ad terminum, id est, ad personam genitam, nonnisi una potest adstrui: & quoniam, dum *filiationem* dicimus, percipimus relationem ad personam genitam, magis arridet nobis opinio unam in Christo *filietatem* asserentium; quamquam si duas placeat adstruere, minime consequetur duos esse filios, sed unum naturalem ac proprium duas habens veluti *habitudines*, unam ad patrem, ad matrem alteram; quoniam, ut diximus, duæ istæ *filietates* discriminabuntur ex parte generantium, non respectu termini, sive personæ genitæ. Atque hactenus de hæresi Feliciana.

CAPUT III.

Quo sensu dicatur ab Apostolo Christus Jesus *prædestinatus Dei Filius.*

SUMMARIUM.

1. Varia DD. placita.
2. & 3. Explicatur textus D. Pauli.
4. Christus prædestinatus est filius Dei.
5. & 6. Objectioni satisfit.

1. Non conveniunt Auctores.

HÆRET quorumdam menti levis hæc difficultas, quare Christus dici nequeat filius Dei adoptivus, si ad hanc filiationem evectus est gratia, ac prædestinatione divina; & qua ratione prædestinatus dici possit, si persona, quæ prædestinationis subjectum est, extitit ab æterno, atque natura, non gratia ei convenit divina filiatio. Qua in re fuit opinio Durandi in III. dist. VII. q. 3. non

3. non posse Christum servato verborum rigore dici *prædestinatum* filium Dei, propterea quod nequeant alicui prædestinatione competere, quæ ipsum natura, vel tempore minime consequuntur: posse tamen dici *prædestinatum* improprie, quatenus *hypostatica* unio est maxima gratiarum omnium. Verba autem Apostoli scribentis ad Rom. 1. 4. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute*, Durandus cum Græcis PP. ita exponit, ut idem sit *prædestinatus*, ac *manifestatus* & *declaratus*: quam interpretationem & nos tradidimus hoc eodem Volumine pag. 51. & pag. 125. non ita tamen, ut Christi prædestinationem luculentissime ab Augustino commendatam rejecerimus. Non enim Græcorum Latinorumque Patrum sententiæ pugnant invicem; quoniam contradictionem non implicat, id fuisse in tempore miraculorum gloria comprobatum, quod fuerat ab æterno præcognitum ac definitum.

2. Explicatur S. Paulus Apostolus.

Itaque primum dico, posse recte testimonium Apostoli hoc pacto exponi, ut idem valeat τὸ *prædestinatus*, ac certo *pronuntiatus*, ac *declaratus*. Enimvero ita habemus in Græcis, Τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει. Est autem ὁρισθέντος idem ac *declarati*, & *demonstrati*, ab ὁρίζειν, quod non solum significat *definere*, *& decernere*, verum etiam *certo pronuntiare*, *ac declarare*. II. Syriaca versio Tom. v. Bibl. Walt. pag. 636. habet: *Et agnitus est filius Dei in virtute.* Aethiopica etiam ibidem: *Quem declaravit esse filium Dei.* III. Habent Græcorum Scholia citata in hunc locum ab Erasmo: ὁρισθέντος, τέτ' ἐστιν, ἀποδειχθέντος, ἀποφανισθέντος διά τε τῶν προφητῶν, διά τε τῶν τοσαυτῶν θεσημείων, διά τε τῆς ἀναστάσεως, *definiti, hoc est, demonstrati, declarati, tum per prophetas, tum per tot divinitatis signa, tum per resurrectionem.* Revera Chrysostomus hom. 1. in Paulum pag. Edit. Commelin. 8. ita textum illum exponit: *Qui declaratus est, miraculis, quæ edidit, magnum potentiæ argumentum præbens.* Theophylactus pag. 5. *Nunc igitur asseruit, quanta ratione cognitus sit filius Dei.* Oecumenius pag. 203. edit. Paris. *Qui demonstratus & manifestatus est, &c.* IV. Etiam D. Hieronymus in Epist. ad Ephes. cap. 1. pag. edit. Martin. 326. inquit: *De filio vero, hoc est, de Domino, Nostro Jesu Christo in alio loco* (ad Rom. 1.) *scriptum est*, ὁρισθέντος: *quia semper cum patre fuit, & nunquam eum ut esset divina voluntas præcessit; de iis verò, qui cum antea non essent, postea subsistiterunt, dicitur* προορισθέντες: quæ Hieronymus videtur mutuatus ex Origene similia in eundem locum tradente. V. Cum Apostolus eo loci commemoret divinam potentiam ac virtutem, sanctificationis spiritum, & resurrectionem ex mortuis, opponatque nativitati secundum carnem ex semine David æternam generationem & virtutem, qua à mortuis surrexit, haud obscure commonstrat hunc suorum verborum sensum esse, declaratum fuisse tot signis Redemptorem nostrum factum ex muliere esse filium Altissimi unigenitum, ac sempiternum.

3. Ulterior Explicatio.

Huic tamen interpretationi non repugnant Augustinus, cæterique asserentes Christum fuisse revera prædestinatum filium Dei. I. Vulgata nostra, imo quot-quot scripserunt ante Hieronymum, legerunt *Prædestinatus*, nec magna caret probabilitate olim fuisse scriptum προορισθέντος, ut nititur demonstrare Zegerus. Sane ita legit Irenæus lib. III. cap. 18. ex dist. Massuet. 16. num. 3. & cap. 32. nunc 22. n. 1. προορισθέντος legit quoque Epiphanius hæresi LIV. quæ est Theodotianorum Tom. 1. pag. 467. & Origenes, non quidem in Comment. sed lib. 2. περὶ ἀρχῶν cap. 4. II. Latini hanc lectionem præferunt, Tertullianus contra Praxeam, & Hilarius lib. VII. de Trinitate, qui Hieronymum præcesserunt, deinde Augustinus de SS. Prædestinat. cæterique omnes. III. Etsi detur olim scriptum fuisse ὁρισθέντος, etiam ὁρίζειν, in sacris literis idem valet ac προορίζειν; nam Lucæ XXII. 22. de Christi passione legitur, κατὰ τὸ ὡρισμένον, *secundum quod definitum est*: & Act. II. 23. τοῦτον τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ, καὶ προγνώσει τοῦ Θεοῦ ἐκδοτον. *Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum.* Et Act. X. 42. de ipso Christo legitur, ὡρισμένος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ κριτὴς ζώντων, καὶ νεκρῶν, *constitutus à Deo judex vivorum & mortuorum*: quare pro eodem frequentissime usurpatur ὁρίζειν, & προορίζειν, ut prænotavimus lib. VI. cap. 9. IV. Profani quoque Scriptores usurpant verbum ὁρίζειν pro *statuere*, ac *definire*, ut erudite demonstrat in Comment. linguæ Græcæ Gul. Budæus pag. 704. V. Si Christus appellatur 1. Petri 1. 20. *Præcognitus ante mundi constitutionem:* quare dici nequit prædestinatus? VI. Hic Petri locus, in quo dicitur Christus *præcognitus* ab æterno, *manifestatus autem novissimis temporibus*, egregie explicat alterum Pauli textum, conciliatque Græcorum Latinorumque sententiam; quoniam quæ ab æterno in Dei præscientia definita sunt, hæc statu-

tis temporibus eveniunt & declarantur; ac proinde quod ait Apostolus, *Prædestinatus est filius Dei*, recte Latini interpretantur, *Prædefinitus est ante mundi constitutionem*, rectę Græci, *Declaratus per resurrectionem ex mortuis*; ita ut ὁρίζειν idem valeat, sive sit *definire & prædestinare*, sive *complere ac declarare*, quod ab æterno fuerat prædefinitum.

4. Conclusio Auctoris probatur.

Explicato à nobis hac ratione Paulino textu, & ad concordiam revocatis Latinis, Græcisque Patribus, liquet admittendam esse hanc assertionem, *Christus prædestinatus est filius Dei*: quam non solum Augustinus enuntiat, sed etiam ea utitur ad refellendam hæresim Pelagianam. Enimvero quidquid in tempore completur, præsertim si beneficium Dei sit, & ad communem utilitatem præordinatum, illud omni dubio procul fuit in Dei præscientia, ac præfinitione dispositum. Si ergo Christus Dominus non fuit prædestinatus filius Dei, nec in tempore conceptus erit ac natus, aut saltem non erit id singulare Dei beneficium, & gratiæ donum maximum ac præstantissimum. *Quisquis igitur filium Dei prædestinatum negat, hunc eundem filium hominis negat*, inquit S. Pater Augustinus Tract. cv. in Joan. num. 8. Deinde quidnam est divina prædestinatio, nisi eorum, quæ per gratiam fiunt in tempore, æterna ac definita præscriptio? At Salvatorem nostrum factum Dei filium per gratiam unionis *hypostaticæ*, nullis præcedentibus meritis & Augustinus non uno in loco declarat, & manifesta ratio demonstrat. Attulimus Augustini verba deprompta ex cap. xv. de Prædest. SS. num. 30. eaque late explicavimus lib. vi. cap. 6. arg. 6. Legi potest & Tract. lxxxii. in Joan. num. 4. & lib. 1. Operis Imperf. contra Jul. num. 136. Ratio autem ab Augustino tradita est, quoniam *illam susceptionem hominis nulla merita præcesserunt, sed ab illa susceptione merita cuncta cœperunt*, inquit S. Pater Tract. nuper laudato. Quid enim mereri poterat antequam esset? quandonam ante *hypostaticam* unionem extitit Christus *homo?* an non idem prorsus est Verbum fieri hominem, & humanam naturam *hypostatice* uniri Verbo? *Quid* ergo Christus *egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc excellentiam perveniret?* ait de Prædest. SS. Gratiæ Dei invictissimus Propugnator. Itaque si assumptio humanitatis ad Filii Dei dignitatem munus est gratiæ, hanc Deus ab æterno prædefinierat. Huic consimile est argumentum D. Thomæ 3. p. q. 24. art. 1. Præterea nisi in Christo prædestinationem adstruamus, pereunt argumenta complura, quibus S. P. hæresim Pelagianorum profligavit, evincens gratiæ, ac prædestinationis beneficentissimam largitatem ex eo quod, sicut Christus absque præcedentibus meritis prædestinatus est Filius Dei, caput Ecclesiæ, & Redemptor universorum, ita nos cum essemus filii iræ, & luteæ massæ figmentum, prædestinati sumus in Christo, ut simus membra ipsius, ejusque imaginis conformes, atque, uti speramus, gloriæ, regnique cohæredes. Atque hinc est, quod idem Christus bene sapienterque appellatur *præclarissimum lumen prædestinationis, & gratiæ*. Verum necesse non est, ut diu in his immoremur, neque inquiramus singillatim ad quæ munera fuerit piissimus Redemptor noster prædestinatus: cum enim prædestinatus fuerit ad naturalem Dei filiationem, etiam prædestinatus fuit ad habendam in assumpta humanitate *claritatem*, quam habuit, ut Deus, *antequam mundus fieret;* & ad præclarissima ornamenta, quæ Verbi Dei dignitatem, & Mediatoris officium & characterem sequuntur, cujusmodi sunt sedere ad dexteram Patris, habere in cælo, & terra plenissimam potestatem, judiciique faciendi summam auctoritatem.

5. Objicitur & Respondetur.

At enim, inquis, cum Verbum æternum sit, habeatque Filii Dei claritatem natura, & sempiterna generatione, quomodo potest dici prædestinationis divinæ *subjectum?* Ut hunc nodum solvant, reponunt Scholasticorum aliqui hujus prædestinationis subjectum esse naturam humanam, non autem personam Verbi. Sed, præterquamquod naturæ non convenit *filietas*, Apostolus inquit illum prædestinatum esse filium Dei in virtute, *qui factus est ex semine David secundum carnem*, id est, personam Verbi, de qua in Evangelio Joannis: *Verbum caro factum est.* Dicendum itaque *subjectum* prædestinationis esse personam Verbi, non in quantum Verbum est, sed in quantum *caro factum est*: sub qua ratione tempori subjicitur: ita nimirum S. Pater Tract. cv. in Joan. n. 8. *Recte quippe dicitur non prædestinatus secundum id, quod est Verbum Dei, Deus apud Deum. Ut quid enim prædestinaretur, cum jam esset quod erat, sine initio, sine termino sempiternus? Illud autem prædestinandum erat quod nondum erat, ut sic suo tempore fieret, quemadmodum ante omnia tempora prædestinatum erat, ut fieret.* Idem propugnat S. Thomas cit. art. 1. ad

ad 2. Neque penes me aliquid ingerit difficultatis quod aliqui opponunt, *terminum* prædestinationis posteriorem esse *subjecto* ejusdem prædestinationis, *filiationem* autem Dei naturalem eodem momomento attributam Verbo secundum carnem, quo ipsam carnem assumpsit: nam præter vulgatam responsionem, quod hic adest *prioritas* rationis, imo ipsa naturalis *filiatio* oritur ex unione *hypostatica*, eamque supponit: dum assero Verbum secundum carnem esse subjectum prædestinationis divinæ, & ejusdem prædestinationis terminum esse Dei *filiationem*; quamvis oratione utar Scholastica, nihil aliud percipio, quàm Deum ab æterno absque ulla meritorum præscientia prædefiniisse perficiendam in tempore *Incarnationem*, ob quam idem esset filius hominis, & filius unigenitus Dei. Atque hanc mentis meæ perceptionem nequaquam obnubilat subjecti, termini, aliorumque vocabulorum caligo.

10. Roboratur Responsio.

Illud potius disquirendum esset, quomodo si Christus per gratiam, & nullo meritorum intuitu prædestinatus est filius Dei, nequeat tamen dici filius per adoptionem; nisi sublata verborum æquivocatione res per semetipsam patescéret. Aliud quippe est per gratiam naturam humanam uniri Verbo: aliud per gratiam Christum hominem esse filium Dei. Primum significat unionem *hypostaticam*, per quam natura humana subsistit hypostasi Verbi, magnam esse gratiam, quam Christus præcedentibus operibus non poterat promereri: atque hoc ultro conceditur. Aliud significat personam subsistentem per gratiam fuisse evectam ad *filiationem* Dei; quod falsum est penitus. Illud verum est, quia humana natura ante unionem non poterat promereri; istud est falsum, quoniam persona subsistens est filius non adscititius, sed naturalis. Quare gratia unionem spectat, & ex unione consequitur naturalis *filiatio*: unde recte diximus cap. præcedenti in resp. ad 1. Christum per gratiam prædestinatum fuisse ad *filiationem* Dei naturalem. Haud obscure id insinuat Augustinus scribens citato cap. 15. de Prædest. Sanct. Salvatorem nostrum singulari Dei munere, nullisque suis vel operum vel fidei præcedentibus meritis fuisse prædestinatum, quoniam prædefinitum fuerat, *ut ille homo à Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus, filius Dei unigenitus esset.* Atque hæc de prælaudato Pauli textu, & de Christi prædestinatione.

CAPUT IV.

Quare Christus dicatur natus de Spiritu sancto, *nec tamen ejusdem Spiritus sancti sit filius.*

SUMMARIUM.

1. Status Quæstionis.
2. Probatur, incarnationem ob Mysterii significationem tribui Spiritui S.
3. Quin tamen dici possit Filius Spiritus S.
4. Solvitur objectio.

1. Status Quæstionis.

VERBA Angeli Josephum virum Mariæ alloquentis Matt. 1. 20. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*, & quæ continentur in Apostolico Symbolo, *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine*, moverunt Magistrum in III. dist. IV. & qui in illum ediderunt Commentaria, nec non D. Thomam 3. p. q. 32. ad inquirendum, cur Christi conceptio tribuatur Spititui sancto, nec tamen sit ipse Spiritus pater Christi. Ad quam difficultatem dirimendam plurimum valere distinctionem particularum *de*, & *ex*, quarum illa de Spiritu, altera de Virgine usurpatur in Symbolo, nonnulli ingenioli Scholastici adnotaverunt. Sed quamquam distinctionem ipsam caute fateamur adhibitam: in Græco Evangelii textu, quemadmodum Matth. 1. 16. de Maria Virgine legitur, ἐξ ἧς ἐγεννήθη Ἰησοῦς, *de qua natus est Jesus*, ita versu 20. habetur, ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου, *De Spiritu sancto est*, eadem particula *ex* repetita. Atque hinc Erasmus, aliique Grammatici occasionem arripuerunt deridendi Scholasticorum observationes; sed immerito, diversum quippe sensum, quem non exhibet Græcorum particula, optime expressit Latinus Interpres, usu & auctoritate Ecclesiæ probatus.

2. Incarnatio tribuenda est Spiritui sancto.

Nos tamen, ut facilius difficultati occurramus, primum dicimus Verbi *Incarnationem*, tametsi efficienter à tota perfecta sit Trinitate, ob Mysterii significationem

tionem esse tribuendam Spiritui sancto, eo ferme pacto, quo de specie Columbæ disseruimus vicesimo capite libri VII. Ac prima ratio est, quam innuimus in Exposit. Symboli Vol. IV. pag. 239. scilicet, ad commonstrandum non ex semine viri Christum fuisse conceptum, ut autumarunt Ebionæi, sed supra naturæ ordinem, divinaque virtute: quæ enim divinitus efficiuntur, speciali titulo Spiritui sancto sunt attribuenda, ut Exodi VIII. 19. patrata à Moyse miracula, Joelis II. 28. munus prophetandi, Mat. XII. 28. expulsio dæmonum, & Isaiæ LXI. 1. ipsum opus præstantissimum Incarnationis. Ob eam rem Chrysostomus hom. 2. in Matth. inquit Christum dici natum de Spiritu sancto, quoniam ipsius conceptio nova fuit, mirabilis, *& humanis cogitationibus supereminens, super legem vadens omnem naturæ.* Altera ratio ex eo petitur, quod Christi *Incarnatio* magnum est, præclarissimumque gratiæ beneficium, ut diximus capite præcedenti. Etenim Spiritui sancto gratiarum dona tribuuntur in 1. ad Corinthios VII. 4. propterea quod ipse est Charitas & Amor Patris, & Filii, imo appellatur *donum Dei*, Joan. IV. 10. & Act. VIII. 20. ideoque Augustinus in Enchiridio cap. XXXVIII. num. 12. postquam ostendit humanæ naturæ assumptionem fuisse maximam gratiarum omnium, *Quæ gratia*, inquit, *propterea per Spiritum sanctum fuerat significanda, quia ipse proprie sic est Deus, ut dicatur etiam Dei donum.* Tertia ratio illinc promitur, quod Spiritui sancto tribuitur sanctificatio, castitatis decor, peccatorum remissio, Dei cum hominibus habitatio, & æternæ beatitudinis arrha, ut liquet ex Epist. ad Rom. cap. 1. 4. ad Ephes. 1. 13. & 2. ad Corinth. 1. 22. Quare dum Christum natum asserimus de Spiritu sancto, profitemur ejus conceptionem cujuslibet contagionis peccati fuisse expertem, celebramus eximii partus sanctitatem, uberrimumque fructum Redemptionis, præsertim peccati remissionem, regnique cælestis hæreditatem.

3. Quin tamen Christus dici possit filius Spiritus S.

Deinde affirmamus Christum dici non posse Spiritus sancti filium; hancque apertissimam rationem proferimus, quod *filiatio*, ut supra disputatum est, nonnisi *supposito* competat. *Suppositum* autem cum sit persona Verbi, à quo Spiritus sanctus procedit, non potest ab eodem Spiritu sancto procedere & generari: ideoque recte appellamus Spiritum sanctum *Spiritum Christi*, non vero Christum *filium Spiritus sancti*. Atque hanc rationem affert etiam eximius Ecclesiæ Doctor S. Bonaventura in III. dist. IV. art. 1. Accedit altera ratio invictissima, quod servata verborum proprietate ille tantum dicitur *Pater*, qui alteri substantiam propriam communicat: Spiritus autem sanctus Christo neque naturam humanam generatione impertitus est, quoniam Spiritus ea caret, neque communicavit divinam, quia, ut paulo ante dictum est, hanc potius Spiritus sanctus per *processionis* originem habet à Filio. Postrema ratio huic similis est, quod Christus nequit appellari Filius Dei, nisi ob æternam divinamque generationem, quemadmodum cap. 2. præced. fuit declaratum. Inæterna autem, divinaque generatione Christus à Patre, non à Spiritu sancto procedit. Nequit ergo Spiritus sanctus appellari *Christi pater*.

4. Objectioni occurritur.

Neque officit, quod Christum *natum de Spiritu sancto* affirmet Evangelista. Sapientissimus enim Augustinus laudato cap. XXXVIII. Enchiridii, ubi quæstionem hanc egregie pertractat, docet non omne quod nascitur ex altero, ejus filium esse, cum aliter de homine nascantur filii, aliter capilli, qui filii dici nequeunt; sicuti nec aquæ dicuntur filii, sed Ecclesiæ, qui per Sacramentum baptismatis regenerantur. Nimirum, ut nuper dicebam, ad constituendum *patrem* requiritur ejusdem naturæ participatio, quam filius vi generationis habet ab ipso patre. Si autem quæras, cur Christus ratione creationis, atque sanctificationis dici non possit Spiritus sancti, imo sui ipsius, & totius Trinitatis filius, cum Deum nomine Patris oraverit Joan. XVII. 1. quemadmodum nos quotidie facimus in Dominica oratione: adhibenda est eadem responsio, id est, quod esse filium convenit personæ Christi ratione generationis æternæ: persona autem genita ad solum Patrem refertur: atque juxta D. Thomæ doctrinam 3. p. q. 32. art. 3. qui dicitur filius ratione generationis, non debet appellari filius ob creationem, vel sanctificationem; *quia quod de aliquo dicitur secundum perfectam rationem, non est dicendum secundum rationem imperfectam.* Quamobrem oratio Christi, quamvis totam Trinitatem exoraverit, peculiari ratione dirigebatur ad Patrem; quemadmodum ad ipsum Patrem speciali titulo refertur vox, quæ intonuit in Christi baptismate, Mat. III. 17. & Lucæ III. 22. tametsi tota Trinitas vocem illam sit operata, ut docet in quarto de Trinitate cap. 21. præclarissimus divinarum rerum scrutator, Theologorumque columen Augustinus.

CAPUT

CAPUT V.

Possitne Christus appellari Dei servus, creatura, homo Dominicus, homo Deifer?

SUMMARIUM.

1 & 2. Præliminaria ad resolutionem.
3. Sententia Auctoris.
4. 5. 6. & 7. Prima propositio probatur.
8. & 9. Solvuntur objectiones.
10. Probatur, Christum ratione assumpti hominis dici posse creaturam.
11. 12. 13. Expedit tamen abstinere à similibus enuntiationibus.
14. & seqq. An Christus revera dici possit compositus.

1. Variæ Auctorum sententiæ.

CHRISTUM Dominum appellandum non esse Dei servum tradiderunt Hadrianus I. ac Patres Francofordienses, Joannes Damascenus lib. III. de fide Orthodoxa, & ex Scholasticis Vasquesius disp. VIII. cap. 3. L' Herminier Tom. III. p. 377. Du-Hamelius lib. 3. de Incarnat. cap. 6. Juenin Dissert. VI. q. 5. Thomassinus, aliique non pauci. At oppositum tradiderunt complures PP. paulo post laudandi, iisque accessit universa fere Thomistarum, & Scotistarum schola, haud repugnantibus ex nostratibus Romano Aegidio dist. 10. lib. 3. Gavardi de Incarn. q. VI. art. 5. Gibbon disp. 22. dub. 6. nec non Leonardo Coquæo in cap. 34. lib. XVIII. de Civit. Dei, & Lupo in Scholis ad VI. S. Cyrilli Capitulum. Facile autem conciliari utramque sententiam, si diversa hujus vocabuli *servi* significatio spectetur, docuit Petavius lib. VII. de Incarnat. cap. 9. & Tournely q. XII. §. 2. Nam si *servum* illum dicimus, qui alteri subjectus est, eique obtemperat, sed aliàs ingenuus est, bonorumque Domini particeps, quæ est impropria *servitutis* acceptio; servum esse Dominum Jesum Christum fatentur: secus, si servum illum intelligamus, qui omnino juris est alieni, & libero, ingenuoque opponitur.

2. Explicatur servitus.

Verum hi naturalem, & legalem servitutem videntur confundere, quam tamen accurate distinxerunt Scholastici, Gonet præsertim disput. 22. art. 1. Mastrius disp. 11. q. 7. & præcitatus Gavardi. Servitus itaque, per quam famulus distinguitur ab ingenuo, est servitus *legalis*, quæ definitur l. 4. §. 1. de statu hom. *constitutio juris gentium, qua quis Domino alieno contra naturam subjicitur:* juxta quam acceptionem *servus* dicitur à *servando*, quod Imperatores servare captivos, quàm occidere mallent, ut cum Jurisconsultis ait Augustinus lib. XIX. de C. D. cap. 15. At servitus naturalis illa est, per quam juxta naturæ legem quis alteri subjicitur: secundum quam significationem *servus* dicitur à *serviendo*. Atque ad servitutem *legalem* illa reducitur, per quam homo dicitur *servus peccati*, quoniam per culpam subjicitur dæmoni: à qua servitute liberamur per gratiam Christi, docente Apostolo ad Galatas IV. 31. *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ; qua libertate Christus nos liberavit.* Ad servitutem vero naturalem spectat etiam conditio, qua filii nondum emancipati parentibus subjiciuntur, scribente eo loci Apostolo v. 1. *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo:* & potiori jure ad hanc servitutem reducitur subjectio, per quam omnis creatura dependet à Deo, eique tenetur obtemperare, quoniam filius emancipari potest, & ex jure patris exire, at creatura nequit subtrahi à dependentia, quam habet à Deo.

3. Sententia Auctoris.

Nostra itaque sententia est, Christum non posse dici servum Dei, si loquamur de *servitute legali*, & de *servitute peccati*, de qua locutos cum Hadriano Patres Francofordienses, inde potest inferri, quod Felix & Elipandus deprædicabant Christum filium Dei alienum & adscititium, & qui aliquando etiam sanctificatione indiguerit, ut liquet ex præcedenti cap. 2. Affirmamus etiam non posse dici servum *absolute ac simpliciter*, quemadmodum nec *necessitate & naturali conditione*, in quantum persona Verbi sponte ac libere formam servi assumpsit. Asserimus tamen non repugnare, quin dicatur servus ratione naturæ humanæ servitute *naturali*, non quatenus istiusmodi servitus Verbo Dei, & Christi personæ necessaria conditione conveniat, cum servi formam libere assumpserit, sed quatenus ratione naturæ assumptæ est revera factus sub lege, Deo subjectus, eique debebat morem gerere, obtemperare, ac servitutem, & obsequium tanquam famulus exhibere.

4. Propositio I.

PROPOSITIO I. Contradictionem non implicat Christum dici servum sensu explicato.

Prob. ex Scriptura.

Id enim Scripturæ, Patribus, ac rationi magis videtur conforme. Et quidem quod ait Psalmographus LXXXV. 16. *Da imperium tuum puero tuo, & salvum fac filium ancillæ tuæ;* nec non Ps. CXV. 7. *O Domine quia ego servus tuus; ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ*, de Christo interpretatur non solum auctor Altercationis cum Pascentio, sive vetus Epistola 178. inter Augustinianas, sed etiam laudandus infra Ambrosius lib. v. de Fide cap. VIII. num. 109. De ipsomet Christo locutus est Isaias cap. 42. 1. *Ecce servus meus, suscipiam eum*: quem locum juxta Græcorum versionem citat Matthæus c. XII. 18. *Ecce puer meus electus, quem elegi*, & Christo tribuendum esse declarat. Nullius autem est momenti, quod aliqui reponunt legi in Græco vocabulum παῖς, *puer*, quo non servus, sed filius significatur: cum & παῖς, *puer*, servum frequentissime sonet, denotetque famulos, ancillas, domesticos, liberos etiam, omnemque familiam, exceptis parentibus. Videatur in Lexico Robertus Constantinus, & Erasmus in Matth. At ambiguam hujusce vocis significationem tollit hebraicum עברי, *servus meus*, quod extat in Hebræorum Codice, & in Vulgata citato cap. XLII. Isaiæ, & cap. XLIX. 6. ubi legitur: *Ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob*: quem pariter locum de Christo interpretatur Ambrosius. Similiter de Christo inquit Zacharias III. 8. *Adducam servum meum orientem*; ideoque falluntur, qui negant Christum nunquam in sacris literis servum Dei nuncupari. Neque nomen *servi* duntaxat in utroque testamento tribuitur Christo, sed nominis etiam res ac substantia, scribente Apostolo ad Galat. IV. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege:* ad Philipp. II. 7. *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens*: & 1. ad Corinth. XV. 28. *Ipse filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia.* Quid est autem, quæso, fieri sub lege, accipere formam servi, & subjectum esse, nisi esse servum?

5. Probatur ex Auctoritate Patrum Græcorum.

His robur addunt Patrum cum Græcorum, tum Latinorum traditæ allatis Scripturæ testimoniis interpretationes. Nam S. Cyrillus in Apologet. 6. Anath. Tom. VI. pag. 223. ait: *Forma servi assumpta frater appellatus est eorum, qui sub servitute erant, hoc est nostrer: & factus est sub lege quasi homo, qui ut Deus legislator est. Quocirca si quis dicat eum appellatum esse servum per vocem sanctorum Prophetarum, nullo modo offendi decet.* Theodoretus ipse, quem nobis objiciunt, in Ezech. Tom. II. pag. 488. inquit: *Tanquam homo ipse servus est, idque secundum naturam, non secundum dignitatem:* & paucis interjectis: *Servus igitur vocatus est, ut homo, & hoc sicut dixi non secundum dignitatem, sed secundum naturam, servi enim formam assumpsit.* Atque in Epistolam ad Galat. eodem Volum. p. 507. *David autem Dominum dicit Christum, ut ex David secundum carnem oriundum, servum vero propter humanam naturam: cum enim in forma Dei esset, formam servi accepit. Ut assumptam igitur naturam ostendat, servum nuncupavit, hoc est, ex servili secundum carnem natura ille genitus est. Non enim servus est omnium Dominus Unigenitus, neque enim qua Deus David nominatur, sed qua ex David David appellatur, secundum assumptionem autem servus est.* Idem tradunt alii Græcorum, præsertim S. Athanasius paulo post laudandus.

6. Probatur ex Auctoritate PP. Latinorum.

Ex Latinis tres omnium ore celebratissimos proferam, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum: quorum primus epist. 49. novæ edit. num. 3. ait: *Etenim secundum formam servi locutus Dominum vocavit, quem patrem noverat, æqualis in Dei forma, servum secundum carnis substantiam se prædicans:* & proximo num. 4. *Eramus enim mortui, & ideo unus pro omnibus servus factus est.* Citato autem lib. v. de Fide cap. VIII. n. 18. *Nec solum*, inquit, *ex genere David servitutem suscepit in persona hominis, sed etiam ex nomine, sicut habes: Inveni David servum meum, & alibi, Ecce ego mittam ad vos servum meum, Oriens nomen est ei. Et ipse Filius ait: Sic dicit Dominus, qui finxit me ex utero servum sibi, & dixit mihi: Magnum tibi est vocari puerum meum, &c. Cui hoc dicitur, nisi Christo? qui cum in forma Dei esset, exinanivit se, & formam servi accepit:* proximoque numero 109. *Disce igitur quid sit, Formam servi accepit, id est, plenitudinem perfectionis humanæ, plenitudinem obedientiæ. Ideoque dicit in Psalmo trigesimo: Illustra faciem tuam super servum tuum. Servus dictus est homo, in quo sanctificatus est: servus homo, in quo unctus est: servus homo, in quo factus sub lege, factus ex Virgine est; & ut compendio dicam, servus dictus est, in qua matrem habet, sicut scriptum est: O Domine, ego servus tuus; ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Hieronymus in Isaiam Tom. III. pag. 317. hæc habet: *Nec mirum*

mirum, si servus vocetur factus ex muliere, factusque sub lege, qui cum in forma Dei esset, humiliavit se, formam servi accipiens, & habitu inventus ut homo. Augustinus denique lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 34. ait: *Ezechiel quoque more prophetico per David Christum significans, quia carnem de David semine assumpsit, propter quam formam servi, qua factus est homo, etiam servus Dei dicitur idem Dei filius.* Hæc profecto adeo aperta sunt, ut enucleatione non egeant nostra. Vide & Hilarium XI. de Trinit. num. 13.

7. Probatur ex ratione.

Sunt vero hæc dicta Patrum rationi cohærentia. Primo enim qui habet formam servi servus est, quemadmodum qui habet formam, ac naturam domini dominus est, neque enim istiusmodi nomina *servus, dominus*, per se connotant *personam*, sed respiciunt potius *naturam*, ut hæc vocabula *Deus*, *homo*: alioqui cum tres sint in Trinitate personæ, etiam tres dominos fas esset dicere, quod repugnat Symbolo Athanasiano. Si autem vocabula *dominus* & *servus* ad naturam referuntur, quare Christus spectata natura humana nequit dici *servus*, quemadmodum ratione divinæ naturæ dicitur *dominus*? Deinde in *servi* nomine nihil aliud percipimus, nisi dependentiam, subjectionem, ac præstandam jure naturali supremo rerum omnium Auctori obedientiam, quæ Christo ut homini inesse nullus ambigit. Postremo quidquid vel humanæ naturæ, vel divinæ convenit, ob arctissimum vinculum hypostaticæ unionis illud de Christo possumus enuntiare. At naturæ creatæ convenit esse servam Conditoris sui, à cujus auctoritate ac dominio nequit emancipari.

8. 1. Modus solvendi objectiones hîc oppositas.

Quæ opponuntur, etsi plura sint, possunt breviter ad tria capita revocari. Ac primo sacræ literæ nullibi, teste Hadriano in Epistola contra Felicem, & Elipandum, Christum servum appellaverunt, sed Dominum ac Salvatorem: eundem Pater filium dilectum, non servum, delapsa desuper voce nuncupavit: Christus vero ipsum Patrem, nunquam Dominum, nec in articulo passionis, cum deprecabatur, ut ab eo amarus transiret calix, legitur appellasse; & Apostolus in Epistola ad Hebræos cap. 1. demonstrat Christum differentius præ Angelis nomen hæreditasse, quoniam hi spiritus ac ministri sunt, ille vero filius unigenitus: atque tertio capite hoc Christum inter ac Moysen statuit discrimen, quod Christus fuerit *tanquam filius in domo sua*, Moyses autem *in domo ejus tanquam famulus*. Deinde Patres negant Christum posse famulum, servumque nuncupari. Dionysius enim Alexandrinus in Epistola ad Paulum Samosatensem negat *Christum fuisse natura servum*, exponens verba Apostoli *formam servi accipiens* de exteriori apparentia, non de intrinseca servi natura. Athanasius Orat. III. contra Arianos nunc 2. num. 14. *Etsi Verbum*, inquit, *in forma Dei existens servi formam accepit, carnis tamen assumptio Verbum, qui Dominus natura erat, servum non effecit.* Theodoretus in fine 1. Dialogi de Apollinario ait: *Quin etiam servum quoque Christum nuncupavit, quod nemo nostrum dicere unquam est ausus;* eandemque locutionem damnat in confut. VI. Capituli S. Cyrilli. S. P. Augustinus hom. 39. citata à PP. Francoford. Tom. IX. Concil. pag. 85. inquit: *Dominus noster etiam in forma servi non servus, sed in forma etiam servi Dominus fuit.* Hadrianus autem, ac iidem Francofordienses PP. non solum negant convenire Christo servi appellationem, sed ulterius id luculenter demonstrant, primò ex commemorato sacrarum literarum, novi præsertim testamenti silentio, atque ex Christi supra Moysen, & Angelos amplissima dignitate: deinde ex eo, quod Christus nos liberaverit à servitute, cum servus nullo jure possit libertatem conferre, ut ajebat etiam contra Arianos Faustinus: præterea ex quo idem Dominus nos amicos maluit in Evangelio nominare, quam servos. Postremò eadem ratio videtur esse servi atque filii adoptivi, sicut enim *filietas* naturalis omnem excludit adoptionem, ita arcet omnem penitus servitutem. Ad servitutem quippe requiritur, ut qui servus dicitur, teneatur ad præstandam obedientiam, ut non sit juris sui, ut cum Domino in bonis non communicet, quemadmodum erudite scribit Vasquesius: ob quam postremam conditionem nedum Christo repugnat servi appellatio, sed & quibuslibet filiis etiam sub patria potestate degentibus, ut docent JCC. Neque verum est *servi* vocabulum non connotare personam, scribente lib. III. de Fide cap. 21. Damasceno, *Servitutis, & dominationis vocabula non naturæ sunt indicia, sed ex eorum genere quæ sunt ad aliud, quemadmodum paternitatis & filiationis nomina: hæc enim non substantiam, sed habitudinem significant*: qui similia repetit lib. IV. cap. 19. commonstrans hac ratione eos, qui Christum servum appellant, duas in ipso cum Nestorianis adstruere

struere personas. Atque ex his videtur evinci oppositam quoque sententiam auctoritate plurima, & ratione valida communiri.

9. 2dus modus solvendi alia argumenta.

Hæc tamen facillima sunt, & ex dictis soluta. Jure enim meritoque Scripturæ Christum appellant Dominum, Dei Unigenitum, mundique Reparatorem, hisque titulis eundem Moysi & Angelis præferunt, quoniam revera talis est; quamvis spectata humana natura non repugnet etiam servum illum nominare phrasi earundem Scripturarum servata. Ac præterea nullum extat, in novo præsertim Testamento, vocabulum exprimens aut servitutem, quæ tribuatur personæ, non assumptæ naturæ, aut quæ Filio Dei *naturalis* sit, non libere susceptа: nam si *servi* nomen aut personam connotet, aut conditionem ejusdem, profecto nec servus est Dominus Jesus Christus, nec in Prophetarum oraculis in alios, quam in Christi progenitores, Davidem, Abrahamum, Jacobum cadet servi appellatio. Quod scite, sapienterque docet differens contra Felicem & Elipandum Romanus Pontifex Hadrianus: nam hi veternosam suscitantes hæresim, Christi personam, ut adscititium filium, ita servum, non ratione naturæ humanæ duntaxat, & libere susceptа servitute, sed propria ac naturali servitute personæ, blasphemarunt, non autem sensu Catholico, & à PP. usurpato: quod & in Epistolam 46. Ambrosianam adnotarunt Mauro-Benedictini. Similiter Patres negant Christum *servum* ad sensum hæreticorum, qui vel personam Verbi ausi sunt ad conditionem creaturarum deprimere, aut unam illi tribuere naturam, illamque servilem, quemadmodum commenti sunt execrandi Ariani, atque Apollinaristæ. Ita Theodoretus ratiocinatur contra Cyrillum, quem opinabatur imbutum ejusdem hæresis veneno, & in Dialogo pariter secundo perstringit confusionis duarum naturarum assertores, ipsos non tantum redarguens quod servum nuncuparint Unigenitum Dei filium, verum etiam quod illum dixerint *in sede in dextris Dei collocatum:* quod nonnisi ad sensum damnatorum hæreticorum decet redargui. Quare ipsemet Theodoretus *secundum assumptionem* Christum servum esse disertissime aliis in locis pronuntiat: quamquam si id negaret ubique, pluris facienda videretur sententia Cyrilli Theodoretum impugnantis. Sanctus quoque Athanasius laudata Oratione adversus Arianos exercet stylum: in eaque num. 11. his verbis sententiam nostram confirmat: *Dummodo factum eum esse hominem concedatur, nihil sane interest, si de eo dicatur, sive factus est, sive effectus est, sive creatus est, sive formatus est, sive servus, sive filius ancillæ, sive filius hominis, sive constitutus est, sive peregrinatus est, sive sponsus, sive patruelis, sive frater. Siquidem omnia hæc vocabula hominum conditionis propria sunt, eaque & similia non naturam Verbi significant, sed eum hominem factum esse demonstrant.* Horum ergo, aliorumque Patrum disputantium adversus hæreticos contrariæ sententiæ minime evertunt communiorem Scholasticorum opinionem. Facile quoque diluuntur rationes positæ loco postremo: nam ad primam liquet *filiationem* esse vocabulum commonstrans hypostasim, & servitutem designare tantummodo subjectionem, & in Christo conditionem assumpti hominis, ut inquit Athanasius nuper laudatus. Quare Damascenus definit servitutem *legalem*, & secundario jure inter homines inductam, non eam, quæ *naturaliter* inest cuilibet creaturæ respectu Dei. Quadrant ipsi tantum servituti *legali* connumeratæ à Vasquesio conditiones; nam quælibet creatura, etiam rationalis facta Dei filia per adoptionem, libera à servitute peccati, amicitiæ Dei particeps, & consors gloriæ nequit à dependentia & servitute naturali ullatenus subtrahi.

Propositio II. Nec repugnat appellari Christum ratione assumpti hominis creaturam. 10. Propositio 2.

Enimvero ratione formæ servi, & libere assumptæ humanitatis ad Rom. I. 3. dicitur Christus *factus ex semine David:* & ad Galat. IV. 4. *factus ex muliere, factus sub lege.* Quid est autem esse *factum*, nisi creaturam esse? Nec Patres huic assertioni repugnant: nam S. Hilarius lib. XII. de Trinit. num. 45. ait: *Ultima dispensationis sacramentum est, quo etiam creatus in corpore, viam se Dei operum est professus: creatus autem est in vias Dei à sæculo, cum ad conspicabilem speciem subditus creaturæ habitum creationis assumpsit.* Et num. 48. *Beatam autem illam & veram conceptæ intra Virginem carnis nativitatem, quia tum creaturæ nostræ & natura & species nascebatur, creaturam & facturam Apostolus nominavit.* Et infra: *Filius itaque suus est, qui est in homine, & ex homine factura, neque factura tantum, sed etiam creatura.* Athanasius citato loco appellat Christum Dominum in quantum Probatur ex Scriptur. SS. Patribus, & ratione.

homo

homo est, *factum*, *effectum*, *creatum*. Ambrosius in 1. de Fide cap. xv. num. 96. *Caro*, inquit, *Dominum*, *agnoscit*, *gloria Patrem significat*: *creatura nostra Dominum confitetur*, *charitas Patrem novit. Itaque quis ignoret quia ob causam incorporationis hoc dicitur? In eo igitur se creatum dicit*, *in quo & hominem testificatur*, *&c.* Sanctus Hieronymus in cap. 11. ad Ephesios Tom. IV. pag. 342. *Et quia semel ad nomen creaturæ venimus*, *& Sapientia in Prov. Salomonis dicit se creatam initium viarum Domini*: *multique timore ne Christum creaturam dicere compellantur*, *totum Christi mysterium negant*, *ut dicant non Christum in hac sapientia*, *sed mundi sapientiam significari*; *nos libere proclamamus non esse periculum eum dicere creaturam*, *quem vermem*, *& hominem*, *& crucifixum*, *& maledictionem tota spei nostræ fiducia profitemur.* Augustinus Epist. 187. alias 57. ad Dardanum num. 8. *Perinde*, inquit, *quod ad Verbum attinet creator est Christus: Omnia enim per ipsum facta sunt. Quod vero ad hominem*, *creatus est Christus: Factus est enim ex semine David secundum carnem:* quo in loco septemdecim MSS. consentire, & editos habere *creatura est*, observarunt Benedictini. Atque his accedit Theologica ratio: quæ enim utrique naturæ competunt, possunt omnia de Christo enuntiari; & naturam humanam *creaturam* esse res per se loquitur. Quamobrem Patres, ubi affirmant Christum non esse creaturam, accipiendi sunt juxta traditam Augustini interpretationem, *in quantum ad Verbum attinet*, ideoque frequentiora occurrunt hujusce generis testimonia, ubi refellitur hæresis Ariana. Atque idcirco Christum secundum humanam naturam posse *creaturam* dici propugnant omnes Scholastici, quamquam id absolute enuntiandum negent complures, ne videamur cum hæreticis fovere errorem, sermonisque consuetudinem: ob quam perutilem monitionem traditam in 3. p. q. 16. art. 8. à magno Aquinate, addam proximam thesim tertiam.

11. Propositio III. Congruum magis, ac
Propositio 3. religiosum est abstinere ab istiusmodi enuntiationibus, *Christus servus est*, *creatura est*, ac multo magis ab illa, *Christus est homo Dominicus*, *aut Deifer*.

Probatur 1. Illud quippe sedulo est observandum, ne quomodolibet probare videamur hæreticorum assertа, neque de Redemptore nostro loquamur demisse nimis, atque irreverenter. Cum itaque hunc appellare servum sit Felicianæ hæresis contumacia, creaturam dicere sit Ariana perfidia, & nuncupare Dominicum, aut Deiferum hominem sit perversa blasphemantis Nestorii calliditas; satius est ad horum scita oppugnanda omnem ambiguam, & flexiloquam vitare orationem. Ac si mortalium nemo terrenum principem communibus plebis vulgique nomenclationibus appellat, eique foret infestus, atque inurbanus, qui ipsum diceret mortale animal, rudem hominem, civem populari stirpe progenitum, quamvis talis esset naturali conditione: quis nostrum audeat appellare Dominum Jesum Christum servum, & creaturam, dum formam servi, creatamque substantiam assumpsit propter nimiam erga nos charitatem, divina non amissa majestate? Rationi præterea consentaneum est, unumquemque illustriori nomine, non titulo ignobiliori notare. Ad hæc, quæ universalia sunt, argumenta accedunt circa *servi* nomenclationem peculiaria. Ac primum, ut scribit ad Hispaniæ Episcopos Hadrianus cit. Tom. IX. pag. 62. non decet nos humillimos ac miserrimos illum nominare servum, quem *universalis Ecclesia Evangelicis atque Apostolicis imbuta lucidissimis documentis Deum ac Dominum suum totis medullis cordis*, *tota animi devotione in dextera Patris profitetur sedentem.* Deinde quænam esset, ut inquit idem Pontifex, arrogantia, *servum* dicere, quem Deus Pater appellat dilectum sibi Unigenitum, cui post gloriosam resurrectionem omnia subjecta sunt, & in cujus nomine flecti omne genu testatur Paulus *mundi lilium*, *& Ecclesiæ pulcherrima rosa*, ut ibidem pag. 63. vocatur ab Hadriano? Dedecet insuper, inquiunt ibidem pag. 90. PP. Francofordienses in Epistola Synodica, eum dicere *servum*, qui Joan. xv. 14. nos *amicos* maluit nominare, quam servos, dicens: *Jam non dicam vos servos*, *&c.* Denique, cum nos Christus Jesus à servitute peccati liberaverit, magna esset ingratitudo Redemptorem ac liberatorem nostrum servum potius, quam Deum ac Dominum, & nostræ salutis auctorem, incaute audacterque proferre.

Similiter abstinendum esse ab appellatione *creaturæ*, plura argumenta suadent. Ac primo, ut ratiocinatur Hila- 12.
rius lib. XII. de Trinit. num. 4. *Per Dominum Christum creata omnia sunt*, *& idcirco ei proprium nomen est*, *ut sit creator:* quo nomine illum appellant Melchisedech Gen. XIV. 19. Oseas Propheta XIII. 4. Petrus Epist. 1. cap. IV. 19.

Probatur 2.

ne repetamus loca à nobis producta lib. VII. cap. 11. Itaque, Hilarius ait, *non cadit in eum efficientiæ suæ & natura & nuncupatio.* Ac similiter Ambrosius lib. 1. de Fide cap. XIV. n. 88. *Quis hunc induxit errorem, ut eum, qui creavit omnia, qui fecit omnia, diceret creaturam?* Præterea qui Filius Dei est natura, ideoque ei similis, & æqualis, & ex utero ejus genitus *ante Luciferum*, appellari nequit creatura; cum creatura omnis sit Deo longe dissimilis, & inæqualis, necnon in tempore procreata. Deinde, ut eo loci Hilarius, & Ambrosius concordi sententia loquuntur; de creatura scribit ad Rom. VIII. Apostolus subjectam esse vanitati, ingemiscere, & à servitute corruptionis fore liberandam: quis vero his per creaturæ contumeliam ludibriis Christum deputabit, ut vanitati subjectus sit, ut ingemiscat sub spe longinquæ expectationis, ut maneat etiam in corruptione naturæ? Utitur eodem argumento S. P. Augustinus in libro contra Secundinum cap. 8. Insuper Christo tribuitur æternitas, ut adversus Socinianos & Ebionæos diximus lib. VII. cap. 8. Imo è Schola quamplurimi refellunt hanc enuntiationem, *Christus incæpit esse*: quamquam enim aliqui cum Scoto in 3. dist. XI. q. 3. illam propugnent, &, si accipiatur secundum assumptam naturam sit vera, prolata nihilominus absolute rejicitur à majori Theologorum numero, ut in eandem distinctionem tradunt noster Argentina, & Estius, necnon Thomistæ omnes in articulum 9. q. XVI. 3. p. Et revera, ut ibidem docet S. Thomas, in illa, aut consimili enunciatione Christi nomine designatur *suppositum*, id est, Verbum, quod ante omnia sæcula extitisse profitetur fides Catholicorum. Atque verbum *incipere*, inquit Estius, negationem includit existentiæ anterioris: ideoque licet recte enuntietur de Christo aliquando non fuisse hominem, non fuisse corpore animoque præditum, non fuisse quoque Mediatorem, quemadmodum asserit Augustinus Tract. CV. in Joan. num. 7. quoniam Mediatoris munus non absque assumpta humanitate exercetur: absolute tamen Christum, aut hunc hominem, Christo demonstrato, aliquando cœpisse non affirmamus, sed potius asserimus cum Apostolo ad Hebræos ult. 8. *Jesus Christus heri, & hodie: ipse & in sæcula.* Illam quoque propositionem, *Hic homo*, designato Christo, *incæpit esse* gravi censura notatam à sacra Facultate Parisiensi anno 1593. die 2. Augusti scribunt Isambertus in q. XVI. disp. IV. art. 5. & Gabriel à S. Vincentio disput. XVI. de Incar. dub. 9. probatamque sacræ Facultatis proscriptionem ab Alex. VI. testatur in præcitatum art. 9. q. XVI. illustris Thomæ Commentator Cajetanus. Nunc ut redeat, unde digressa est disputatio: cum Christo tribuatur æternitas, & apud plerosque Theologos male oleat enuntiatio illa, *Incæpit esse*; omnis vero creatura sit per ipsum Christum producta in tempore, & aliquando esse cœperit, non erit Christo Domino tribuenda, sine hac determinatione *secundum naturam humanam*, creaturæ nomenclatio.

Multo magis abstinendum ab illa enunciatione, *Christus est homo Dominicus, homo Deifer.* I. Quoniam hujusmodi enunciatio frequens erat in ore Nestorianorum, ut ea Christum unum Dei filium negarent, ipsumque in duas personas dispescerent, quarum ex Virgine assumpta, id est, *homo*, non Deus, vel Dominus esset, sed *Emmanuel*, in quo Dominus, & Deus habitaret, ut diximus lib. XXVI. cap. 13. & adversus hanc Nestorianam locutionem pugnat quintum Cyrilli Capitulum ab Ephesina Synodo consecratum: *Si quis dicere audet Christum non esse verum Deum, sed hominem tantum Deiferum; utpote unum, naturalemque filium, quatenus nimirum Verbum caro factum carni & sanguini perinde ac nos communicavit, anathema sit.* II. Quoniam si vis grammaticalis spectetur, *Dominicus*, non Dominum, sed ad Dominum attinentem, & *Deifer*, non Deum, sed Dei bajulum denotat: ideoque neutrum horum vocabulorum de persona, quæ Dominus ac Deus est, potest recte enuntiari. III. Quoniam Patres aperte enuntiationem ipsam rejiciunt, nam Gregorius Nazianzenus in prima ad Cledonium Epistola citata à Lupo in Scholiis ad v. S. Cyrilli Capitulum, ait hac voce *Homo Dominicus* uti hæreticos, *ut impostaram faciant, vicissimque ipsi fallantur.* Et S. P. Augustinus in 1. Retract. cap. 19. num. 8. castigans quæ scripserat lib. 2. cap. 6. de serm. Domini in monte, ubi Christum *hominem Dominicum* appellaverat. *Sed non video*, inquit, *utrum recte dicatur homo Dominicus, qui est Mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus, cum sit utique Dominus:* additque, quod etiamsi occurrat hujusmodi locutio apud nonnullos tractatores Catholicos eloquiorum divinorum, & nonnulla possit ratione defendi, se tamen *dixisse nollet.* IV. Tandem in dubium revocari nequit, quin *Dominici* appellentur, quiad Christi

13. Probatur 3.

sti familiam spectant, ut ibidem inquit S. Pater; *Deiferi* autem dicuntur à VI. Synodo Orthodoxi omnes Patres, eoque nomine insignitus est sanctissimus Martyr Ignatius, ut diximus citato cap. 13. ubi quoque diluimus Nestorianorum objectationem. Dedecet autem quæ sunt communes fidelium sanctorumque notæ, maxime post eliminatas hæreses, libratamque vocabulorum significationem, in Unigenitum Dei filium indiscriminatim transferre.

APPENDIX.

14. An Christus revera dici possit compositus.

In disputationem trahitur in Scholis, num Christus possit revera dici *compositus*, & *hypostatica* unio vere, propriequeappellari compositio; sed hæc quæstio tanti non videtur ponderis, ut in ea pertractanda immoremur, præsertim cum ex hactenus disputatis possit ab unoquoque expediri. Enimvero, cum Christus una sit *persona* subsistens in naturis duabus, liquet non posse illum appellari ex duplici *subsistentia*, aut ex duabus personis *compositum*, sed potius dicendum cum Patribus V. Synodi collat. VIII. anath. 4. *unam subsistentiam compositam*, scilicet, unam personam præditam naturis duabus: quo sensu Christum *compositum* appellarunt orthodoxi Patres, Cyrillus in libro de recta fide ad Theodosium, Justinianus Imperator in Profess. fidei, sanctus P. Augustinus cap. 35. Enchiridii, Joannes Damascenus lib. III. de Fide orthod cap. 3. aliique bene multi. Ita nimirum profitentes Christum unam *subsistentiam compositam*, Nestorianam, & Eutychianam hæresim expresse damnant.

15. Patrum & Theologorum sententiæ.

Diversæ autem Patrum & Theologorum sententiæ, quorum aliqui unionem *hypostaticam* esse compositionem affirmant, aliqui negant, absque ulla difficultate componuntur, si *compositi*, ac *partis* diversam attendamus perceptionem: nam si *compositum* dicas illud, quod pluribus constat partibus incompletis, quæ habent ad invicem naturalem *habitudinem*, atque sese mutuo perficiunt, cujusmodi sunt corpus & anima, materies ac forma; constat Christum non esse personam *compositam*, neque naturam divinam habere rationem partis, ut diximus hujus voluminis pag. 48. & 155. Atque hoc sensu Ferrandus Epist. ad Severum, Hugo Victorinus, & ex Scholasticis subtilis Scotus negant Christum recte dici compositum, & Athanasius apud Euthymium in Panoplia p. 2. tit. 15. nec non S. Pater Augustinus lib. 2. contra Maximinum cap. 10. negant divinitatem hujus personæ, quæ Christus est, posse dici partem. Ac ratio satis est obvia, & etiam eo loci innuitur à magno protoparente, quoniam *Filius Dei Deus*, *antequam susciperet formam servi*, *erat totus*: nempe divinitas non est pars incompleta, atque imperfecta, & quæ per unionem cum altera parte unam efficiat confusam, permixtamque naturam. Quod si *compositum* illud dixeris, quod pluribus constat distinctis, & invicem unitis, sive habeant propriam rationem partis, sive potius numeri, aut rei, quæ simul cum alia re unum constituat; Christum esse *compositum*, & divinam naturam aliquo sensu esse partem, non incompletam, & perfectibilem, sed quæ simul cum natura humana unam constituit personam, permanens perfecta, atque impermixta, asserunt laudati Patres, & cum magno Theologorum numero Thomas Aquinas. Nec immerito; cum ad hujusmodi compositionis genus satis esse videatur unio distinctorum. Ad hanc ergo quæstionem dirimendam sufficit distinguere duplex hoc genus compositionis, quod in Scholis appellant *per modum partis*, & *per modum numeri*, aut βαρβαρικῶς, *ex his*, & *cum his*.

16. Quæ à parte rei cum Doctrina Hus & Wicleſi non conveniunt.

Proscriptus quidem fuit à Synodo Constantiensi anno 1414. articulus 4. Joannis Hus, *Duæ naturæ*, *divinitas*, *& humanitas sunt unus Christus*: sed hæc damnatio non evincit Christum ex divinitate, & humanitate non esse compositum, sed tantum personam non esse aut unam, aut alteram naturam sejunctim acceptam, ut arbitrabatur Wiclefus, cujus errores Joannes Hus pertinaciter propugnavit. Vide Tom. XII. Conc. Labbei p. 129. Adde, quod juxta regulam VI. Communicationis idiomatum enuntiationes, quæ de Christo proferuntur, accipiendæ sunt secundum *subjectum*, non secundum *formam*, & ita duæ naturæ ob unionem hypostaticam *in concreto* enuntiantur de Christo, ut nequeat propter utriusque naturæ distinctionem quod competit uni transferri in alteram, sive prædicari humanitas de divinitate *in abstracto*. Hoc ergo sensu Christus *non est divinitas & humanitas*; quatenus quæ enuntiantur de persona ratione naturæ divinæ, affirmari non valent de natura humana, aut è converso quæ ei competunt ratione naturæ humanæ, prædicari non possunt de natura divina: quippe non valet, *Divinitas passa est*, sicut valet, *Passus est Christus*; neque

neque tenet, *Humanitas est ubique*, quemadmodum tenet, *Ubique est Christus.* Brevi dicam: Joannes Hus confundebat concretum & formam, sive personam & naturam; ut de Witclefo scribit Thomas Valdensis lib. 1. art. 3. cap. 42. num. 1.

CAPUT VI.

Quid asserendum de ea propositione, *Unus de Trinitate passus, ac mortuus est.*

SUMMARIUM.

1. 2. 3. & 4. Fit historia ad propositionem necessaria.
5. usque ad 10. Variè demonstratur, catholicam esse enuntiationem; *unus è Trinitate est passus.*
10. & 11. Objectiones solvuntur.
12. Monachi Scythæ fuerunt immunes ab hæresi Eutychiana.
13. & 14. Objectionibus satisfit.

1. Opinio Joannis & procli malè applicata ab Eutychianis.

ACRIS *de Uno ex Trinitate passo* controversiæ narrationem incipit ab anno 519. quo Scythæ Monachi cum Victore Diacono disceptarunt, præclarus scriptor, & de Dogmatica Theologia optime meritus Dionysius Petavius lib. 1. de Incarnat. cap. 18. At historia ab anterioribus temporibus est repetenda. Vita enim functo circa annum 434. Constantinopolitano Antistite Maximiano, quo sedente tumultus maximos excitarant Nestoriani, Proclus Maximiani successor adversus dogmata Theodori Mopsuesteni Nestorianorum signiferi, suis in scriptis asseruit *Unum de Trinitate incarnatum*, sententiam Procli approbante Joanne Antiochenorum Patriarcha. Horum vero auctoritate, Joannis scilicet & Procli, *Unum de Trinitate passum*, (non quidem catholico sensu assertum istud comprobantes de Christo, quatenus cum Verbo est una persona, sed pravo & hæretico, atque transferentes passionem in unam confusam permixtamque naturam,) dogmatizabant Eutychiani, tempore præsertim Concilii Chalcedonensis, id est, anno 451. Ab ipsa tamen Synodo Procli, & Joannis Epistolæ, ut liquet ex Relatione Synodi ad Marcianum Augustum, tanquam orthodoxæ receptæ fuerunt, & commendatæ.

2. A Petro Fullone.

Asseruit postea *Deum cruci suffixum*, additque Trisagio ea verba, *Qui crucifixus est pro nobis*, Petrus Fullo; qui, ut Baronius & Valesius inquiunt, Antiochenum Episcopatum invasit anno 471. vel ut alii saniori fortasse judicio, 463. Romano Pontifice Hilario. Et Petri quidem sententia erat Eutychiana; nam cum Ario, Apollinari, & Eutychete illum affirmasse *passum Deum Verbum in ipsa divinitate*, demonstrat ex Epistolis Felicis III. ad eundem Petrum, & ad Zenonem Augustum, eximius Lupus in Scholiis ad cap. x. Synodi Chalcedonensis. Varia autem fuit Petri Fullonis fortuna; nam ejectus è Sede, quam invaserat, sententia Antiocheni congressus, & damnatus etiam à Romano Pontifice Simplicio, recepit se in Monasterium Monachorum, quos *Acœmetas*, id est, *Insomnes*, ac *Pervigilantes* dixerunt. Restitutus postea opera Basiliſci Tyranni, iterum damnationem subiit sedente Felice III. anno scilicet 484.

3. Scythæ Monachi in suspicionem Hæresis Eutychii veniunt.

Imperante deinde Justino, Scythæ quidam Monachi, quorum agmen ducebat Joannes Maxentius, falsò à Vossio lib. 1. Hist. Pelag. cap. 23. & à Josia Simlero in Adnot. ad Maxentii libros, ab altero Maxentio Abbate distinctus, illud in professione fidei addendum contendebant, *Unum ex Trinitate esse crucifixum*, acerrime disputantes cum Victore Diacono, oblatisque libellis coram legatis Romani Pontificis, qui anno 519. Justinum ad compescendum Orientalis Ecclesiæ schisma convenerant. Verum Monachi nulla obtenta à Legatis summi Pontificis definitione, ad ipsum Romam usque profecti, eidem fidem suam probare conati sunt: sed jubente Pontifice, ut expectarent reditum Legatorum, Scythæ dissidiorum amatores cœperunt omnia turbare, conscribere ad longinquos Episcopos libellos, & epistolas de fide sua, ad simulacra quoque Regum confugere fidem publicam implorantes. Atque hæc insolens agendi ratio, rerumque, quæ contigerant sub Petro Fullone, vigens adhuc memoria in causa fuerunt, ut Monachi Scythici venirent in suspicionem hæresis Eutychianæ, cujus etiam à Baronio, & Bellarmino insimulantur, atque ut in eos juste animadverteret summus Pontifex Hormisdas. Fuisse

Et immunes propugnantur.

se tamen ab illa hæresi immunes propugnant viri doctissimi, Petavius lib. v. cap. 2. Vasquesius in 3. p. disp. 15. cap. 3. Natalis Alex. dissert. 2. sæculi VI. Pagius ad annum 519. num. 6. ac fusiori stylo in Opere de hac controversia conscripto, aliisque in locis Norisius.

4. Denuo insurrexerunt Nestoriani.

Compresso tamen Scytharum tumultu, erexêre se iterum Nestoriani, quasi Hormisdas in Monachos sententiam dicens, nullo modo probaret personam Verbi, quæ est una ex Trinitate, incarnatam & passam, sed personam aliam Verbo sola morali unione conjunctam: dissidiaque auxêre Monachi alii & ex factione Petri Fullonis, sed quidam Monachorum Scytharum æmulatores, qui cum Nestorianis negabant Christum dici posse *unam ex Trinitate personam*, & Mariam Virginem esse *Deiparam*, auctore Liberato Diacono in Breviario, & Joanne Papa 2. in Epist. ad Imp. Justinianum. Hi monachi Acœmetæ ad eundem Pontificem Joannem legatos misere Cyrum, & Eulogium, ut opinionem suam apud Sedem Apostolicam propugnarent, ejusdemque adversus Scythas obtinerent approbationem. Contigit id Justiniani anno VII. id est, Vulg. Aeræ 533. At Pontifex certior factus tunc temporis propositionem hanc, *Unus è Trinitate passus est*, reprobari à solis Nestorianis, auditis etiam Justiniani Legatis Demetrio à Philippis, & Hypatio Ephesiorum Episcopo, Acœmetas in sententia pervicacissime persistentes, tanquam Nestorianos, Ecclesiastica communione privavit. Ex qua narratione potest quisque deprehendere tam illam enuntiationem, *Unus ex Trinitate passus est*, quam additamentum illud Trisagii, *Qui crucifixus est pro nobis*, recte in sensu Eutychianorum fuisse ab Hormisda, & à Felice III. reprobata, recte etiam à Joanne II. approbata adversus Nestorianos & Acœmetas, & facile Scythas horum adversarios purgari posse ab hæresis suspicione: ad utriusque demum hæresis execrationem satius esse, si secundam è sancta Trinitate personam dicamus affixam cruci, & passam *secundum carnem*: quod ad majorem veritatis dilucidationem proximis positionibus confirmabo.

5. Propositio 1.

Propositio I. Hæc enuntiatio, *Unus è Trinitate est passus*, est Catholica & orthodoxa.

Demonstratur I. ex scripturis.

Demonstratur I. Ex Scripturis, & PP. præcedenti libro cap. 13. adversus Nestorianos productis constat Dominum nostrum Jesum Christum esse cum Verbo Dei unam personam, unigenitum filium Patris, ideoque unum ex sancta, & individua Trinitate. Quemadmodum itaque catholica & orthodoxa est hæc propositio, *Christus crucifixus est*, ita extra erroris periculum pronuntiari potest altera, *Crucifixa est una è sancta Trinitate persona*. Accedit in hujus argumenti confirmationem, quod non tantum Scripturæ ac Patres affirmant crucifixum Dominum Jesum Christum, verum etiam proprio Filio Deum Patrem non peperciisse, annuntiasse nobis vitam æternam Unigenitum, qui est in sinu Patris, locutum nobis Patrem novissime in Filio, per quem fecit & sæcula, aliaque etiam hoc libro repetita. At conditor sæculorum proprius Dei filius, Unigenitus in sinu Patris consistens nonne est secunda sanctæ Trinitatis persona? Una ergo ex Trinitate persona incarnata est, passa est, crucifixa est. II. Eandem enuntiationem probarunt Romani Pontifices, illamque definivit in Epistola 111. ad Avienum & Liberium Senatores Joannes Papa II. decernens Christum esse, ac recte dici *unum de Trinitate*: eandemque propositionem v. Synodus canone 10. his verbis consecravit: *Si quis non confitetur Dominum nostrum Jesum Christum, qui crucifixus est carne, Deum esse verum & Dominum gloriæ, & unum de sancta Trinitate, talis anathema sit.* IV. Item Synodus Act. IV. approbavit Epistolam Agathonis Papæ, in qua Christus dicitur *Una de tribus Personis sanctæ Trinitatis*, necnon Epistolam Synodicam Concilii Mediolanensis sub Mansueto, in qua idem Christus appellatur *Unus de tribus subsistentiis de sancta Trinitate.* Ecclesiasticis itaque definitionibus enuntiatio, de qua disputatur, munita est. III. Nititur quoque Patrum auctoritate; nam S. Pater Augustinus cap. 38. Enchiridii *unum Trium* appellat unam Trinitatis personam quærens, *An quando Unus trium in aliquo opere nominatur, operari Trinitas intelligatur?* & de Dono Persev. cap. ult. scribit humanam naturam *suscipiente Deo Verbo in unicum Filium Dei sublimatam, ita ut qui susceperit, & quod susceperit, una esset in Trinitate persona.* S. Proclus, ut diximus, longe ante exortam Monachorum Scytharum contentionem, in Epistola ad Armenios *posuit ad interimendas Nestorianorum versutias unum de Trinitate incarnatum*, inquit cap. 10. Brev. Liberatus Diaconus. S. Fulgentius de Fide ad Petrum, cap. 13. idem plane docet his verbis: *Firmissime*

6. Ex auctoritate Pontificum.

7. Ex auctoritate Patrum.

me tene, & nullatenus dubites unam ex Trinitate personam, id est, Deum filium, &c. Atque de Incarnat. cap. 10. *Una ex Trinitate persona Christus Dei filius unicus, ut nos salvos faceret, carne conceptus, & natus est de ventre Virginis Matris.* IV. Patribus accedunt viri doctissimi, Ferrandus Diaconus, qui in Epistola ad Anatolium propositionem illam immunem ostendit ab hæresi Eutychiana, etsi illam in Chalcedonensi Synodo protulerint Dorotheus, & Carosus Eutychetis Apocrisarii, *Sæpe enim*, inquit, *per ignorantes loquitur veritas.* Dionysius Exiguus in Præfat. ad Epistolam præcitatam S. Procli, scribit Theodorum Mopsuestenum, ejusque fautores, Nestorianos nimirum hæreticos, negavisse *Christum Dominum unum de Trinitate*; quamobrem monachi Acœmetæ idem negantes tanquam Nestoriani fuerunt jure meritoque damnati: & Facundus Hermianensis lib. 1. de Tribus Capitulis cap. 3. *Nihil est*, inquit, *quod de verbo reprehendamur dicentes unum de Trinitate incarnatum, sive passum, sive crucifixum.* V. In hac enuntiatione, *unus de Trinitate passus est*, τὸ *unus* nequit significare unam substantiam, non enim idem valet, ac *unus de tribus Diis*, cum in trinitate unus duntaxat sit Deus: significat ergo unam personam, ut in textu illo Geneseos III. 22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est:* eo vel maxime, quod ad significandam naturam, & communem proprietatem, dici non solet absolute *unus*, sed, vel *unum* in neutro genere cum hypallage, id est submutatione pronominis, ut dum Christus ait, *Ego & Pater unum sumus*, & Joannes, *Hi tres unum sunt:* vel *unus* cum additamento vocabuli exprimentis naturam, aut commune attributum, ut dum dicimus, *Unus Deus*, *unus Dominus.* In præfata itaque enuntiatione nonnisi proprie loquendo sensus occurrit orthodoxus, commonstrans Dominum Jesum Christum esse unam SS. Trinitatis personam, quod impie negabant Nestoriani. VI. Eutychiani asserentes Deum passum & crucifixum, tenebantur cohærenter asserere passam & crucifixam totam Trinitatem, quoniam Christus in eorum sententia passus fuerat in natura Deitatis, quæ est toti Trinitati communis, unde ex illorum errore alter Theopaschitarum tanquam è proprio fonte manavit, aut si naturam divinam, in qua Christus passus est, aliam dixerunt ab una natura Trinitatis, impegêre necessario in hæresim Arianam, & invexerunt quartam in Trinitate personam. At quisquis profitetur unam de sancta Trinitate personam crucifixam (quemadmodum ratiocinatur Ferrandus cap. 12. Epist. ad Anatolium) non asserit suffixam cruci totam Trinitatem, neque personam adstruit quartam, sed crucifixam profitetur unam ex tribus personis. Immerito itaque Eutychianæ hæreseos insimulatur.

8. Ex auctoritate Doctorum.

9. Ex ratione.

Confirmatur ex ratione.

Operosum non est ex dictis contrarias argumentationes refutare: quarum prima est, hanc propositionem *Unus de Trinitate passus est*, sensum exhibere Eutychianum, cum significet passam fuisse unam sanctæ Trinitatis naturam, quod olim pluribus momentis demonstravit Trifolius presbyter in Epistola ad Faustum Senatorem, postea Baronius ad an. 519. n. 80. Accedit altera, quoniam propositio illa damnata est à Synodo Chalcedonensi, ut scribit Dioscorus in *Suggestione* ad Hormisdam, nec non à Felice III. contra Petrum Cnapheum cognomento Fullonem, ut nos supra diximus. Proxima est, quod si probetur hæc enuntiatio, orthodoxum quoque erit additamentum ab eodem Fullone factum Trisagio, & canere fas erit etiamnum, *Sanctus Deus*, *sanctus fortis*, *sanctus immortalis*, *qui crucifixus es pro nobis*, *miserere nobis.* Petitur argumentatio quarta ex eo, quod anno 482. Zeno Imperator devicto Basiliscо edidit fidei professionem, quam appellavit *Henoticum*, in qua legebatur, *Trinitas mansit Trinitas*, *incarnato uno de sancta Trinitate Deo Verbo*: huic tamen *Henotico* subscribere noluerunt Orientales Episcopi.

10. Objectiones.

At ad 1. respondemus nullo pacto præfata enuntiatione præseferri sensum Eutychianum, si τὸ *unus* ad personam, non ad naturam divinitatis referatur, uti referendum esse præcedentia argumenta nostra demonstrant: atque hac una expeditissima responsione eliduntur facillime objecta quæque Trifolii parum in hac controversia exercitati, ad quæ tamen plura reponunt Natalis citata dissertatione, & in hac controversia Norisius cap. 6. Ad alteram, nego hanc propositionem à Synodo Chalcedonensi fuisse damnatam, etsi illam suis definitionibus sacrosancta Synodus noluit inserere, quod ea abuterentur Eutychiani, quorum tamen hæresim per se propositio ipsa non redolet: qua in re imitati sunt Chalcedonenses Patres sapientiam

11. Responsiones.

Majo-

Majorum, qui adversus Samosatenses non probarunt *homoousion*, & contra Nestorianos vocabulum Christiparæ, quod his hæretici abuterentur, cum tamen utraque vox sit in se catholica, & ab aliis Synodis, Patribusque recepta. Deinde, etsi damnata esset, non repugnat eandem propositionem *ad sensus loquentis*, ut Ferrandus inquit, modo rejici, modo approbari: quod confirmant allata exempla. Nec Dioscorus in Suggestione scribit damnatam propositionem à Synodo Chalcedonensi, sed quod illam *Eutychetis discipuli in Synodo Chalcedonensi proposuerunt*. Videsis ipsum Baronium ad an. cit. num. 79. Profecto Synodus in Allocutione ad Marcianum non damnat, sed summopere commendat Epistolam S. Procli ad Armenios, ubi eadem occurrit propositio: extatque hæc allocutio Tom. II. Conciliorum Harduini pag. 650. & Collect. Labbeanæ Tom. IV. pag. 825. Petrus autem Cnapheus non solum affirmabat unam de Trinitate personam passam, sed etiam *unum de Trinitate passionem pertulisse in substantia Deitatis, juxta Arii, Apollinaris, Eunomiique blasphemiam*, inquit quit Felix III. in Epist. ad Zenonem eodem Tom. IV. pag. 1071. Quod sequitur diluitur facillime, quoniam veteres omnes semper *Trisagium* acceperunt de Deo Trino, nunquam de solo Filio, ut inquit in Epistola de Trisagio Damascenus, demonstratque Pagius ad annum 512. num. 13. Hinc Felix III. Epist. III. ad Petrum pag. ejusdem volum. 1063 ipsum redarguit, quoniam addens *Qui crucifixus es pro nobis* tertiæ Trisagii particulæ, id est, *Sanctus immortalis*, asserebat crucifixum fuisse Spiritum sanctum. *Ad hæc*, inquit, *fidelissimum Christi gregem in Manichæi opinionem præcipitare contendis, qui Spiritum sanctum asserit crucifixum.* Quod si clausula à Fullone adjecta referatur ad unam tantum S. Trinitatis personam, negamus non esse admittendam; imo perpetuo usurpatam in Orientalibus Ecclesiis scribit Valesius in Annot. ad Evagrium pag. 99. adductis verbis Ephremii Antiocheni ex Photii Bibliotheca: quamquam ex ipso Evagrio lib. III. cap. 44. aliisque Scriptoribus constat gravissimam Constantinopoli ortam seditionem, cum Anastasius Trisagio voces illas addere voluisset. Ad ult. dico Orthodoxos Patres merito reprobasse Zenonis *Henoticum*, quia, ut Semieutychianis satisfaceret, tres tantum Synodos servandas proponebat, omissa Chalcedonensi, ansam tribuens hæreticis, qui hanc Synodum execrabantur, & quia etiam non spectat ad Cæsarem definire de fide. Affert utramque rationem lib. XII. cap. 2. Facundus Hermianensis. Nonnulli Zenonem hæreticum putant: alii defendunt. Negari non potest, quin saltem supprimendo memotatam Synodum, & Epistolam S. Leonis ad Flavianum hæreticis Eutychianis fuerit patrocinatus, non minus ac Heraclius in Ecthesi, & Constantius in Typo Monothelitis, ob duarum operationum vocem suppressam.

12. Propositio 2.

PROPOSITIO II. Monachi Scythæ, quamvis tumultuose, ac turbulente se gesserint, ab hæresi tamen Eutychiana fuerunt immunes.

Demonstratur.

Demonstratur primo ex dictis, quoniam ipsorum assertum nulla erat hæresis nequitia consperssum. Deinde confirmatur luculentissimis testimoniis. Ipse enim Dioscorus Legatus Hormisdæ in *Suggestione* nonnullos novitatis & audaciæ redarguit, & fatetur illos & hæc dicere: *Nos Synodum Chalcedonensem suscepimus: hoc speramus, ut jubeatis eam nobis exponi, quia non sufficit sic, quomodo est expositа contra hæresim Nestorianam.* Justinianus in Epistola ad Hormisdam citato Tom. IV. Concil. pag. 1517. testatur Scythicos Monachos asseruisse, *Christum filium Dei Dominum nostrum pro nostra salute carne crucifixum unum de Trinitate debere prædicari*; ideoque non tribuisse passionem Divinitati Hormisdas in Epist. ad Possessorem ibidem pag. 1530. non tanquam hæreticos damnavit, & ex Urbe ejecit, ut falso præfert Epistolæ titulus, sed ut seditiosos, superbos, odia foventes, sui amatores, ad regum statuas inclamantes, & doctos crimina ferere, & obtrectationum veneria componere. Nulla in hac Epistola Eutychianæ hæresis mentio. *Nullam aliam notam illis subscribit præter istam, temerariæ novitatis, contumaciæ, ac superbiæ*; inquit Petavius lib. v. de Incarnat cap. 2. num. 2. S. Fulgentius, aliique Episcopi Afri apud Sardiniam exules, accepto libro Petri Diaconi, in quo cap. IV. habetur hæc propositio, lib. de Incarnat. cap. 1. respondent: *Vestram simul alacres & fidem cognovimus, & salutem: imo in agnitione fidei vestra nobis salus innotuit.* Vide Tom. IX. Bibl. PP. pag. 199. Joannes etiam II. certior factus à Justiniano solos Nestorianos negare Christum *crucifixum unum esse sanctæ, & consubstantialis Trinitatis*, Epistola, quæ extat cit. Tomo Concil. pag. 1743. Acœmetas Monachos tanquam Nestorii sectatores

tores vitandos decrevit, in Epistola ad Senatores ibidem pag. 1752. probans propositionem Scythicorum Monachorum, *Unus ex Trinitate crucifixus est carne*, ut etiam supra innuebamus. Præterea satis apparet fides Monachorum istorum ex professione fidei eorundem. Maxentius enim in Fide sua inquit, *unum ex Trinitate esse Christum, qui pro nobis passus est carne*; & in 4. Anathematismo: *Si quis non acquieścit confiteri Christum unum de Trinitate etiam cum carne propria, qui pro nobis passus est carne, quamvis secundum carnem non sit de substantia Trinitatis, anathema sit.* Et Petrus Diaconus, aliique Scythæ citato libro ad Fulgentium pag. 197. *Hac de causa* (inquit) *Trinitas etiam post incarnationis mysterium Trinitas manśit; quia idem Deus Verbum etiam cum propria carne unus est Trinitate, non quod caro ejus sit de substantia Trinitatis, sed quia caro Dei Verbi est, qui est unus ex Trinitate. . . . Quapropter & Deum Verbum passum carne, & crucifixum carne secundum beatum Cyrillum* (Anath. XIII.) *profitemur dicentem, Si quis non confitetur Deum Verbum passum carne, crucifixum carne, & mortem carne gustasse, anathema sit.* Postremo ex his fidei professionibus etiam invicta ratio in patrocinium Monachorum Scytharum depromitur. Immerito enim inuritur Eutychianæ hæresis nota iis, qui asserunt unum ex Trinitate passum *carne*, non secundum illam substantiam, secundum quam est unus ex Trinitate; cumque id tam expresse Scythici prædicaverint, censeri nequeunt inter Eutychianæ hæresis sectatores.

13. Objicitur. Militat adversus hanc propositionem I. quod Monachi Scythæ Constantinopoli à Legatis Hormisdæ tanquam Eutychiani fuerint rejecti, itemque Româ à Pontifice tanquam hæretici expulsi. II. Quod Joannes Maxentius Monachorum Abbas præfracte negavit Hormisdæ Epistolam ad Possessorem, eamque studuit oppugnare, imitatus perversorum hæreticorum pervicaciam. III. Quod vaferrimi hujus hæretici, id est, Maxentii patrocinium suscipiunt, ut inquit Philipp. Labbeus Tom. XI. Conc. pag. 1533. proceres quidam & infruniti Novatores Jansenii asseclæ; cum ille hoc uno titulo Jansenianorum patrocinium fuerit promeritus, quia præluśit illorum in Apostolicam Sedem conviciis, & in summum Ecclesiæ Antistitem calumniis. IV. Quod etsi tolerari possit assertio illa, *Unus ex Trinitate passus est*, Scythici Monachi eandem blandientis vulpeculæ artibus protulerunt, sectantes veterum hæreticorum vafritiem. V. Quod hi Monachi *unum de Trinitate passum* affirmaverunt *simpliciter*, nulla facta carnis mentione, quod Eutychianæ perfidiæ est evidens argumentum. VI. Quod asserentes suffixam cruci unam è sancta Trinitate personam, *personæ* vocabulum ad significandam divinitatis naturam callide detorserunt. VII. Quod nulla ratione ab Eutychiana labe purgari queat assertum illud Petri Diaconi in libro ad Africanos Episcopos in Sardinia exules, *Unam Dei Verbi naturam incarnatam.*

14. Respondetur. At corruunt hæc, & iis consimilia argumenta ex præmissis propositionibus. Nam ad primum liquet ex Suggestione Dioscori, & ex Epistola Hormisdæ non ob pravitatem dogmatum, sed ob dissidiorum fomenta, ob inconsultam novitatem, & ob audaciam male Scythas tum Constantinopoli, tum Romæ audiisse, quamquam aliunde comperta sit fides ipsorum ingenua. Alterum nihil aliud probat, quam Maxentium in Apostolicam Sedem irreverenter, & tumultuose se gessisse; cum tamen ei nequaquam morem gesserint Scythæ alii, ut demonstrat Norisius in Monachorum Apologia Tom. III. pag. 927. recte cum Augustino affirmans *nec causam causæ, nec personam præjudicare personæ*, & Maxentium, qui nonnulla in Hormisdam irritatus effudit, Schismaticum quidem fuisse, at non hæreticum Eutychianum. Atque ut refellamus male libratam Labbei inter Maxentium & hæreticos, atque inter defensores Scytharum & Jansenianos comparationem: hæretici judicio Romani Pontificis aperte contradicunt; at Maxentius negat Epistolam illam ad Possessorem esse Hormisdæ, scribens Tom. IX. Biblioth. PP. pag. 539. *Fertur ab inimicis ubique Epistola, quasi à Romano Pontifice destinata*: & pag. 541. ait inverisimile esse, ut Hormisdas eam Epistolam dederit, cum Romano magistro militum dixerit Dioscorum pelago demergendum, nisi Christum unum esse ex sancta Trinitate fuisset confessus, jubens, *ut sua verba insinuaret Imperatori.* Fatetur etiam Maxentius in eadem Epistola nunquam Romanum Pontificem ab Ecclesiæ Catholicæ deviare sententia, ut observarunt ibidem Norisius, & differt. 18 in Synodos Thomassinus. Nescio, num talia unquam ab hæreticorum pectore erumpant. Neque connumerandi sunt Jansenianis Scythicorum Monachorum patroni, ut falso scribit Labbeus, cum omnia

omnia Apostolicæ sedis Judicia excipiant, propugnent, vindicent, non, ut ille inquit, aut cum Maxentio ficta existiment, aut cum hæreticis conviciis proscindant. Nulla quippe Jansseniana fuligine tinctus fuit Norisius, quidquid nebulones quidam mussarint, nulla Lupus, nulla Thomassinus, nulla Du-Hamelius, nulla Pagius, nulla Dionysius à S. Martha, ab eodem Norisio laudati in citata Apologia pag. 858. Atque si hos velis, Labbee, Jansseniana oblitos fuligine, nunquid Jansenii assecla Gabriel Vasquez, qui in III. p. disput. 15. cap. 3. num. 41. ait, *Quod igitur attinet ad ipsos Monachos, existimo primum eos non fuisse Eutychianos, unam tantummodo in Christo asserentes naturam, aut deitatem ipsam passam fuisse, cum oppositum in eorum scriptis appareat*? Nunquid Jansenii assecla Christophorus Ortega, qui disput. 1. de Incarnat. certam. 1. num. 4. animadvertens *unus* significare communi sensu personam, non autem naturam, inquit, *Catholicum doctumque Maxentium, ejusque Monachos eo proprio sensu locutos credendum est, quo à Catholicis omnibus ea propositio admitti debet*? Nunquid Jansenii assecla Dionysius Petavius, qui lib. v. de Incarnat. cap. 2. num. 2. *Quocirca*, inquit, *Nihil in illorum facto, atque scriptis aliud culpes, nisi inconsultam rationem, & præcipitem ardorem inculcandæ novitatis, intempestivæ potius, minimeque necessariæ, quam aut callidæ, aut errore contaminatæ*? Atque his diluitur etiam objectio tertia. At in proximis duabus non immorabimur, cum demonstratum sit Monachos Scythas addidisse assertioni suæ, *carne*; & expresse docuisse Christum *secundum carnem* non esse *de substantia Trinitatis*; & consequenter falsissimum est illos & passionem tribuisse divinitati, & propositionem suam absolute ac *simpliciter* pronunciasse. Sexta similiter oppositio eadem facilitate dispellitur; nam cum Scythæ confessi sint unum Dominum Jesum Christum, eumque passum secundum carnem, non in natura divinitatis, etiam unam personam & naturas duas agnoverunt, ideoque *personæ* vocabulum in proprio sensu usurparunt. Ad ult. respondemus Petrum Diaconum citato libro cap. 2. diserte significare se *unam Dei Verbi naturam incarnatam* asserere in sensu Cyrilli: quare ut Cyrillus, ita Petrus aliique Scythæ, quorum est communis illa professio, ab hæresi Eutychiana fuerunt immunes. Imo testatur Petrus Diaconus *unam Dei Verbi naturam incarnatam* nihil esse aliud, *quam duas naturas ineffabiliter unitas*, prudenter hæresim declinans tam Nestorii, quam Eutychetis. *Igitur*, inquit, Tom. IX. Bibl. PP. pag. 296. *juxta sanctorum Patrum traditionem, Dominum nostrum Jesum Christum in duabus naturis unitis & inconfusis, id est, divinitatis, & humanitatis, in una persona, sive subsistentia confitemur. Nec illis acquiescentes, qui unam Dei Verbi naturam incarnatam prædicantes venerabilis Chalcedonensis Concilii fidem refugiunt; nec illos admittentes, qui duas naturas dolose pronuntiantes unam Dei Verbi naturam incarnatam minime confitentur, existimantes hoc duarum naturarum professioni contrarium: quasi aliquid aliud, quam duas naturas ineffabiliter unitas, una Dei Verbi natura incarnata significet, beato Cyrillo Alexandrinæ civitatis Antistite ad Successum Episcopum Diocæsariæ ita scribente: Si enim unam naturam dicentes Dei Verbi tacuissemus non inferentes incarnatam, sed veluti abjicientes dispensationem, erat illis forsitan non improbabilis sermo simulantibus interrogare, Ubi est in humanitate perfectio, aut quomodo substantia nostra subsistit? Quoniam vero, & perfectio quæ in humanitate est, & essentiæ nostræ manifestatio illata est per id quod dictum est Incarnati jam deserant arundineam virgam sibimet supponentes.* Sat ne est tam expressa professio? Additur cap. v. pag. 197. recipi à Scythis Monachis cum aliis conciliis, *sanctum & venerabile quod apud Chalcedonem celebratum est*, amplecti *epistolas quoque beati Leonis*, anathematizari *universos contraria dogmatibus Ecclesiæ sentientes*, facta expressa mentione Theodori Mopsuesteni, Nestorii, Eutychetis, & Dioscori. Atque hæc fidei professio merito ab Africanis Patribus commendata, nonne sufficit ad abstergendam à Scythis quamlibet notam hæresis? nonne omnes adversariorum objectiones effringit? Hac itaque absolvi potest apologetica pro Scythis Monachis dissertatio.

CAPUT VII.

An Christus sit Sacerdos secundum Ordinem Melchisedech?

SUMMARIUM.

1. & 2. Commenta Melchisedecianorum.
3. usque ad 5. Probatur prima propositio.
5. 6. & 7. Declaratur Melchisedeci origo.
8. 9. & 10. Solvuntur objectiones.
11. & seqq. Probatur, Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech.

1. Melchisedecianorum commentum 1.

VARIA fuerunt circa Melchisedechum placita, ante propositæ quæstionis solutionem ad examen revocanda. Melchisedeciani enim hæretici, de quibus lib. II. h. LV. Epiphanius, & S. P. Augustinus de Hæres. h. XXXIV. illum opinati sunt præclaram quamdam Virtutem Christo superiorem, quæ ad benedicendum Abrahamo è cælo descenderit: cujus hæresis cum Tertulliano de Præsc. & Theodoreto lib. 2. hær. fab. auctorem faciunt Theodorum quemdam Argentarium, sive Theodotum; sed Epiphanius ibidem appellat Melchisedecianos *a Theodotianis avulsos*. Hierax, aut Hieracha, quem ferunt vixisse imperante Severo, vir Aegyptiacis, Græcisque literis imbutus tradidit Melchisedech esse Spiritum sanctum: quam opinionem refutat eo loci num. 5. & hæresi LXVII. n. 7. Epiphanius, & in Epistola ad Evangelium presbyterum Tom. II. pag. 570. edit. Martian. (alias 126. ad Evagrium) magnus Hieronymus illam tribuit imperito Scriptori, ei fortassis, qui edidit quæstiones rejectas à doctissimis Mauro-Benedictinis in Appendicem Tom. III. Operum S. Augustini, ubi q. CIX. pag. 106. idem error propugnatur: nam id conjectant Vindingus noster in Critico Augustiniano pag. 65. & Martianæus in notis ad præcitatam Hieronymi Epistolam. Origenes, & Didymus eò prolapsi sunt, ut Melchisedechum Angelum dicerent, uti refert ibidem Hieronymus: hujusque opinionis meminit etiam Augustinus q. LXXII. in Genesim. Nonnulli denique arbitrari sunt Melchisedeci nomen, non proprium esse, sed appellativum, eoque solum Dei filium significari; quod post Novatores quosdam alios prolixe nititur demonstrare Cunæus in Tract. de Republ. Hebr. lib. III. cap. 3. refutatus à Natali Alex. dist. 3. in III. M. Aet & à Friderico Koerbero Lutherano de Melchisedeco in Typo, & Antitypo.

2. Commentum 2.

Inter eos vero, qui Melchisedecum saniori judicio hominem existimarunt, occurrit primo eorum sententia, qui ipsum fuisse putant Semum filium Noe: quam sententiam Epiphanius h. LV. num. 6. inter somnia connumerat, tribuitque Samaritanis. At Hieronymus in Quæstionibus Hæbraicis Tom. 2. pag. 520. tribuit Hebræis, nec illam aperte refellit: quod & repetit laudata epistola ad Evangelium. Tuentur hanc sententiam Targum Jerosolymitanum, Abenezra, Baal Hatturim, neque improbabilis ea videtur Lyrano, Abulensi, Torniello, Villalpando, Eugubino, aliisque doctissimis Interpretibus. Communior tamen videtur quæ asserit Melchisedecum fuisse hominem indigenam, & genere Chananæum: quam sententiam, cum permulti erudite propugnent, breviter ac nervose vindicant Salianus ad annum M. 2118. & Controversia 18. Capisuccus. Quorumdam Judæorum opinio, autumantium Melchisedecum fuisse filium scorti, ideoque ipsius genealogiam in sacris literis prætermitti, adeo scurrilis est, adeo impia, ut vix digna sit quæ recenseatur; meritoque refellitur ab Epiphanio n. 7. refutatur à Torniello ad annum M. 2118. & risu excipitur ab omnibus tam Catholicis, quam hæreticis. Hujus generis sunt futiles aliæ opiniones à Koerbero citatæ §. 16. illa præsertim, quæ tenet Melchisedechum ideo ignotum esse & absque genealogia, quia ejus imprecationibus terra ima dehiscens ipsius parentes, consanguineosque omnes deglutierit. Atque his enarratis sententiam exponemus nostram, postea quæstionem de Sacerdotio Christi instituemus adversus innumeras Novatorum phalanges: qui cum negent in Missa verum offerri Deo sacrificium, inficiantur quoque oblationem panis & vini, de qua Gen. XIV. 18. fuisse typum Eucharistiæ, ob eamque rationem Christum à Psalmographo, & ab Apostolo dici Sacerdotem *secundum ordinem Melchisedech*.

3. Propositio 1.

PROPOSITIO I. Melchisedech non fuit Angelus, neque Virtus quædam cælestis, neque

neque Spiritus sanctus, neque ipse Dei filius.

Demonstratur. Demonstratur I. Melchisedech fuit verus homo: duo enim characteres ei tribuuntur Gen. XIV. 18. quorum uterque nonnisi homini convenit; unus est *Rex Salem*, terrenæ nempe civitatis, sive fuerit Jebus aut Jerosolima, ut inquit Josephus lib. VII. de Bello cap. 18. nunc lib. VI. cap. 10. sive, ut probabilius censet Hieronymus epist. ad Evangelium, civitas alia, vel *oppidum juxta Scythopolim*. Character alter est *Sacerdos Dei altissimi;* Sacerdotis vero munus solis hominibus fuit demandatum, ut primogenitis in lege naturali, & filiis Aaron, ac Levitis in lege scripta: quare Apostolus ad Hebræos cap. v. 1. ait omnem Pontificem ex hominibus assumptum esse. II. Etsi Apostolus cap. VII. ejusdem epistolæ v 3. appellat Melchisedechum *sine patre, sine matre, sine genealogia*, non ad significandum illum non esse hominem, quemadmodum autumant adversarii; non ad innuendum illum fuisse spurium, ut commenti sunt quidam Hebræorum, non ob ejusdem in affines imprecationem, ut demonstrat ipsius egregia virtus, typi dignitas, nominisque celebris commendatio; sed quia Scriptura ejus genus ac posteritatem non enarrat, vertente Syro, *Cujus nec pater nec mater scripti sunt in genealogiis*, & propria significatione vocabuli ἀγενεαλόγητος commonstrante, non virum genus nullum habentem, sed cujus origo literis non est prodita: licet, inquam, id scribat Apostolus; attamen versu 6. proximo ait genitum esse Melchisedechum ex hominibus, sed ejus generationem minime recenseri in Hebræorum genealogiis: id quippe sonant ea verba. *Cujus autem generatio non annumeratur in eis*, id est, ἐξ αὐτῶν ut habet Græcus, *ex eis, ex eorum majoribus*. Unde recte illustris Estius in hunc locum: *Hic innuitur Melchisedech non prorsus carere genere: qui enim dicit genus ejus non recenseri inter illos aut ex illis, tacite significat eum aliunde genus habere.* Imo Epiphanius num. 7. *Ex aliis hominibus, quam Israelitis genus illus pertexitur*. Quid ergo? cum innuatur Melchisedech ex hominibus genitus, oportet ut illum hominem fateamur. III. Nomen *Melchisedech* non appellativum est, ut quidam autumant, sed proprium; nam litera Jod inscripta in hebraica voce מלכיצרק, *Melchisedech*, cum non sit nota pronominis, vel regiminis, debet esse proprii nominis *characteristica*, ut in nomine filii Saul, מלכישוע, *Melchisuah*, 1. Reg. XXXI. 2. in nomine filii Jechoniæ, מלכירם *Melchiram*, 1. Paralip. III. 19. in nomine regis Geraræ אבימלך, *Abimelech*, Gen. XX. 2. in nomine uxoris Nabal אביגיל, *Abigail*, 1. Reg. XXV. 3. in nomine filii Beria, מלכיאל, *Melchiel*, Gen. XLVI. 17. aliisque in locis plurimis. Omnes quoque Versiones, ut demonstrat in dissert. de Melchisedecho Martinus Van-Rein §. IX. evincunt Melchisedechi nomen proprium esse: quidquid scribant loco citato Cunæus, & in Locis ad Ps. 110. Enjedinus. Quare assentiendum non est Cajetano, qui Comment. in Genes. ait appellativum esse, & communne regibus Salem: quamquam opinio Cajetani nullatenus sententiæ oppositæ suffragatur, quippe etiam Pharao, Xerses, Cæsar, aliaque vocabula ejuscemodi pluribus sunt communia, & tamen nonnisi de hominibus enuntiantur. Itaque Melchisedech proprium nomen est; atque ex ipso nomine, ex genere Hebræis extraneo, & ex dignitate sacerdotis ac regis liquet eundem verum fuisse hominem.

Generatim demonstrata thesis, etiam quoad singulas partes confirmatur. Et quidem Melchisedech non fuisse Angelum constat ex priori momento, nam Angelis incorporeis non convenit externum offerre Deo sacrificium, quod munus est Sacerdotum, ut inquit Estius. Ex eo etiam, quod Melchisedech dicatur Rex Salem, nequit hæc sententia firmo talo consistere: visibile quippe civitatis regimen homini, non angelo demandatur, cum sit inter principem ac populum civilis societas. Deinde Melchisedechum non esse filium Dei evidens est ex Epist. Pauli ad Hebræos; nam ibidem cap VII. dicitur Melchisedech *assimilatus filio Dei;* quis autem recte dicitur similis sibi ipsi? In Græco etiam pro *assimilatus* habetur ἀφωμοιωμένος, quo vocabulo non significatur omnimoda similitudo, sed analogia typi cum re significata: unde vertit Syrus, *In similitudinem Filii Dei permanet pontificatus ejus.* His ergo verbis Melchisedech Filio Dei ostenditur minor. In eodem cap. nec non Psalmo CIX. Christus appellatur *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech:* quis vero proprie dicitur Sacerdos *secundum ordinem, vitumque sui ipsius*? Præterea Christus, saltem ad oblationem faciendam, *semel apparuit*, ut inquit Apostolus eadem ep. cap. IX. 26. Denique Melchisedechum non

4. Confirmatur.

non esse Spiritum sanctum præter producta argumenta hæc evincunt. Nunquam legitur Spiritum sanctum carnem induisse: quomodo ergo in persona Melchisedech latitabat? Ac si Melchisedech est Rex Salem, terrenæ civitatis incola, Filii Dei typus, illoque minor, quis nisi penitus cæcutiat, eundem dixerit Spiritum sanctum? Tandem cum omnis sacerdos sit inferior Deo, & huic in subjectionis tesseram offerat munera ac sacrificia, necessum est deprimat cum Macedonianis Spiritum sanctum ad sortem creaturarum quisquis illum cum Melchisedecho confundit. Hinc Hieronymus laudata ad Evangelium epistola: *Si omnes repueris, tum certe spiritualem interpretem non recipies, qui imperitus sermone & scientia Melchisedech Spiritum sanctum pronuntiavit, ut illud verissimum comprobarit, quod apud Græcos canitur, Imperitia confidentiam, eruditio timorem creat.* Est sententia ista Thucydidis lib. 3. ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει.

5. Propositio 2.

Explicatur.

Propositio II. Incertum est, an Melchisedech fuerit Sem filius Noe, an Chananæus genere; quamquam videatur hæc postrema opinio probabilior præcedenti. Fuisse enim Semum auctore Hieronymo citata epist. & in quæst. Hebraicis, tenent quamplures & fere omnes Judæi: & licet Epiphanius hæres. LV. num. 6. secutus chronologiam LXX. mathematico argumento demonstret Semum eo tempore, quo Abrahamo occurrit Melchisedechus, fuisse mortuum; attamen juxta communiter receptam supputationem adhuc erat superstes, vixitque usque ad annum M. 2158. Isaacii filii Abraham quinquagesimum: unde recte ibidem Hieronymus inquit: *Supputantes annos vitæ ipsius ostendunt eum ad Isaac usque vixisse, omnesque primogenitos Noe, donec sacerdotio fungeretur Aaron, fuisse Pontifices.* Verum hoc argumentum non videtur prorsus invictum. Ex quo enim vixerit Sem ad Isaac usque, non infertur fuisse regem ac Sacerdotem illum, qui Abrahamo occurrit: neque verum est Semum fuisse primogenitum Noe, cum major natu fuerit Japhet, ut liquet ex Genes. x. 2. ideoque Genes. v. Sem prius quam Japhet inter filios Noe commemoratur, quoniam de Sem Hebræi, de Japhet populus Gentium natus est: idque exacta chronologia possum demonstrare, quippe ex v. Geneseos 32. Noe operam gignendis liberis primum dedit, *cum quingentorum esset annorum*, id est, anno M. 1556. & Sem biennio post diluvium, id est, anno 1658. cum esset centum annorum genuit Arphaxad, ex Genes. XI. 10. Itaque Sem natus est anno M. 1558. & Japhet anno M. 1556. corruitque traditio illa Hebræorum deprompta ex primogenitorum dignitate. Imo nec traditio ista videtur inter Hebræos communis: nam Josephus l. VII. de Bello cap. 18. sive libro VI. cap. 10. scribit conditorem urbis Salem fuisse *Chananæorum Dynastam*: ab ipsa traditione recedit Abenezra, illamque, ut diximus supra, Epiphanius solis tribuit Samaritanis. Videtur quoque ea traditio orta ex Hebræorum superbia, utpote qui ægre ferunt commendari Sacerdotem ex genere Chananæorum. Ad Hieronymum quod attinet, refert quidem Hebræorum traditionem, at nihil definit: imo laudata ad Evangelium epistola contrariam traditionem his verbis commendat: *Verti me ad Hippolytum, Irenæum, Eusebium Cæsariensem, & Emissenum, Apollinarem quoque, & Eustathium nostrum, qui primus Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus contra Arium clarissima tuba bellicum cecinit: & deprehendi horum omnium opiniones diversis argumentationibus ac diverticulis ad unum compitum pervenisse, ut dicerent Melchisedech hominem fuisse Chananæum, regem urbis Hierosolymæ, quæ primum Salem, postea Jebus, ad extremum Jerusalem appellata sit.* Ibidem exemplo Abelis, Henoch, & Job ostenditur mirum non esse, si describatur Sacerdos Dei altissimi absque circumcisione & ceremoniis legalibus. Ex quibus constat sententiam Hebræorum, in quam manibus pedibusque jerunt complures interpretes, ficulno inniti præsidio: quamvis illam ob amplissimum istorum numerum, lectorum relinquamus arbitrio.

6. Probatur.

Melchisedechum ergo fuisse genere Chananæum probabilius suadet Patrum traditio nunc à Hieronymo commemorata, & præferenda proculdubio derivatæ à Judæorum commentationibus. Adde Epiphanium h. LXVII. num. 7. Accedit, quod Semo, ejusque filiis ex Gen. x. 30. contigit regio à Messa usque Sephar, ultra Euphratem: & Melchisedech erat Rex Salem, cis Jordanem in terra Chanaan. Fateor non unam esse de *Salem* sententiam Auctorum, quibusdam asserentibus Salem eandem esse ac Jerusalem; aliis eandem ac Salim urbem Sichimorum, de qua Gen. XIII. 18. & Joan. III. 23. Ac esse Jerusalem probant permulti, quoniam Onkelos & Jonathan vertunt, *Melchisedech Rex Jerusalem;* & quoniam videtur in oblatione Melchisedechi

dechi designatus Dei cultus in Hierosolyma instaurandus. Sed Hieronymus amplectitur alteram sententiam: quam in Epistola citata ad Evangelium probat ex peregrinæ linguæ mixtura, & ex quo cernerentur adhuc juxta Scythopolim ruinæ palatii Melchisedech commonstrantes veteris operis magnificentiam. Addit Capellus, Melchisedech obviam profectum Abramo in vallem *Save*, Gen. XIV. 17. id est, in planiciem, Jerosolymam vero ex Psalmo CXXIV. 2. fuisse vallatam montibus: quæ tamen conjectura futilis est, quia Melchisedech processit in occursum Abrahami extra Salem: & haud procul à Jerusalem fuisse vallem, ubi Salomon sibi monumentum erexit, liquet ex II. Reg. XVIII. 18. Verum etiam urbs Salim fuit in regione Chanaan, ex cap. XIII. Gen. 18. Quidquid igitur de civitate *Salem* statuamus, liquet regem ejusdem urbis fuisse Chananæum. Nam quod reponunt Semum occulta Dei inspiratione illic permansisse, ut Sacerdotio fungeretur tanquam Noe primogenitus, nullum habet fulcrum, & refutatum est supra. Præterea de Melchisedecho ait Apostolus ad Hebræos VII. 3. fuisse *sine patre*, *sine matre*, *sine genealogia*, id est, ipsius genus minime in Scripturis narrari. Quomodo ergo Melchisedech Semus, cujus novimus parentes ac filios? At enim, inquiunt, non narratur genealogia Semi sub nomine Melchisedechi. Quid vero inde? Principio demonstratum est Melchisedechum esse certi hominis proprium nomen. Deinde Apostolus versu 6. inquit generationem Melchisedech non connumerari inter Levitarum majores, cum tamen Leviticum genus recta linea ascendat ex Levi ad Jacob, ex Jacob ad Abraham, ex Abraham ad Arphaxad, ex Arphaxad ad Sem. Ad hæc Apostolus non ex solo nomine Melchisedech, sed ex aliis quoque personæ adjunctis nobis Christi sacerdotium commendat. Rursus quis dixerit non narrari genealogiam Israelis, per hoc, quod sub Jacobi nomine tantummodo recenseatur? Itaque vulgaris illa responsio nequit hanc sententiam infringere. Supersedeo ab argumentis reliquis, quæ à Saliano, cæterisque Scriptoribus producuntur, quoniam ex dictis facile eruuntur, nec de re magni momenti in præsentia disquiritur.

7. Opinio, Melchisedech nothum esse, reprobatur.

Opinionem autem eorum, qui dixerunt Melchisedech nothum, ortumque ex adulterinis conjugiis, quamobrem prætermissa sit generis ejus origo, rejiciendam inter aniles fabulas probat num. VII. Epiphanius, quia *Rahab meretrix fuit, & ejus nihilominus Scriptura meminit; sed & Zambri, & Chasbithæ adulterium ibidem expressum est, tametsi alienæ stirpis hæc erat, nec Israelitarum ex genere originem trahens.* Confutatione pariter non eget quod nonnulli autumant patrem illius appellatum Heraclam, matrem vero Astariam, vel Astaroth, ipsiusque Melchisedech proprium nomen fuisse aut Joram, sive Jehoram, ut inquit apud Drusium Ben-Gorson, aut Sydyc, ut ex Sanchuniathone conjectat Grotius, cum isthæc nullo argumento probentur; quamvis si vera forent, magis inde confirmaretur Melchisedechum ex gentibus genus arcessere.

8. Ad reliquas objectiones.

Petrus Cunæus decem protulit argumenta ad probandum Melchisedech esse ipsum Dei filium, quorum quinque præcipua sunt, alia nihil crepant solidi. Ac primum depromitur ex vocabulo, quod appellativum esse contendit, ex quo Paulus ad Hebræos VII. illud interpretetur *Rex justitiæ*, &, *Rex pacis*; nullusque ætate Abrahami esset in terra Chanaan fidelium cœtus, quia alioqui peregrinatus non esset inter Ethnicos, sed in Salem fixisset sedem. Petit alterum ex verbis ejusdem epistolæ v. 3. *Sine patre, sine matre, sine genealogia*, quæ non videntur cuipiam hominum convenire, Christo excepto. Fabricat tertium ex subsequentibus, *Manet sacerdos in perpetuum*, in quibus enuntiatur æternitas propria solius Dei. Promit argumentum quartum ex eo, quod ibidem Apostolus versu 7. facit Melchisedechum meliorem, ac digniorem Abrahamo. Quintum urget ex cap. v. 11. ubi de Melchisedecho legitur, *De quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum:* quibus sane verbis ineffabilem illius magnitudinem, ac divinitatem Paulus deprædicat.

9. Respondetur.

At ad 1. & 2. responsum est in prima propositione: neque addendum modo aliud, nisi Abrahamum jam fœdus iniisse cum habitatoribus Mambre, ex Gen. XIV. 13. nec completum adhuc, dum reverteretur à cæde Chodorlahomor, tempus divinarum promissionum, ideoque collocandum ei non fuisse in Salem domicilium. Victoriis etiam ac dignitate adauctus debuit suam urbem relinquere justo, & erga se beneficentissimo Regi ac Sacerdoti Dei altissimi. Quod sequitur ita accipiendum est, ut intelligamus Sacerdotii Christi nullum finem futurum, & ideo præfiguratum in sacerdo-

tio Melchisedech, de cujus fine nihil in Scripturis habemus: quemadmodum ad commonstrandum Christi sacerdotium non conferri carnali generatione, paulo ante dictum est Melchisedech fuisse *sine genealogia*, id est, sacerdotium Christi spirituale fuisse antitypum sacerdotii Melchisedechi, cujus non proditur in sacris literis origo generis. Apostolus enim ex typo declarat Christiani sacerdotii dignitatem, & ibidem appellat Melchisedech ἀφωμοιώμενον, *assimilatum* Filio Dei. Argumentum proximum nil probat, quia Melchisedech dignior erat Abrahamo sacerdotii munere ac typo; nam licet & Abraham tanquam princeps familiæ fuerit sacerdos, & obtulerit sacrificia, ut liquet ex Gen. xv. ex canone Missæ, & ex Divo Thoma III. p. q. 31. art. 2. Melchisedech erat Ἀρχιερεὺς, ad Heb. VI. 20. id est, Summus Pontifex, gerebatque typum sacerdotii nostri omnium præstantissimi. Ad ultimum dicimus illa verba, *de quo*, referenda esse ad Christum, aut ad Melchisedech, non absolute, sed ut Christi divinum sacerdotium præfigurabat.

10. Confirmatur Responsio.

Tandem Melchisedech esse Spiritum sanctum probat Auctor Qq. novi & veteris testam. inter opera Augustini iisdem prorsus argumentationibus, quæ ad Filium Dei detorsit Petrus Cunæus. Koerberus eandem sententiam affricat D. Ambrosio in lib. I. de Abraham c. III. Verum recte Hieronymus appellat Auctorem Qq. illarum *imperitum sermone & scientia*: quem non fuisse Augustinum eruditi omnes consentiunt, demonstrantque invictis momentis PP. S. Mauri in Admonit. in librum earundem Quæstionum, Append. Tom. III. pag. 34. Qui inepram illam opinionem tribuit Ambrosio, legens dormitabat. Sancti Doctoris hæc sunt verba, loc. cit. num. 16. *Sacrificium denique obtulit, decimas dedit; ideoque ei Melchisedech, qui interpretatione latina dicitur rex justitiæ, rex pacis, benedixit: erat enim sacerdos summi Dei Qui est rex justitiæ, sacerdos Dei, nisi cui dicitur, Tu es sacerdos Dei in æternum secundum ordinem Melchisedech, hoc est, Dei filius, sacerdos Patris, qui sui corporis sacrificio Patrem nostris repropitiavit delictis?* Quo in loco Ambrosius tribuit Christo interpretationem nominis *Melchisedech*, non hujus personam: de qua ad hunc modum se habet nostra lucubratiuncula.

11. Propositio 3.

Propositio III. Christus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, quoniam in prisca hujus sacerdotis oblatione *panis & vini* præfiguratum fuit sacratissimum Eucharistiæ sacrificium.

Ita Catholici omnes adversus Novatores, qui fatentur utique Christi sacerdotium præfiguratum in sacerdotio Melchisedechi, ob interpretationem nominis *Melchisedech*, & *Regis Salem;* ob typum divinitatis expressum in eo, quod Melchisedech dicitur *sine genealogia;* ob perpetuitatem sacerdotii significatam iis verbis, *Manet sacerdos in æternum*; ob discrimen à sacerdotio Levitico quod Apostolus innuit, docens generationem Melchisedech non connumerari inter Levitas; ob spiritualem unctionem, ad quam innuendam dicitur Melchisedech factus sacerdos non secundum mandatum carnalis legis, *sed secundum virtutem vitæ insolubilis;* ob præcellentiam Christiani sacerdotii supra Leviticum in eo commonstratam, quod Melchisedech benedixerit Abrahamo, ex cujus lumbis exierunt filii Levi, ab eoque acceperit decimas: hæc, inquam, tradita ab Apostolo in Epist. ad Hebræos cap. VII. (quam tamen plerique illorum Apostolo abjudicant) ultro heterodoxi concedunt: at dici Christum sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, spectata oblatione *panis, & vini*, istud præfracte abnuunt, idque nos Scripturis, traditione Patrum, atque ratione probamus. Explicatur.

12. Probatur ex Scriptura.

Depromptum ex Scripturis argumentum est hujusmodi. Christum esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech ait David Ps. CIX. 4. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech:* affirmat Apostolus ad Hebræos cap. V. 7. & VII. 15. verba Davidis esse de Christo accipienda, quod & confirmat omnium Patrum, Theologorum, atque ipsorum hæreticorum assensus. At non aliter Christus appellatus est *sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, nisi quia sub speciebus panis ac vini obtulit sacrificium Corporis & Sanguinis sui, prænuntiatum in prisca illa Melchisedechi oblatione. Quid est enim esse sacerdotem *secundum ordinem Melchisedech*, nisi secundum ritum ac similitudinem hujus sacerdotis Dei summi? Atqui Christus nequit appellari sacerdos secundum ritum ac similitudinem Melchisedechi, nisi quatenus obtulit sub speciebus *panis & vini* Eucharisticum sacrificium. Igitur ratione hujus oblationis Christus appellatus est Pontifex, & sacerdos *secundum ordinem Melchisedech.* Et quidem nisi ita appellatus sit ratione illius

illius oblationis, ob quam aliam causam sic appellatum putabimus? Non ob aliquam aliam oblationem, quia non legitur Melchisedechum aliud obtulisse præter panem, & vinum, & si viva animalia mactavit, id non sufficit ad constituendum peculiarem ordinem sacerdotii, cum istiusmodi cruenta sacrificia etiam Abel, etiam Noe, etiam Levitæ omnes obtulerint. Non propter alias Melchisedechi dotes superius connumeratas; nam illæ commonstrant utique Christum fuisse in Melchisedech præfiguratum, at non evincunt fuisse sacerdotem *secundum ordinem Melchisedech;* quippe aliud ad figuræ rationem, aliud ad sacerdotii ritum, ordinemque requiritur. Sat est ad figuræ rationem, ut typi ac signa præcesserint; quare dicitur figura Christi Abel, dicitur Isaac, dicitur Moyses. At ad sacerdotii ritum & *ordinem* necessaria est similitudo etiam in re oblata, nec sufficit ratio figuræ; alioqui diceretur Christus sacerdos secundum ordinem Abel, secundum ordinem Isaac, secundum ordinem Moysis. Imo, ut in Paulum scribit Estius, tametsi Christus in ara crucis obtulerit semetipsum Patri sacrificium cruentum, atque hoc præfiguratum fuerit in mactatione vivorum animalium; quia nulla in cruce est ritus similitudo cum immolatione pecudum, nemo jure affirmabit Christum esse sacerdotem *secundum ritum alicujus sacerdotis præcedentis, qui pecudes immolaverit.* Nulla ergo ratio typi, nisi quæ sita est in rei oblatæ similitudine, constituit Christum sacerdotem *secundum ordinem Melchisedech*: & recte Tridentina Synodus Sess. XXII. cap. 1. exponens Catholicam de sacrificio Missæ doctrinam ait de Christo: *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo patri obtulit.*

13. Probatur; ex traditione.

Alterum argumentum ex traditione petitum est: quod omnes Patres affirmant non solum Christum esse sacerdotem *secundum ordinem Melchisedech*, verum etiam in hujus oblatione, de qua Gen. XIV. 18. præfiguratum sacrificium Christi incruentum, unde apparet quam commentitia sit, quam fallax interpretatio hæreticorum autumantium oblationem illam Melchisedechi fuisse civile epulum, profanamque comitatus Abrahami refectionem. At quid ex Græcis Patribus, ne proferamus omnes, Clemens Alex. Chrysostomus, Theodoretus? quid ex Latinis Cyprianus, Hieronymus, Augustinus? Clemens in IV. Strom. pag. edi-

tionis Morelli 539. *Melchisedech*, inquit, *rex Salem, sacerdos Dei altissimi, qui vinum & panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum Eucharistiæ.* Chrysost. hom. XXXV. in Gen. pag. edit. Commel. 512. etiam in pane, ac vino à Melchisedecho oblatis agnoscens figuram sacrificii nostri, ait: *Protulit*, Melchisedech, *panem & vinum. Videns typum cogita, oro, & veritatem, & admirare divinarum Scripturarum accuratam diligentiam, quomodo superioribus sæculis & ab initio futura præsignata sint.* Theodoretus Tom. 1. p. 50. sive in Gen. Inter. 65. inquit de Melchisedecho, *Typum enim gerebat sacerdotii Dominici.* Mitto Eusebium Cæsariensem, qui lib. V. de Demonstr. Evang. cap. 3. ait Melchisedechum nusquam aliis functum sacrificiis, nisi *solo vino, ac pane*, repræsentando corporis & sanguinis Christi mysteria: in quem locum nonnulla erudite Tournelius de Sacram Euch. p. 339. ad literam exscripta, uti alia ibidem, à Becano Tom. II. Opusc. XI. cap. 4. num. 5. usque ad 10. nulla Becani mentione facta. Cyprianus epist. 63. ad Cæcilium hæc habet: *Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus sanctus ex Persona Patris ad Filium dicens, Ante Luciferum genui te: tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens, & inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit.* Hieronymus in Qq. hebraicis Tom. II. pag. 528. hæc habet: *Quod autem ait, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, mysterium nostrum in verbo Ordinis significatur: nequaquam per Aaron irrationabilibus victimis immolandis; sed oblato pane & vino, id est, corpore & sanguine Domini Jesu.* Idem in Epist. XLIV. ad Marcellam Tom. IV. p. 547. *Recurre ad Genesim*, inquit, *& Melchisedech regem Salem hujus principem invenies civitatis: qui jam tum in typo Christi panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in Salvatoris sanguine & corpore dedicavit.* Demum S. P. Augustinus de Doctrina Christiana lib. IV. cap. XXI. num. 45. ait: *In Sacerdote Melchisedech Dominicum sacramentum præfiguratum videmus secundum quod divina Scriptura testatur, & dicit, Et Melchisedech rex Salem protulit panem, & vinum, &c.* Et in Epist. 95. ad Innocentium aliorum quoque Episcoporum nomine data, nunc 177. num. 12. *Melchisedech prolato Sacramento*

mensæ Dominicæ novit æternum ejus sacerdotium figurare. Atque lib. XVI. de Civit. Dei cap. 22. de Melchisedecho loquens, *Ibi quippe*, ait, *primum apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum.* Quid ad hæc heterodoxi? Num Melchisedech typum Christi gessit tantummodo ob res principio hujus thesis commemmoratas? At Patres in oblatione panis & vini ab eo facta agnoscunt *typum Eucharistiæ*, typum *ordinis de sacrificio illo venientis*, typum *mensæ Dominicæ*, typum *sacrificii, quod nunc offertur toto orbe terrarum.* Manet itaque inconcussum, ideo Christum dici sacerdotem *secundum ordinem Melchisedech*, quoniam in oblatione *panis & vini* præfigurabatur Eucharistia.

14. Probatur 3. ex Rabbinis.

Et quoniam hæretici profana eruditione tumidi, & hebraicæ linguæ peritia superbientes firmissimæ Scripturarum ac Patrum auctoritati opponunt grammaticales quasdam observationes paulo infra expendendas; sciant etiam Rabbinos in textu Geneseos XIV. 18. ac præsertim in iis verbis, *Obtulit panem, & vinum*, percepisse aliquod magnum mysterium, & oblationem illam sacram existimasse, non civilem atque profanam. Nam Rab. Samuel Ben-Nahaman in illa verba inquit: *Erat enim ipse Melchisedech sacrificans panem & vinum.* Rab. Moyses Hadarsan, aliique Melchisedech obtulisse Abrahamo *panes propositionis & vinum libaminum.* R. Ben-Jahir ita exponit verbum הוציא *protulit, exire fecit*, hoc est, *Separavit à cessatione sacrificiorum sacrificium panis & vini:* & Rab. Johai pariter, *Tempore Messiæ omnia sacrificia deficient: sacrificium vero panis & vini nunquam deficiet.* Perlegat hæc eruditionis cupidus apud Galatinum lib. x. c. 5. Adeat & Joseph de Voisin de Lege Divina cap. 6. testimoniis Rabbinorum demonstrantem Melchisedechum *in oblatione panis & vini designasse Abrahamo sacrificia & libamina, quæ oblaturus erat Messias*, quod vir doctus probat ex Talmud Tract. *Nedarim* cap. 2. & ex Salomone Jarchi in caput Geneseos. Addimus Commentaria Rab. David Kimchi in Oseæ caput XIV. 8. ab eodem Auctore producta cap. 44. Ipsemet Koerberus §. 23. fatetur ex vetustissima traditione, cujus meminit Patricides, Melchisedechum nullum obtulisse sacrificium *præter panem & vinum*, nihil aliud reponens, quam labile esse firmatum traditione argumentum: portentosa alia hæreticorum doctrina in libro XXIII. pluribus refutata.

15. Probatur 4. ex ratione.

Suadetur demum propositio Theologica ratione. Hæretici quippe negant Christum appellari Pontificem *secundum ordinem Melchisedechi* ratione oblationis *panis, & vini*, quoniam hanc in Melchisedech nolunt fuisse actionem sacerdotalem. At nisi id asseratur, non est cur Melchisedechus sacerdotii Christi gesserit typum, cum alii characteres, nominis *justitiam*, & *pacem* exprimentis, regalis dignitatis, ac prætermissæ genealogiæ, nequeant sacerdotii munus ritumque signare: unde in quartodecimo Geneseos ad commonstrandum oblationem Melchisedechi non fuisse à Sacrificio disjunctam legitur, *At vero Melchisedech rex Salem proferens panem & vinum, (erat enim sacerdos Dei altissimi) &c.* quibus in verbis oblationi munus sacerdotale conjungitur. Additur ibidem Melchisedechum benedixisse Abrahamo, ab eoque è manubiis decimas accepisse: unde in VII. ad Hebræos ostendit Apostolus Melchisedechum in ratione sacerdotis fuisse Abrahamo superiorem. Atque hæc Melchisedechi præcellentia non salvatur per solam regis auctoritatem, quoniam hæc ad constituendum sacerdotii *ordinem* indifferenter se habet, & etiam Abraham princeps erat, regumque victoriis onustus: non per vivorum animalium mactationem, quia hæc non distinguit sacerdotium Melchisedech à Levitico, & Abraham quoque eadem cruenta sacrificia immolavit, Gen. XV. 9. & XXII. 13. non denique per alios Melchisedechi characteres, quoniam hi personæ dignitatem, non sacerdotii *ordinem* præsignabant. Fuit ergo Melchisedech major Abrahamo, quantum ad sacerdotium attinet; spectata oblatione *panis, & vini*; in qua latebat mysterii Eucharistici Sacramentum. Quapropter Scripturarum auctoritate, testimoniis Patrum, atque Theologica ratione assertio nostra munitur.

CA-

CAPUT VIII.

Refutantur hæreticorum objecta.

SUMMARIUM.

1. Hæreticorum sententia de oblatione Melchisedech.
2. 3. & 4. Sententia Catholicorum firmatur.
5. usque ad 11. Objectionibus satisfit.
11. & seqq. Aliorum sententiæ infirmantur.

1. Hæreticorum de Melchisedech oblatione sententia.

HAERETICI verò nituntur ostendere nullatenus oblationem panis, & vini à Melchisedech factam, fuisse sacram & mysticam; quod primò evinci autumant ex textu hebraico: in quo Gen. XIV. 18. habetur de Melchisedecho הוֹצִיא לֶחֶם וְיַיִן, *protulit*, sive, *exire fecit panem & vinum*. Habent pariter *protulit*, aut, *eduxit*, aut, *fecit exire*, Versiones reliquæ. Perperam autem hæc demonstrantia epuli exhibitionem ad significandam oblationem sacram detorquentur. Etiam Vulgata legit, *Proferens panem & vinum*, non, *offerens*, aut, *obtulit*. Præterea extat in Græco pronomen, quo demonstratur panem vinumque non Deo oblatum, sed Abrahamo, ideoque actionem fuisse civilem, non sacram: ἐξήνεγκεν αὐτῷ ἄρτους καὶ οἶνον, habet versio LXX. id est, *protulit*, ILLI *panes, ac vinum*. Deinde consuetum fuit, ut victoribus prostrato hoste è bello redeuntibus, magnique principis transeuntibus copiis finitimi reges aut obsequentis animi, aut fœderis, aut benevolentiæ causa suppeditarent cibaria. Id ergo feciisse perhibetur Melchisedech: quod & Joseph historicus narrat, & asserit Damascenus, & Pontificii quidam Scriptores fatentur. Et Josephus quidem in 1. Antiq. cap. x. alias XI. ait: *Iste autem Melchisedeces militibus Abrami justa dedit hospitalia, iisque omnia ad usus vitæ necessarios abunde suppeditavit.* Damascenus lib. IV. de Fide Orthodoxa cap. 14. inquit: *Abrahamum ex alienigenarum strage redeuntem summi Dei sacerdos Melchisedech pane ac vino excepit.* Cajetanus in Genesim p. 74. *Nihil*, inquit, *scribitur hic de sacrificio, seu oblatione, sed de prolatione, seu extractione: quam Josephus dicit factam ad reficiendum victores.* Etiam Gabriel Vasquez disp. 87. cap. 3. art. 6. ait: *Fatemur ingenue in nullo Codice Vulgato esse verbum*, obtulit, *aut participium* offerens, *quod* sacrificare, *aut* sacrificantem *denotat, sed* protulit, *aut* proferens, *quod significat idem, quod* in medium educere, *seu* in medium educens. Quibus Vasquesii verbis recitatis, exclamat gestiens Koerberus: *Videant hic Romanenses, quid ipsi suis in religione* συνοικέται *respondeant.* Similia effutiunt Tarnovius, Rungius, Rivetus, aliique novatores. Ex textu itaque hæbraico, & Versionibus singulis, ex Josepho, ex Damasceno, ex ipsis Pontificiis Scriptoribus liquet oblationem Melchisedechi non fuisse sacram & mysticam, sed civilem, & qualem commemorat liber Judicum VIII. 5. Polybius etiam l. 3. & Livius 31. id est, datam militibus annonam, & commeatum.

2. Plurium DD. sententia.

Respondent quamplures, non posse de exhibita annona, aut de epulo facto Abraham accipi laudata Geneseos verba, quoniam legitur supra versu 11. Abrahami milites tulisse omnem substantiam Sodomorum, & universa, quæ ad cibum pertinent, & infra vers. 24. eosdem milites ex acceptis hostium prædis fuisse saturos. Addunt sacri libri scriptorem non prætermissurum pretiosiores cibos, si tantum de convivio facto Abrahæ sermonem instituisset. Responsio tamen nostra hæc est, Melchisedech cum esset summi Dei Sacerdos accepto victoriæ nuntio obviam processisse Abrahamo, oblatoque in gratiarum actionem sacrificio panis & vini, & de more sacrificii parte sacrata Deo, Abramo ejusque pueris panem sacrum vinumque libaminum distribuisse. Id quippe affirmant Patres, qui tradunt porrectum Abrahamo *panem sanctificatum*, ut inquit Clemens Alexandrinus, sive *typum mensæ Dominicæ*, ut docent alii. Idem tradunt hebræorum Rabbini, qui scribunt Melchisedechum panem vinumque sacrificasse, & Ahrahæ protulisse panes propositionis & vinum libaminum. Hoc idem confirmat ratio, quoniam Melchisedech venit in occursum Abrahæ, non ut fœderatus princeps ad exhibendum commeatum, sed ut sacerdos ad offerendum sacrificium in gratiarum actionem, atque ad benedicendum Abrahamo. Itaque ad hebraici textus auctoritatem fatemur hebraicum verbum הוֹצִיא, *Hotsi*, idem esse ac *exire fecit*, aut *exire faciens*, & recte in Vulgata redi *proferens*, in aliis Versionibus, *protulit, extraxit, exire fecit*; quoniam ex urbe Sacerdos summi Dei *exire fecit* panes

3. Responsio auctoris ex Patribus, Rabinis & ratione.

4. Confirmatur.

panes vinumque ad offerendum Deo sacrificium gratiarum actionis, & ad præbendum Abrahamo ejusque militibus nutrimentum, non de communi pane, sed de consecrato, typumque mensæ dominicæ præseferente, quemadmodum tradunt Patres ipsique Rabbinorum doctissimi, qui nequeunt vim hebraicorum verborum ignorare. Et quidem verbum illud usurpari etiam ad significandam rem, quæ ad peragendum sacrificium profertur & asportatur, demonstrat doctissimus Bellarminus ex Judicum VI. 18. ubi legitur *Portans sacrificium, & offerens tibi*, & habet Hebræorum textus אֶת־מִנְחָתִי וְהוֹצִאתִי, *Exire faciens ad sacrificandum.* Quid, quod Rabbini in verbo הוֹצִיא arbitrantur designari separationem sacrificii *panis*, & *vini* à sacrificiis cruentarum victimarum, ut supra ostendimus? Neque possunt id hæretici refutare, quoniam nunquam è scripturis demonstrabunt Melchisedech hircos pecudesque mactasse. Prior ergo versutorum hominum argutatio hebraicis vocubis fabricata, ineptissima est, atque ex Hebræorum Magistris in eos retorquetur. Nullius est pariter momenti quod petunt ex græca versione; primum quia gratis dato inscriptum esse in hac Versione pronomen αὐτῷ, *illi*, manifestum est ex dictis *illi*, id est, Abrahamo exhibuisse Melchisedech *panem sanctificatum*: deinde asserimus Codices melioris notæ, Oxonienses, Aldinum, Vaticanum, Waltonianum quoque, sicut & hebraicum, carere hoc pronomine. Quod sequitur de officiis ex vetusta consuetudine præstandis Regi à pugna redeunti, & de epulis, cibariisque à Josepho narratis, id quoque à me ultro libenterque conceditur: sed nego Regem Salem, qui erat sacerdos Dei summi, qui obviam ierat Abrahamo ad ei benedicendum, qui sacerdotii Christi gerebat typum, præter consueta regum officia, non exhibuisse panem sanctificatum, ut postulabat ipsius sacerdotii excellentia, ut exigebat typus futurorum, ut tradiderunt Patres, ut agnoverunt Rabbini, ut asseruit in præf. Psicomachiæ Prudentius, ubi de Abrahamo cecinit:

Adhuc recentem cæde de tanta Virum
Donat Sacerdos ferculis cœlestibus.

Etsi ergo Melchisedech alimenta dederit Abrahamo, copiisque ejus, ut inquit Josephus, nec non R. Samuel in Berescith Rabba, atque ut facere mos erat finitimis, factum hoc tamen sacrificio præcedente: quod etiam fatetur Grotius in Genesim productis verbis Philonis: ἐπινίκια ἔθυε, *sacra fecit victoriæ causa.* Idem respondetur ad auctoritatem Damasceni, qui eo loci commendat Christi sacrificium sub speciebus panis & vini, ac post verba citata addit immediate: *Mensa illa mysticam hanc adumbrabat, quemadmodum & sacerdos ille veri Pontificis Christi figuram & imaginem præferebat.* Qui ergo talia objectant, aut putres fungos nos credunt, aut ipsi sunt ejusdemodi. Quod attinet ad Vasquesium & Cajetanum reponeret aliquis horum duorum non tanti faciendam esse auctoritatem; sed postulat ratio æquitatis, ut castigetur improba hæreticorum arrogantia. Igitur Cajetanus in III. P. D. Thomæ q. XXII. art. 6. hæc habet: *Cum Christus dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedech, intelligitur de ordine assimilationis in materia sacrificii: nam panem & vinum assumi instituit in suo memoriali sacrificio pro materia Eucharistiæ, sicut Melchisedech panem & vinum obtulerat in sacrificium.* Quid his expressius? quid magis communi Catholicorum sententiæ conveniens? Igitur Cajetanus, quamvis Comment. in Gen. scribat verbum *proferens* suapte natura non denotare sacrificium, sed *extractionem*, nec non asserat in textu hebraico, non haberi particulam *Enim*, quæ in Vulgata subjicitur ut causa oblationis; putat tamen sacrificium, oblationemque in pane, & vino peractam, priusquam fieret inter Abrami pueros distributio. At Gabriel Vasquez disput. LXXXVI. cap. 3. (ibi enim extant verba citata à Koerbero) ait, quod hebraicum verbum, quod respondet latino, *protulit*, etsi idem sit, ac *in medium eduxit*, prout circumstantia loci exigere videtur, *non quamcunque eductionem rei* denotat, *sed eductionem hostiæ, & victimæ ad immolandum.* Addit, gratis dato quod hebraicum verbum significet tantum *proferre*, *Melchisedech prius Domino obtulit panem & vinum, postea oblata Domino protulit Abraham, ut ei benediceret.* Concludit porrectum exercitui Abraham panem *oblatum*, vinumque libaminum, *non commune.* Stet suo loco veritas. Nil istic Vasquesius habet non orthodoxum, non libratum, non rectum: ejusque lucubratio ambiguam quorumdam interpretationem complanat. His ergo quid respondeant Romanenses quæritant Fractarii? Re-

Responsum est: desinant gestire, & obmutescant.

5. Objicitur 1. At enim reponunt hæretici: Abierunt in eam sententiam Papicolæ, quod in ipsorum Vulgata extet, *Erat enim sacerdos Dei altissimi*, apposita particula *enim* causam sacræ oblationis exprimente. Verum id ineptum est supra quam dici possit. Primo enim habet Hebraicus textus, והוא כהן לאל עליון, *Et ipse sacerdos Deo excelso*: non particula *causali* posita, sed *copulativa*. Deinde incertum est, num hæc verba ad Melchisedechum, num ad Abrahamum sint referenda. Præterea כהן non semper sacerdotem significat; nam filii David II. Regum VIII. 18. dicuntur כהנים, *sacerdotes*, quo in loco *sacerdos*, principem, non ministrum sacrum designat. Dispellitur ergo multiplici ex capite Pontificiorum commentatio.

6. Respondetur. Resp. Theologorum, quos deridendi gratia vocant *Papicolas*, illi autem hoc nomine se cohonestari gloriantur, incorruptam hoc loco esse & immaculatam Versionem. Enimvero, num sunt hæretici in hebræorum dialectis peritiores Hieronymo, qui particulam *Ve* reddidit *enim*? Num doctiores Rab. Samuele Ben-Nahaman, qui legit, *Erat enim ipse Melchisedech sacrificans panem & vinum*, notans vim participii eadem observatione, quam in Maldonato tanquam à *Papista* confictam risu Novatores excipiunt? Num Rabbinis Ben-Jahir, & Johai tradent hebrææ grammatices præceptiones? Eccur non eradunt ex Priori Volumine Bibliorum Waltoni pag. 54. interpretationem textus Samaritici, *Protulit panem & vinum. Quia ipse erat sacerdos Deo Altissimo*? Negamus ergo particulam *Ve* non recte reddi per *Enim*; quemadmodum Genesis XX. 3. ea verba, *Et habet virum*, Gen. XXX. 27. *Et benedixerit mihi Deus*, Isaiæ LXIV. 5. *Ecce tu iratus es, & peccavimus*, recte verti, *Habet enim virum*: *Quia benedixerit mihi*: *Quoniam peccavimus*, nemo unus hæreticorum negabit. Gratis etiam dato legendum esse, *Et erat sacerdos Deo altissimo*; petimus, quare commemorata oblatione *panis & vini*, Sacerdotalis muneris fiat mentio. Non quidem ad commonstrandam tantummodo Melchisedech dignitatem, nam ita Sacerdotii character cum Regia dignitate jungendus erat, legendumque, *Melchisedech Rex Salem, & sacerdos Deo excelso*: non ad innuendum, cur Melchisedech benedixerit Abramo; sic enim Sacerdotii nota ponenda erat in illo periodi commate, *Et benedixit ei*, non jungenda præcedenti, *Exire fecit panem & vinum, & ipse sacerdos Deo excelso*: post quæ verba tam Hebraicus codex, quam Onkelos habet *soph*, *pasuch*, periodi membra dispescens. Sive itaque accipiatur particula *Ve* pro causali *Enim*, sive pro copulativa *Et*, stat immobilis Romanensium Theologorum interpretatio. Vocabulum autem *Coen* referendum ad Abraham, neque hæretici dicunt, nisi obtusioris ingenii, & crassioris Minervæ: quippe violenta hac interpretatione admissa, sequeretur ea, quæ postea de hoc sacerdote narrantur, esse Abramo, non Melchisedecho adscribenda. Atque ita Abramus benedixisset Melchisedecho, & ab ipso excepisset decimas, non è contra: quod repugnat Paulinæ ad Hebræos epistolæ, libroque Geneseos. Postrema objectio est cassa nuce deterior, כהן quippe nonnisi perraro denotat virum principem, neque sine aperta causa debemus propriam significationem abjicere: ideoque omnes hoc loco *sacrum ministrum* intelligunt, sancti Patres, Judæi, Catholici, hæreticorum quoque præcipui, Munsterus, Drusius, Tremellius, Junius, Piscator. Deinde Melchisedech non solum appellatur *sacerdos*, verum etiam *sacerdos Dei altissimi*; quis autem *princeps summi Dei* fingi potest? Tandem dignitas viri principis expressa satis fuerat præmissis verbis, *Rex Salem*. Non ergo Melchisedech appellatus est *sacerdos*, ut filii David, hoc dignati nomine, quia *primi erant ad manus Regis*, I. Paralip. XVIII. 17. ideoque in Græca versione II. Regum VIII. non *Sacerdotes* appellantur, sed αὐλάρχαι, *aulæ principes*: & hebraice dicuntur כהנים *sacerdotes*, spectata ampliori significatione verbi כהן, id est, λειτουργεῖν, *ministrare*. Præcedens igitur hæreticorum objectio sic à nobis sit refutata.

Insuper opponunt Apostolum ad Hebræos omnes Sacerdotii Christi characteres in Melchisedecho præsignatos enumerare, & Christi Sacerdotium præferre Levitico, ex quo illud maneat in æternum, ex quo Melchisedecho decimas dederit Abraham patriarcha, ex quo ille huic benedixerit, ex quo denique illius sacerdotalis unctio facta non fuerit secundum legem mandati carnalis. Inter quæ penitus prætermittit *panis vinique* obla-

7. Objicitur 2.

oblationem. Istam ergo ad Sacerdotium Melchisedechi spectasse perperam autumant Pontificii. Addunt hæretici nos in Mensa Dominica ideo sacrificium adstruere, quoniam panis & vini immutationem in Christi corpus & sanguinem profitemur, priscis duntaxat manentibus *speciebus*, percipientes nullum sacrificium dari absque oblatæ rei mutatione. At nullam in oblatione facta à Melchisedecho rerum oblatarum immutationem inveniemus: ideoque non habet oblatio ista rationem sacrificii; idque animadvertens Apostolus, oblationem ipsam alto præteriit silentio. Imo istiusmodi oblatio nequit discernere sacrificium Melchisedechianum ab Aaronico, quoniam & filii Aaron panem vinumque offerebant. Frustra itaque Romanenses opinantur in præfata oblatione latere mysteria.

8. Respondetur. Respondemus ipsum Apostoli scopum, cui exponendo tota hæreticorum machinatio incumbit ut veritatem labefactare pertentent, facile priorem argumentationem elidere, quamquam cum solo nitatur Pauli silentio, nihil habet, juxta Dialecticos, firmitudinis. Studet itaque Apostolus hebræorum animos à sacrificiis Aaronicis, quæ magno adhuc habeant in pretio, novi sacerdotii excellentiam ex typo Melchisedechi exponens, penitus removere. Profecto in Melchisedech præfigurata est sacerdotii Christi *excellentia* in perpetua duratione, in decimatione Levitarum, & in unctione spirituali ac virtute indissolubilis vitæ: & præsignatus est *ordo*, ritusque sacerdotii in similitudine rerum oblatarum, videlicet panis & vini. Cum ergo non agat Paulus de Sacerdotii *ordine*, sed tantum de *præexcellentia*, commemorat cætera, quibus Melchisedech gessit typum, & figuram Christi, ejusque sacerdotii dignitatem expressit; præteriitque silentio similitudinem rei oblatæ, in qua proprie situs est sacerdotii ritus & ordo; eo vel maxime, quod hæc oblatio (si tantum panis vinumque spectetur) non videatur præstantior vivorum animalium mactatione, & ipsi Levitæ quandoque panes ac libamina obtulerint. Hac de causa Apostolus ejusmodi oblationem prætermisit: præmonens tamen alia in Melchisedecho latere mysteria, quæ captum ipsorum Judæorum adhuc cruentis victimis addictorum superabant, id est, Corporis, & sanguinis Domini sub speciebus panis vinique præsentiam: quare cap. v. 11. ait: *De quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum; quoniam imbecilles facti estis ad audiendum*: & versu proximo, *Facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo.* Quod sequitur breviter expeditur; panis enim immutari poterat in sacrificio Melchisedech coctione facta in clibano, ut Levitici 11. 4. Vinum pariter conspersione, vel effusione, vel ratione alia ritus Melchisedech propria. Proximo quoque argumento hæc brevissime retulerim: Differt in oblatione panis, & vini sacerdotium Melchisedech à Levitico: quia ille in pane tantum ac vino sacrificium obtulit, non in cæsis hostiis, hircisque mactatis; at Levitæ sacrificarunt potissimum animalia, eaque immolarunt unà *cum libationibus*, ut liquet ex cap. XXIX. Exodi, & XXVIII. Numerorum: ideoque in sacrificio Aaronico oblatio panis & vini non fuit sola, non præcipua, non propria.

9. Objicitur 3. Tandem hoc hæretici afferunt: Si à similitudine rei oblatæ desumendus sit *ordo* sacerdotii, Christus sacerdos secundum ordinem Aaron, non *secundum ordinem Melchisedech* dicendus erit. Præcipuum enim sacrificium Christi, imo unicum, fuit sacrificium cruentum crucis: at cruenta sacrificia nunquam Melchisedech fertur immolasse, quemadmodum præstiterunt Levitæ.

10. Respondetur. Verum hoc ipso argumento in hæreticos invehimur: quippe, etiamsi sacrificium cruentum Christi præsignatum fuerit in victimarum mactatione; quoniam non eadem est res oblata super altare Levitarum, & in ara crucis, neque spectata rei oblatæ substantia, neque specie ac similitudine, nequit appellari Christus sacerdos secundum ordinem Aaron. Igitur etiamsi præfiguratus fuerit in Melchisedech ob rationes complures: nisi obtulit sacrificium simile in re oblata sacrificio Melchisedechi, appellari non potest *sacerdos secundum ordinem Melchisedech.* Quare abunde objectioni satisfactum est in priori thesis demonstratione. Non diffiteor tamen plura obstare, ne Christus dicatur sacerdos secundum ordinem Aaron, præsertim quod non fuerit sacerdos secundum mandatum legis, quod sacrificium crucis non fuerit typus futurorum, sed antitypus veterum, quod semel fuerit oblatum omnemque consummaverit expiationem. Ob quam rem non abjiciendum sacrificium Missæ quotidie oblatum in passionis Christi memoriam, ipsiusque applicationem, alibi demonstrabimus. Addimus responsionem S. Thom. q. XXII. art. 6. ad 2. etiam participationem sacrificii Crucis ejusque effectuum, *in quo præcipue attenditur excellentia Sacerdotii Christi*, expressius fuisse præfiguratam

tam in Sacerdotio Melchisedech; etiamsi oblatio Crucis cum effusione sanguinis magis fuerit expressa in sacerdotio Levitico: propterea quod panis & vinum significant Ecclesiæ, ejusque membrorum unitatem, ut inquit S. P. Augustinus in Psalm. CXLVII. num. 25. & Tract. XXVII. in Joan. num. 13. & habetur in cap. *Quia passus*, de Consecrat. dist. 2.

APPENDIX.

11. Sententia aliorum, quæ fundatur in Suida, est nulla.

Nullo modo propugnari potest sententia eorum, qui Christum sacerdotem Leviticum dixerunt ex Pseudohistoria, quam narrat Suidas Tom. I. pag. 1229. Jesum in sacerdotum numerum, cum adhuc esset adolescens, cooptatum, & repugnantes sacerdotes aliquos, eoquod genus duceret ex tribu Juda, acquievisse ubi compertum fuit genus ejus fuisse mixtum. Fabulosa enim historia illa est, meritoque ab omnibus refutata, cum constet Dominum Jesum fuisse ex semine David, atque ex tribu Juda; quod evidentissime infertur ex Psalmo CXXXI. 11. Luc. I. 32. Joan. VII. 42. Act. XIII. 23. ad Rom. I. 3. & Apocalypsi XXII. 16. Manifestum quoque est sacerdotes in veteri lege fuisse ex sola tribu Levi, nulla fœmineæ lineæ ratione habita. Vide Exodi XXIX. 9. 44. Levit. VIII. 2. 11. Paralip. VIII. 14. & ad Hebræos VII. 14. His non repugnat quod habetur Lucæ IV. 16. Jesum in die sabbati legisse in Synagoga, & explicasse Isaiam Prophetam: aut quod ejecerit de Templo ementes & vendentes, Matt. XXI. 12. & Joan. II. 14. Legere enim in Synagoga, & habere sermonem exhortationis ad plebem, non erat munus tantummodo sacerdotum, cum idem fecerit Paulus de Tribu Benjamin Act XIII. 16. unde quod Augustinus scribit lib. I. de Peccat. Meritis cap. XXVI. num. 54. Christum *lectoris etiam functum officio in Synagoga*, nullius sacri ministri innuit ordinem; maxime quod ibidem ait Lucas traditum illi librum, & ab ipso redditum sacris ministris: *Et cum plicuisset librum, reddidit ministro.* Ejecit vero è templo vendentes & ementes permotus zelo domus Dei, divinaque præditus potestate, non ex æditui officio; ideoque Judæi dicebant, *Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?*

12. Sententia Tornielli.

Falsum præterea est à Davide duos prodiisse stipites, regium unum per Salomonem, sacerdotalem alium per Nathan; quorum unum describat Matthæus, Lucas alterum. Propugnant hanc opinionem Torniellus ad annum M. 4051. num. 15. & 16. quia Nathan fuit filius Davidis non natura, sed adoptione, atque sacerdos, ut liquet ex II. Regum cap. VIII. genitus enim fuerat ab Uria Bethsabee marito de Tribu Levi. Addit hanc esse S. P. Augustini mentem quæst. 61. ex LXXXIII. ubi ait Nathan progenitorem Josephi, (de quo Lucas) fuisse Nathan prophetam, *cujus correptione David peccati abolitionem pœnitendo impetravit.* Similia tradit S. P. lib. II. de Consensu Evang. cap. 3. Alii etiam Patres, Ambrosius præsertim in Lucam, Hilarius can. I. in Matth. & Gregorius Nazianzenus in Carmine de Christi Genealogia eundem ex utraque tribu progenitum asserunt. Accedit in hujus sententiæ confirmationem, quod Maria cognata erat *Elisabeth de filiabus Aaron*, ex Lucæ I. 5. cumque lege Numerorum XXXVI. 7. cunctæ fœminæ nubere possent tantum suæ tribus hominibus, infertur Mariam Virginem & Elisabetham fuisse de eadem cognatione ac tribu, id est, Levi.

13. Deprehenditur falsa.

Hæc tamen sententia deprehenditur falsa ex dictis pag. 66. & seq. neque firmo ullo momento fulcitur. Enimvero Nathan, per quem Lucas texit Salvatoris genealogiam, fuit filius Davidis generatione, non adoptione, ut liquet ex I. Regum cap. V. 14. & I. Paralip. cap. III. 5. licet procreatus ex Bethsabee uxore Uriæ. Imo, etiamsi fuisset à David adoptatus, non diceretur de tribu Levi; falso enim supponitur Uriam virum Bethsabee ad hanc pertinuisse tribum, cum fuerit Hethæus genere; 2. Regum XI. 3. longe diversæ cognationis ab Uria Pontifice, de quo IV. Reg. XVI. 16. Hethæi quippe terram promissionis circa Hebron incolebant, quæ regio cesserat tribui Juda. Quo autem sensu filii David II. Regum VIII. appellati sunt sacerdotes, paulo supra explicavi. Flaccescit igitur ex hoc capite Tornielli opiniatio. Nullam etiam firmitatem habet in auctoritate Augustini, qui lib. II. Retract. cap. 7. & 16. priorem sententiam deposuit distinguens Natham filium David à Nathan propheta, nullamque adoptionem agnoscens in Eli patre, secundum Lucam, Sponsi Virginis, nisi juxta legem Deuteronomii XXV. 5. ut diximus disputantes de Christi genealogia. Alii vero Patres ambarum Tribuum, Regiæ & Leviticæ permixtionem agnoscunt ratione connubiorum; quod scilicet Sacerdotes in uxores acciperent etiam filias Juda, & vicissim viri Juda sæpenumero filias Aaron: nam liquet ex Juda ortum Dominum Jesum, & ex hac Tribu neminem connumeratum inter Levitas. Legitote

Epistolæ ad Hebræos caput VII. Hæc, quæ de Levitarum connubiis dixi, diluunt objectionem postremam: Maria enim potuit esse cognata Elisabeth, tametsi hæc esset *de filiabus Aaron*, ex qua tribu fuit etiam Virginis mater, aut Avia: quamquam Ambrosius lib. III. in Lucam num. 5. tradat Elisabeth fuisse *de tribu Juda*, & hac ratione cognatam Deiparæ. Nec repugnat assertioni nostræ allata lex Numerorum, quæ spectat tantum ad filias paternorum bonorum hæredes. Id probatur primò ex præcedenti cap. XXVII. 3. ejusdem libri Numerorum, ubi hæc lex dicitur super filias Salphaad à Domino promulgata: quarum filiarum pater *non habuit mares filios*. Deinde cap. XXXVI. 8. exprimitur finis ejusdem legis, id est, *Ut hæreditas permaneat in familiis*; quo fine cessante, cessat lex ipsa. Constat præterea Davidem uxorem duxisse Michol filiam Saul ex Tribu Benjamin, Booz Ruth Moabitidem, & econtra Jojadam Sacerdotem Josabeth sororem regis Ochoziæ. Vide lib. I. Regum XVIII. 27. Ruth. IV. 10. & II. Paralip. XXII. 11. Tandem ubi Vulgata nostra Num. XXXVI. legit, *Et cunctæ fœminæ*, extat in hebraico Codice, יִרְשֶׁת נַחֲלָה וְכָל־בַּת, *Et omnis filia hæreditans hæreditatem*: Græcus LXX. Καὶ πᾶσα θυγάτηρ ἀγχιστεύσα κληρονομίαν, *Et omnis filia vindicans sibi hæreditatem*: ac similiter Onkelos, Samaritanus, Arabicus in Polyglottis Walt. Tom. II. pag. 710. Nec tamen id succensendum Vulgatæ, cum hæc præcitatis verbis, *Ut hæreditas permaneat in familiis*, eundem sensum absque ulla ambiguitate præseferat.

CAPUT IX.

De aliis titulis, qui Salvatori nostro conveniunt.

SUMMARIUM.

1. Christus fuit Rex.
2. An habuerit Regnum temporale.
3. Fundamenta negantium.
4. & 5. Sententia Auctoris probatur.
6. Objectionibus respondetur.
7. Christus est caput hominum, & Angelorum.
8. Etiam prædestinatorum.
9. An gratia Angelorum ex merito Christi.
10. Sententia Auctoris.
11. An Christo competat auctoritas Judicis.

1. Christum esse Regem probatur ex Scripturis.

QUEMADMODUM in Melchisedecho prænuntiatum fuerat Christi Sacerdotium, ita in Davide, qui reprobato Saule constitutus fuit Rex Israel, præfiguratum novum Christi regnum, scite docet in duodecimo libro contra Faustum cap. 33. S. P. Augustinus. Itaque post Christi Sacerdotium, de Regno differendum nobis est, brevi tamen, cum plura de hoc argumento dicta sint lib. XX. cap. 16. prop. 4. & 5. Regem itaque esse Dominum nostrum Jesum Christum, extra omnem dubitationem positum est, commonstrantque textus divinarum Scripturarum locupletissimi. Legitur enim Ps. II. 6. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*, & vers. 8. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam*. Ps. LXXI. 8. *Et dominabitur à mari usque ad mare*. Zach. XI. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi justus & Salvator*. Lucæ I. 31. *Regnabit in domo Jacob in æternum*. Idem testati sunt profecti ex Oriente Magi, & percontantes Matth. II. *Ubi est, qui natus est Rex Judæorum?* Idem asseruit Salvator ipse respondens Pilato illum interroganti XVIII. 17. an rex esset, *Tu dicis, quia Rex sum ego*. Idem confirmat causa mortis ejus inscripta cruci, Matth. XXVII. 37. *Hic est Jesus Rex Judæorum*. De hoc itaque nulla est inter Theologos controversia.

2. An Christus habuerit Regnum temporale.

Fatentur quoque omnes Christum spirituale regnum habere, ac temporale, si habuit, intentum sublimiori operæ Redemptionis noluisse exercere: non enim Rex fuit *ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hostesque visibiliter debellandos, sed Rex Israel est, quod mentes regat, quod in æternum consulat, quod in regnum cœlorum credentes, amantesque perducat*; inquit S. P. Tract. LI. in Joan. num 4. At temporale regnum Christo complures denegant, aut, si dominium aliquod ei tribuunt in Reges terræ, nonnisi illud indirectum putant, & quatenus ad finem supernaturalem conducit, ipsius scilicet regni spiritualis consecutionem. Negant vero omnimode temporale Christi regnum Magdeburgenses, Molinæus,

næus, Jandunus, Marsilius Patavinus, aliique apud Capisuccum controversia XIX. necnon L'Herminier tom. III. p. 392. Tournely q. XII. pag. 394. Juenin dissert. VI. q. 9. Indirecte tantum regiam dignitatem Christo in temporalibus tribuunt Bannesius, Sotus, Bellarminus, aliique.

3. Fundamenta negantium.

Horum argumenta sunt partim è Scripturis partim ex Patribus, partim ex ratione deprompta. Enimvero ex Scripturis liquet regnum Christi esse spirituale & æternum; dominium autem temporale ipsum Christum abjecisse, dum descriptus est inter Augusti subditos, Lucæ II. 1. dum noluit arbiter sedere inter fratres litigantes, Lucæ XII. 14. dum fugit in montem ne raperetur ad thronum, Joan. VI. 15. dum Pilato confessus est, regnum suum non esse de hoc mundo Joan. XVIII. 36. Deinde ex Patribus idem videtur evinci, scribente Ambrosio lib. 3. in Lucam, *Regnum ejus non erat in hoc sæculo, supra sæculum erat*: Hieronymo in cap. 22. Jerem. *Regnum ejus non erat terrenum, sed perpetuum atque cœleste*: Augustino Tract. CXV. in Joannem num. 3. *Neque regem talem se esse fatetur, cujus regnum putetur esse de hoc mundo*; & lib. XVII. de Civ. Dei cap. 7. asserente regnare Christum, *non carnaliter, sed spiritualiter*: Magno demum Gregorio hom. VIII. in Evangelia, *Quasi in alieno nascebatur*. His accedit multiplex ratio: ac prima, quoniam regia dignitas ad redemptionis finem erat omnino supervacanea: altera, quod Nicolaus III. cap. *Exiit*, definivit Christum verbo & exemplo docuisse religiosam paupertatem, quæ dominio caret omni: postrema ac præcipua; quia non erat Rex Judæorum, neque gentium cæterarum; cum talis non fuerit hæreditaria successione, neque electione populi, neque jure belli, neque dono Patris, à quo Filio concessum fuit regnum duntaxat spirituale.

4. Assertio Auctoris.

Asserimus nihilominus, Dominum Jesum Christum, quantum ad potestatem, & jus regni spectat, fuisse tam spiritualis, quam temporalis regni plenissima præditum auctoritate, etiamsi hanc exercere noluerit, eamque sinat sæcularibus principibus demandari; quemadmodum corporalia officia spiritualis anima committit ministerio membrorum, prout explicavi laudato libro vicesimo. Et revera se tanquam regem à solvendo censu immunem declaravit, Mat. XVII. 24. omnemque potestatem sibi à Patre traditam affirmavit, ejusdem Matth. cap. ult. 18. quæ tam universaliter enuntiata, frustra ad solum spirituale regimen coarctantur. Hujus autem generis plura in Scripturis occurrunt, ut Ps. VIII. 7. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*: Act. X. 36. *Hic est omnium Dominus*: Apoc. I. 5. *Princeps regum terræ*, & XIX. 16. *Rex regum, & Dominus dominantium*. Imo, ut alibi ostendimus, ex ipsamet conditione regni spiritualis consequitur potestas in temporalia; quoniam ille, ad quem pertinet finis, debet etiam disponere de iis, quæ sunt ad finem: unde ajebat Bonifacius Papa in Extravaganti, *Unam sanctam. Oportet gladium esse sub gladio, & potestatem temporalem spirituali subjici potestati*. Ex quo itaque Christo spirituale competat regnum, ei omnis potestas etiam temporalis subjici debet: quæ cum sit à Deo, ex Apostolo ad Rom. XIII. 1. debet esse *ordinata*, atque ad spirituale regnum referri, tanquam medium ad finem. Quapropter & Christus se regem orbis terrarum ostendit excipiendo gentium munera, regiamque urbem ingrediendo tanquam rex Israel, universo populo plaudente. Sed vide quæ diximus citato cap. XX. necnon Augustinum Triumphum de potest. Papæ, & Petrum de Arragon. 2. 2. q. 67. art. 1. ne commemorem exteros, Roffensem, Almaynum, Cardinalem de Lugo, aliosque apud Capisuccum.

Probatur.

5. Confirmatur.

Corrunt verò argumenta quæque in contrarium, si animadvertatur unde regia potestas Christi sit derivata, & cur noluerit in terris degens illam immediate exercere. Verissimum est ergo, quod non est Christus totius orbis monarcha jure successionis hæreditariæ, cum sit ex semine ac posteritate Davidis, nullum jus habentis in regna exterorum: imo nec videtur ratione carnalis generationis habuisse jus in regnum Judæorum; cum virgo Maria esset quidem ex genere Davidis, sed non illius familiæ, in qua sceptrum erat, absque regni successione à Jechonia ad Christum usque productæ; quamquam ex hoc capite, & præsertim ex quo Messias esset, propugnari possit jus ad sceptrum Judæorum ipsi Messiæ repromissum. Neque Christus regiam dignitatem obtinuit electione populorum; quippe nunquam ei populus universus, tanquam regi acclamavit, semper Pharisæorum, Scribarumque factione repugnante: & in Prætorio multitudo protestata est se nullum alium regem habere præter Cæsarem: ac multominus jus sceptri acquisivit vi armorum, ac potestate terrena. Cum itaque natura humana ad tam arctam cum Deo Ver-

bo unionem assumpta est, ut fieret eadem cum ipso persona; factus est Christus filius Dei naturalis, omnium Dominus, eique universa in cœlo, & in terra subjecta sunt, quocunque titulo servitutis, ac dependentiæ. Neque dicas tantam ei dignitatem non convenire in quantum homo est: nam in quantum homo, si est naturalis Dei filius, eademque cum Deo Verbo persona, debet habere absolutam plenissimamque potestatem; ideoque præcitato cap. XIX. Apocalypsis speciosus ille titulus, *Rex regum & Dominus dominantium*, dicitur scriptus, *in vestimento & in femore*, quæ sunt hominis notæ. Cumque Christus hinc omnem habeat potestatem ac principatum, & pro humani generis redemptione se ipsum exinanierit *formam servi accipiens*, ut nos ad cœleste regnum eveheret; recte ait regnum suum non esse *de hoc mundo*, quia neque istud obtinuit generatione carnali, neque in isto vim armorum & insignia principatus ostentat, neque ab istius administratione terrenos homines suo fungentes munere arcet.

6. Objectionibus Respondetur.

Ad argumenta itaque ex Scripturis petita rectè alibi responsum est in Christo fuisse dignitatem regiam *quantum ad potestatem*, non quantum *ad potestatis exercitationem*, ut etiam inquit 3. p. q. 59. art. 4. S. Thomas: noluisse autem hanc potestatem in omnibus exercere, quia divinis intendens humana commisit hominibus; noluisse regni sceptrum à populo accipere, quoniam illud habet divinitus; atque regnum suum non esse *de hoc mundo*, quoniam neque à mundo regiam auctoritatem nactus est, neque hanc in mundo exercuit armorum violentia, subditorum censu, ac terrenæ majestatis ostentatione. Eadem responsio adhibenda est testimoniis Patrum asserentium Christi regnum esse spirituale ac æternum, spectata regiæ potestatis origine, neglecto rerum temporalium regimine, & considerato beatitudinis fine. Diluuntur eodem pacto argumenta à ratione: etenim ad redemptionis opus perficiendum congruebat *non exercere* regiam potestatem; & majus erat meritum Christi regis ornari spinea corona, quam diademate: major gloria adorari in cruce, quam in throno: major virtus domare orbem doctrina, quam armis. Verbo pariter & exemplo commendavit religiosam paupertatem reclinatus in præsepio, ac derelictus in cruce, abjiciens quidquid sibi met jure poterat vindicare actualis dominatus, regalisve magnificentiæ, quamvis esset Rex regum, & Dominus dominantium: quam dignitatem, quia non poterat refutare quantum ad potestatem attinet, eo quod sit à Filio Dei inseparabilis, noluit in temporalibus immediate exercere, parvipendens quidquid potest cæterorum hominum allicere cupiditatem, id est, temporalium bonorum administrationem, copiam, dominiumque omne ex jure sanguinis, cognationis, & hæreditatis exortum. Atque ad rationem postremam, ex dictis liquet regiam Christi dignitatem profectam ex *hypostatica* unione, ex regni spiritualis in temporale dirigendum auctoritate, ex dono etiam Patris, quatenus natura humana nullis præcedentibus meritis prædestinata fuit, ut esset cum Filio Dei, qui est princeps regum, per quem reges regnant, & cui subjecta sunt omnia, una eademque persona.

7. Christus est caput hominum & Angelorum.

Ex quo Christus, etiam spectata natura humana prout in persona Verbi subsistit, omnem habeat potestatem in cœlo, & in terra, consequitur esse Caput hominum & Angelorum: ut affirmat Apostolus scribens ad Ephes. 1. *Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*, etiam *Angelorum*, ut inquit in hunc locum Hieronymus, & S. P. Aug. conc. 3. in Psalm. XXXVI. n. 4. Quod ut melius percipiatur, tria ad rationem Capitis requiri communis sententia est, præeminentiam, unionem cum membris, & vitalem, ut inquiunt, influxum. Atque de præeminentia nullum oriri potest dubium, scribente ibidem Apostolo Christum constitutum à Patre *supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro.* Similiter de unione capitis membrorumque nullam arbitror instituendam quæstionem, cum etiam Angeli ad cœlestem Jerusalem pertineant, cum qua Ecclesia militans vinculo charitatis est conjuncta, & ad hoc divinum Verbum carnem assumpserit, ut numero civium suorum non fraudaretur superna civitas. Quare S. Pater laudato sermone 3. in Psalmum XXXVI. exponens verba Apostoli 1. ad Corinth. XII. 27. *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro*, inquit *Caput nostrum Christus est; corpus capitis illius nos sumus. Numquid soli nos, & non etiam illi qui fuerunt ante nos? Omnes qui ab initio sæculi fuerunt justi, caput Christum habent. Illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse jam credimus; & in ejus fide & ipsi sanati sunt, in*

in cujus & nos: ut esset & ipse totius Caput civitatis Jerusalem, omnibus connumeratis fidelibus ab initio usque in finem, adjunctis etiam legionibus & exercitibus Angelorum, ut fiat illa una civitas sub uno rege, & una quædam provincia sub uno imperatore, felix in perpetua pace & salute, laudans Deum sine fine.

8. Est etiam Caput prædestinatorum.

Quantum vero spectat ad gratiarum influxum, ex hac eadem auctoritate constat esse Christum caput prædestinatorum omnium hominum, necnon fidelium etiam reproborum, qui fidem, gratiamque Christi participant; quamquam hi sint corporis Christi membra aliquando abscindenda, non defectu capitis, sed membrorum ipsorum sanie ac putredine, voluntaria scilicet culpa, atque impœnitentia finali. Ampliori quoque sensu est Caput viatorum omnium degentium extra corpus Ecclesiæ, in quantum pro his quoque Ecclesiam ipsam, fontesque gratiarum aperuit, his sæpenumero gratiarum beneficia impertitur, ac neminem, quantum in se est, à compagine membrorum suorum abscindit. Id enim suscepta communis causa humani generis postulat, completumque munus Redemptoris universorum. Verum an sit etiam inspecto hoc gratiarum influxu Caput Angelorum sanctorum, disputant in utramque partem Scholastici.

9. An gratia, & gloria Angelorum ex merito Christi.

Et quidam putant ex Christi merito omnia prorsus in Angelos gratiæ & gloriæ munera derivasse, ut Catharinus, Viguerius, Albertus, eoquod Apostolus scribat citato cap. 1. ad Eph. vers. 9. *omnia in Christo* instaurata, *quæ in cælis, & quæ in terra sunt*, similia tradentibus Patribus productis à Vasquesio disp. XLIX. cap. 1. Videntur in eandem sententiam conspirare, qui arbitrantur ex gratia Christi fuisse sanctorum Angelorum perseverantiam: quod nituntur comprobare testimoniis Augustini lib. 1. de consensu Evangelistarum cap. 35. Fulg. lib. 2. ad Trasimund cap. 3. Gregorii Papæ in Ps. 18. & Bern. serm. 22. in Cantic. quorum verba affert Petavius lib. XII. de Incarnat. cap. 10. num. 7. Alii tamen negant ex meritis Christi derivasse aut gratiam, aut perseverantiam finalem, aut gloriam Angelorum *essentialem*; nam *accidentalem*, quæ oritur ex instauratis ipsorum ruinis, ex consortio beatorum, ex glorioſa Christi Domini exaltatione nemo est qui deneget singulari merito Redemptoris. Atque hanc sententiam propugnat major Scholasticorum pars apud laudatum Vasquesium cap. 2. ejusdem disputationis: in eamque nos consentire debemus, qui libro IV. cap. 9. & lib. VI. cap. 6. statuimus sanctos Angelos in accepta justitia stetisse per adjutorium *quo*, id est, per gratiam secundi Adam potentiorem, & actualis perseverantiæ effectricem.

10. Sententia Auctoris.

Interim videtur nobis via ad hanc dirimendam controversiam expeditissima, si in Christo distinguamus divinitatem Personæ à susceptа pro redemptione humani generis *forma servi*, & Conditorem universi, ac Reparatorem comparate ad diversam naturam ratione nostra spectemus. Christus itaque, ut Deus Verbum, & universorum Conditor, est Auctor gratiæ & gloriæ Angelorum æque ac hominum; idque tantum docent Patres à Petavio laudati: nam Augustinus de Consensu Evangelistarum demonstrat Angelos habuisse per Christum gratiam permanendi, quia *cum ipse sit sapientia Dei per quam creata sunt omnia, nullæ mentes rationales sive angelorum, sive hominum, nisi participatione ipsius sapientes fiunt.* Fulgentius etiam de Deo Verbo cujuslibet gratiæ auctore instituit disputationem: eòque intendit Gregorius demonstrans Angelos *sanctificatos in Filio* ex verbis Psalmographi, *Verbo Domini cæli firmati sunt:* nec aliter est accipiendus Bernardus, & ex Græcis Cyrillus. At si consideretur Christus Dominus quatenus morte sua Mundum reparavit; quemadmodum omnes fatentur adversus Origenem Christum pro solis hominibus crucifixum, ita ad solos homines Christi gratiam fructusque passionis ejus uberrimos dicendum est promanasse, ita tamen, ut etiam Angelis *accidentalis* gloriæ accesserit incrementum. Atque id magis confirmatur in eorum sententia, qui putant ob solam Adæ culpam Christum apparuisse, uti & nos definivimus capite libri XXV. postremo. Ita Christus omnia *instauravit*, quia Ecclesiæ firmiorem posuit basim, & fundamentum, hominesque Angelis sociavit: nam *instaurare* idem est, ac *conjungere*, scribente in hunc locum Chrysostomo: τὶ ἐστιν ἀνακεφαλαιώσασθαι; συνάψαι. *Quid est instaurare? conjungere*; divoque Protoparente in Ench. cap. LXII. n. 16. *Instaurantur quippe quæ in cælis sunt, cum id quod inde in angelis lapsum est, ex hominibus redditur.*

11. Christus est Judex.

Capitis, Regisque dignitati accedit Judicis potestas, & auctoritas, quam Christo concessam liquet ex Psalmo LXXI. 1. Mat. XVI. 27. XXVI. 64. Joan. V. 22. 27. Act. X. 42. XVII. 31. Apocalypsi XX. 11. Debetur judicandi potestas Christo, quia cum in Judice requiratur rectitudo, sapientia ac potentia, nemo est, in quo ista præfulgeant magis; ideoque Jeremiæ XXIII. 5. de Christo prænuntiatum est, *Regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra;* Judicandi potestatem competere Domino Jesu Christo, in quantum Deus & homo est, scribit S. Pater Tract. XXI. in Joan. & lib. 1. de Trinit. cap. 13. Verum de his legenda quæ diximus libro XXII. in Expositione Apost. Symboli; & orandum assidue, ut, priusquam nos ad tribunal Judicis evocemur, nominis Jesu, id est, Salvatoris assequamur maximam atque inexhaustam munificentiam, eamque, de qua proximo libro dicturus sum, peccatorum omnium expiationem.

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER VICESIMUS OCTAVUS,

De satisfactione Christi, ejusque merito dissertationem comprehendens.

PRAE cæteris titulis, quibus verum Deum, & verum hominem CHRISTUM JESUM, maximis fulgentem insignibus, honore atque admiratione prosequimur, censendus est præclarum charitatis ejus monimentum, nec non perfectio, & finis rerum omnium, quæ spectant ad hujus Mysterii dispensationem, eximius ille, de quo pertractandum est modo, titulus scilicet REDEMPTORIS. Cur enim sempiternus mortalitatem, & incircumscriptus formam nostram assumpsit, cur humiliavit semetipsum usque ad mortem, cur factus est *peccatum*, & *maledictum*, cur denique è Cruce pependit, nisi ut profuso pretiosi sanguinis lytro nos à captivitate reduceret, ejiceret principem tenebrarum, diriperet inferni spolia, & destrueret regnantis mortis imperium? Ast incredibile dictu, verissimum tamen, omnibusque compertum! ingentem hanc Redemptoris beneficentiam, hanc soluti pretii dignitatem atque oblationem temere, audacter, sacrilege parvipendunt hæreticorum complures: quorum aliqui ad solos prædestinatos, aliqui vero ad neminem prorsus veram redemptionem extendi impiissime dogmatizant. Et illos quidem cum Jansenianis, ac magno aliorum Novatorum numero insectati sumus libro XVII. & si negotium adhuc facessant, haud erit arduum fractos devictosque conterere: at quinam sunt audaciores isti, qui nos repente, & ex insidiis adoriuntur, nondum hac in parte operâ nostrâ vexati, atque universalis reparationis mysterium funditus evertere cogitantes? Sunt hi Poloni, ut dicuntur, Fratres, Faustus Socinus, Joannes Francus, Smalcius, Wolkelius, aliique perditissimi Ebionitæ: qui non tantum anathemata Catholicorum, verum etiam Calvinistarum, atque Lutheranorum execrationem experti, (tam pernicioſa dogmata spargere tentaverunt, ut ea nefarii quoque homines disperdenda, & eliminanda esse crediderint) ejecti ac profugi ab hominum conspectu quasi evanuerant, & vix famâ præteriti sæculi Scholasticis noti erant. In hujus tamen ævi licentia, cum eruditionis prætextu vetusti suscitarentur errores, erupit iterum pestilentissima lues, atque, ut fertur, fines hæreticorum omnes pervasit, incolumi tantum, quæ nunquam perversi dogmatis labe polluitur, Romana & Apostolica Ecclesia. Id vero me, quamquam virium mearum imbecillitatem agnosco, nec soleo absque animi trepidatione subire literaria certamina, fulcitus sum tamen Catholicæ Fidei præsidio, ac tua, benevole Lector, humanitate, vehementer impulit, ut communis Redemptionis beneficium pessundantes acri dissertatione compescerem: in qua elucubranda si dixero nihil me contuliſſe laboris, profecto mentiar; si autem affirmavero hanc spartam pro dignitate exornasse, ero utique superbissimus. Quid enim

enim pro Unigenito Filio Dei, qui me tanto redemit pretio, præstare ego poteram homuncio, & vermiculus? quid etiam ingenio rudis in medium proferre, adeo elaboratum, atque expolitum, ut suscepto muneri conveniret? Verum quod possum, illud persolvo; & facienti quod potest, frustra obloquuntur malevoli, & æquo animo boni omnes indulgent.

CAPUT I.

Exponitur Catholicorum Theologorum de Christi satisfactione sententia, & Fausti Socini placitum nefarium atque iniquissimum.

SUMMARIUM.

1 Sententia Catholicorum.
2. & 3. Satisfactio Christi non fuit necessaria summæ Dei justitiæ.
4. 5. & 6. Objectio solvitur.
7. Christus solvit pretium captivitatis nostræ.
8. & 9. Error Socinianorum à quibusdam Recentioribus non benè refellitur.
10. Radix Erroris Socinianorum.
11. & 12. Dogma Fausti adducitur, & refellitur.
13. Grotius non benè oppugnat Socinum.

1. Sententia Catholicorum.

CATHOLICORUM sententia est, definitam æterni Verbi Incarnationem, mortemque Christi teterrimam, ut pro universo humano genere peccati labe contaminato, dæmonisque captivo, piissimus Jesus in se iniquitatum nostrarum pœnam transferens, & affigens cruci damnationis nostræ chirographum, divinæ justitiæ condignam exhiberet satisfactionem, & redemptionis nostræ pretium persolveret. Quamvis enim senserint aliqui fore ut divinum Verbum fieret caro, etiamsi nulla culpa fuisset expianda; supposito tamen Adæ lapsu, etiam nos reparandi Deum-hominem iniisse consilium illi quoque fatentur, qui aliam adventus Christi causam constituerunt. Verbum ergo carnem factum soluto proprii Sanguinis pretio homines reparasse, concordi firmissimoque consensu tradidere Theologi.

2. Satisfactio Christi non fuit necessaria summæ Dei justitiæ.

Arbitrati sunt quidam fuisse Christi satisfactionem necessario summæ Dei justitiæ exhibendam, supposita Adami prævaricatione, alioqui nullum aliud salutis nostræ potuisse excogitari remedium; cum nulla *pura* creatura potuisset ad juris apices pro suo, vel pro alieno peccato satisfacere, quam tamen rigorosam satisfactionem expostulaverit Dei honor, & incommutabilis justitiæ æquitas. Pro qua opinione præter Richardum Victor. cap. VIII. de Incarnat. citari solet divus Anselmus in libris *Cur Deus homo*. Communior tamen sententia prædictam opinionem expungit, propugnatque, falsa omni æquitate, potuisse Deum optimum maximum homines non redimere, aut pro redimendis non exigere condignam satisfactionem; quamquam magis congruum honestumque videatur, si culpæ respondeat punitio, injuriæ honor, & læsæ justitiæ reintegratio. Et quidem potuisse Deum in massa perditionis deserere universum humanum genus, demonstrant sacræ literæ, in quibus reparatio nostra tribuitur gratiæ, charitati, & magnæ erga nos Dei benignitati ac misericordiæ, ut ad Rom. v. 8. ad Ephes. I. 5. ad Tit. II. 21. prima Petri I. 3. & I. Joannis IV. 10. comprobant argumenta omnia prædestinationis ac reprobationis divinæ, quibus evincitur in his, qui liberantur gratiam esse agnoscendam, in his vero qui damnantur justitiam, debitumque supplicium: confirmat denique idea libertatis; quia Deus plenissima pollens auctoritate, ac bonorum nostrorum non indigens, quidquid ad creaturas attinet, liberrima voluntate decernit, & pro suo beneplacito moderatur.

3. Confirmatur.

Poterat etiam Deus perditum hominem reparare absque Christi morte, & liberali condonatione: quod etsi negant nonnulli, quo facilius revincant Socinianos, tradunt tamen Patres omnes, Doctores Scholastici, & ipsorum hæreticorum permulti. Sane id asserunt Athanasius serm. 3. contra Arianos, Gregorius Nazianz. orat. 9. S. Pater Augustinus lib. XIII. de Trinit. cap. 10. & 16. necnon de Agone Christiano cap. 11. Magnus Leo serm. 2. & 8. de Nativit. Gregorius Magnus lib. XX. Moral. cap. 26. Bern. epist. CXC. contra Petrum Abaelardum, aliique innumeri. Horum testimonia profert Carolus Witasse q. 2. sect. 4. affricans sententiam oppositam, quod homo sine Incarnationis beneficio non potuisset reparari, omnibus Calvinianis.

Ast,

Aſt, licet nil noſtra Sectariorum referat, profecto Calvinus in Joan. cap. xv. 13. inquit, *Poterat nos Deus verbo, aut nutu redimere, niſi aliter noſtrâ causâ viſum eſſet, ut proprio & unigenito filio non parcens teſtatum faceret in ejus perſona, quantam habeat ſalutis noſtræ curam.* Similia ſcribit lib. 11. Inſtitut. cap. 12. Voſſius autem contra Hermannum Ravenſpergerum cap. 28. collectis ſententiis Wolfangi Muſculi, Hieronymi Zanchii, Danielis Tileni, Wolfangi Franzii, Antonii Thyſii, aliorumque multorum, manifeſto evincit, etiam Reformatæ, ut inquiunt, Eccleſiæ Theologos concedere Deum absque Chriſti paſſione, & citra ſatisfactionem potuiſſe condonare peccata. Quare immerito Calvinianis, ſaltem omnibus, adſcribitur contraria opinio: quod tamen, ut dixi, parum, aut nihil noſtra refert. Porro cum Deus ſit omnipotens, miſericors, ac independens, cur non potuit ſolo nutu hominem reparare, ſine ſatisfactione condonare debitum, & quemadmodum in Chriſtum tranſtulit peccatorum noſtrorum pœnas, ita illas nobis miſericorditer relaxare?

4. Objicitur.

Moverunt adverſa opinantes, quod juſtitia exigat punitionem culpæ, nec Deus injuſtus eſſe queat: atque ideo Anſelmus libro 1. *Cur Deus homo*, cap. 12. ait: *Non decet peccatum impunitum dimittere*: quod probat proximo capite, quoniam *nihil ſervat Deus juſtius, quam ſuæ dignitatis honorem*; unde infert neceſſum eſſe, ſive ut reddatur ablatus honor, ſive ut pœna ſequatur. Capite autem 19. concludit: *Tene igitur certiſſime, quia ſine ſatisfactione, id eſt, ſine debiti ſolutione ſpontanea, nec Deus poteſt peccatum impunitum dimittere, nec peccator ad beatitudinem, vel talem, qualem habebat antequam peccaret, pervenire.*

5. Reſpondetur.

Verum optime obſervatum à Joanne Driedone Tract. 111. de Captivitate, & Redemptione generis humani, Deum eſſe *ipſam juſtitiam*, imo omnis juſtitiæ fontem ac plenitudinem, & conſequenter *non eſſe in aliam juſtitiam ordinabilem*, ſed ad ipſum tanquam ad finem & conſummationem omnis juſtitiæ quamlibet aliam juſtitiam dirigendam eſſe: omnia vero, quæ ad finem ultimum referuntur, pro voluntate liberrima primæ cauſæ fuiſſe conſtituta ac diſpoſita. Quæ cum rectæ rationi, ac Theologiæ noſtræ principiis ſint apprime convenientia, omiſſis aliorum reſponſis, dicimus, quod non repugnaſſet juſtitiæ Dei absque ulla ſatisfactione hominem reparare; quoniam ſi id ſtatuiſſet ac voluiſſet, talis hominum reparatio juxta divinæ voluntatis prædefinitionem referretur ad finem ultimum, quemadmodum refertur modo exhibita ſatisfactio, ideoque nihil in hypotheſi contingeret inordinatum. Neque enim inordinatum dici poteſt, quod juxta ordinem à Deo conſtitutum peragitur. Cumque Deus ſit ſuamet juſtitia, ſi remittat absque ſatisfactione illatam ſibi injuriam, non fit debitor ullius juſtitiæ; quoniam ſumma juſtitia non eſt alteri ſubjecta, neque in alteram ordinabilis. Aliter contingere in creaturis, quæ ſi dimittant ſcelus impunitum, ſubjiciuntur juſtitiæ Dei, res per ſe loquitur. Ab hac doctrina non recedit S. Thomas 3. p. q. 46. art. 2. ubi demonſtrat omnem Dei juſtitiam ex ejus voluntate pendere. Eandem eſſe beati Anſelmi ſententiam liquet ex eodem Opere, *Cur Deus homo*. Libro enim II. cap. 5. ſolvens objectionem, quod ſi Deus ex neceſſitate vitandi indecentiam non dimiſit impunita ſcelera, & per Filii redemptionem ſalutem procuravit humanam, aufertur, aut minuitur benefacientis gratia; reſpondet majorem beneficio gratiam deberi, *cum aliquis ſponte neceſſitati benefaciendi ſe ſubdit*, allato exemplo neceſſitatis donandi ortæ ex promiſſione, & ejus, qui ſanctæ cogitationis vovet propoſitum. Atque hinc infert totum gratiæ imputandum, licet non deceat Deum à bono incœpto deficere, quia nihil Deus facit neceſſitate; *& bonitate ſua hominem creando ſponte, ſe ut perficeret incœptum bonum quaſi obligavit.* Capite etiam 17. demonſtrat omnem neceſſitatem, de qua locutus eſt, divinæ ſubjacere voluntati: nihil neceſſarium eſſe, niſi quia Deus ita decernit; & licet ſtatuat aliquid immutabiliter ſe facturum, nullam tamen eſſe in eo faciendi neceſſitatem, quia ſola operatur in eo voluntas. Ex quibus apparet Anſelmum loqui de juſtitia ſpectato hoc ordine rerum, & divinæ voluntatis propoſito circa hominis creationem atque reparationem, ideoque de illa neceſſitate, quam Scholaſtici appellant *ex ſuppoſitione, & conſequentem.* Quare judicio noſtro errat Vasquez, qui in 3. p. diſput. 1. cap. 2. & 3. ſcribit juxta Anſelmum Deum ex neceſſitate ad injuſtitiam vitandam voluiſſe Filii ſatisfactionem: erratque enim Carolus Witaſſe, qui diſp. 2. ſect. 3. ait durius Anſelmum locutum, quam ut in bonam partem poſſit facile inflecti; atque videtur is legiſſe tantum quæ ex Anſelmo Vasqueſius exſcripſit, aliis neglectis. Inconcuſſum eſt ergo, & fere omnium conſenſione firmatum potuiſſe

6. Confirmatur.

omni-

omnipotentem uti innumerabilibus modis ad nos liberandos, etiam non exhibita per Christum satisfactione.

7. Christus solvit pretium captivitatis nostræ.

Verum facta statuti ordinis hypothesi, in qua Deus decrevit complendam hominum redemptionem reparata injuria sibi per culpam illata, pretioque captivitatis soluto, quam hypothesin congruam, ac supremo Numine dignissimam esse defendimus; firmissima fide tenemus hanc satisfactionem exhibendam, hoc pretium persolvendum à Deo-homine, ipsaque re illam exhibitam, istud persolutum à Christo: qui peccatorum nostrorum pœnas luens, & super lignum perferens omnium nostrum iniquitates, seipsum Deo patri pro nobis obtulit hostiam ac sacrificium expiationis. Id congruum aptissimumque fuisse demonstrant Theologi ac Patres, ex quo sanandæ nostræ miseriæ convenientior modus non fuerit, quam iste, in quo nobis Deus contulit remedium, præbuitque humilitatis, patientiæ, & dilectionis exemplum. Addunt hac ratione Deum misericordiam & justitiam suam nobis declarasse, decernendo ad ostensionem justitiæ mortem Unigeniti; quem tamen sponte dedit, & misit in mundum, ad charitatem suam commonstrandam. Ad dispellendam quoque cæcitatem, & animi languorem sanandum, quæ duo per Adæ prævaricationem contraximus, nihil videbatur magis idoneum, quam ab illo naturam nostram assumi, qui est veritas, & lux vera, ac poterat exemplo, doctrina, & Spiritus sancti communicatione abundantius præstare Adæ posteris, quam illis paterna transgressio attulerit nocumenti. Sed cæteris causis prætermissis, sat est modo priorem repetere, id est, congruum fuisse, ne peccatum dimitteretur inultum, & satisfieret Deo irato; quamvis ad hunc redemptionis modum absolute divina justitia coarctata non esset, atque in alia rerum hypothesi, si voluisset Deus absque satisfactione homines reparare, id etiam salva æquitate decenterque fecisset. Atque hæc est de Christi satisfactione Catholicorum sententia.

8. Error Socinianorum.

Huic opponitur portentosus error Socinianorum, non à Fausto, vel Lelio primum excogitatus, sed conflatus ex Paganorum, Ebionitarum, Pelagianorumque blasphemiis, impie recusus, non, ut inquit Crellius, repositus postliminio. Quod ut exponam; Pagani haud percipientes peccati miserrimam conditionem, ac multo minus Trinitatis arcanum, & Verbi facti hominis sacramentum, difficulter assequuntur dari secundam è sancta Trinitate personam, & hanc ad expianda mundi delicta naturam assumpsisse nostram, præsertim cum superis nil afferant detrimenti mortalium scelera, eaque deleantur superni Judicis condonatione. Hanc esse paganorum sententiam neminem latet, demonstratque in Præf. laudati operis Joannes Driedo. Sociniani itaque cum Paganis denegantes Catholicæ Fidei mysteria, & Christum Dominum purum putumque hominem autumantes, atque gloriantes sectari se, (tanta est perditissimorum hominum audacia,) Theodotum Byzantinum, Artemonem, Paulum Samosatenum, Beryllum Bostrensem, & Photinum Sirmiensem Episcopum, quos majores suos agnoscit Joannes Crellius in Præfatiuncula ad opera didactica & Polemica; consequenter asseruerunt non esse Dominum Jesum tantæ dignitatis personam, ut posset Deo pro alienis peccatis exhibere satisfactionem, neque hanc exigi à divina justitia, quæ beneficentissima condonatione peccata quæque remittit. Hinc recentiores quidam Theologi Socinianos oppugnaturi plurimis Scripturarum sanctarum testimoniis probant esse in Deo constantem voluntatem puniendi peccata, justitiamque immutabilem; quæ tamen omnia non videntur ad rem: hæretici enim illi fatentur esse in Deo justitiam oppositam misericordiæ, quæ non absolvit, sed punit nocentes, qui pergunt esse rebelles, nec resipiscunt, atque asserunt peccata dimitti per justitiam, quæ est idem ac misericordia, & distinguitur ab indignatione & vindicta; sive per justitiam, quæ nihil est aliud, quam rectitudo & æquitas, quam Deus exercet condonando peccata, dum agitur pœnitentia, & ingemiscit iniquus: quæ ideo justitia appellatur, quia nihil est divinæ naturæ æquius ac justius, quam beneficiis afficere humanum genus miserum atque despectum. Quamobrem ad revincendos Socinianos non sufficit commonstrare Deum odio habere peccata, & punire scelestos, quod illi annuunt; sed opus est, ut demonstretur interfuisse in hominum redemptione justitiam ipsam, quæ punit, & opponitur misericordiæ, non illam duntaxat æquitatem & rectitudinem, quæ absque ulla satisfactione hominem, licet immeritum, cumulat beneficiis.

9. Responsio quorundam Recentiorum infirma.

10. Radix erroris Socinianorum.

At quomodo negant perditissimi homines satisfactionem istiusmodi non fuisse exhibitam à Christo Domino, cum negare non audeant hunc pro nobis crucis patibulum subiisse? Facile id percipies,

pies, si animadvertas Socinianos ad Paganorum & Ebionitarum errores accessisse, sibique ulterius adoptasse hæresin Pelagianam. Hujus assertores cum originalem labem, & gratiæ reparatricis necessitatem negarent, non salutis præsidium, sed exemplum solum ponebant in Christo, ejus adventum ac mortem ad hoc tantum existimantes valere, ut per Evangelium discamus quomodo vivere debeamus, & negantes ipsum Christum esse *Jesum*, id est, Salvatorem parvulorum, qui sine culpa decedentes, quamvis à regno cælorum extorres, nulla afficerentur peccati pœna. De quo errore legi potest Pelagianæ hæresis acerrimus debellator Augustinus lib. de Nat. & grat. cap. XL. num. 47. lib. v. contra Julianum num. 58. lib. II. Operis Imperf. num. 198. & lib. III. num. 150. Recoxit Pelagianum errorem Petrus Abaelardus quingentis ante Socinum annis, affirmans, ut scribit S. Bernardus Epist. 190. ad Innocentium, nec diabolum post Adæ lapsum jus aliquod in hominem habuisse, nec Filium Dei assumpsisse carnem, ut nos liberaret: sed hujus nativitatem, conversationem, ac mortem ad hoc solum redigens, ut Christus vivendo, & docendo tradiderit hominibus formam vitæ, patiendo autem ac moriendo suam erga nos commendaverit charitatem. Atque hoc idem asseruit Socinus scribens initio disputationis de Christo Servatore: *Ego censeo Jesum Christum ideo Servatorem nostrum esse, quia salutis æternæ viam nobis annunciaverit, confirmaverit, & in sua ipsius persona cum vitæ exemplo, tum ex mortuis resurgendo manifeste ostenderit, vitamque æternam nobis ei fidem habentibus ipse daturus sit: divinæ autem justitiæ, per quam peccatores damnari meremur, neque illum satisfeciisse; neque ut satisfieret opus fuisse affirmo.* Tradit consimilia Prælectionum Theologicarum cap. 15. in responsionibus ad Volanum, & in Epistolis ad Joannem Niemojevium: idemque profitetur Valentinus Smalcius lib. de Divinit. Christi cap. 11. Joannes Crellius in Responsione ad H. Grotium, Catechesis Polonica cap. 8. omnesque Sociniani unanimi perversitate: dicam verbo; fatentur Sociniani Christum Dominum de ingenti Dei patris in nos charitate certos reddidisse, negant nobis morte sua meruisse salutem, contendunt peccata absque ulla compensatione deleri, afferunt satisfactionem quam nos propugnamus obscurare Dei gloriam, & Christi potestatem labefactare.

Cum tam pernicioſum dogma non ſolum Catholici, verum etiam hæretici execrarentur, & Fauſtum retrahere à ſententia Joannes Baptiſta Rota, & Jacobus Covetus, aliique ſtruſtra tentaſſent: edidit ille ejusdem Coveti cauſa memoratam diſputationem *de Chriſto Servatore*, quatuor in partes diſtributam. At de ultima parte, quæ agit de imputatione juſtitiæ Chriſti, exagitatque hæreticam doctrinam à nobis quoque lib. XIX. refutatam, nihil in præſentia diſſertandum. Prior itaque Socinianæ diſputationis pars nititur oſtendere nullam Dei juſtitiam poſtulare ut puniantur peccata, licet aliquando ſupplicio à Deo plectantur pervicaces: Chriſtum dici Servatorem noſtrum ob id tantum, quod nobis ſalutis æternæ viam annuntiaverit, & confirmaverit vita, morte, promiſſione, ac reſurrectione ſua; nullam comprobari ſatisfactionem ex quo Chriſtus dicatur Mediator, & nos per mortem ejus ſimus reconciliati. Pars altera demonſtrare nititur redemptionem per Chriſtum factam eſſe metaphoricam, nullumque in ea peragenda pretium fuiſſe ſolutum, neque oppoſitum evinci ex quo legatur in ſacris literis Chriſtum peccata noſtra portaſſe, pro nobis paſſum & mortuum eſſe, & in ara crucis ſacrificium obtuliſſe figuratum in victimarum legalium mactatione; negatque pervicaciter Salvatorem noſtrum, priusquam cælum ingrederetur, functum fuiſſe munere Sacerdotis. In tertia parte contendit Antichriſti præcurſor Fauſtus, Deum nobis abſque ulla ſatisfactione condonare peccata, non potuiſſe divinæ juſtitiæ ſatisfieri nobis non pereuntibus, nec ſatisfactionem à Chriſto exhiberi, non potuiſſe ipſi peccata noſtra imputari, maximamque fore injuſtitiam, ſi innocens ſupplicio afficiatur pro ſceleratis. Nos ergo impium dogma breviter refutaturi eundem ſervabimus ordinem; incipiendo tamen à ſecunda parte; nam prima eſt nefariæ ſententiæ expoſitio, & nihil continet quod in ſequentibus non recudatur. Etſi enim Hugo Grotius in ſuo adverſus Socinum Opere cap. 4. contendit argumenta, quibus is catholicum dogma it labefactatum, non ſatis recto ordine fuiſſe poſita; Joannes tamen Crellius Volum. IV. Bib. FF. Polon. pag. 99. ait ordinem illum ſatis videri commodum: nullamque nos de methodo Adverſariis litem intendimus, ſed venenata tela, undecunque ejaculentur, retundimus atque vitamus fidei lorica, clypeoque protecti.

11. Dogma fauſti.

12. Refellit Auctor.

13. Grotius non benè oppugnat Socinum.

Non hac profecto indutus armatura adversus Socinum pugnavit Grotius, sed post editum opus de Christi satisfactione, ut erat ingenio multivolus, ex Calviniano Arminianus, ex Arminiano nullius fere fidei more Academicorum effectus oppugnatori suo Joanni Crellio literis datis Parisiis anno 1631. officiose gratias egit, & librorum Crellii lectione non solum plurimum se delectari significavit, sed etiam inde interpretationes ebibit perniciosas, passim in suis Bibliorum Commentariis dispersas. A quibus lectori accurate cavendum recte monet in Præfat. ad 3. sacrorum librorum volumen postremæ Venetæ editionis vir multijugis litteraturæ, & si veterum officiorum memor est, sodalis noster ac necessarius; quod & præmonuerat Admonitione in Psalmos præclarissimus Meldensium Episcopus. Cumque Grotianum opus oppugnandum cepisset Hermannus Ravenspergerus adjiciens illi depromptam ex Daniele inscriptionem *Tekel*, id est, *Appensus lancibus, & inventus minoris ponderis*; Ravenspergerum confutavit Jo. Gerardus Vossius erudita dissertatione, quæ Grotianæ solet adjungi. Grotius tamen adversariis suis noluit respondere, non quod prorsus in partes Crellianas concessisset, ut visum plerisque: sed quoniam arbitratus est quæstionem istiusmodi talis esse generis, ut in ea salva religione ac pietate possint homines dissidere, ut non obscure colligitur ex ipsa ad Crellium Epistola, nobisque, antequam hanc legeremus, in suspicionem venerat; prout innuimus lib. XXII. cap. 4. differentes de fide in Christi divinitatem. Atque ita Grotius in hæresi Socinana, quam alibi appellavit cæteris nocentiorem, & venenum Ecclesiæ præsentissimum, non diffitetur plura doceri utilia, ac servari pietatem: ex quo diversa prodierunt de Grotio judicia, nec omnino iniqua; tametsi in sua quadam ad Vossium epistola data Kal. Januarii an. 1638. retundens impactas sibi accusationes profiteatur de summa Trinitate Orthodoxam sententiam, erroresque Socini, Crellii, Schokii de Christi satisfactione detestetur. Quos breviter refutaturis cum à falsa Grotii pietate sedulo cavendum erit, tum à Vossii aliorumque hæreticorum palmari, atque supino errore circa redemptionis Christi participationem per solam fidem, & imputationem justitiæ ejus: iisque prænotatis, ex Grotii quoque, & ex Vossii conatibus plura delibare fas erit ad Socinum, ejusque amasios profligandos idonea. Sed erit primum, ac validissimum præsidium nostrum in sacris literis, & Catholicorum Patrum interpretamentis: quæ opponere studebimus pestilentissimis Fausti & Crellii commentationibus, veri hominum Redemptoris Christi Jesu, cujus causam agimus, implorato summo, divinoque auxilio.

CAPUT II.

Demonstratur adversus Socinianos Redemptionem nostram per Christum factam non esse metaphoricam, sed in ea peragenda verum pro nobis pretium fuisse solutum, & Dominum Jesum esse vere, ac proprie hominum Redemptorem.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Christus revera nos redemit.
3. Non tamen prædicatione duntaxat, & exemplo.
4. Sed propterea mortem pertulit.
5. Christus in sua mor e perferenda peccatorum nostrorum pœnas luit
6. Christus pro peccatis nostris fuit hostia sponte immolata
7. Per hanc hostiam reconciliati sumus Deo.
8. In hac reconciliatione à peccatis expiati sumus.

1. Status quæstionis.

ITAQUE adversus Socinianos, ut illum servemus ordinem, quem in secunda ac tertia parte disputationis suæ Faustus tenuit, demonstrabimus decem propositionibus nos vere, atque intervenente pretio fuisse à Christo redemptos, idque nullatenus summi Dei repugnare æquitati. Erunt autem propositiones nostræ, quæ sequuntur. I. Revera Christus Jesus humanum genus redemit. II. Hanc redemptionem non solum exemplo, & commendatione charitatis peregit, sed etiam soluto pretio. III. Hujus rei causa mortem pertulit. IV. In morte perferenda peccatorum nostrorum pœnas luit. V. Fuit affixus cruci salutaris victima, oblatumque pro nobis sacrificium. VI. Per hanc hostiam, & sacrificium, cum essemus filii iræ & vindictæ, reconciliati sumus Deo. VII. Reconciliatio ista facta

facta est per veram peccatorum expiationem. VIII. Noluit itaque Deus peccata nostra per solam condonationem dimittere. IX. Decebat enim quammaxime, ut divinæ justitiæ satisfactio exhiberetur condigna. X. Nec fuit injustum, non pereuntibus nobis, Christum subire crucis supplicium, eique peccata nostra imputari. Postremæ tres theses, quoniam impetunt tertiam Socinianæ dissertationis partem, erunt proximi capitis argumentum: in prioribus septem præsens disquisitio versabitur.

2. Propositio 1. PROPOSITIO I. Revera Christus Jesus humanum genus redemit.

Probatur. Hanc propositionem probant invictissime sequentia divinorum librorum testimonia. 1. Matth. xx. 28. *Filius hominis venit dare animam suam redemptionem pro multis.* In Græco: ὁ υἱος τε ἀνθρώπε ἦλθε δῶναι τὴν ψυχὴν αὐτε λύτρον ἀντὶ πολλῶν. Indubitatum est τὸ λύτρον esse pretium solutum ad redimendum captivum, derivatum à λύω, quod est *solvo*, ut animadvertit in hunc locum etiam Erasmus. II. Apostolus ad Galatas I. 4. *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam:* & III. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum.* Ubi in Græco extat verbum ἐξηγόρασεν, à propositione ἐξ, & ἀγοράζειν, quod est *redimere*, & *emere* magno soluto pretio: de hoc tamen loco infra prop. 4. III. Idem Apostolus ad Ephes. I. 7. scribit: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum* Græce: Ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τε αἵματος αὐτε, τὴν ἄφεσιν τῶν παραπτωμάτων; quo in loco notandum vocabulum ἀπολύτρωσιν, quod valet idem, ac *pretium*, quod ad redimendum captivum persolvitur, denotatque redemptionem gravi peractam impendio. Occurrit idem vocabulum ad Rom. III. 24. ubi loquitur Apostolus de justificatione, quæ ita beneficium est gratiæ, ut ipsam tamen gratiam Christus nobis promeruerit. IV. In priori ad Timotheum II. 6. ait ipsemet Paulus: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Et istic habetur in græco vocabulum ἀντίλυτρον, solutum *pretium* pro redemptione captivi. Ignatius in Epistola ad Trallianos legit λύτρον, *pretium.* Hesychius ἀντίψυχον. Ἀντίψυχος est ille, qui pro altero se morti devovet, ut apud Gallos Soldurii, de quibus Cæsar lib. III. cap. 22. & apud Romanos Decii, de quibus Cicero in I. Tusc. & S. P. Aug. lib. IV. de Civit. Dei cap. 20. Dio Cassius ait: ἀντίψυχοι οἱ ἀποθανεῖν ἐθελησαντες: *Antipsychi ii sunt, qui pro altero se tradere morti percupiunt* Vide etiam ad Colos. I. 14. ad Hebræos IX. 15. & Apocalyps. I. 5. Ex quibus hæc ratiocinatio fabricatur. Ille revera humanum genus redemit, qui soluto proprii sanguinis *pretio*, & ad nos liberandos se diræ morti devovens eripuit homines à peccatorum captivitate. Id præstitit Christus Jesus. Igitur Christus Jesus revera humanum genus redemit.

3. Propositio 2. PROPOSITIO II. Cum hæc redemptio contigerit *pretio* oblato, non fuit peracta duntaxat Domini Jesu prædicatione & exemplo.

Probatur potissimum ex dictis & ex Scriptura. Sequitur ex dictis; ubi enim *lytrum* intervenit, ibi non est redemptio metaphorica, qualem adstruunt Sociniani. Confirmatur autem I. Apostolus in priori ad Corinth. VI. 20. inquit: *Empti enim estis pretio magno:* Græce, ἠγοράσθητε γὰρ τιμῆς. De verbo ἀγοράζειν, quod est *emere* pretio soluto, dictum paulo supra. *Magno* non extat in Græco, neque in Syriaco, nec apud Tertullianum de Pudic. cap. 16. & lib. 2. ad Uxorem cap. 3. sed τιμῆς legendum esse cum emphasi ostendit Estius, quoniam alioqui redundaret; non enim proprie fit emptio sine pretii solutione. Recte itaque Vulgata lectio. Quod hîc notandum est; demonstrat Paulus nobis incontaminate corpore, animoque vivendum ducta ab emptitiis comparatione. Nam sicut qui pretio emuntur, non sunt juris sui, sed alieni; ita nos impensius Domino servire debemus, quoniam empti pretio sanguinis Jesu Christi effecti sumus Dominici juris. Atque hæc interpretatio liquet ex scopo Apostoli hortantis eo loci ad vitandam fornicationem, atque ex Commentariis Patrum, præsertim Chrysostomi Hom. XVIII. p. 476. scribentis: *In memoriam enim revocat magnitudinem beneficii modum salutis ostendens, quod cum essemus alienati, empti sumus, & non absolute, sed pretio.* Idem tradit Theophylactus pag. 211. & Oecum. pag. 474. qui etiam locum Apostoli reddunt, *Et non estis vestri ipsorum: siquidem empti estis pretio.* Similia habet auctor Comment. quæ tribuuntur Ambrosio Tom. 2. pag. 132. Quænam vero esset Apostoli ratiocinatio, quænam ratio comparationis, quænam exhortationis vis, si redemptio nostra fuisset absque pretio peracta? II. Eundem sensum habent verba Apostoli proximo cap. VII. 23. *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum*, Græce: Τιμῆς ἠγοράσθητε, μὴ γίνεσθε δοῦλοι ἀνθρώπων, id est, Cum emptiti sitis, nec proinde vestri juris, non debetis aliquid

ad hominum gratiam factitare, & illorum jussa, qui prava injunxerint, exequi. Videatur Oecumenius in hunc locum pag. 209. III. Petrus quoque in Epistola 1. cap. 1. 18. scribit nos redemptos à servitute legis, & à priscorum rituum observatione debere incolatus nostri tempore conversari cum summa Dei reverentia, eoquod magni æstimanda est collata nobis libertas, quam non pecuniarum impendio acquisivimus, sed supereminenti pretio, id est, effuso in ara Crucis sanguine immolati pro nobis Filii Dei. *Scientes*, inquit Apostolorum Princeps, *quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.* Græce: Εἰδότες ὅτι οὐ φθαρτοῖς, ἀργυρίῳ ἢ χρυσίῳ ἐλυτρώθητε ἐκ τῆς ματαίας ὑμῶν ἀναστροφῆς πατροπαραδότου, ἀλλὰ τιμίῳ αἵματι ὡς ἀμνοῦ ἀμώμου καὶ ἀσπίλου Χριστοῦ. Illic verbum ἐλυτρώθητε designat liberationem factam *soluto pretio* à th. λυτρόω, *pretio redimo*: idem pretium argento, auroque, quibus redimuntur captivi, præfertur; & quale sit assignatur, nempe pretiosus Christi sanguis: cui redemptio nostra tribuitur ad Ephes. 1. 7. 11. 13. ad Coloss. 1. 14. ad Hebr. IX. 14. X. 19. prima Joannis 1. 7. Apocalyps. 1. 5. &c. IV. Quidnam significat canticum illud novum Agno pro nobis occiso decantatum Apocalyp. v. 9. nisi attributam Christo judicii potestatem, quoniam pro nobis immolatus iram placavit, & nova, ac mirabili expiatione peccati redemit nos proprio sanguine? *Dignus es Domine* (ajebant ante thronum decumbentes) *accipere librum, & aperire signacula ejus: quoniam occisus es, & redemisti nos in sanguine tuo:* Græce, Ἄξιος εἶ λαβεῖν τὸ βιβλίον, καὶ ἀνοῖξαι τὰς σφραγῖδας αὐτοῦ, ὅτι ἐσφάγης καὶ ἠγόρασας τῷ Θεῷ ἡμᾶς ἐν τῷ αἵματί σου. Ubi *redemisti*, est aoristus verbi ἀγοράζειν, *pretio emere*, de quo supra, ac pariter pretium sanguinis designatur propositione ἐν, *in*, quæ juncta dativo idem est, ac *per*, denotatque causam instrumentalem. Hinc Æthiopica legit, *Mercatus es cum sanguine tuo*, Arabica autem, Syriaca, *Emisti nos Deo per sanguinem tuum.* Videsis N. Test. Wal. pag. 944. & interpretationem Arethæ ad calcem Oecumenii. Lege etiam Augustinum serm. 329. num. 1. & 336. num. 4. egregie explicantem quomodo Christus lancea transfixus in cruce, quasi *conscisso sacco* egerit grande commercium, atque totius orbis pretium fuderit. Quare ita Socinianos revincimus: Nisi Christus nos soluto pretio redemisset, nequaquam diceremur *Empti*, & ad jus Dominicum translati per Christi mortem; neque sanguis Christi analogiam haberet cum auro, & argento, quo redimuntur captivi. Atqui id repugnat productis modo, expositisque Scripturis. Christus ergo nos vere, proprie, ac soluto pretio redemit.

PROPOSITIO III. Christus eo fine, ut nos à peccato, dæmonisque captivitate redimeret, mortem pertulit. 4. Propositio 3.

Enimvero Joan. XI. 50. pontifex Caiphas, *non à semetipso*, sed divino numine afflante inquit: *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*: Græce, συμφέρει ἡμῖν, ἵνα εἷς ἄνθρωπος ἀποθάνῃ ὑπὲρ τοῦ λαοῦ, καὶ μὴ ὅλον τὸ ἔθνος ἀπόληται. Conantur Sociniani ea Scripturæ loca, in quibus Christus dicitur *pro nobis*, vel *propter peccata nostra* mortuus, ita interpretari, ut particula ὑπὲρ, nihil aliud significet, quam *causa nostri*, non causa antecedente, & impulsiva, sed finali duntaxat, sive mera puta occasione, scilicet, ideo Christum pro peccatis nostris passum fuisse, quia inde consecutus est effectus aliquis peccata respiciens nostra; non quatenus mortuus sit ad satisfaciendum pro eisdem peccatis, sed quia inde fides gignitur nobis peccatum divina benignitate remissum iri. Ita Socinus Præl. Th. cap. 20. & de Christ. Serv. p. 2. cap. 10. At facilius Herculi clavam, quam nobis producti testimonii firmissimum præsidium extorquebunt. Etenim prophetavit Caiphas perituram totam gentem nisi Christus moreretur pro populo: fuit ergo causa antecedens, & impulsiva mortis Christi imminens perditio populi. Præterea ubicunque particula illa ὑπὲρ morti, aut perpessionibus jungitur, semper antecedentem ac meritoriam causam significat: nec exemplum contrarium inveniri, aut in Scripturis, aut in idoneo quoquam Scriptore affirmat Vossius adversus Ravensperg. cap. 17. Hoc autem loco particula illa ὑπὲρ τοῦ λαοῦ, conjungitur morti Christi. Igitur vim habet causæ antecedentis & impulsivæ. Insuper eo loci Socinus, & Crellius c. 11. adversus Grotium contendunt *à Cajpha* nullum alium interitum consideratum, nisi qui tum demum fuisset populo metuendus, si Christus mansisset superstes, id est, futuram Romanorum militum incursionem, Probatur 1.

nem, de qua ipse Caiphas versu 48. cum suis ratiocinabatur, *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem.* At ineptum supra quam dici possit, ac temerarium figmentum! Ineptum quidem, nam nec Sociniana interpretatione admissa, inde sequeretur Christum non fuisse occisum pro reparando imminenti Judæorum interitu, temporali saltem, & qualis ob carnalium mentem obversabatur; nec sequeretur Messiam præstolantes eidem non credituros, ut à servitute Romani Imperii eo duce liberarentur. Temerarium vero, quoniam citata verba vers. 48. sunt Concilii Pharisæorum, non Caiphæ, qui eis contradicens inquit: *Vos nescitis quid quam, nec cogitatis, quia expedit, &c.* quæ verba *à semetipso non dixit*, commonstrans ab alia servitute, quam à Romanorum jugo fore per Christi mortem liberandum populum, id est, à dæmonis captivitate. Ergo ut nos hinc erueret, piissimus Redemptor mortem oppe-
Probatur 2. tiit. II. Apostolus ad Romanos cap. v. 6. demonstrans nos justificatos in sanguine Christi, & reconciliatos Deo salvos futuros ab ira per ipsum, utitur argumento à majori ad minus, quoniam scilicet pro impiis mortuus est, ac multo magis salvabit justos, sibique acceptos: *Ut quid enim Christus*, inquit, *cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est?* Græce: Ετι γαρ Χριστος, ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν, κατὰ καιρὸν ὑπὲρ ἀσεβῶν ἀπεθανε, Et versu 8. *Christus pro nobis mortuus est.* Græce: Χριστος ὑπὲρ ἡμῶν ἀπεθανε. His in locis particulam ὑπὲρ significare *substitutionem*, id est, Christum mortuum loco nostri, atque ut nos ab ira Dei redderemur immunes, liquet primo, quoniam ostendit Apostolus commendari charitatem Dei in nobis ex quo, cum peccatores essemus, pro nobis mortuus sit Christus. Si enim vix reperitur inter mortales, qui pro justo, aut amico se devoveat, ut fecerunt pro Reipublicæ incolumitate Curtius, Decius, Codrus, quam singularis erit amor sese devovere pro impiis? *Vix enim pro justo quis moritur?* inquit Paulus. Ubi, etsi Erasmus, imo & Hieronymus ad Algasiam q. 7. *justitiam*, non personam intelligit, quod nullo pacto vim argumentationis infringit; personam accipiendam commonstrat antithesis, ut observarunt docti viri Estius, & Jo. Gagnæus: comprobantque Versiones Æthiopica, & Arabica in novo Testam. Walt. pag. 648. At dum quis pro amico, aut justo se morti devovet, pro alterius incolumitate vitam surrogat suam. Id ergo, teste Apostolo, longe præstantiori charitate fecit Christus pro impiis, & inimicis. Accedit quod proximo versu 10. id expressius exponens ait Paulus: *Si enim cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus, &c.* quibus in verbis effectus mortis Christi, de quo infra, id est, peccatorum reconciliatio apertissime declaratur. III. Idem Apostolus in prima Probatur 3.
ad Corinth. 1. 13. ne humanæ eloquentiæ, & eorum, qui sibi Evangelium annuntiaverant merito se fidem crederent assecutos, *Nunquid*, ait, *Paulus crucifixus est pro vobis?* Μὴ Παῦλος ἐσταυρώθη ὑπὲρ ὑμῶν; Quo sane in loco particula ὑπὲρ, plus aliquid innuit, quam ubi ipse inquit percupere fieri anathema pro fratribus, aut nos jubemur pro fratribus animam ponere. Ibidem quippe significat Paulus neminem mortalium, nisi Christum, morte nobis impetrasse quæ ad salutem perducunt, licet multi & prædicatione, & exemplo, & etiam martyrio salutem nostram studuerint promovere, ideoque nos Christi esse, non Pauli, non Apollo, non Cephæ, ut ajebant Corinthii. Hujus autem rei optimam profert causam S. P. Augustinus Tract. LXXXIV. in Joan. num. 2. scribens: *Etsi fratres pro fratribus moriantur, tamen in fraternorum peccatorum remissionem nullus sanguis Martyrum funditur: quod fecit Christus pro nobis.* IV. In altera Probatur 4.
ad Corinth. v. 14. ostendit Paulus impelli nos charitate Christi, ut illi vivamus, *quoniam unus pro omnibus mortuus est.* Græce: ὁτι εἷς ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν. Istic quoque ὑπὲρ πάντων subrogationem mortis Christi pro vera omnium redemptione commonstrat; quoniam Sociniano sensu, ad promovendam scilicet fidem, & charitatem commendandam, non unus, sed complures mortem oppetiere: & quoniam è vestigio Paulus denegatam à Socinianis antecedentem causam mortis Christi, transfusam scilicet in omnes originariam prævaricationem commemorat dicens: *Quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Quare hinc Augustinus sexcentis in locis, ut dictum alibi, probat contra Pelagianos originale peccatum. V. Non solum particula Probatur 5.
ὑπὲρ, occurrit, ubi Christus dicitur mortuus pro nobis, sed etiam particula ἀντὶ, in textu Matth. citato Prop. 1. quæ particula commutationem, & substitutionem significat, ut demonstrat Grotius cap. 9. ex Matth. 11. 22. & XVII. 27. ex Lucæ XI. 11. ex 1. ad Corinth.

rinth. XI. 15. ad Hebr. XII. 16. ex 1. Petri III. 9. quæ loca exscripsit etiam Tournely de Incarn. pag. 175. Imo Socinus, & Crellius ea particula ἀντὶ commutationem significari haud negant, comminiscentes commutationem quandam à subrogatione diversam, veluti dum captivi inter se permutantur, nec tamen alter vice alterius captivus evadit. Non enim Crellius locum invenire potuit, ubi ἀντὶ commutationem non denotet. Videatur Tom. IV. Operum Crelli 1. pag. 190. At quis percipere potest duorum captivorum permutationem, nisi uterque captivus sit? Quis nostrum redemptione peracta asserit quempiam remanere captivum? Quis inficias eat ex duobus captivis unum tradi in pretium & redemptionem alterius, & ideo utrumque solvi à captivitate, quia soluto pretio uterque solvitur à jure, & potestate Tyranni? Perperam ergo Faustus & Crellius tentant istinc evadere. Habet autem vim eandem vocabulum ἀντίλυτρον 1. ad Timoth. II. 6. supra explicatum. Ex quibus omnibus ad thesin probandam hæc construitur argumentatio. Si in locis, ubi Christus dicitur pro nobis mortuus, non solum significet particula *pro* aliquam utilitatem nobis provenientem ex Christi passione, qualem percipimus ex Apostolica prædicatione & exemplo; verum etiam demonstret mortem illius oppetiisse, ut nos à sempiterna erueret perditione, ut se loco nostri substitueret ad placandam Dei indignationem, ut nobis impertiret gratiam, & peccatorum remissionem, ut nos denique à peccati captivitate redimeret; profecto Christus redemptionis nostræ causa mortem oppetiit. Atqui explicato nuper sensu dicitur *pro nobis mortuus*. Ergo Christus eo fine, ut nos redimeret à peccato, dæmonisque captivitate, mortem pertulit.

§.

Propotio 4. PROPOSITIO IV. Christus in morte perferenda peccatorum nostrorum pœnas luit.

Probatur. Christum in cruce peccatorum nostrorum pœnas pertulisse ex sequentibus locis evincitur. I. Isaias cap. LIII. 4. de Christo, ut Socinus fatetur P. 2. cap. 4. p. 149. vaticinatus, nec sermonem instituens de Jeremia, ut opinatur Grotius Tom. 1. pag. 323. (falso enim Tournely scribit pag. 177. Grotium ad ipsum Isaiam literæ sensum inflectere;) etsi magis κατὰ λέξιν, *secundum verba*, fateatur in Christum potius, sublimiusque vaticinium congruere: Isaias inquam, ait: *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Hebraice: אָמֵן חֳלָיֵנוּ הוּא נָשָׂא וּמַכְאֹבֵינוּ סְבָלָם; quorum verborum sensus est, *Vere debitas peccatis nostris pœnas tulit.* Contendit Socinus verbum נשׂא, *Nasà*, idem esse, atque *auferre*, non *perferre*, ac *sustinere*, eo quod Matthæus cap. VIII. 17. hunc locum interpretetur de languoribus, morbisque corporis, quos Christus sanavit, nec tamen transtulit in semetipsum. Idem censet Forerius Tom. III. Crit. Sacr. pag. 601. At primum cum נשׂא significet *pœnam luere* Exodi XXVIII. 43. Ezech. XXIX. 19. aliisque in locis plurimis; quare sensum istic non præsefert eundem? Certe Versio Syriaca habet: *Vere passiones nostras ipse pertulit, & dolores nostros ipse passus est.* Arabica: *Ipse portat peccata nostra, & pro nobis dolore afficitur.* Græca, οὗτος ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει, καὶ περὶ ἡμῶν ὀδυνᾶται. *Ipse peccata nostra portat, & pro nobis dolet.* Deinde non solum verbum נשׂא occurrit hoc loco, sed etiam סבל *sabal*, quod nullibi aliud significat quam *sustinere*, ac *bajulare*. Vide hebraica Biblia Gen. XLIX. 15. Is. 46. 4. Thren. v. 7. &c. Præterea Christum peccata delere quis negat? pœnas verò peccatorum ipsum non pertulisse Socinus undenam probat? Sane quæ sequuntur, evincunt oppositum. Neque ad rem est præcitatus locus Matthæi. Etenim *languores* Isaias dixit, & qui animum afficiunt, & qui in peccatorum pœnam torquent corpora: & Christus utrosque curavit, quoniam *factus in similitudinem carnis peccati* pertulit infirmitates nostras ut à nobis languores animi, corporisque morbos dispelleret. Quare recte Matthæus, etsi loquatur de ægrotantibus corpore, utitur testimonio Isaiæ, ut per corporalium morborum curationes mentem erigamus ad percipienda spiritualia beneficia, ut curatio corporis esset veluti præambula redemptionis animarum, ut subaperiret plurimas ægrotationes ab animi peccatis originem trahere. Videatur Joannes Chrysostomus hom. 28. in Matth. pag. 275. Estius, Arias Montanus, ac præ cæteris Taddæus noster Perusinus in Isaiam, Maldonatus, Jansenius, Nat. Alex. in cap. VIII. Matthæi. Sanare itaque Christum animi, corporisque languores concedimus; de utrisque locutum Isaiam quatenus mors, & infirmitates sunt pœna peccati, haud inficiamur: Christum vero utriusque languori-

guoribus attulisse medelam, quoniam ipse pertulit infirmitates nostras, & peccatorum nostrorum pœnas in se transtulit, firmissime profitemur. Atque id Isaias sequentibus verbis confirmat. Versu enim proximo inquit: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Hebraice: וְהוּא מְחֹלָל מִמְּשַׁעֲנֹתֵינוּ מְרֻכָּא מֵעֲוֹנֹתֵינוּ: *Et ipse vulneratus à prævaricationibus nostris, attritus ab iniquitatibus nostris.* Quo in loco iniquitates & scelera nostra fuisse mortis, ac suppliciorum Christi causam effectricem ac meritoriam satis ipsa verba declarant. Sequitur autem Propheta: *Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.* Hebr. מוּסַר שְׁלוֹמֵנוּ עָלָיו. וּבַחֲבֻרָתוֹ נִרְפָּא לָנוּ: *Castigatio pacificationum nostrarum super eum, & in livore ejus medicatum est nobis.* His apertissime significat Vates castigationem, quam divina justitia pro offensis nostris postulabat, ex qua conciliatio & pax consequeretur, Christo fuisse impositam; ut ex proprietate linguæ sanctæ demonstrat Arias Montanus Tom. 2. in Isaiam p. 1160. Temere negat Socinus pag. 151. *castigationem* hoc loco significare punitionem, quoniam ei conjungitur *pax*; nam punitio peccati dicitur *castigatio pacis*, quoniam per mortem Christi reconciliati sumus Deo, ut infra ostendam, innuitque ibidem Propheta dicens, *Et in livore ejus medicatum est nobis.* Habet Syriacus: *Castigatio pacis nostræ ipsi imponitur, & cicatricibus ejus curabimur.* Et Arabicus, *Castigatio pacis nostræ imposita est ei, per ejus vulnera nos sanati sumus.* Tom. 3. Polygl. pag. 145. Expende totum illud caput LIII. de quo hactenus. II. Apostolus in 2. ad Corinth. v. 21. scribit: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Perspicuum est male à quibusdam legi, *Is*, id est Christus, *peccatum fecit*, quam lectionem rejicit Augustinus cap. XLI. Ench. num. 13. sed legendum, *Eum, qui non noverat peccatum*, ut habet Vulgata, & Græcus codex, τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν, ideoque sensus est, *Deus fecit Christum pro nobis peccatum*, scilicet, *sacrificium pro peccato;* ut ostendimus hujus Volum. pag. 109. Nam Levit. IV. 29. ubi habet Vulgata, *Ponetque manum super caput hostiæ, quæ pro peccato est*, legunt Hebræi, עַל רֹאשׁ הַחַטָּאת *super caput peccati*, & LXX. pariter τὸν κεφαλὴν τῆς ἁμαρτήματος αὐτοῦ. Recte itaque Augustinus citato loco; necnon Q. 12. super Num. & lib. 1. contra Maximinum cap. 2. ait *peccatum* dici ab Apostolo *sacrificium, quod pro peccato offertur:* quod & demonstrat scopus Apostoli ibidem loquentis de peccatorum reconciliatione. Possunt Apostolica verba & hunc habere sensum, *Fecit Deus Christum subjectum suppliciis, & punitioni peccati*: quem sensum comprobat citato loc. contra Max. S. Pater ex alio Pauli contextu, ad Rom. VIII. 3. *De peccato damnavit peccatum in carne:* ubi in Græco est verbum κατέκρινε, id est, *condemnavit, judicavit, morti tradidit.* Sive autem dicas Christum fuisse pro peccatis nostris mactatum, sive in ipsius carne affixa cruci apparere peccati judicium, ac punitionem; quid aliud, te amabo, dices, nisi Christum scelerum nostrorum luisse pœnas? III. Invictissime Socinianos revincit quod scribit Paulus ad Galatas III. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum: quia scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Hic maledictionem & execrationem dici pœnam inflictam in punitionem peccati pluribus ostendimus contra Phereponum Tom. IV. pag. 29. & seq. Omnia, quæ ibidem diximus, demonstrant verborum Apostoli sensum esse, Christum nos redemisse à peccatorum pœna & execratione, à qua liberare non poterat lex scripta, ipsam execrationem ac pœnam in se suscipiendo. Confirmat hanc interpretationem primo lex ipsa Deuteronomii XXI. 22. quæ agit de suspensis in patibulo ob gravissimum scelus: idem commonstrant exempla suspensorum, quæ habentur Num. XXV. 4. ob idololatriam, & scortationem, Josue VIII. 29. & X. 26. ob intentatas clades Israelitis, cultumque Deorum, 2. Reg. XXI. 9. ob peccatum Saulis in Gabaonitas, & in divinæ vindictæ exemplar. Deinde etiam veteres Rabbini suspensum esse maledictum observant, quia peccavit coram Domino, & suspensus est in pœnam scelerum, & convitiorum, quibus Deum proscidit. Ita Onkelos, Talmud lib. Sanhed. cap. 6 Abenezra, Kimki, aliique collecti à Coccejo, Vitringa, & Seldeno. Catholicos Interpretes laudavi cit. pag. 29. Postremo maledictionis causa non à suspendio petenda est, sed à delicto, alioqui mortem Christi maledictam diceremus, quam phrasim in Catechesi Palatina etiam hæretici *indisciplinatam* appellaverunt. *Non enim*, inquit Hieronymus in hunc locum,

maledictus qui a pendet, sed ideo pendet quia maledictus. Igitur esse *maledictum* est esse suspensum in ligno in punitionem peccati. Cum itaque Christum ibidem appellet Apostolus μὴ γνόντα ἁμαρτίαν, *innocuum*, & *nescientem labem*, & ad Hebr. VII. 26. ὅσιον, ἄκακον, κεχωρισμένον ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, *sanctum, innocentem, impollutum, segregatum à peccatoribus*, quomodo fecit illum Deus *maledictum?* Non alia ratione, nisi quia aliena peccata in se suscepit, ut pro iis pœnas lueret; quemadmodum debitor appellatur tam qui per se debitum contrahit, quam qui pro alio vadimonium promittit, præs, atque sponsor. IV. Petrus Epist. I. cap. II. 24. inquit: *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Græce, Ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον. Carolus Witasse pag. 374. de Incarn. inquit Socinianos respondere Petrum non usum verbo simplici φέρειν, quod est *ferre*, sed composito, quod est *auferre & delere.* Non ita ineptiunt Sociniani, ut fateantur φέρειν esse *perferre*, aut diversam habere significationem ab ἀναφέρειν: sed Joan. Crel. pag. 20. ait, quamquam dixisset Petrus, τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἤνεγκεν, quod est à verbo simplici φέρειν, *non tamen verba illa protinus significarent pœnæ proprie dictæ perpessionem;* nec forte ignorant Isaiæ LIII. v. 4. habere LXX. οὗτος ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει, ubi tamen φέρει interpretantur, *aufert, delet.* Reponunt itaque, uti eodem verbo ἀναφέρειν Paulum in Epistola ad Hebr. IX. versu ult. ubi tamen, veritate cogente, etiam nos legimus, *ad multorum exhaurienda peccata:* unde constat ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας non esse *perferre* peccata, sed *tollere* & *auferre.* Ita Faustus pag. 152. Addit Crellius pag. 21. verbum ἀναφέρειν poni à LXX. pro hebraico *Hœalah*, ascendere fecit, ut adnotavit Tremellius in editione Syriaca. Addat, si lubeat, Theodorum Bezam, & Erasmum Schmidium. Est autem *adscendere facere*, idem ac *transportare, & auferre*, ut de ossibus Josephi ex Ægypto asportatis legitur Josue XXIV. 32. Hæc Sociniani. At primum, si grammaticis significationibus pugnandum est, ἀναφέρειν τὴν ἁμαρτίαν, est *scelus in aliud transferre*, ut exquisitis exemplis demonstrat Budæus Comment. ling. Græc. p. 401. Deinde non ait tantum Petrus, ἀνήνεγκεν, *tulit, portavit*, sed ἀνήνεγκε ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον, *portavit in corpore suo super lignum.* At corpus suum cruci affixit. Ergo etiam affixit cruci peccatum, ut ad Colos. II. 14. inquit Paulus de quo loco infra. Præterea quis nostrum negat Christum abstulisse peccata? Abstulit, delevit; sed pro nobis luendo pœnas: quod innuit eo loci Petrus, nos exhortans ut Christi exemplo feramus æquo animo maledicta, & convicia. De testimonio autem Pauli idem omnino dicimus. Optime Vulgata habet: *Ad multorum exhaurienda peccata*; at quo pacto peccata exhaurivit? Eorum supplicium in cruce perferens, & corpus suum vulneratum, clavisque transfixum exhibens Deo *hostiam* propitiationis. Inquit enim ibidem Paulus, *Ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit.* At quid est *per hostiam suam*, nisi forte *per corpus suum, quod fecit hostiam pro peccato*, ut observat in hunc locum Primasius? Ad hæc Paulus eo loci instituit antithesim inter adventum Christi primum, & secundum: & in hoc ait appariturum χωρὶς ἁμαρτίας, *sine peccato*, id est, impassibilem atque immortalem. Igitur in primo adventu dicitur *tulisse peccata*, quatenus pro his passus ac mortuus est: alioqui inter adventum primum & secundum nulla ibidem exprimeretur ἀντίθεσις. Quod proinde ait Crellius ἀνήνεγκε idem esse, *ac descendere fecit*, producta Syriaca Versione, notisque Tremellii, excipimus gratanter. *Ascendere fecit*, sed super lignum, quemadmodum attollebatur in ara holocaustum pro peccato. *Nam* LXX. *Interpretes verbum istud* העל, *Ascendere fecit, vertunt* ἀναφέρειν, *ac inter alia cum de sacrificiorum oblatione agitur, ubi utriusque verbi frequens est usus.* Ita Crellius. Ex cujus confessione infertur, quod Christus in corpore suo affixo cruci ideo peccata sustulit, quoniam corpus illud ligno suffixum erat pro peccatis sacrificium & hostia. Ita ex invitis pectoribus erumpit veritas. Atque hæc omnia syllogismum istum efficiunt: Luit peccati pœnas quisquis pro iniquitatibus confoditur, & vulneratur; quisquis in execrationem culpæ suspenditur; quisquis pro peccatis tanquam hostia conteritur, & mactatur. Atqui hæc omnia Christus perpessus est. Igitur Christus peccatorum nostrorum pœnas luit.

6. Propositio 5.

PROPOSITIO V. Christus affixus cruci fuit pro peccatis nostris hostia, & sacrificium Deo sponte immolatum.

Hanc thesim confirmant verba Pauli in 2. ad Corinth. v. 21. & quæ nuper diximus de loco Petri Epist. prima II. 24. ex confessione Joannis Crellii. Sed ulterius

Probatur 1. terius comprobatur. I. Indubitatum est, neque id Sociniani audent negare, Christum præfiguratum fuisse in sacrificiis veteris Testamenti. Hoc nos demonstravimus libri xx. nono capite; hoc scribunt Patres, ut Hieronymus in caput. 2. ad Ephes. & Augustinus lib. xx. contra Faustum cap. 18. & x. de Civ. D. cap. 20. Hoc testatur Apostolus Ad Hebr. x. 1. hoc denique Christus in Cruce exclamans, *Consummatum est.* At sacrificia veteris legis, si non omnia, plura saltem pro peccatorum expiatione immolabantur: quod testatur Apostolus ad Hebræos v. 1. & vii. 3. Nolunt vim hujus argumentationis hostes veritatis percipere. Negant antiquas victimas aliquod præseferre veræ expiationis vestigium: negant agnum, qui potissimum Christum præfigurabat, fuisse aliquando pro peccato immolatum: negant victimas illas aliquam per se habuisse vim divinæ justitiæ satisfaciendi, atque ad id comprobandum appellant ad consensum doctorum virorum: addunt & rationem, quia nec inter homines & bestias est speciei communio, nec earum oblatione indiget Deus omnium universorum. Hæc Socinus P. 2. pag. 156. & seq. Ad quæ cum multa respondeat Grotius cap. 10. omnia nos facillime elidi arbitramur, si duo per se obvia prænotentur; unum, quod *si totum præcedat in typo, jam non typus, sed historiæ veritas est appellanda*: alterum, quod *de umbra transeuntibus ad veritatem, & de lege ad Evangelium, pro brevibus & præsentibus futura, & æterna succedunt*: quorum primum tradit Hieronymus in cap. xi. Oseæ, alterum in cap. xiii. Zachariæ. Etsi ergo vetera sacrificia per se non delebant peccati maculam, typus tamen erant sacrificii Christi, per quod peccatum expiatur; atque ipsa peccati expiatio præsignabatur in oblatione immunditiæ legalis, & in relaxatione temporalis pœnæ, quam lex trangressoribus minabatur. Etenim effusionem sanguinis pecudum fuisse homini *pro animæ piaculo*, legitur xvii. Levit. versu 11. Et quamvis Deus pecudum & arietum sit Dominus; ea libera mactatione, qua pro hominibus carne immundis mundæ pecudes necabantur, parcebat transgressoribus, ne iis mortem immitteret violentam. Sicut ergo per hostiarum sanguinem abstergebatur carnis inquinamentum; ita per sanguinem Christi deterg tur labes peccati. Vide Augustinum lib xvii. contra Faustum cap. 6. & Apostolum ad Hebræos c. ix. 13. Itaque sive hostia pro peccato, quæ erat piaculum animæ, sensu explicato, sive mactatio agni, sive hirci emissarii, sive oblationes pro legali immunditia, præsignarunt effectum passionis Christi, qui unico sacrificio omnia consummavit: nec opus est, ut præmonui, in typis totum præcedere, & carnalibus tribuere spiritualia. De mactatione agni, liquet ex cap. xii. 13. Exodi ejus sanguinem liberasse *à plaga dispergente*: immolatos agnos pro delicto patet ex Levit. xiv. 13. & Num. vi. 14. quod & fatetur Crellius pag. 205. ægre ferens à Grotio in hoc reprehendi Socinum: qua in re arbitror potius Crellium peccare; nam Socinus P. 2. cap. 1. pag. 156. negat Baptistam appellasse Christum *Agnum*, respiciendo tanquam *ad typum*, ad agnos immolatitios, & hanc rationem profert, *Cum in vetere fœdere, ut jam dictum est, pro peccato nullus agnus immolaretur.* Quæ ratio cum Crellii confessione falsa sit; Christus dicitur *agnus Dei*, quia in peccatorum expiationem tanquam agnus occisus est, ut prænuntiavit Isaias liii. 7. & in illius passione completum testatur Philippus, Act. viii. 32. Vide supra Prop. 2. num. 3. & 4.

Probatur 2. II. Apostolus ad Ephesios v. 2. nos hortatur, ut ambulemus in dilectione, *Sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis.* Græce, προσφορὰν, καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας. Hostiam, θυσίαν, esse victimæ mactationem à θύω, *macto, sacrifico*, negare non audent Sociniani, præsertim si adjungatur προσφορὰ, *oblatio*, quæ vox *nunc ipsum offerendi actum, nunc rem oblatam significat*, inquit Crellius pag. 223. oppugnaturus Grotium, qui inter θυσίαν, & προσφορὰν haud male distinguit, cum non omnis oblatio sit mactatio hostiæ. ut res per se loquitur. At si discrimen illud approbes, aperte sequetur Christum non solum pro peccatis nostris oblatum charitate, & amore, verum etiam effuso sanguine mactatum atque immolatum: si oblationem accipias pro ipso actu mactationis: consequetur sacrificium quod pro nobis Christus obtulit, cruenta sanguinis effusione fuisse peractum. Quidquid ergo affirmes, negari nequit Christum esse pro peccatis nostris oblationem & hostiam, acceptis προσφορᾶς, & θυσίας vocabulis pro *concreto*, nam Christum tradidisse *semetipsum*, innuit ibidem Paulus. Quamobrem bene sapienterque Interpretes nostri observarunt Christum Dominum esse simul hostiam & Sacerdotem. At enim respondet Crellius, in mactatione nullam haberi rationem sacrificii, cum & Levitæ sacerdotio privati

privati holocausta victimasque mactarent, Ezech. XLIV. 10. 11. Verum ibidem versu 15. sacerdotes appellantur, qui offerunt Domino *adipem & sanguinem*: quibus verbis verum sacrificium designari p. 224. fatetur Crellius. Cum itaque Christus obtulerit se Deo hostiam, & cruentatam victimam, ut inquit Apostolus; sacrificium pro nobis obtulisse negat frustra idem Ebionita. Subtilius aliquid videtur reponere, dum ait illorum verborum *in odorem bonæ fragrantiæ* vix ullum esse usum, cum de expiatoriis sacrificiis est sermo. Sed primo de holocaustis ea verba usurpantur Gen. V 11. 21. de mactatione arietis Exodi XXIX. 16. de immolatione avium Levit. I. 17. de hostia boûm, & ovium Num. XV. 3. Deinde etiam de hostia, *quæ pro peccato est*, ea phrasi fit sermo Levit. IV. 31. Verum tamen est ubique appellari sacrificium *in odorem suavitatis* non mactationem pecudis, aut effusionem sanguinis, sed adustionem holocausti, & crematione adipis: ignis enim, intestina, incensum, & suffimenta charitatem, animique rectitudinem, ad quam Deus attendit, significant. Itaque Apostolus sacrificium Christi tanta charitate ac dilectione peractum, rectissime appellat *hostiam in odorem bonæ fragrantiæ*; gerebatque typum mortis Christi victimarum mactatio; dilectionis autem, & flagrantissimæ charitatis crematio adipis. III. In epistola ad Hebr. oblati pro nobis sacrificii pluribus mentio fit, inter Sacerdotium Leviticum, & Christi allato discrimine. Ac primum cap. VII. 27. Christi commendatur sanctitas ac perfectio, quod non habuerit necessitatem, quemadmodum Sacerdotes, quotidie offerre hostias pro suis delictis, deinde pro populi: *Hoc enim fecit semel se ipsum offerendo*, in ara Crucis, ut recte Tridentini Patres sess. 22. cap. 1. subaudi *pro delictis populi*, nam versu præcedenti dicitur Christus *sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*. Hanc oblationem in cælis fieri perperam autumant Poloni fratres, nam Apostolus loquitur de oblatione hostiæ, hanc semel peractam ait, statuitque discrimen inter cruentam mactationem victimarum sæpenumero repetitam, & immaculati Agni occisionem semel peractam. At in cælo *semper vivit ad interpellandum pro nobis*, ait eodem capite Paulus, nec mactatur denuo, sed inceſſanter effusi sanguinis pretium exhibet Patri. Deinde Apostolus c. X. 11. inquit: *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum*, &c. quibus verbis sempiternum ejus Sacerdotium commendat, per quod cælestem nobis aditum reseravit, *& per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa*. Et hic ludunt operam Socinus, Crellius, Smalcius, Wolchelius, aliæque pestes, asserendo Christum nonnisi in cælo Sacerdotis munere fungi, ut summus Pontifex Aaronicus quotannis ingrediebatur sanctuarium cum sanguine hircino, & vitulino, ut legitur ibid. versu 25. & Levit. XVI. 2. At revera mentita est iniquitas sibi: enimvero illa verba, *Christus assistens Pontifex*, Græce habentur, χριστὸς ὃ παραγενόμενος ἀρχιερεὺς *Postquam advenisset Pontifex*, id est, posteaquam in sua incarnatione factus esset Pontifex: & in cælum ingressus dicitur διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος, *per proprium sanguinem*, sive ut legit Arabs, *cum sanguine*; profecto jam sanguinem effuderat, & obtulerat hostiam. Atque ita Aaron ingredi non poterat sanctuarium, nisi antea obtulisset *vitulum pro peccato, & arietem in holocaustum*, citato cap. Levitici versu 3. Nec inferre poterat sanguinem intra cælum, nisi prius mactasset *hircum pro peccato populi*, ibid. vers. 15. Omnia ergo quadrant adamussim, si dicamus Christum effuso sanguine obtulisse sacrificium in cruce, cujus pretium indesinenter exhibet Patri. Eodem cap. IX. ad Hebr. versu 14. producto typo junicis rufæ, de qua Num. XIX. 2. ait Apostolus: *Quanto magis sanguinis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum, obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram*, designans longe perfectius esse sacrificium sanguinis Christi immaculati, & absque omni prorsus labe, quo emundantur conscientiæ sordes, quam fuerit sanguinis & cinis vaccæ rufæ sanctificans inquinatos *ad emundationem carnis*. Dicentne Socini gregarii factam hanc oblationem in cælo? At de vacca rufa legitur Num. XIX. 3. immolatam *extra castra*: & de Christo ad Hebr. XIII. 12. *Propter quod & Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est*. Videsis IV. volum. hujus op. pag. 49. In eadem ad Hebræos Epist. citato cap. v. 22. habetur: *Semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit*. Dictum *apparuit* in primo adventu, nam sequitur, *secundo sine peccato apparebit*. Dum ergo inquiunt hanc hostiam immolari in cælis, delirant FF. Poloni. Non debent permoveri illis verbis *in consummatione sæculorum*; nam & his designatur tempus Dominicæ Incarnationis, ad Galatas IV. 4. & ad Ephes. I. 10. Denique Apostolus laudata

Probatur 3.

Epistola

Epistola ad Hebr. cap. x. 12. ait: *Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextra Dei.* Audio cavillatores: *sedet offerens*, inquiunt, non obtulit in cruce pendulus. At quis non videt antithesim præcedentium verborum, *Omnis Sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem semper offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata?* Itaque sensus est: Christus una oblatione peracta in cruce *consummavit in sempiternum sanctificatos*; cum sacrificia Aaronica essent quotidie innovanda. Ita Apostolus proximo versu 14. cujus sensum optime assecutus est suis in Paulum Annotationibus sodalis noster, Joannes Thomas de Bonis. Addo pro *offerens* extare in Græco προσενέγκας, participium præteriti temporis, idem valens, ac, *cum obtulisset.* Adeas Estium in Paulum. Offert itaque Christus in cœlo illam eandem hostiam quam obtulit in cruce; eandemque nos in altari immolamus in commemorationem, & applicationem illius sacrificii, quod *consummavit in sempiternum sanctificatos.* Atque his abunde refutavimus hæreticos, qui negant Christum in terris degentem functum munere sacerdotis, & se ipsum in satisfactionem pro peccatis nostris sacrificasse. Possunt autem dicta hac ratiocinatione concludi: Esse antitypum victimarum legalium, tradere semetipsum oblationem & hostiam Deo, ac semetipsum immolare pro delictis populi, idem est, ac pro peccatis offerre sacrificium. Atqui Christus in ara Crucis fuit antitypus victimarum legalium, tradidit semetipsum oblationem, & hostiam Deo, atque pro delictis populi immolatus est. Ergo Christus in ara crucis semetipsum pro peccatis nostris obtulit sacrificium.

7. Propositio VI. Per hanc hostiam,
Propositio 6. & sacrificium reconciliati sumus Deo.

Probatur 1. Reconciliationem hominum per Christum factam, quatenus nostram procuravit conversionem, & effecit ne pœnam, quam promeriti fuimus, sentiamus, fatetur Socinus P. 2. cap. 8. & Crellius in respons. ad cap. 7. differt. Grotianæ. Negant tantum morte Christi iram Dei fuisse placatam, & Deum nobis reconciliatum intuitu passionis ejus: quam impiam tergiversationem, superioribus, & sequentibus argumentis refutamus. I. Apostolus ad Rom. III. 24. & seq. de nostra justificatione sermonem instituens, inquit: *Justificati gratis, per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est, in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in Sanguine ipsius.* Clarissimus Pauli interpres doctissimus Seripandus pag. 57. Apostoli verba hac perspicuitate declarat. Justificati gratis: *absque ullo eorum promerito.* Per gratiam ipsius: *non per opera legis, sed per bonam, liberalem & benignam Dei erga nos voluntatem.* Per redemptionem, quæ est in Christo Jesu: *In hoc Dei erga homines præclara voluntas excelluit, quod pretium, quo redimerentur à servitute peccati, non in auro, non in argento, non in humanis quibuscunque, aut operibus, aut divitiis posuit, sed in carne unigeniti filii sui Jesu Christi.* Abeant nunc in malam crucem inimici Redemptoris. Inquiunt, Si reconciliati sumus gratis, quomodo per sanguinis Christi placamentum? At *gratis* ait Apostolus, excludens nostra promerita, & legis opera, de quibus paulo supra, *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro*, non excludens *redemptionem, quæ est in Christo Jesu*; sive ἀπολύτρωσιν, ut legunt Græci, *pretium*, quo redimuntur captivi: quod sane pretium gratiam non tollit, quoniam libera Dei voluntas proposuit nobis Christum *propitiationem*, ἱλαστήριον, *iræ placamen.* Reponunt nusquam extare scriptum quod Deus reconciliatus sit nobis, sed quod nos reconciliati simus Deo. Quid vero inde? Reconciliatio percipi nequit, nisi intelligatur placari, qui averso erat animo. At non Deo nos, sed nobis Deus iratus erat, ipse pœnalem legem statuerat, ipse erat offensus. Ita ergo Deo reconciliati sumus, ut ipse placatus sit, pœnamque debitam relaxaverit. Dicitur autem in sacris literis *propitiari Deo peccatorem*, ut dicitur sumus Sacerdos, ad Heb. II. 17. *repropitiare delicta populi*, id est, placare Deum ob delicta populi iratum, consueta Scripturarum locutione, quam dicunt Grammatici *enallagen*, scilicet, permutationem. Ajunt non esse tribuendam hanc placationem sanguini Redemptoris, quoniam si Deus proposuit Christum *propitiationem*, jam salutem nostram concupierat, & media, quæ ad eam pertinebant, statuerat; ideoque nullam adversus nos fovebat indignationem. Sed ait Apostolus hanc propitiationem positam *in sanguine ipsius*, & proximo capite v. 10. affirmat nos, *cum inimici essemus*, reconciliatos Deo *per mortem filii ejus:* de quo loco etiam supra Prop. 3. Itaque sanguis & mors Christi hanc propitiationem effecerunt: neque id gratiæ & misericordiæ repugnat,

quia, ut diximus cum Seripando, reconciliationis pretium libera Dei voluntas
Probatur 2. *proposuit*. II. In 2. ad Corinth. v. 19. ait Paulus: *Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*. Ubi nota Christo tribui *reconciliationem*, Apostolis autem qui pro Christo legatione funguntur, *ministerium reconciliationis*: quod exercent dispensatione verbi, & administratione sacramentorum. Christus ergo proprio sanguine non solum Dei reconciliationem annuntiavit, sed
Probatur 3. etiam promeruit. III. Et reconciliationem, & placamentum, & sanguinem, & crucem Christi complectitur Doctor gentium ad Colossens. 1. 20. scribens, *Per eum* complacuit Deus) *reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus*. Legit Oecum. pag. 111. *Pace facta per sanguinem crucis suæ*. Perperam itaque à reconciliatione placamen, à placamine sanguinis, & Crucis Christi efficientiam sejungunt Sociniani. IV. Joannes Epist. prima II. 1. 2. scribit. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris*. Quid ad hæc Socinus, quid Crellius? Ille lib. 1. cap. 7. contendit Christum dici advocatum nostrum, ac mediatorem, quia, ut Moyses, internuncii munus gessit, non quod *pacificatoris* locum teneat; sed aliter suadet Paulus 1. ad Timoth. II. 5. scribens: *Unus est mediator Dei & hominum homo Christus Jesus qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus;* de quo loco propos. 1. & ad Hebr. IX. 15. *Et ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, &c.* Christus ergo est Mediator, & advocatus speciali titulo, quia tradens semetipsum ἀντίλυτρον, *pretium* liberationis, factus est propitiatio pro peccatis nostris: quod nec Moysi convenit, nec ulli mortalium. Crellius autem reponit pag. 147. à Joanne nullam mortis Christi mentionem fieri, & dici ipsum Christum advocatum apud Patrem, quia semper vivit *ad interpellandum pro nobis*, ut ad Hebr. VII. 24. Verum meminisse oportebat, paulo supra scripsisse Joannem, *Et sanguis Jesu Christi filii ejus emundat nos ab omni peccato*. Illud quoque observandum erat, Paulum ad Hebræos commonstrare eo loci sempiternum Christi Sacerdotium, redemptionem æternam, & assiduam pro nobis intercessionem, quia semel obtulit se ipsum hostiam perfectam pro delicti populi. Quamobrem ubicunque Christi mediatio, officiumque advocationis commendatur, sanguinis ejus placamentum non excluditur, sed supponitur. Immobilis stat ergo thesis nostra, quandoquidem reconciliati sumus Deo per Christum, tanquam per hostiam pro nobis mactatam; si in ejus sanguine habeamus propitiationem, & ob mortem crucis ipse fuerit pacis nostræ sequester ac mediator. Atqui in sanguine Christi propitiationem habemus, & ipse per supplicium crucis sequester pacis, & Mediator noster effectus est. Ergo per ipsum, tanquam per hostiam, & sacrificium placaminis, reconciliati sumus Deo.

PROPOSITIO VII. In hac reconci- 8. Propositio 7.
liatione à peccatis expiati fuimus, deleto per passionem Christi delictorum nostrorum chirographo.

Adversus Socinum, qui lib. 2. pag. 173. cap. 20. ait expiasse quidem Christum peccata nostra, quatenus ea peregerit, quibus peractis veniam delictorum nostrorum jam nobis sponte decretam, & promissam consecuti simus, vel etiam eam veniam nos consecutos esse declaratum sit, non autem quatenus obtulerit pro nobis sacrificium expiatorium, pugnant quæ diximus quinta propositione. Ut appareat modo, Christum in cruce non declarasse peccata nostra expiata, nec tantum ingenerasse nobis fidem, qua à peccatis in posterum retrahamur, ut inquit Crellius cap. 10. contra Grotium pag. 210. dicimus nos per Christum à peccato expiatos, quatenus ipse per crucem & mortem suam verè divinæ justitiæ à nobis pœnam exigenti cruciatibus suis satisfecerit: quod non solum præcedentium consectarium est, verum etiam apertissime traditur ab Apostolo. I. Is enim ait ad Galat. 3. Probatur 1.
aliisque in locis, Christum, ut nos solveret à maledicto legis, id est, à pœna nobis infligenda, factum pro nobis *maledictum*, hoc est, subjectum punitioni, ac supplicio. Vide supra IV. Prop. Quid est autem aliena expiare peccata, nisi delere reatum, & sacrificiis purgare noxium à scelere? Quod cum factum sit etiam substitutione Unigeniti, pro inimicis aliàs damnandis, nil restat ad veram satisfactionem constituendam. II. Idem Probatur 2.
Apostolus ad Coloss. II. 14. ait: *Delens quod adversum nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* In quem locum Chrysostomus hom. 6. p. 1357. *Vides quantum posuerit studium, ut deleretur chirographum. Utpote eramus*

mus omnes obnoxii peccato, & pœnæ. Ipse punitus solvit & peccatum & pœnam: punitus autem fuit in cruce. Illic ergo ipsum affixit, tanquam qui haberet potestatem, ipsum disrupit. Quodnam chirographum? Aut id, quod dicebant Moysi, Quæcunque dixit Deus faciemus, & audiemus. Aut si non hoc, quod Deo debemus obedientiam. Aut si non hoc, quod id tenebat Diabolus chirographum, quod Deus fecit Adamo dicens, Qua die è ligno comederis, morieris. Hoc ergo chirographum tenebat diabolus: nec id nobis dedit Christus, sed ipse id scidit. Idem scribunt Oecumenius pag. 132. & Theophylactus pag. 651. Auctor etiam Comment. quæ tribuuntur Ambrosio, pag. 269. tom. 2. chirographum interpretatur *peccatum, quod ex Adæ erat prævaricatione, quod nos à mortuis resurgere non sinebat.* Socinus P. 2. cap. 24. pag. 181. respondet ex verbis Pauli non Christum sed Deum deleviſſe chirographum: nec in cruce deletum, sed postquam deletum erat, affixum cruci. Ingeniosa cavillatio, nisi in Græcis extaret, προσηλωσας αὐτὸ τῷ σταυρῷ, ubi *affigens* exprimitur participio præteriti temporis, quo significatur deletum chirographum, postquam fuerat affixum. Deinde ait Socinus, hujusmodi chirographum esse veterem legem, & cæremonialia præcepta, quoniam de iis loquitur Apostolus: unde concludit postmodum, *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut potu.* Illud peterem à Socino; si cæremonialia præcepta non fuerunt abrogata, nisi in morte Christi; quomodo *chirographum*, quo hæc præcepta significantur, erat deletum antequam Christus esset affixus cruci? Sed me aliquantulum commovet, quod *chirographum* hoc loco legem Mosaicam interpretatur etiam Grotius Socini adversarius. Quid mihi cum Grotio? Sodalis quoque noster Joannes-Thomas: imo & Estius, qui eandem ac Socinus rationem profert, quod Paulus loquatur adversus judaizantes, qui Colossenses abrogatæ legi subjicere conabantur: additque Estius hunc sensum præcipue à Græcis interpretibus probari, & eos, qui *chirographum* interpretantur aut legem datam in Paradiso, aut mortis æternæ obligationem, quam omnes incurrunt peccando, sensum hujus loci ultra Pauli mentem extendere. Qua in re Estium recedere ab interpretatione Græcorum, quos tamen pro se laudat, ex dictis est manifestum. Quamobrem Grotii, Estii, Sodalis nostri, aliorumque interpretatio, nisi accipiatur, ut inquiunt, cum grano salis, nihil est aliud, quam evasio Sociniana. Itaque verum est, agere Apostolum de abrogatione legis Mosaicæ, quod optime probat Estius, imo & Socinus: sed lex non dicitur *chirographum* eo sensu, quod ea premebantur; sed quia legem, quæ peccata arguit, profitentes fatebantur se reos legis, prævaricatores, & obnoxios pœnæ, à qua sola Christi mors potest nos liberare. Est enim chirographum propriæ manus syngrapha, qua aliquis se debitorem fatetur; unde Apostolus addit: *Et expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*, id est, vicit diabolum ac dæmones nobis peccatorum reatum objicientes, ut exponit lib. IX. Confess. cap. 13. num. 36. Augustinus: qui etiam disputans contra Pelagianos *chirographum*, appellare solet culpæ debitum. Verum est ergo Apostolum loqui de abrogatione legis; sed nihilosecius in abolitione legis deletum ait, quod adversum nos erat, *chirographum*, id est, peccatum, & pœnam, quam promerebamur *mortui in delictis*, quæ lex Moysis arguebat & increpabat. Et quoniam peccato, quod lex accusabat, non sanabat, obnoxii fuimus non solum transgressione legis scriptæ, sed etiam prævaricatione Adæ, præferendam puto interpretationem Chrysostomi, maxime quod *chirographum decreti* Græce dicitur χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν, *decretis*, plurali numero; atque ita etiam legit S. Pater Epistola 59. ad Paulinum, nunc 149. num. 26. Quam facile hac præmissa explicatione dirumpatur rete, quod in araneolis texit Faustus Socinus, eliquatissimum censeo.

Probatur 3.

III. Peccatorum expiatio speciali titulo morti, & sanguini Christi tribuitur. Adeas Matth. XXVI. 28. ad Rom. III. 24. & v. 9. ad Ephes. I. 7. ad Colossens. I. 14. ad Hebr. IX. 20. 22. aliaque loca superius explicata. At mors, & effusio sanguinis justitiam potius, quam misericordiam commonstrant, licèt charitas fuerit maxima Unigenitum Filium Dei pro inimicis supplicio affici: quare ad Rom. III. 25. 26. Christus dicitur mortuus *ad ostensionem justitiæ.* Fidem quoque excitare potiori jure videtur prædicatio, patratio miraculorum, & præsertim resurrectio, quam mors in se duntaxat spectata: nam si dixeris resurrectionem ipsam, & fidem effectus esse mortis Christi, id etiam nos profitemur. Cur ergo morti ac sanguini tribuitur expiatio culparum, non vero miraculis, quibus permulti crediderunt in Christum, non terræ concussioni, aliisque signis, quibus visis Centurio, aliique è Golgotha

tha *revertebantur percutientes pectora sua*, non resurrectioni, qua comprobata Christo Judæorum quamplurimi nomen dederunt? Ipse Socinus veritate cogente lib. 2. cap. 3. p. 147. hanc assignat rationem: *Neque enim ea analogia, sive proportio est resurrectionis Christi ad pretium, quæ mortis. Christus siquidem resurgendo nihil de suo dat aut impendit; sed moriendo vitam suam & sanguinem perfundit.* Ergo non fidem ingenerando, sed sanguinem profundendo nos Christus à peccato expiavit: qua expiatione facta, & *reconciliati Deo per mortem filii ejus*, ut inquit Apostolus ad Rom. v. 10. ad justificationem disponimur, credentes vera esse quæ divinitus sunt revelata, atque illud in primis justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu. Vide lib. XIX. cap. 4. Atque his prior absolvitur dissertatio. Enimvero reconciliati sumus per Christum Deo vera exhibita satisfactione; si hæc reconciliatio facta sit substitutione mortis, deletione chirographi, & sanguinis effusione. Liquet autem ex Apostolo factam hanc reconciliationem substitutione mortis Christi, abolitione chirographi, & sanguinis profusione. Ergo liquet nos Deo reconciliatos esse per Christum vera exhibita satisfactione.

CAPUT III.

Sequitur perversi dogmatis FF. Polonorum confutatio.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Noluit Deus dimittere peccata sine satisfactione divinæ justitiæ.
3. Maximè decebat hanc satisfactionem fieri.
4. Non fuit injustum, Christo nostra peccata fuisse imputata.

1. Status quæstionis.

VIDENDUM modo qualem in satisfactione Christi locum habeat divina justitia: qua in re, ut præmonui priori capite, solent quidam Theologi ad refellendos Socinianos demonstrare, quod sit in Deo justitia vindex peccatorum reposcens pœnas, & constans voluntas puniendi sceleratos. Id vero accuratius præstant, qui studiosorum teruntur manibus, A. Boucat dissert. VII. sect. 1. art. 1. Honoratus Tournely Q. v. art. 1. Carolus Witasse Q. II. sect. 5. cap. 1. & Nicol L'Herm. pag. 399. volum. 3. Atque sunt argumenta illa deprompta ex pœnis, quibus Deus in impios animadvertit, sit in exemplo mors primo homini inflicta, universale diluvium, Sodomorum eversio, immissio ignitorum serpentium, Assyriorum captivitas, ac Jerosolymorum vastatio. Accedunt prophetica, & Evangelica oracula, quibus in impios ira, maledictio, ultio, gehenna prænuntiantur: ut Deut. VII. 10. Ezech. v. 13. ad Rom. I. 18. ad Galat. III. 10. aliisque in locis sexcentis; quæ sat erit in præsentia commemorasse. Enimvero Socinus de Christo Servat. pag. 122. illam in Deo agnoscit justitiam, qua Deus perdit contumaces, & qua etiam impios non perditæ spei punit ac deserit, iisdem testimoniis, quæ nunc in eum contorquentur, ad hanc justitiam comprobandam accitis, ac præsertim Exodi XXXIV. 7. num. XIV. 18. Luc. XIII. 2. ad Rom. II. 4. 5. Crellius vero non solum vindicem justitiam fatetur, sed etiam in lib. de Attributis divinis pag. 69. ait hujus justitiæ effectus esse iis, qui non resipiscunt semper negare veniam, nonnunquam illos, eorum resipiscentia non expectata, è medio tollere, & aliquando oculos sponte claudentibus lucem veritatis subtrahere. Etsi ergo laudatorum Theologorum probo conatus, miror eruditionem, & ipsorum quoque lectione me profeciisse, si profeci tamen, confiteor; opportunius arbitror non permiscere in gravi hac controversia quæ de Justitia vindice peccatorum nobiscum hostes propugnant, sed illud inquirere, quod controversiæ caput est, an hæc justitia pœnam ab iniquis reposcens interfuerit in hominum redemptione. Atque hoc pacto non poterunt reponere adversarii, quod novimus Coveto respondisse Socinum citato Op. pag. 123 *Quod igitur ais Deum iniquitatem impunitam non relinquere, hoc quidem verum est, idque perpetuo, si obstinatam, hominis malitiam ejusque perseverantiam in malis perpetrandis intelligis: sed si de ea inquitate, in qua quis non persistat, verba facis, id à veritate quamlongissime abhorret, præsertim si de ea punitione loqueris, qua Deus summo jure agens in delicta hominum vindicare potest.*

potest. Prosecuturus itaque nefariæ hæresis confutationem statuam proximas positiones.

2. Propositio 8. PROPOSITIO VIII. Noluit Deus in hominum redemptione peccata dimittere non exhibita divinæ justitiæ satisfactione.

Ac primo fatetur Socinus in Deo esse justitiam, atque severitatem, qua animadvertit in homines pervicaces, qui persistunt in perpetrando scelere, nec resipiscunt. Probatur 1. At ubi de originali peccato & de gratia Christi disputatum est, vidimus filios Adæ nasci culpæ obnoxios, peccati captivos, concupiscentia, animique languore affectos, scribente Apostolo ad Rom. v. 18. *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem.* Diximus quoque neminem absque gratia posse à peccatis resipiscere, imo nec bonam concipere voluntatem. Hæc autem gratia si non ex Christi donaretur merito, & aliunde haberi posset justitia, gratis idem Christus mortuus esset: quare nil in Paulo expressius, quam nos habere per Christum accessum in gratiam istam, nec amplius peccatum dominari, quia sumus sub hac gratia. Quid ergo? Nisi Christus solvisset maledictionem, & sicut per inobedientiam Adæ regnavit delictum, ita per Christi obedientiam ac meritum superabundaret gratia; dominaretur peccatum, nec quis nostrum de resipiscentia cogitaret. Atqui assentitur Socinus divinam justitiam punire & damnare pervicaces, qui ad bonam frugem non redeunt. Igitur nisi Christi mors maledictionem solvisset antiquam, & obedientiæ merito per ipsum regnaret gratia; justitia puniret omnes; quia omnes pervicaces forent, in omnes esset judicium ex uno in condemnationem, in omnibus regnaret mors, dominaretur peccatum, persisteret vetusta captivitas. Intuitu ergo meritorum Christi, & satisfactionis ejus ab ira, & à punitione salvi Probatur 2. erimus. II. Revera redemptionem nostram, non condonatione tantum, sed judicio, ac justitia fuisse peractam literæ evincunt sacræ: quas priusquam profero, peto an condonatio sit, an justitia, si reus ad tribunal judicis ab adversario compulsus, cum miserrimus sit, & ad solvendum impar, nactus misericordem Advocatum, vademque ditissimum, hujus opera ac solutione abeat immunis? Gratis quidem reus absolvitur, si attendas ipsius miseriam; at ex justitia, si consideres Advocati officium, & solutum à Vade pretium. Ad hunc plane modum Christum nos redemisse sacra testantur eloquia. Illustre est vaticinium Michææ VII. 9. *Ego autem ad Dominum aspiciam, expectabo Deum Salvatorem meum, audiet me Deus meus. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, & faciat judicium meum.* Et Dominus Jesus passioni proximus, Joan. XII. 31. ait: *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* In hoc judicio Pater non tantum personæ offensæ vices gerit, sed & judicis: quem proinde Advocatus noster Christus Jesus, clientulorum causam *suam* dicens, ad hunc modum alloquitur, Ps. VII. 9. *Judica me Domine secundum justitiam meam, & secundum innocentiam meam super me. Consumetur nequitia peccatorum.* Et Jerem. Thr. III. 58. *Judicasti Domine causam animæ meæ. Vidisti Domine iniquitatem illorum adversum me: judica judicium meum.* Recte in hunc locum Auctor Comment. inter Opera Hieron. Tom. v. p. 829. *Judicavit Dominus causam animæ Christi, quando innocentis mortem pervenire fecit ad salutem generis humani.* Adversarium nostrum, & accusatorem fuisse diabolum, in Christi passione privatum principatu ac dominio, quo in pœnam peccati, & tanquam divinæ justitiæ minister captivum tenebat genus humanum, liquet ex verbis Christi Joan. XII. nuper citatis: nos reos esse, debitores, & impares ad solvendum, satis per se constat. Omnes ergo, qui ad constituendum judicii actum concurrunt, in redemptione nostra interfuere, Judex, reus, Advocatus, accusator. Judex Deus, reus homo, Advocatus Christus, accusator diabolus. III. Ne putes Probatur 3. advocatum nullo soluto pretio reportasse de accusatore triumphum, tria animadverte. Ac primum nullam in Christo sine labe concepto actionem habuisse adversarium: unde ajebat Dominus Joan. XIV. 30. *Venit enim princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam.* Pilatus etiam Lucæ XXIII. 14. *Nullam,* inquit, *invenio causam in homine isto.* Deinde observa, sponsoris, & præsertim si idem sit sponsor & advocatus, eandem cum reo causam esse: quare causa Christi fuit cum ipsius morte finita, quia procurandam susceperat salutem nostram, & se pro nobis vadem fecerat ac sponsorem. Hinc causa supra ejus crucem posita fuit, Matth. XXVII. 37. & Marc. XV. 26. *Hic est Jesus Rex Judæorum.* Et quamquam Pontifices dixerant præsuli, ut non titulum hunc præfigeret cruci, sed, *Quia ipse dixit, Rex sum Judæorum,* nempe ut spectatores perciperent, Jesum damnari ob usurpatam regni auctorita-

ctoritatem; Pilatus tamen, qui illum invenerat innocentem, noluit causam illam mutare, responditque, *Quod scripsi, scripsi.* Recole *Jesu* nomen fuisse Salvatori nostro impositum, quia ipse debebat *salvum facere populum à peccatis eorum,* Matt. 1. 21. Luc. 1. 31. Hæc itaque (non regni usurpatio) est causa mortis ejus inscripta Cruci. Nota postremo, non posse cogi advocatum ad satisfaciendum pro reo, nisi etiam sit vas, ejusque vadimonium Judex acceptet. Acceptasse Patrem hanc Vadis nostri sponsionem liquet, quia *irruere fecit Dominus in eum iniquitatem omnium nostrum,* Is. LII. 6. id vero non quoad culpæ maculam, sed quoad debitum duntaxat, ac pœnæ repetitionem. Hoc debitum à Christo solutum ipsemet testatur ore Psalmographi Ps. LXVIII. 5. *Quæ non rapui, tunc exsolvebam.* Psalmum hunc esse de Christi passione perspicuum est: atque hæc verba significant Christum, licet non rapuerit Deo honorem transgrediendo legem, reddidisse tamen quæ rapuerat homo transgressor, singulari obedientia ac passione. Præclare Augustinus in eundem Psalmum num. 9. *Non rapui, & exsolvebam: non peccavi, & pœnas dabam.* Consimilia habet Tractatu LXXIX. in Joan. num. 2. consentit Hilarius in hunc Ps. num. 7. Hieronymus Brev. in Psalt. Tom. 2. pag. 295. aliique nobiliores interpretes. In hac ergo redemptionis causa quis justitiæ satisfactum esse non videt? IV.

Probatur 4. Dum hac ratione refellitur Socini dogma, ei penitus obstruitur os putidum. Objicienti quippe redemptionem esse opus misericordiæ, & gratis nos esse redemptos, annuimus toto capite: magna est enim misericordia & charitas Dei tradere Unigenitum pro inimicis, & justum pro injustis, ac summa Domini Jesu benignitas exsolvere quæ non rapuerat. Contigit etiam remissio debiti absque debitoris dispendio, dum solvit ex propriis sponsor. Opponenti Socino diabolum non esse creditorem, cui esset satisfaciendum; respondemus non creditorem esse, sed accusatorem, utpote qui, id supremo Judice in pœnam peccati permittente, factus princeps impiorum, ac tenens sub tyrannide humanum genus ægre ferebat ejici se foras, superboque dominatu exspoliari. Denique objicienti Deum esse partem offensam, quæ injuriam pro sua potestate, plenoque jure remittit; dicimus esse quoque Judicem, supremumque rectorem zelotem honoris sui, vindicemque improborum. Sed ne videamur scholasticam abjeciisse methodum, ex dictis ita adversarios perstringimus. In humani generis redemptione locum habet justitia vindex, si Deus in illa se gesserit ut Judicem, & Dominus Jesus impleverit vices vadis atque sponsoris, ac debitum solverit pro clientibus. Atqui Deus in hac redemptione exercuit munus Judicis, & piissimus Jesus Advocatus noster & sponsor pro nobis clientulis suis solvit debitum. Ergo in humani generis redemptione locum habuit justitia vindex.

Propositio IX. Decebat quammaxime, ut divinæ justitiæ condigna exhiberetur satisfactio. 9. Propositio.

Non illo ego utar argumento, quod Justitia vindex sit de conceptu essentiali divinitatis, nec fieri possit quin Deus retribuat male agentibus debitam pœnam, ut contendunt Tournely loco supra citato, aliique perpauci. Absolute enim potuisse Deum salvare humanum genus absque divini Verbi *Incarnatione*, & sola voluntate homini perdito afferre salutem, ut diximus cap. 1. tradunt Patres, & consentiunt antiqui Theologi. Si autem poterat Deus solo nutu mortis dominatum evertere; non video, quomodo probetur necessitas satisfactionis Christi, ex quo Deus concipi nequeat sine iustitia vindice. Non desunt præterea, qui negant hanc justitiam esse proprie in Deo, imo illam quamplurimi à numero divinorum attributorum sejungunt, ut Vasquez 1. p. disput. 85. cap. 4. & Suarez Opusc. de Justit. sect. 5. Præterea sicut per injuriam constituitur debitor is, qui injuriam infert, non qui recipit; ita per culpam nulla Judici supremo accedit ratio debiti, per quam teneatur de culpa vindictam sumere, quemadmodum tenentur judices alii, qui superiorum leges custodire debent. Accedit quod sententiâ nostrâ divina attributa distinguuntur comparate ad effectus productos; erga quos nulla est in Deo necessitas, nisi consequens liberam voluntatis ejus præfinitionem. Quod ergo in hoc rerum ordine, & facta hypothesi, quod Deus talem legem statuerit, ut pœna sit comes individua peccati, non possit Deus non animadvertere in impios, verissimum est, ac traditum ab Augustino lib. XXVI. contra Faustum cap. 3. aliisque in locis: quod vero Deus teneatur absolute punire iniquos, idque sit *de conceptu Dei essentiali*, ut

Probatur et Patribus & unanimi Theologorum.

tenet

tenet memoratus Theologus, id tarditas ingenii mei non assequitur. Quod ait Deum necessario habere odio peccatum, verum est: at non est verum, ex odio consequi necessario vindictam, si id quod odio habetur, possit sine vindicta deleri. Nec putes ea sententia facilius revinci Socinianos: cum potius illius falsitas fecerit Crellium audaciorem, isque dogmati Sociniano aliquam peperit existimationem, ubi contra incautos adversarios demonstrasse visus est, Deum esse supremum Dominum sub nullo judice constitutum, qui propterea habeat liberam pœnas condonandi potestatem. Ita in respons. ad caput 2. Grotii à pag. 60. usque ad 88. Non ergo nos hoc levi, incertoque prælio velitabimur. Deus est supremus Dominus potuitque cedere juri suo, debitamque scelestis pœnam gratis remittere. Quid ni? Cuinam si id feciſſet, irrogasset injuriam? At ex iis, quæ Socinianis concedimus, hanc adversus ipsos deducimus consecutionem: Supremus Dominus potest cedere juri suo, & gratis pœnam remittere; ergo potuit jus suum reposcere, & debitam pœnam infligere. Si remittat, exercebit misericordiam; si reposcat, judicium. In satisfactione autem, quam nos propugnamus, relucet misericordia, & relaxatio debiti in redemptione miserrimi hominis; justitia, & inflictio pœnæ in passione Unigeniti. Ubi ergo Socinus misericordiam à justitia disjungit; nos in ipsa misericordia justitiam commendamus, repetentes cum Davide Ps. LXXXIV. 11. *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt.* Atque nil hic adversarii excogitare poterunt, quod non sit undequaque honestum, & supremo Domino dignum. Probatur 2. II. Si ipsum summum Judicem, Rectoremque spectemus, non solum in hoc liberationis modo ostendit, quantum sit *misericors, & justus Dominus*, verum & ob oculos nostros statuit quanta sit peccati turpitudo, ut ex remedii qualitate pensemus morbi conditionem, & deinceps vitemus pericula: atque hinc Auctor de Cardinalibus Christi Operibus inter scripta Cypriani, serm. 14. ait: *Hoc vult intelligi, quæ sit causa mortis, quis quæstus; ut utraque re cognita peccatum appareat, & gratia; & quanti ponderis sit utrumque, verum probet effectus: cum originali morti nullum, nisi in Christi morte potuerit esse remedium; nec reconciliare Deo potuerit exules, & damnatos quælibet oblatio, nisi sanguinis hujus singulare sacrificium. Et sine hoc holocausto poterat Deus tantum condonasse peccatum; sed facilitas veniæ laxaret habenas peccatis effroenibus, quæ etiam vix Christi cohibent passiones, &c.* Habet similia S. P. Augustinus lib. XIII. de Trinit. cap. 17. num. 22. & Bernardus Epist. 190. adversus P. Abaelardum, cujus impium dogma Socinus, ut prænotavimus, revocavit ab Orco. Probatur 3. III. Magna exhibendæ Deo satisfactionis congruitas etiam ex ipso Redemptore nostro depromitur; erga quem, cum *justus pro injustis* mortuus sit, & exhibuerit pretium, quod nemo nostrum potis erat persolvere, facilius excitatur compassionis affectus, gratique animi recordatio. Legantur quæ scribit Magnus Gregorius lib. XX. Moralium cap. 26. IV. Etiam utilitatem hominum peccantium promovet magna, quam Deus in redemptione exercuit, justitiæ æquitas, tum quia, ut diximus, inflictio pœnæ cohibet iniquorum licentiam; tum etiam quia ex pretio, quo redemptus est homo, imaginem Dei pluris æstimare didicit, gratiarum beneficia pensitare, & ne iterum incidat in laqueum diaboli præcavere: impensius quoque exhibet Christo servitutem, eumque *glorificat in corpore suo* abstinens ab omni immunditia, dum se emptitium considerat, & alieni juris, ut inquit Apostolus 1. ad Corinth. VI. 20. de quo loco præced. cap. prop. 2. Eapropter S. P. Augustinus cit. libro XIII. de Trinit. cap. 10. docet, *non alium modum*, nos liberandi, *possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta æqualiter subjacent, sed sanandæ nostræ miseriæ convenientiorem modum alium non fuisse, nec esse oportuisse.* Similiter Athanasius serm. 3. contra Arianos ait: *Poterat sine ullo adventu Christi solummodo loqui Deus, & solvere maledictionem. Cæterum spectandum hic est quid hominibus sit utile, non quid situm sit in Dei omnipotentia.* V. Inspecta etiam dæmonis tyrannide, videtur magis congruum ex Dei justitia, quam ex potentia repetere redemptionem. Etenim cum homo in peccatum non impellente necessitate, sed libera voluntate prolapsus sit, dæmon debito dominatu sibi tyrannicum jus in hominem vindicabat: quo jure merito privatus est, dum Christum nullius peccati conscium supplicio crucis affecit: debet enim jure exspoliari, qui illo in perniciem innocentis abutitur. Hac ratione S. P. August. citato lib. XIII. cap. 13. num. 17. & cap. 15. num. 19. dēmonstrat *placuisse Deo ut propter emendum hominem de diaboli potestate, non potentia diabolus, sed justitia vinceretur;* & motivis quibusdam aliis adductis, *Ut*, inquit, *quid*

quia eos diabolus merito detinebat, quos peccati reos conditione mortis obstrinxit, hos per eum merito dimitteret, quem nullius peccati reum immerito pœna mortis affecit. Item S. Leo serm. 2. de Nativ. cap. 3. *Verax misericordia Dei, cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimum consulendi viam elegit, qua ad destruendum opus diaboli non virtute uteretur potentiæ, sed ratione justitiæ. Nam superbia hostis antiqui non immerito sibi in omnes homines jus tyrannicum vindicabat, nec indebito dominatu premebat, quos à mandato Dei spontaneos in obsequium suæ voluntatis illexerat. Non itaque juste amitteret deditii generis servitutem, nisi de eo quod subegerat vinceretur.* Habet similia in celebri ad Flavianum Epistola cap. 2. & 3. Ex quibus apparet hæc momenta, non ex necessitate vindictæ, sed ex convenientia justitiæ petita, esse consentanea tam rationi, quam Patrum auctoritati. Quamobrem hac valida ratiocinatione adversarios urgemus: Redemptio humani generis peracta cum satisfactione justitiæ fuit convenientissima ad æquitatem Dei commonstrandam, ad Christi commendandam charitatem, ad infirmitatem sanandam nostram, & ad diaboli tyrannidem evertendam. Igitur decebat summopere, divinæ justitiæ in hominibus redimendis condignam exhiberi satisfactionem.

4. Propositio 10.

Propositio X. Non fuit injustum, non pereuntibus nobis, Christum subire crucis patibulum, eique peccata nostra imputari.

Probatur 1.

Ac primo, cum id factum sit, & magnopere æquitati congruat, illud etiam justissimum fateantur adversarii, quod supremo universorum Domino visum fuerit; quidnam apparere potest in hoc, quod Deo decernente executioni mandatum est, justitiæ repugnans? Arripiam confessionem Crellii scribentis pag. 60. col. 2. adversus Grotium: *Quia Deus omnium hominum, ut aliarum quoque rerum universarum, Dominus est absolutus: ideo etiam in Christum qui natura homo erat,* (adde & Deus summus) *inque ejus vitam ac corpus jus dominii absoluti habebat. Itaque pro eo jure ipsum nostræ salutis causa poterat in mortem tradere, & corpus ipsius cruci affigendum dare.* Ex qua ratione liquet, quam imperite objectent postmodum Sociniani, fas non esse cuique mortalium insontem pro sceleste devovere suppliciis, quasi sit eadem auctoritas supremi Judicis, & eorum, qui illius legi subjiciuntur. Adde posse Deum compensare necem illatam innocenti, immortali vita, resurrectione corporis, & nominis exaltatione; quemadmodum compensatum cum Christo testatur Apostolus ad Philip. II. 9. Et Crellius ibidem, *Quia Deus,* inquit, *omnes* (Christi) *cruciatus præmio infinitis partibus majori compensaturus erat, jure tanquam Dominus absolutus de eo statuendi habuit arbitrium.* Quod si Deus potuit decernere mortem Unigeniti, spectato duntaxat dominii jure; cur non accedente etiam consilio populum suum redimendi? Sane id expedire, per os Pontificis asseruit Spiritus veritatis. Vide Propos. 3. Ex parte itaque Dei, sive attendas jus supremum, sive consilium reparandi perditum hominem, sive prædestinationem gloriæ Unigeniti, nihil apparet in hoc negotio injustum. II. Di- Probatur 2.
gnoscitur ulterius justitiæ æquitas spectata Redemptoris nostri persona. Is quippe non invitus ad necem perductus est, sed habens *potestatem* animæ suæ, *oblatus quia voluit,* ut legimus Is. LIII. 7. & Joan. X. 17. 18. Est autem juris proloquium etiam vulgi sermone tritum, *Volenti nulla fit injuria.* Debemus etiam illum considerare ut sponsorem, & vadem, cui volenti nostra imputarentur delicta, ob quam causam ibidem Propheta eum appellat *percussum & humiliatum;* quoniam *vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & disciplina pacis nostræ super eum.* Nec inusitatum est, legique repugnans, sponsorem plecti & mulctari pro reo. Nam id in re pecuniaria evenire non diffitetur Socinus P. III. cap. 3. & liquet ex L. *Si quis reum.* D. de custod. & exhibit reor. & L. *Si à reo.* D. de fidejuss. Hæc cum objecisset Grotius, respondit Crellius pag. 115. non esse eandem rationem de solutione pecuniæ, & afflictione corporis, quoniam pecunia unius potest fieri alterius, non item afflictio: addidit nec fidejussorem liberare absentem reum ab obligatione pecuniæ, quam potest repetere. Sed quid hæc efficiant, non video. Primo enim pecunia à fidejussore soluta non fit debitoris; atque ita pretium sanguinis Christi non peccatoribus, sed Deo creditori persolutum est: deinde cum possit fidejussor pecuniam donare, cur non potest Dominus Jesus *habens potestatem animæ suæ* illam pro nobis impendere? Insuper & ipse potest à nobis sanguinem proprium exquirere, nisi animam magno à se emptam pretio sine crimine exhibeamus; nam & ad hoc accepit potestatem judi-

judicium faciendi, *quoniam occisus est, & redemit nos Deo in sanguine suo.* Vide Apoc. v. 9. Præterea non tantum in re pecuniaria, verum etiam in capitalibus insontes pro reis plecti consueverunt, quod Grotius probat ex historia Damonis, & Pithiæ. Eandem affert Witasse sect. III. in resp. ad object. 2. in qua caput IV. dissertationis Grotianæ expilavit. Huic tamen respondet Joannes Francus pag. 116. adducendum non esse in exemplum, quod à Dionysio crudelissimo tyranno semel factum est. At stat in suo robore quod ait Grotius; jus enim in alienam vitam si innocens sit occidendus, nulli mortalium conceditur: Deo tamen illud inesse fatentur Sociniani, comprobatque exemplum Isaac, quem Dei jussu à Patre immolatum sacra proponit historia. Id ergo, quod præter fas jusque homines præstiterunt, vindicat sibi Deus inviolata æquitate. Addit Grotius exempla obsidum, quos hostes etiam humanissimi trucidarunt, Thessali, Romani, Daci, alii: ideoque non confirmatur veritas uno Dionysii facto. Non solum Christus Sponsor noster est, sed etiam Rector, & Pastor, qui de semetipso inquit Joan. x. 11. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Et decebat quammaxime, ut oves propria morte redimeret, ut fures & latrones qui mactabant illas & perdebant, non possent repetere, prout innuit ibidem Evangelista, & nos præced. propositione explicavimus. Ponendo etiam animam suam pro ovibus suis magnum sibi apud Patrem meritum comparavit; cujus intuitu diximus majori honore, & gloria fuisse honestatum. *Propterea*, ait ipsemet Salvator cit. cap. x. 17. *me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam*: & Apostolus ad Hebr. II. 9. *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* Itaque nulla injustitia Christus pertulit mortem, quam sponte subiit, qua implevit Redemptoris officium, & quæ illi summam contulit dignitatem. III. Postremo nec contra naturam pœnæ est, si ea publicæ salutis causâ afficiantur innoxii. In filiis enim, & posteris Deum visitare peccata parentum liquet ex cap. xx. 5. & xxiv. 7. Exodi, ex Jerem. Thr. I. 5. & v. 7. &c. Ob delictum Chami punitum Chanaan, ob crimen Saulis crucifixos septem filios, ob peccatum Davidis periisse septuaginta hominum millia, constat ex Genes. IX. 25. II. Regum XXI. 8. XXIV. 15. Hujusmodi pœnæ permutatio, cum fiat, ubi qui plectuntur nequeunt Deo satisfacere, vel ad incutiendum timorem posteris, vel ad augendam peccantium confusionem; fiatque iis invitis, qui loco aliorum puniuntur: quanto magis absque injustitia fieri potest, dum is, qui pro alienis peccatis afficitur supplicio, sponte morti subjicitur, ac moriendo liberat reos, Deum placat, divinæque justitiæ satisfacit? Quare dum Crellius pag. 106. & seq. ad prædicta Scripturarum exempla reponit, innocentes filios afflictos in pœnam & ignominiam parentum, & post punitionem aliorum in reos adhuc sævitum, non oppugnat pœnæ permutationem, sed illam argumento à fortiori confirmat. Quod enim licet ad malorum perniciem, id multo magis ob Dei gloriam, hominumque reparationem potest salva æquitate permitti. Duo etiam sunt in causa, cur in punitione aliorum absoluti non fuerint Saul, Achan, & Jeroboam, quorum facta Crellius persequitur: scilicet, quod illatam Deo per peccatum injuriam nulla hominum punitio expiaverit, nec potuerit sontibus veniam promereri, eisque gratiam ad respiscendum conferre: quæ duo præstari à morte Christi agnovisset Crellius, si de ejus divinitate, ac gratia melius sensisset. At nos quemadmodum divinitatis naturam, ita redemptionis gratiam in Domino Jesu Christo pro viribus propugnamus; & quod attinet ad hanc thesim, dicta hoc ratiocinio colligimus: Non debet censeri injustum, quod non repugnat supremi Judicis æquitati, quod non opponitur Christi innocentiæ, quod non adversatur merito delictorum. Sed Christum subiisse crucis patibulum in punitionem peccatorum nostrorum non adversatur delictorum merito, non opponitur innocentiæ Christi, non repugnat supremi Judicis æquitati. Ergo quod Christus crucifixus fuerit in peccatorum nostrorum pœnam, non debet censeri injustum.

Probatur 3.

CAPUT IV.

Catholicum dogma perpetua Patrum traditione roborari.

SUMMARIUM.

1. Sententia Catholicorum probatur ex S. Justino M. Irenæo, Tertulliano, Origene, Cypriano.
2. Item ex Lactantio, & aliis.
3. Item ex Hilario, & aliis.

1. Sententia Catholicorum.

QUAMQUAM nihil est apud hæresum propugnatores solemne magis, & usitatius, quam Patrum contemnere documenta, ac Sociniani præsertim fulgidissimis Ecclesiæ luminibus præferre audent nonnullos à fidelium cœtu dejectos, lucifugas, atque tenebriones: attamen cum veritatis argumentum sit invictissimum, universorum, præsertim doctrina, probitate, & cæterorum existimatione præstantium in eodem dogmate consensus & conspiratio, atque hinc percipiant orthodoxi teneri à se antiquam, & Apostolicam traditionem; hoc loci, brevi, quantum fieri poterit, prædecessorum nostrorum sententiam investigabimus. Ac primo S. Martyr Justinus in dialogo, quem habuit cum Tryphone scribit Christum *ex omni mortalium genere omnium maledictionem suscepisse*: in Epist. ad Diognetum ait Deum dedisse *proprium filium pretium redemptionis pro nobis*: & in respons. ad q. XCIX. ad orthod. si tamen hoc opus Justino jure adscribitur, docet etiam victimas ratione carentium animalium ex divina benignitate ita acceptas, *perinde atque animam suam hoc modo legis prævaricator offerret*: ubi aperte traditur *substitutio*, quam in veteribus sacrificiis perperam negant Sociniani. Irenæus lib. IV. adversus hæres. cap. 18. sive ex distinct. Massuet. 8. scribit Christum summi Sacerdotis operam perfeciss, *moriens ut exsiliatus homo exiret de condemnatione*: quo in loco annotavit Feuard. ex Hebræorum lege mortuo Pontifice exules domum rediisse. Habes autem istic paucis verbis expressam redemptionem, & peractum à Christo Sacerdotis munus in morte. Ait ibidem Irenæus Christum *propitiasse pro hominibus Deum*. Fugit tam insignis locus comprobans veram redemptionem, sacrificium Christi, & sanguinis ejus placamentum, tam Grotium, quam illius recentiores expilatores. Vide & lib. V. cap. 21. ubi multa de Satanæ, qui captivum duxerat hominem, facta per Christum alligatione. Tertulliani adversus Judæos cap. 13. est præclara sententia: *Hunc enim oportebat pro omnibus gentibus fieri sacrificium, qui tanquam ovis ad victimam ductus est, & velut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum.* Origenis innumera extant loca: Hom. 3. in Levit. demonstrat quomodo sacrificium Pontificis fuerit mortis Christi figura. Hom. IV. in Num. scribit: *Si non fuisset peccatum, non necesse erat Filium Dei agnum fieri, nec opus fuerat eum in carne positum jugulari, sed manssisset hoc, quod in principio erat, Deus Verbum. Verum quoniam introiit peccatum in mundum, peccati autem necessitas propitiationem requirit, & propitiatio non fit nisi per hostiam necessarium fuit provideri hostiam pro peccato.* In primo autem contra Celsum, Christum comparat iis; *qui sponte se morti devoverunt ad averruncandam grassantem in sua patria pestilentiam, & qui ultronea morte obita pro republica totos populos, totasque gentes à calamitatibus liberarunt*: additque *traditum fuisse, utpote purum, pro omnibus, qui peccaverant.* Cyprianus de Lapsis pag. 378. *Veniam peccatis, quæ in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri, qui peccata nostra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris.* Idem in Epist. ad Fortunatum ait Christum passum *pro alienis peccatis.* Carmen de Passione Domini Lactantio attributum sic incipit:

Roboratur ex Dialogo S. Mart. Justini.

Ex Irenæo.

Ex Tertulliano.

Ex Origene.

Ex Cypriano.

Quisquis ades, mediique subis in limina templi,
Siste parum, insontemque tuo pro crimine passum
Respice me, me conde animo, me in pectore serva.

Idem Lactantius lib. IV. de vera Relig. & sap. cap. 25. scribit: *Discant igitur homines & intelligant quare Deus summus, cum legatum & nuntium suum mitteret, ad erudiendam præceptis justitiæ suæ mortalitatem, mortali voluerit eum carne indui, & cruciatu affici, & morte*

2. Ex Lactantio & aliis.

te mulctari. Eusebius Cæsar. lib. 1. demonstr. Evang. cap. 10. erudite de sacrificiorum origine pertractans ratione, & auctoritate divina demonstrat in sacrificiis *brutorum animam*, pro anima hominum fuisse oblatam, & ideo unumquemque, dum sacrificabat, capiti victimæ manus habuisse injectas, quasi *pro suo capite* hostiam exhibuisset; sublatisque antiquis sacrificiis venisse Christum Dei *instar pecudis pro toto genere humano interficiendum.* Hinc infert ideo dici Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, & esse *magni æstimandum pro redimendis pretium, pro toto mundo piaculum, pro anima cunctorum hominum sacrificium, pro omni macula, & peccato purissimam hostiam.* Et in præf. ad lib. x. ostendit Christum dici agnum de nostro grege assumptum, ductum ad cædem, oblatumque *pro reliquis cognatis agnis, & pro omni humano grege, Deo victimam.* Proximo capite primo ad hunc modum loquitur: *Cæterum non modo rebus his gestis Dei Agnus, verum etiam pro nobis tormenta passus, supplicioque affectus, quo ipse quidem dignus minime erat, sed nos ipsi propter multitudinem peccatorum, ut peccata nobis dimitterentur auctor extitit: utpote qui pro nobis & mortem subierit, & verbera, & probra, & contumelias, quibus nos digni eramus, in se ipsum transtulerit: & execratio pro nobis factus, execrationem, quæ nobis debebatur ad se ipsum attraxerit.* Hæc aliaque plura ab Eusebio sacris literis confirmata suppeditabunt studioso lectori adversus hæreticorum tela clypeum munitissimum. Sequitur beatissimus Athanasius, qui de Incarnat. Verbi Dei, adventus Christi causis luculenter expositis, num. 9. inquit: *Hinc corpus, quod sibi accepit, velut hostiam, & victimam omni puram macula morti offerendo, id quod debebatur, in morte solvit:* & num. 10. *Mortem, in quam illi incurrerant, proprio oblato corpore delevit.* Et infra: *Idcirco ipsum Verbum sibi corpus accepit, ut victima pro similibus corporibus fieret.* Ac num. 21. *Mortuus est, ut pretium pro omnibus solveret.*

3. Ex Hilario & aliis.

Hilarius Pictavorum Episcopus in Psalm. LXIV. num. 4. ait: *Scientes tandem vetera delicta, & antiquæ impietatis crimina Deo propitianda esse per Christum. Ipse enim secundum Apostolum nostra placatio est, &c.* In cap. x. Matth. n. 18. *Et quidem, quæ sub peccato vendita sunt, redemit ex lege Christus: ergo quod venditur, corpus & anima est; & cui venditur peccatum est: quia Christus & de peccato redemit, & animæ ac corporis est redemptor.* In Psalmum CXXXV. num. 15. *Redemit nos, cum se pro peccatis nostris dedit, redemit nos per sanguinem suum, per passionem suam, per mortem suam, per resurrectionem suam. Hæc magna vitæ nostræ pretia sunt. Magno enim, ait Apostolus, pretio redempti estis: & redempti ab inimicis, à diabolo, ab angelis ejus, à filio perditionis, à principibus aëris, à mundi potentibus, ab inimica morte.* Optatus Milev. lib. III. de Schismate Donatist. num. XI. *Quis est ille nescio quis angelus, qui nundinas fecit animarum, quas ante ejus adventum diabolus possidebat? has sanguine suo Christus Salvator noster redemit, Apostolo dicente, Empti enim estis pretio magno.* S. Basilius in Psalm. XLVIII. *Quid enim usquam tanti est momenti, quod homo poterit dare pro redemptione animæ suæ? Inventum tamen unum est pro omnibus simul hominibus dignum pretium, nempe sanctus, & omni pretio superior pretiosus sanguis Domini nostri Jesu Christi, quem pro nobis omnibus effudit: quamobrem pretio sumus empti.* Gregorius Nyssenus magni Basilii frater in libro de Christiana perfect. ad Olympium docet ab Apostolo appellari Christum ἀπολύτρωσιν, *redemptionem*, quia *seipsum ut nos redimeret pretium dedit;* probatque ex hac pretii solutione, illum *nos à morte à se pervitam coemptos propriam sibi possessionem effecisse.* Ambrosius de fuga sæculi cap. 7. num. 44. *Ideo ergo suscepit Jesus carnem, ut maledictum carnis peccatricis aboleret; & factus est pro nobis maledictum, ut benedictio absorberet maledictionem, integritas peccatum, indulgentia sententiam, vita mortem. Suscepit enim & mortem, ut impleretur sententia, satisfieret judicato: Maledictum carnis peccatricis usque ad mortem.* Idem de Joseph Patriarcha cap. 4. num. 19. *Pretio igitur nostrum debitum, non sua æra contraxit, chirographum sustulit, fœneratorem removit, exuit debitorem: unus exsolvit, quod ab omnibus debebatur. Non licebat nobis exire servitio. Suscepit hoc ille pro nobis, ut servitutem mundi repelleret, libertatem paradisi restitueret, gratiam novam consortii sui honore donaret.* Et lib. VII. in Lucam num. 117. *Etenim adversarius tanquam captiva mancipia vilioris pretio æstimationis addicit: at vero Dominus tanquam speciosa servitia, quæ ad imaginem & similitudinem sui fecit, idoneus sui operis æstimator magno pretio nos redemit, sicut sanctus Apostolus dixit:*

Empti

Empti enim estis pretio magno. Et bene Magno, qui non æstimatur ære, sed sanguine, quia pro nobis mortuus est Christus, qui pretioso nos sanguine liberavit, &c. Epiphanius lib. II. h. LV. quæ est Melchisedechianorum, num. 4. de Christo inquit: *Qui sacerdotale Patri suo munus offert, accepta ex natura hominum massa, ut pro nobis Sacerdos secundum ordinem Melchisedech successione omni carentem constituatur. Manet enim, & assidue dona pro nobis offert. Imprimis quippe semetipsum obtulit, ut perfectiore, vivaque pro totius mundi salute mactata hostia, veteris Testamenti sacrificium aboleret. In quo quidem ipse victima fuit, ipse sacrificium, ipse Sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse Rex, ipse Pontifex, ipse ovis, ipse agnus, &c.* Hieronymus in cap. LIII. Isaiæ Tom. III. pag. 384. *Quod enim nos pro nostris debebamus sceleribus sustinere, ille pro nobis passus est, pacificans per sanguinem crucis suæ, sive quæ in terra, sive quæ in cœlis sunt.* Infra: *Qui igitur oblatus est Pilato, quia ipse voluit, & non respondit, ut patibulum pro nobis damnatus ascenderet, ipse sicut ovis ad occisionem ductus est.* Ac paucis interjectis: *Hic agnus est, in cujus typo immolabatur agnus, cujus cruor linitus in postibus exterminatorem fugabat Ægypti, qui non solum sanguine suo nos redemit, sed & lanis operuit, ut algentes infidelitate sua veste calefaceret.* Et prope finem ejusdem capitis: *Peccata enim nostra portavit in corpore suo, ligno crucis affigens ea, ut deleret chirographum, quod diabolo & angelis illius feceramus, scriptum manibus animæ, id est, operibus ejus.* Sanctus P. Augustinus in Psalm. XCV. num. 5. *Venit redemptor, & dedit pretium; fudit sanguinem suum, emit orbem terrarum. Quæritis quid emerit? Videte quid dederit, & invenite quid emerit. Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? Quid, nisi totus orbis, quid, nisi omnes gentes?* In Psalmum CXXIX num. 7. *Sacerdos noster à nobis accepit quod pro nobis offerret. Accepit enim à nobis carnem: in ipsa carne victima factus est, holocaustum factus est, sacrificium factus est. In passione sacrificium factus est: in resurrectione innovavit illud, quod occisum est, & tanquam primitias tuas dedit Deo, &c.* Vide lib. IV. contra duas Epist. Pelagian. cap. 4. num. 8. & contra Faustum lib. XIV. cap. 4. Joannis Chrysostomi, Gregorii Magni, Leonis aliorumque sententiæ duobus præcedentibus capitibus sunt productæ. Cyrilli Alexandrini præclara testimonia, & ad revincendam quamdam cavillationem Fausti Socini satis idonea, proferam proximo capite ad 3. oppositum. Dignissima lectu est D. Paulini Epist. IV. ad Severum pag. edit. Plantinianæ 52. & Bernardi CXC. ad Innocentium cap. 5. & 6. nunc inter Tractatus Tom. IV. pag. 114. Venantius Honorius Clementinianus Fortunatus secundum de Cruce Domini librum sic auspicatur:

Crux benedicta nitet, Dominus qua carne pependit,
Atque cruore suo vulnera nostra lavit.
Mitis amore pio pro nobis victima factus,
Traxit ab ore lupi, qua sacer Agnus oves:
Transfixis palmis ubi mundum à clade redemit,
Atque suo clausit funere mortis iter.
Hic manus illa fuit clavis confixa cruentis,
Quæ eripuit Paulum crimine, morte Petrum.

Expressissimis hisce SS. Patrum testimoniis colluſtrantur quæ de sacris literis, earumque sensu diximus paulo supra, simulque nefastissima FF. Polonorum hæresis firmissimo Orthodoxorum consensu revincitur. Nam inepte redemptio adstruitur metaphorica, ubi intervenit magnum pretium, ubi solvitur debitum, ubi satisfit judicato: audacter denegatur sacrificium Crucis expiatorium, in qua incontaminatus agnus se ipsum pro nobis obtulit, ductus tanquam ovis ad victimam, holocaustum factus, & pro totius mundi salute mactata hostia: impie ac temere substitutionem, ac surrogationem Christi pro iniquis inficiantur Sociniani, si ipse peccata nostra portaverit, execrationem ad seipsum attraxerit, supplicia, quibus nos eramus digni, in semetipsum transtulerit. At Patres Orthodoxi disertissime affirmant in humani generis redemptione magnum intercessisse sanguinis Christi pretium, eoque empta corpora & animas peccato vendita: luculentissime tradunt Christum Dei Agnum factum in cruce hostiam, victimam, sacrificium, holocaustum, ac pro toto mundo piaculum: apertissime docent Unigenitum Dei Filium omnium maledictionem suscepisse, verbera, probra, & contumelias toleravisse, pro nobis affectum cruciatu, pro nobis interfectum, pro nobis mor-

morte multatum. Itaque Sociniani inepte adstruunt Redemptionem impropriam, & metaphoricam : audacter negant sacrificium Crucis expiatorium ; & impie ac temere inficiantur mortis Christi pro nobis subrogationem, atque substitutionem.

CAPUT V.

Fausti Socini referuntur, & refutantur sophismata.

SUMMARIUM.

1. & 2. Objectio ex scriptura desumpta solvitur.
3. & 4. Objectio ex conceptu redemptionis desumpta solvitur.
5. & 6. Objectio ex verbis : *portare peccata*, desumpta solvitur.
7. 8. & seqq. Solvuntur reliquæ objectiones.

1. Objicitur 1.

A Tobjicit Faustus : Christus non ideo hominum Servator est, quia illos redemrit solutio pretio, sed ob alias causas à divina Scriptura aperte commemoratas. Prima est, quod nobis viam salutis annuntiaverit ; ideo namque dicitur missus, ut testimonium redderet veritati, & prædicaret Evangelium. Ita legitur Marci I. 38. Lucæ IV. 18. 19. 43. Joan. XVIII. 37. Atque hinc appellatur Apocal. I. 5. *Testis fidelis*, & dicitur ab Apostolo in prima ad Tim. II. 6. & VI. 13. *testimonium temporibus suis*. Id vero sublimiori titulo competit Christo, quam Apostolis ; nam ille *testis* simpliciter dicitur, isti autem Act. I. 8. *testes* tantummodo *Jesu Christi*, propterea quod non propriam, sed Christi doctrinam prædicaverint : quare non elidunt Socini argumentum, qui Apostolorum exemplo nituntur ostendere redemptionem nihil aliud importare, quam æternæ salutis annuntiationem. Deinde appellatur Christus Salvator hominum, quia veritatem confirmavit sanguinis effusione : nam ob eam rem prerioſus ille sanguis dicitur sanguis *novi fœderis*, Matth. XXVI. 28. & ad Hebræos XIII. 20. nimirum quia meliora annuntiat, ac loquitur, quam sanguis Abel, ut Apostolus ibidem ait cap. XII. 24. Constat etiam ex cap. XXIV. Exodi versu 8. in vetere fœdere sanciendo effusum sanguinem, quod & priscarum gentium servavit consuetudo. Frustra reponeres id in Martyres etiam quadrare ; cum hi sancitum à Christo fœdus confirmarint, idcirco appellati Act. XX. II. 20. & Apoc. VII. 17. *Testes Jesu Christi*. Tertio sacræ literæ appellant Christum hominum Servatorem, quia mortuus est, ut ipsum imitantes consequamur æternam vitam : quod expresse docet Apostolus ad Rom. XIII. 13. ad Ephes. IV. 20. & Petrus I. Epist. II. 21. Præterea dicitur Christus Redemptor noster, quoniam resurgens à mortuis nos in fide & justificatione firmavit. Videatur Apostolus ad Rom. VI. 5. ad Corinthios prima, VI. 14. ad Ephes. II. 6. ad Philipp. III. 12. Ratio manifesta depromitur ex quo per resurrectionem declaratus filius Dei firmiorem nobis fidem ingeneraverit. Videsis Joan. XX. 31. Act. XIII. 33. Apost. ad Rom. I. 4. Tandem Christus Reparator est nostri, quia nobis æternam vitam daturus est, ut colligitur ex Matth. XXVIII. 18. Joan. XVII. 2. ad Hebræos IV. 14. Cum tam apertas causas Scriptura proferat, cur Christus dicatur Reparator humani generis, quid necessum est recurrere ad exhibitam satisfactionem, ad solutionem pretii, ad pœnarum subrogationem ?

2. Respondetur.

Respondetur nihil concludi pro Socino, etiamsi omnia quæ hactenus objecta sunt, concedantur. Quæ enim inepta magis, & futilis consecutio, quam hæc Sociniana, Servator noster vitam annuntiavit æternam, fœdus sancivit novum, resurrexit ne vana esset fides nostra, nobisque salutem impertitur ; ergo nos soluto pretio non redemit ? Imo si ob auctoritatem Scripturarum sanctarum, quæ in antecedenti præmittuntur vera sunt ; verissimum est etiam nos à Christo fuisse magno pretio coemptos, pretiosum ipsius sanguinem esse *lytrum*, ac satisfactionis medium, & pro nobis immaculatum Agnum fuisse in cruce mactatum, hostiam sacrificium, placamen, id pariter sacris literis contestantibus : in quibus si propria satisfactio erat nobis significanda, quæ verba magis idonea usurpare poterant divinitus afflati Scriptores ? Poterant asserere Christum pro nobis dedisse animam suam, fudisse sanguinem, solvisse pretium ? Affirmare factum pro nobis *maledictum*, portasse peccata nostra, fuisse prævaricationibus nostris percussum ac vulneratum ? Demonstrare nos ejus morte à dæmonis potestate erutos, reconciliatos Deo, à peccatorum inquinamento expiatos ? Assuerunt, affirmarunt, demonstraverunt. Propriam ergo redemptionem frustra Sociniani

ni Scripturis oppugnant. At cur noſtra redemptio prædicatione etiam, miraculis, & reſurrectione peracta eſt? Cum Deus hominem condiderit liberi arbitrii, is non à Deo humanum genus inſtituente, neque impellente & cogente cauſa aliqua, ſed propria voluntate ſuggerenti diabolo aſſenſum præbens, venumdatus eſt ſub peccato. Ut ergo venditioni reſponderet redemptio, non tantum Chriſtus pretium ſolvit, hoſtemque devicit; ſed etiam voluit, ut homo eruueretur à diaboli poteſtate non reluctans & invitus, ſed Deo invitanti ac trahenti libere obtemperans. Atque hinc eſt, quod licet omnes redempti ſimus perſoluto pro ſingulis pretioſi ſanguinis pretio; degunt tamen complures ſub dæmonis captivitate, quia per liberum arbitrium nolunt reſipiſcere. Tantummodo parvulis absque motu voluntatis propriæ applicatur per Sacramentum regenerationis fructus paſſionis Chriſti, quoniam illi absque propriæ voluntatis actu peccaverunt in Adam: ab aliis jure voluntatis aſſenſus requiritur, quoniam diaboli illecebris volentes, non inviti detinentur captivi. Mortuus eſt ergo Chriſtus, ut effuſo ſanguine redemptionis noſtræ pretium ſolveret: prædicavit, ut deliteſcentes in tenebris veritatem agnoſcerent: patravit miracula, ut increduli præberent fidem: reſurrexit, ut in fide complantati ad juſtificationem diſponerentur: promiſit vitam æternam, ut traherentur ad gratiam meliorum bonorum expectatione. Atque ita, licet ad redemptionem ſpectent omnia Chriſti opera, ratione tamen præcipua tribuitur ipſa redemptio ſanguinis effuſioni, ut vidimus cap. 2. prop. 2. quia ſanguis habet rationem pretii, cætera ſpectant ad alliciendam captivi hominis voluntatem: in quibus ſi præſertim ſita eſſet redemptio, hæc non paſſioni, ſed Chriſti miraculis, & reſurrectioni ſpeciali titulo conveniret. Hæc vero abunde convellunt Sociniana ſophiſmata. Brevi ad primum reponimus Marcum cap. 1. aſſerere Chriſtum veniſſe ad prædicandum, ſed in hoc tantum ſitam redemptionem divinat Fauſtus. Lucas cap. IV. non ſolum ait Chriſtum evangelizaſſe, ſed etiam prædicaſſe *captivis remiſſionem*: neque iſtic habes hac prædicatione mundum fuiſſe redemptum. Joannes pariter cap. XVIII. ait Chriſtum in mundum veniſſe, ut teſtimoninm perhiberet veritati: nil aliud hoc loci. Apoſtolus in prima ad Timoth. VI. præter teſtimonium commemorat etiam *redemptionem*, & quidem Græco vocabulo ἀντίλυτρον: de quo cap. 2. prop. 1. Apocalypſis addit, *Et lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Diſcrimen inter Chriſtum, & Apoſtolos ac Martyres in eo ſitum, quod Chriſtus ſolus crucifixus ſit pro humani generis redemptione, cæteri habeant reconciliationis miniſterium, vidimus cit. cap. 2. prop. III. num. 2. 3. 4. 5. & prop. VI. num. 2. Hoc tamen diſcrimen tollitur, ſi redemptio in ſola prædicatione conſtituatur. Ad ſecundum dicimus Chriſti ſanguinem eſſe *ſanguinem fœderis, ac teſtamenti*, quia cum factum ſit peccatorum noſtrorum placamen, pactum Dei cum juſtis initum, & ob iniquorum culpas confractum firmiori nexu ſancivit. *Fœderis* quoque vocabulum, factum Moyſis Exodi XXIV. & gentium conſuetudo ineundi fœdera effuſo hoſtiarum ſanguine catholicam ſententiam confirmant; quia cum antiquitus fœderum transgreſſores capite plecterentur, facta per ſanguinem expiatione hoſtes reconciliabantur, hoſtia loco fœdifragorum mactata. Vide Lippomanum in Exodum pag. 234. Illa quoque ceremonia ſignificatum veteribus, fractores fœderum more mactatarum pecudum diſcerptum iri, ut oſtendit de Conviviis Vet. cap. VIII. Joſ. Laurentius Lucenſis. Itaque ſanguis Chriſti appellatus eſt *ſanguis fœderis*, quoniam & pro transgreſſoribus effuſus eſt, & novum Dei pactum firmavit. Et ideo melius loquitur, quam ſanguis Abel, quia effuſus in remiſſionem peccatorum loquitur veniam & gratiam, cum ſanguis Abel loqueretur ſupplicium, atque vindictam, Gen. IV. 10. Ad tertium dico recte ſanguinem Chriſti nos hortari, ut ejus veſtigia ſectemur, cum Chriſtus *veniens non verbis tantum nos hortatus ſit, ſed & factis, poſt omnes injurias & contumelias paſſus quoque & crucifixus, ut nos pati & mori exemplo ſuo doceret, ut nulla ſit homini excuſatio pro ſe non pati, cum paſſus ſit ille pro nobis, & cum ille paſſus ſit pro alienis peccatis, multo magis pro peccatis ſuis pati unumquemque debere.* Ita Cyprianus Epiſt. ad Fortunatum, ſive de Exhortat. Martyrii cap. 5. & Auctor Carminis de Paſſione Domini inter Lactantii Opera ſic Dominum Jeſum nos alloquentem inducit:

Sectare meæ veſtigia vitæ,
Ipſaque ſupplicia inſpiciens, mortemque ſeveram,

Cor-

Corporis innumeros memorans, animique dolores,
Disce adversa pati, & propriæ invigilare saluti.

Quartum argumentum retorquetur adversus Socinum; nam si Christus declaratus est filius Dei per resurrectionem, in morte autem cum sceleratis reputatus est; aut redemptio potissimum non consistit in fidei confirmatione, aut per resurrectionem, non per mortem Christi principaliter redempti sumus. At Socinus redemptionem nostram tribuendam præsertim Domini Jesu passioni, non uno in loco fatetur, neque tam audax est, ut id queat denegare. Citatis autem locis resurrectioni potius fidei firmitudo & justificatio tribuitur, quam expiatio delictorum, & solutio captivitatis: nimirum Christus, ut inquit Augustinus citatus cap. præcedenti, *in passione sacrificium factus est, in resurrectione innovavit illud quod occisum est, & tanquam primitias dedit Deo.* Hinc Apostolus ad Rom. IV. 25. de Christo ait: *Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram;* non quod Christus resurgendo à mortuis justitiam nostram promeruerit, sed quia traditus est, ut sua morte peccatorum nostrorum pœnam lueret; & resurrexit, ut justitiæ, & novitatis vitæ typum quemdam præferret, sive, ut loquitur Ecclesia in Præfat. Paschali, *Mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit.* In quinto necessum non est immorari; quippe Christum nobis æternam vitam dedisse, & omnem potestatem adeptum esse, ut legitur in locis postremo à Socino citatis, est prorsus indubitatum; sed æque indubitatum est hanc vitam nobis teterrimæ ejus mortis beneficio comparatam: quia *Christi sanguis sic in remissionem peccatorum omnium fusus est, ut omne peccatum possit delere:* quod docet S. P. Augustinus Tract. XCII. in Joan. num. I. nec everti unquam poterit Socinianis machinationibus.

3. Objicitur 2. Pergit objectare Socinus: Redimere nihil aliud est, quam captivum liberare nullo soluto pretio. Primo namque populus Israel dicitur ex Ægypto redemptus, Exodi XV. 13. & Deut. VII. 8. nec ulla tamen in hac redemptione interfuit pretii solutio. Moyses quoque Act. VII. 35. appellatur Redemptor, & quidem Græco vocabulo λυτρωτὴς, nec tamen pro reducendis suorum tribubus fudit sanguinem. Eo prorsus pacto se absque ullo pretio redemptum à Domino in Ps. XXX. 6. ait regius Vates. Præterea redimere ac vendere ad invicem opponuntur: at Scripturarum phrasi is dicitur sub peccato venumdatus, qui nullo pretio in servitutem traditur, subjicitur, mancipatur. Aperte id colligitur ex Deut. XXXII. 30. Judic. III. 8. & Isaiæ L. I. Idem dicendum de redemptione liquet ex eodem Propheta cap. LII. 3. Ad hæc redemptionem nihil esse aliud, quam remissionem peccatorum affirmat Apostolus ad Colossenses I. 14. Hanc autem remissionem nobis gratis impendi idem Apostolus docet in primo ad Eph. versu 7. Frustra itaque ex verbo *redimendi* infertur Christum pro nobis satisfeciisse.

4. Respondetur. Resp. *Redimere* nihil aliud esse, quam captivum soluto pretio liberare, id fatente Socino cap. I. secundi libri, nec aliam significationem habere hebraicum verbum פָּדָה, & græcum λυτρόω: & quamvis eadem verba aliquando accipiantur metaphorice pro liberatione à miseria, quemadmodum vendere interdum dicitur Deus quem à sua misericordia alienat, specie, ut Lorinus inquit in Ps. VII. 3. usurpata pro genere; non fit consequens quod ubi de humani generis reparatione occurrit sermo, verbum *redimere* sensum non præseferat proprium. Non enim redempti tantum dicimur, sed redempti sanguine, empti pretio magno: & sanguis Christi hujus redemptionis appellatur λύτρον, & auro, argentoque, per quod redimuntur captivi, præfertur. Atque illud mirandum est, Socinianos, qui acuti dialectici videri volunt, ex quo verbum *redimere* alicubi accipiatur sensu ampliori, nullibi, nec ubi pretium innuitur, propriam illi tribuere significationem. Itaque ad primum concedimus populum Israel absque pretio redemptum ex tyrannide Pharaonis: sed dicimus hanc liberationem appellari Redemptionem ob typum, quia Paschalis Agnus tunc immolatus præfigurabat Christum, cujus morte redempti sumus: nec oportet, ut omnia prorsus conveniant in figura, & in veritate; ut vidimus cap. II. prop. 5. quamquam populus Israel non dicitur de Ægypto redemptus pretio, ut nos dicimur empti à Christo, sed iisdem in locis, quæ Socinus objicit, dicitur Deus redemisse populum suum *in brachio excelso, in manu forti, in misericordia, in fortitudine;* ita, ut Scriptura ipsa innuat hanc liberationem peractam fuisse divina virtute, ac potentia miraculorum. Quod additur de Moyse, eandem habet solu-

tionem: siquidem in Actis dicitur λυτρωτὴς, quatenus gerebat Christi typum; ut etiam Cyrus appellatus est *Christus*, præsignans libertatem à captivitate peccati, aliique permulti Messiam præfigurarunt. Ut ergo nomen *Christi* de Cyro propter typum, de Jesu Nazareno ob veritatem enuntiatur: ita nomen Redemptoris de Moyse improprie, de Domino Jesu, qui non solum internuntii functus est munere, sed etiam tradidit semetipsum, sanguinisque pretium effudit, asseritur proprio sensu. Hinc Basilius in Psalmum XLVIII. pag. 280. & S. P. Augustinus lib. IV. contra duas Epist. Pelagianor. cap. 4. num. 8. demonstrant Redemptoris ac Mediatoris nomen proprie Christo duntaxat competere. Vide supra cap. 2. prop. 6. Addo Syriace Moysen dici, non *Redemptorem*, sed רוּנָא, *diremptorem litium*, à radice רוּן, *judicare*: in versione autem Arabica, & Æthiopica, *liberatorem*; quamvis liquet ex Græco, ex Hieronymo, & ex vetustissimo Codice Vaticano præferendam esse lectionem Vulgatæ, ac decipi Lutherum, Bezam, ac Schmidium abjicientes vocabulum *Redemptoris*. Quod sequitur de venditione diluitur ex dictis; ut enim qui vendit, rem à suo dominio alienat, ita Deus iniquos abjicit, traditque ministris justitiæ suæ puniendos: ac dicitur gratis vendere, quasi vili æstimet, ac parvipendat. Ita redimere valet aliquando idem, ac liberare à vexatione & tyrannide: quod tamen in humani generis reparatione non gratis perfectum est, sed pretio persoluto. Nec oppositum evincit Isaias cap. LII. ubi dicimur sine argento redempti, quoniam non captivorum promeritis, sed Christi passione contigit liberatio. Atque his refutatur postrema objectio, quod Apostolus doceat non gratis justificari: de qua recole quæ dixi Prop. III. num. 2. & Prop. VI. ubi vitrea Socini tela fuerunt contrita. Addo nunc præclaram Augustini annotationem q. XVII. in librum Jud. scriptum à propheta nos *gratis* esse venumdatos, non autem redemptos gratis & sine pretio, sed redemptos *sine argento*, ut pretium redemptionis intelligamus, quale dicit Apostolus Petrus, *Non eim auro, vel argento redempti estis, sed pretio sanguinis Agni immaculati*. Itaque Isaias ait, *sine argento redimemini*, quoniam pretio quidem sanguinis Christi, non tamen *pretio pecuniario* eramus redimendi. Hæc Augustinus. Addamus ulterius, etiam in venditione peccatorum pretium aliquod intercedere, licet non semper pecuniarium, scribente Polybio lib. 4. ἔνιοι πανταχῆ τὰ κακὰ γέγονε, *mala quælibet esse venalia*, cum nemo sine maximo impendio sectetur crimina. Vide quæ de Jasone narrat Auctor 2. lib. Machab. cap. IV. 8. Quæ ab improbo amatore extorquet libido recensetur lib. IV. Lucretius, & quæ ab avaro fames auri, Persius Satyra V. ab eo versu, *Mane piger stertis, &c.*

5. Objicitur 3. Tertiò loco opponit Faustus Socinus: *Portare peccata* nihil est aliud, quam illa auferre ac delere, frustra itaque hinc satisfactionem Christi nituntur comprobare Catholici. Ac primo sunt loca permulta, in quibus *ferre*, & *auferre* idem sonant, ut Exodi XXXIV. 7. & Joannis XX. 5. Deinde celebris Isaiæ textus cap. 53. *Vere languores nostros ipse tulit*, in Evangelio Matth. VIII. 16. exponitur de corporis infirmitatibus, quas tamen Salvator in se non transtulit. Ad hæc Levit. XVI. 22. dicitur hircus emissarius portasse *iniquitates in terram solitariam*, cum tamen non mactaretur in expiationem peccati, sed vivus emitteretur in desertum. Præterea licet portare peccata sit scelerum pœnam subire, nulla inde consequitur satisfactio; nam & Judæi in captivitate dicuntur portasse patrum suorum iniquitatem Jerem. Lam. cap. V. 7. nec tamen Deo ullam exhibuerunt satisfactionem.

6. Respondetur. Resp. Christum eo sensu portasse peccata omnium nostrum, quatenus propter scelera nostra attritus est; quatenus pro nobis factus est peccatum & maledictum, scilicet sacrificium & hostia; quatenus peccatorum nostrorum pœnas luit: ut ostendimus cap 2. prop. 4. ideoque, etsi *portare* sit idem alicubi, atque *auferre*, dum agitur de Redemptione importat quoque supplicium peccato debitum, præsertim cum Salvator non solum dicatur *portasse peccata*, verum etiam ea *sustulisse in corpore suo super lignum*, crucemque latronum. De cap. VIII. Matth. plura nuper citata propositione. Quod vero attinet ad hircum emissarium, respondent quidam fuisse typum Christi, nec de typo ad antitypum valere comparationem. At in primis eodem cap. XVI. Levit. asseritur alium hircum *pro peccato populi* fuisse mactatum: qui cum pariter fuerit Christi typus, commonstrat hunc proprio sanguine scelera nostra expiasse. Quomodo autem mactatione hostiarum peccata olim expiarentur, dictum cap. II. prop. 5. Deinde hircus quoque deportatus in solitudinem, si

Hebræis

Hebræis interpretibus habenda est fides, è sublimi loco præcipitatus dabatur neci, aut saltem illa in solitarium locum abactio ei mortem ex ferarum laniatibus minabatur. Sed detur hircum emissarium non fuisse in præcipitium actum, atque discerptum: cum omnia vetera sacrificia fuerint typus Christi, in re significata hircus mactatus non est spectandus tanquam aliquid ab hirco ablegatitio diversum. Alloquemur itaque Socinum verbis, quibus Cyrillus Alex. lib. IX. pag. 301. urget Julianum: *Cerne ergo, cerne mysterium etiam in capris duobus recte adumbratum. Caper enim, sive hircus pro peccatis sacerdotis & populi mactabatur ex præscripto legis. Ut enim ait Isaias propheta: Omnes sicut oves erravimus, & Dominus tradidit eum pro peccatis nostris. Duo siquidem hirci assumuntur, non tanquam duo Christi sint, aut duo juxta nonnullos filii, sed potius, quod oportebat eundem immolari pro nobis, & mori quidem secundum carnem, vivere autem secundum Spiritum.* Facit etiam ad rem nostram, quod Sacerdos imprecabatur capiti hirci emissarii, ut quidquid malorum venturum erat super filios Israel, caderet super hircum, cui etiam tradunt ligatas ad caput schedas peccatis inscriptas. Verum de his Joan. Lorinus in Levit. pag. 503. Tertullianus de hirco emissario lib. 3. adv. Marcionem inquit: *Circumdatus coccino, maledictus, & conspututus, & convulsus, & compunctus à populo extra civitatem abjiciebatur in perditionem, manifestis notatus insignibus Dominicæ passionis.* Depromptus ex Lament. Jeremiæ locus demonstrat quomodo *portare peccata* aliquando idem sit ac *propter peccata puniri:* atque hoc sensu Christum portasse peccata nostra, ut pro illis subiret mortem, nos affirmamus. Quare hinc revincitur Socinus contendens quod portare peccata sit illa *auferre*, non *perferre:* quod ipsemet in multis Scripturæ locis significari fatetur cap. 21. suarum Prælectionum. Christus vero non solum peccata pertulit, sed etiam pro nobis satisfaciens illa delevit, quia pro nobis vulneratus est, & nos ejus livore sanati sumus, atque factus pro nobis maledictum nos redemit de maledicto. Sed perlege laudatam IV. propositionem cap. 2.

7. Objicitur 4. Rursus Sociniani objiciunt: Dum Christus dicitur *pro nobis* mortuus, sensus est morte sua nobis beneficium maximum contulisse contestans suam erga nos charitatem, ac Patris misericordiam promittens; nullo autem pacto infertur loco nostri fuisse mactatum. I. Quia particula ὑπὲρ, *pro*, significat occasionem, causamque finalem, non autem personæ substitutionem. II. Joannis I. cap. III. 16. legitur nos debere *pro fratribus animas ponere*, exemplum sectantes Christi, qui *pro nobis posuit animam suam.* At nos fratribus utilitatem afferre possumus, non satisfacere pro iisdem. III. Dicitur Christus *pro nobis* mortuus, quatenus nos exemplo suo in sempiternam vitam transtulit, & in ejus nomine baptizamur; ut colligitur ex I. ad Corinth. I. 13. *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?* IV. Idem Apostolus ad Hebr. II. 9. inquit Christum *gratia Dei* pro omnibus gustasse mortem. Ideo dicitur ergo mortuus pro nobis, quia declaravit nos *gratiam*, maximumque beneficium fuisse assecutos. V. Joan. X. 11. se comparat Jesus Pastori, qui *animam suam dat pro ovibus suis.* Pastor autem se propter oves servandas periculo exponit, sed nullam illis moriens affert libertatem: imo si moriatur, quomodo servantur oves? VI. Frangens apud Lucam panem Eucharisticum cap. XXII. 19. ait Christus: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur;* nec tamen in Cœna pro homine redimendo fuit immolatus. VII. Dum quis pro redimendo captivo substituitur, loco illius captivus permanet. Si ergo Christus mortuus pro nobis esset, ut nos redimeret, loco nostri mansisset captivus. Itaque dum Christus dicitur *pro nobis mortuus*, particula *pro* finalem tantum causam importat, non personæ substitutionem.

8. Respondetur. Resp. refelli hæc inania sophismata prop. 3. capit. 2. ubi ostendimus quod licet particula ὑπὲρ aliquando significet tantummodo utilitatem aliquam, in redemptionis negotio denotat substitutionem, cum Christus sit mortuus pro impiis, ut ipsi eriperentur à perditione. Ostendimus ibidem haberi etiam in Scripturis particulam aliam ἀντὶ, quæ adversariorum confessione demonstrat permutationem. Ad primum ergo respondemus nusquam de fidelibus legi quod debeant pro fratribus animam ponere, ut eos solvant à maledicto, ut illi reconcilientur Deo, ut eruantur à damnatione Adæ; quemadmodum de Redemptore nostro id affirmatur. Joannes itaque exemplo Christi nos ad charitatem hortatur, *ex quo simul empti simus, & unum sit pretium omnium nostrum*, ut S. Pater demonstrat Tract. VI. in cit. Epistol. num. 12. At non possumus in ponendo animam pro

fratribus Christo esse pares: *ille enim potestatem habuit ponendi animam suam, & iterum sumendi eam; nos autem nec quantum volumus vivimus, & morimur etiamsi nolumus: ille moriens mox in se occidit mortem; nos in ejus morte liberamur à morte: illius caro non vidit corruptionem; nostra post corruptionem in fine sæculi per illum induet incorruptionem: ille nobis non indiguit ut nos salvos faceret; nos sine illo nihil possumus facere: ille se nobis palmitibus præbuit vitem; nos habere præter illum non possumus vitam. Postremo etsi fratres pro fratribus moriantur, tamen in fraternorum peccatorum remissionem nullius sanguis Martyris funditur; quod fecit ille pro nobis.* Hæc idem Aug. Tract. in Joan. LXXXIV. n. 2. Ex quibus verbis apparet quantum in *ponendo* pro aliis *animam* Christus à nobis differat. At quod sequitur in Socinum retorquetur; nam Paulus Corinthios hortatur ad unitatem spiritus, & ad vitanda schismata ex quo solus Christus *pro nobis sit crucifixus*, ejusque virtute ac merito consecuti simus in baptismo remissionem peccatorum. Eo itaque pacto, quo Christus pro nobis est mortuus, nemo mori potest pro fratribus: sed ille fudit sanguinem ob redemptionem, alii ad exemplum, & communionem charitatis. Quod sequitur ex cap. 2. ad Hebræos demonstrat Christum *gustasse* mortem, non necessitate ductum, sed charitate, ac redemptionis nostræ causa; ut legitur quoque ad Rom. v. 8. ad Titum III. 4. aliisque in locis. Est autem in Græco: ὅπως χάριτι θεοῦ, & vocula ὅπως modum, non finalem causam significat; unde legit Syrus, *Per gratiam suam*, & Arabs, *Ex Dei gratia*, id est, per humanitatem, beneficentiam, φιλανθρωπίαν. Vide Bibl. Reg. N. Test. pag. 442. & Valton. 853. Ad proximum æque facilis est responsio: quippe *Bonus Pastor* ut oves redimeret, dedit animam suam; & ne iterum lupi gregem discerperent, ne gloriarentur Judæi quasi prævaluerint, surrexit à mortuis: quamobrem è vestigio addit, *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.* Ex quo etiam Christus dicatur antonomastice *Bonus Pastor*, infertur neminem in ponendo pro ovibus animam suam esse illi simillimum. At legendus Augustinus Tract. XLVIII. in Joan. num. 3. & 10. Quod additur ex Luc. XXII. de Pane Eucharistico, si ea verba, *Quod pro vobis datur*, conferantur cum Epist. I. ad Corinth. XI. 24. ubi legitur, *Quod pro vobis tradetur*, & cum iis, quæ ibidem apud Lucam habentur versu 20. de sanguine, *Qui pro vobis fundetur*; liquet posse habere significationem futuri, ac idem esse, ac *pro vobis dabitur* in mortem: etsi nos profitentes in consecratione panis verum sacrificium haud negamus significationem præsentis temporis, ut idem sit *datur*, ac, *offertur*. Quod si ad hujus loci versiones confugiamus, his Lucæ verbis refellitur omnis Socini tergiversatio: legitur quippe in Arabica: *Quod commutabitur pro vobis:* in Aethiopica, *Quod datur propter vos in redemptionem*: in Syriaca, *Quod pro vobis tradetur.* En commutatio victimæ loco nostri: en expressa redemptio: en futura in cruce immolatio. Adeas N. Test. Walt. p. 378. & Bibl. Max. Tom. XIV. pag. 254. Postremum nihil evincit; nam Christum pro captivis substitutum ultro fatemur, sed ei non erat in captivitate permanendum, quia Diabolus, qui captivum tenebat humanum genus, Redemptorem nostrum nullius peccati reum pœnâ mortis afficiens devictus & ejectus est; ideoque Christus abstulit ejus arma, & spolia distribuit, Luc. XI. 22. elevatus in cruce omnia ad se ipsum traxit, & quos redemit, emptitios fecit, suique juris, ac hujus mundi principem ejecit foras, Joan. XII. 32. & denique à mortuis resurgens, atque in altitudinem cælorum ascendens, ad fidem redigens qui erant sub tyrannide diaboli, captivam duxit captivitatem, Ps. LXVII. 19. & ad Ephes. IV. 8. Collustrabunt hanc responsionem quæ diximus cap. III. prop. 9. num. 5.

Præterea opponunt: Ita per Christi sanguinem reconciliati sumus, ut ille nullatenus fuerit redemptionis nostræ *lytrum*, ac pretium. Ac primo ad Rom. v. 10. legitur: *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus per mortem filii ejus: multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius;* ubi magis vitæ, quam morti Salvatoris nostra tribuitur salus. Deinde idem Apostolus 2. ad Corinth. v. 19. inquit: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.* Vides quo pacto reconciliati sumus per Christum? Sola non imputatione peccati. Addit Paulus: *Et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Itaque hortatione, ministerio verbi, & internuntii completo munere nos Christus reconciliavit Patri. Denique ex eodem Apostolo ad Ephes. IV. 32. ut ad Rom. III. 24. *gratis*, ideoque absque pretio justificamur. 9. Objicitur 5.

Resp.

10. Respondetur.

Resp. hæc omnia fuisse abunde refutata cap. 2. prop. 3. Brevi nunc ad primum dicimus ibidem Apostolum asserere nos esse reconciliatos *per mortem filii ejus*, & *in sanguine ipsius*. Sanguini itaque & morti reconciliatio nostra præcipue tribuitur, & ideo per vitam salutem consequimur, quia reconciliati sumus per mortem. Quod ut aperte percipias, animadverte Apostolum instituere *antithesim* inter inimicos & reconciliatos, inter mortem & vitam Christi. Verborum itaque illorum sensus obvius, & apertissimus est: Si cum peccatores essemus, redempti sumus pretio sanguinis, & reconciliati per mortem: curnam si justi erimus, eo vivente, nunquam morituro, & interpellante pro nobis, reconciliati & amici salutem non assequemur? Præclare Chrysostomus hom. IX. in Paul. p. 93. *Vides quantum locus hic fundamentum habeat ad adstruendam futurorum spem: ante hunc enim duo quidem erant ad salutem nostram difficilia; & quod peccatores essemus, & quod salus per Domini mortem necessaria: quod ipsum minus persuasibile erat, antequam fieret, ac magnam adeo charitatem requirebat, ut fieret; nunc autem posteaquam hæc evenere, reliqua faciliora sunt. Etenim amici facti sumus, nec morte amplius opus est, &c.* Et S. Pater Aug. lib. XIII. de Trinit. cap. XVI. num. 21. *In vita salvi, quia per mortem reconciliati. Quis enim dubitet daturum amicis vitam suam, pro quibus inimicis dedit mortem suam?* Quod sequitur, inepte ad hanc rem detorquetur à Socino; etsi enim reconciliatio fieret per solam non imputationem peccati, ut tenent hæretici plurimi, minime excluderetur Christi redemptio, quoniam ait ibidem Paulus nos reconciliatos *esse in Christo*, & ad Colos. I. 20. *per sanguinem crucis ejus*. Cæterum non juvat hic locus nefarium aliud de justificatione placitum; quoniam Apostolus explicat reconciliationem ex parte, quæ continet abolitionem offensæ; non excludit gratiam habitualem, per quam reddimur sancti, & immaculati, ut demonstrat in h. l. illustris Estius, & nos vidimus lib. XIX. cap. 2. Alterum in Socinianos retorquetur: nam Paulus tribuit Apostolis ministerium reconciliationis ob prædicationis officium, & munus legati atque oratoris; Christo autem tribuit ipsam reconciliationem, ideoque is non solum prædicatione & exemplo, verum etiam solutione pretii, sanguinisque effusione reconciliationis est auctor. Recte Chrysostomus hom. XI. in 2. ad Corinth. p. 821. *Ob idque etiam dicebat Apostolus, Deus erat mundum sibi reconcilians in Christo, hoc est, per Christum. Quoniam enim dixerat, Qui dedit nobis ministerium reconciliationis, temperamento quodam utitur, perinde ac si diceret: Non est quod existimetis summam hujus rei auctoritatem penes nos esse, ministri tantum sumus. Deus est qui totum hoc efficit, qui per Unigenitum suum terrarum orbem in gratiam recepit.* Comprobat hanc expositionem S. P. Aug. serm. CLII. de Verbis Apostoli num. 10. ex iis, quæ apud Paulum sequuntur, *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit:* ubi *peccatum* significare hostiam pro peccato, etiam ibidem tradit S. Doctor: quod nos ostendimus prop. IV. num. 2. Scimus contendere Socinum pag. 137. de Christo Servatore, *peccatum* non hostiam significare, sed hominem habitum ut peccatorem. Sed præterquam quod refellitur ex dictis ibidem: quid infertur ex interpretatione versutissimi hominis, nisi Christum, ut nos Deo reconciliaret, factum esse *peccatum*, id est, *tanquam peccatorem aliquem pœnis obnoxium*, ut exponit quoque pag. 639. Oecumenius? Stat ergo reconciliationem nostram ex morte Christi esse repetendam. Ad ult. dictum est cit. prop. 6. nos justificatos esse gratis, & *per redemptionem, quæ est in Christo Jesu*, ut *gratis* ad nostra promerita, non ad exhibitam à Christo satisfactionem debeat referri.

11. Objicitur 6.

Ad hæc Sociniani objectant: Sacrificio Crucis nulla inerat vis expiandi; legales enim victimæ erant figura passionis Christi, ut serpens æneus, de quo Num. XXI. 9. Atquemadmodum qui respiciebant serpentem illum, eripiebantur à morte; ita qui Christo credunt, non pereunt, sed habent vitam æternam, ut inquit Joan. III. 14. Item arca Noe, mare rubrum, & aquæ, quæ fluxerunt de petra, præfigurabant baptismum ex Apost. I. ad Corinth. X. 6. 11. & 1. Petri III. 21. quamvis nullam haberent vim expiandi. Præterea victimæ nullam sanctificationem afferebant, & tamen omnia illarum sanguine secundum legem mundabantur, ut Apostolus docet ad Hebr. IX. 22. quia sacrificiis peractis Deus plenam remissionem credentibus conferebat. Præterea falsum est Christum Sacerdotis munere functum, priusquam cælum ingrederetur. I. Quia Apostolus ad Heb. II. 17. ait debuisse Christum per *omnia fratribus similari, ut Pontifex fieret*: assimilatus est autem per mortem: ideoque nondum in cruce fuerat

rat Pontifex constitutus. II. Quia in eadem epist. cap. v. 5. legitur, *Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te*: quæ verba de resurrectione esse accipienda liquet ex Act. XIII. 33. non ergo ante resurrectionem Christus Pontifex erat. III. Quia in eadem ad Hebræos Epist. VII. 26. habetur: *Talis enim decebat ut nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus.* Priusquam erga Salvator ab impiis segregatus cælum conscenderet, nequaquam Sacerdotali functus est munere. IV. Quia in capite ejusdem epist. VIII. 4. extat, *Si ergo esset super terram, non esset Sacerdos.* Quomodo ergo sacerdos erat è ligno pendens?

12. Respondetur.

Resp. Aperte jam à nobis prop. 5. cap. 2. demonstratum cruentum, atque expiatorium crucis sacrificium, ostensumque qualem vim expiandi haberent olim mactatæ pecudes, & quo pacto præsignarent immaculati Agni immolationem. Ad illud ergo, quod priori loco objicitur, dicimus diversis typis, non uno duntaxat, Christum præfiguratum, ut diversa ejus munera innuerentur; & consequenter necessum non esse in unoquoque typo sacrificii rationem adinveniri: quamquam & serpens æneus Christum exaltatum in cruce, & petra, unde fluxerunt aquæ latus illius apertum lancea, & Arca Noe Christi incarnationem, mortem, resurrectionem, & Ecclesiam præsignarint; ut accurate exponit S. P. Aug. serm. 6. ad populum, alias 17. de diversis num. 7. Tract XII. in Joan. num. 11. q. 35. in Num. & libro X. 1. contra Faustum cap. 14. & seq. Quod additur de victimis, satis citata prop. 5. dilutum est, quippe, licet illæ non impertirentur vi sua animarum sanctitatem, eam præfigurabant, quatenus loco transgressorum mactatæ illos eruebant à pœna temporali, & mactationes animalium erant *promissivæ figuræ* illius sacrificii, per quod habemus remissionem peccatorum, prout explicat idem S. P. lib. XXI. contra Faustum cap. 17. Hinc S. Thomas 1. 2. q. 102. art. 3. ad 5. ait: *Per occisionem animalium significatur destructio peccatorum, & quod homines erant digni occisione pro peccatis suis, ac si illa animalia loco eorum occiderentur ad significandam expiationem peccatorum.* Et quoniam Sociniani negant victimarum pro transgressoribus substitutionem; dicant, quæso, cur Levitæ super caput immolandi vituli manus imponerent, Lev. 1. 4. & IV. 4. cur super caput hirci posita utraque manu confitebatur sacerdos omnes iniquitates filiorum Israel, & imprecans capiti ejus illum in solitudinem emittebat, Levit. XVI. 21. cur dicebatur hircus ille portare omnium iniquitates, ibidem versu 22. nisi ut eo ritu demonstraretur victimam illam hominum iniquorum esse, pro illis immolari, ejusque sanguinem esse pro animarum *piaculo*, ut habetur eodem libro Levit XVII. 11.? Si ad hæc oculos aperire nolunt miserrimi Sociniani; videant saltem Genes. XXII. 13. pro Isaac in holocaustum offerendo immolatum arietem inter vepres hærentem cornibus: quo exemplo non tantum comprobatur victimæ pro homine substitutio, verum etiam præsignatur Christi immaculati agni pro nobis oblatio. Quare bene sapienterque Chrysostomus hom. XLVII. in Gen. pag. 665. *Hæc autem omnia figura fuerunt crucis: propterea & Christus Judæis dicebat, Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum; & vidit, & gavisus est. Quomodo vidit, qui tot annis præcessit? Per figuram, per umbram. Sicut enim hic ovis oblata est pro Isaac, ita & rationalis agnus oblatus est pro mundo.* Similia Ambrosius lib. 1. de Abraham c. VIII. num. 74. & S. P. August. lib. XVI. de Civit Dei cap. 32. num. 1. & lib. II. contra Maxim. 2. 9. Quæ adduntur ad probandum, Christum priusquam cælum ascenderet, non obtulisse sacrificium, sunt prorsus futilia; cum introierit *per proprium sanguinem*, & jam sacrificio peracto: unde sacrificium ab illius applicatione, & mactationem hostiæ ab ejus repræsentatione hæretici non distinguunt; nec animadvertunt, olim Pontificem victimam extra sanctuarium immolasse, postea intulisse sanguinem intra velum: ac pariter Jesum prius fuisse oblatum in cruce, postea ingressum cælos, ut pretium sanguinis jam effusi Patri exhibens semper viveret *ad interpellandum pro nobis.* Facta hac semel peractæ mactationis, & repræsentationis, oblationisque perpetuæ distinctione, quam faciendam esse ostendimus laudata prop. V. num. 3. corruit tota machina Socinianæ perfidiæ. Ad quatuor autem loca paulo supra ex Epistola ad Hebr. petita laboriosum non est respondere. Nam priori loco docet Apostolus nos non habere Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, cum fuerit *tentatus per omnia similitudine absque peccato*, ut infra cap IV. 15. sed misericordem ac fidelem, qui vere illud efficit quod nomine, officioque suo pollicetur, id est, Deum placat, atque ad hoc efficiendum

formam

formam induit nostram, *ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum.* Ita nimirum sese explicat Apostolus præced. versu 14. Quamobrem non docet ibidem quando Christus constitutus sit Pontifex, sed quod factus sit particeps conditionis ac mortalitatis nostræ, ut fieret Pontifex misericors, & iis, quos fratres appellare dignatus est, assimilatus laborem sustineret, anxio esset animo, mortem subiret, & dolores nostros expertus facilius nobis condoleret: quod cum præstiterit suffixus cruci, in cruce factus est Pontifex misericors & fidelis. Legi potest in hunc locum Ribera. At cap. v. ait Paulus Christum non se extulisse, ut fieret Pontifex; sed glorificatum à Patre, qui illum filium appellavit. Quamvis ergo Christus fuisset filius Dei tantum post resurrectionem; nihil afferret adjumenti hac in re locus iste Socinianis. Declaratus est tamen filius etiam ante mortem, dum baptizaretur in Jordane, Mat. III. 17. dum glorioſus appareret in monte, Mat. XVII. 5. & 2. Petri I. 17. Imo cum sit filius generatione, ut etiam infertur ex cit. cap. XIII. Act. nunquam fuit non filius proprius, ac naturalis. Quo autem sensu ea verba, *Filius meus es tu, ego hodie genui te,* quadrent resurrectioni, dixi libro VII. cap. 9. In tertio loco non immorabimur, cum ibi asserat tantum Apostolus assumptæ humanitatis Christi exaltationem in cælis post peractum crucis sacrificium, sicut olim Pontifex ingrediebatur in sancta mactato vitulo; ideoque sicut is erat Sacerdos, & sacrificium obtulerat antequam sanctuarium ingrederetur; ita Dominus Jesus, cum cælos penetravit, erat Pontifex, & peregerat sacrificium. Postremi loci planissimus sensus est, quod si Christus esset ex genere sacerdotum illorum, qui super terram offerunt victimas, ut erant sacerdotes Levitici, ipse non esset sacerdos, quia munera à sacerdotibus Leviticis oblata suos habebant ministros lege statutos, inter quos non poterat connumerari Christus ortus de tribu Juda: unde post ea verba, *Si esset super terram nec esset sacerdos,* addit Paulus, *Cum essent, qui offerrent secundum legem munera.* Potest & sic intelligi, si esset super terram, nec esset sacerdos: quam enim victimam, nisi moreretur, offerret? Pecudes? minime, quia non esset ex genere Levitarum. Se ipsum? nequaquam, quia se cruentam hostiam obtulit moriendo; incruentam vero, ut mortem suam hominibus applicaret. Itaque si viveret super terram, sacerdos non esset. Oecumenius in Paulum Tom. II. pag. 375. aliam responsionem suppeditat minime contemnendam scribens: *Si mortuus non fuisset, neque resuscitatus assumptus fuisset, ne sacerdos quidem esset. Essent enim alii, & jam seditio esset in hac re:* nimirum persisteret adhuc sacerdotium Leviticum; nam, ut sequenti cap. IX. 8. docet Apostolus, statum habuit prius tabernaculum, antequam Christus seipsum offerret hostiam placabilem, & per proprium sanguinem introiret semel in Sancta. Quod si distinguas duo illa munera sacerdotis paulo ante explicata, sacrificare, & inferre sanguinem intra velum; adhibere poteris aliam responsionem, quam præ cæteris arripuit Witasius de Incarn. pag. 394. fuse autem explicavit Cameron volum. VII. Critic. Sacr. pag. 1029. id est, si Christus permansisset in terra, defuturam Sacerdotio Christi partem illam præsignatam in ingressu Pontificis intra velum, scilicet, oblationem, qua peracto sacrificio sistit se ante Deum pro nobis interpellando. De qua oblatione accipiendum quod legitur eodem cap. VIII. 3. *Necesse est, & hunc habere aliquid quod offerat;* manifestius expressum proximo cap. IX. 24. *Non enim in manufacta sancta Jesus introivit exemplaria verorum, sed in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno; alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi, &c.* Ex quibus verbis etiam liquet factam in cælis oblationem nihil aliud esse, quam exhibitionem illius mortis, qua non frequenter mactatur, *sed semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata,* ibid versu 28. Obstruamus igitur ora Socinianorum verbis Theophylacti p. 964. *Cum oblatione ingressus est, quæ posset placare Patrem. Pontifex quotannis ingreditur, Christus vero semel. Ille in sanguine alieno, taurorum & hircorum; Christus autem in proprio. Si sæpe oblaturus erat se ipsum, oportebat eum & sæpius mori, quandoquidem per proprium sanguinem oblationem facere debuisset.* Nil his proferri potest Paulinæ Epistolæ congruentius, nil simplicius, nil ad frangendam pervicaciam robustius.

Deinde nititur Socinus commonstrare repugnantiam satisfactionis ex parte Dei, ejusque misericordiæ. Ad hanc vero repugnantiam demonstrandam utitur primo veterum justorum exemplo, qui absque ulla Christi satisfactione salutem 13. Objicitur 7.

sunt assecuti, ut Abelis, de quo Mat. XXIII. 35. & ad Hebr. XI. 4. Noe, de quo 1. Petri III. 20. aliorumque multorum. Affert 2. testimonia Scripturarum, quibus resipiscenti repromittitur venia, nulla alia apposita conditione, quam ut iniquus ingemiscat, & convertatur ad Dominum. Vide Deut. IV. 30. Psalm. XXXII. 19. & Jeremiæ IX. 24. Idem confirmat ex quo, etiamsi sententiam Deus tulerit, si peccatorem pœniteat, omnium iniquitatum illius obliviscitur; ut idem Jeremias inquit XVIII. 8. necnon Ezech. XXXIII. 14. hujusque rei profert experimentum in Ezechia, in Achab, in Ninivitis. Cum ex his appareat Deum nulla accepta satisfactione condonare peccata, nonne Dei misericordiam obscurat decantata à Catholicis satisfactio? An non pugnant invicem misericordia & punitio, liberalis condonatio & debiti repetitio, beneficentissima largitas magnique pretii solutio? Præterea qui in hoc putant Deum liberalissimum, quod pro nobis tradiderit Unigenitum, faciunt ipsum Deum injustum magis & iniquum. Quis enim regem tenacem & avarum non dixerit, qui cum possit debitas condonare pecunias, eas ab illo, qui nihil ipsi debebat, repetierit? Ad hæc ille dicendus est munificus & liberalis, non qui est causa ut alter beneficio afficiatur, sed qui de suo donat atque largitur: & ideo Dei misericordiam obscurat quisquis opinatur dedisse filium ut nos redimeret, & benefactis cumularet, non vero gratis debita condonasse. Quid? quod misericors Deus non misit Filium suum in mundum, ut dissolveret debitum, sed *ut omnis, qui credit in eum non pereat*, teste Joanne III. 16. Insuper Apostolus hortatur, ut simus *invicem benigni, misericordes donantes invicem sicut & Deus in Christo donavit* nobis, ad Ephes. IV. 32. Similia repetit proximo cap. V. 1. & ad Colos. III. 13. Si ergo nos debemus ita proximo condonare injurias, ut non reposcamus satisfactionem; Deus quoque nihil à nobis repetens peccata donavit: quod verum non est, si aut nos, aut pro nobis quispiam alter persolvat. Insuper nec Deus ratione sui, nec ratione alterius potest exigere satisfactionem: non ratione sui, quid enim emolumenti ipsi afferre potest solutio debiti? quid ei ablatum fuit transgressione & peccato, nisi forte extrinsecus honor, qui sine punitione peccati ei redditur per resipiscentiam iniquorum? Nemo autem est alter, cujus intuitu debitum velit reposcere. Quis enim erit? Peccator? At is miser ac reus nullum jus habet repetundarum. Diabolus vero? Sed nihil debetur carnifici, atque tortori, nullaque est illi actio adversus supremum Dominum. Denique reposcit Deus ab iniquis pœnitentiam, ac bona opera in scelerum satisfactionem: atque id quo jure, si pro nobis abunde satisfecit filius ejus Unigenitus? Num potest aliquis solutam pecuniam repetere? Repugnat ergo ex parte Dei illa redemptio, quæ non fiat per solam condonationem.

Resp. Christi satisfactionem Dei misericordiæ, quæ nunquam à justitia divellitur, esse magnopere congruentem, ut III. cap. prop. 9. explanavimus, quæ vero ad hanc veritatem labefactandam Sociniani producunt, esse portenta vetustarum hæresum, gerrasque germanas. Ac primum Pelagius, ejusque discipuli à gratia Redemptoris excludere nitebantur veteres justos, ut Augustinus ait de Peccat. Origin. cap. 26. n. 30. & lib. 2. contra Julianum Operis Imp. n. 188. Refellitur autem aperte hæc hæresis ab eodem Augustino, ex quo solus Christus sit Dei hominumque Mediator juxta Apostolum 1. ad Timot. II. 5. ex quo nullum aliud nomen sit sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, prout habetur Act. IV. 12. & ex quo veteres justi eundem nobiscum habuerint spiritum fidei, ut legitur 2. ad Corint. IV. 13. quorum argumentorum primum urgetur à strenuissimo Pelagianorum Debellatore lib. de Perfect. just. cap. 19. n. 42. & lib. 1. Operis Imp. num. 124. alterum De peccat. origin. cap. 24. num. 28. tertium Epist. 190. num. 6. & de Patientia cap. 21. num. 18. Huc spectant quæ scripsimus lib. XXIII. cap. 7. prop. 1. de necessitate fidei in mediatorem. Prima itaque objectio Socini nullius est ponderis, quoniam in antiquis Justis operabatur virtus futuræ passionis Christi, qua & redempti fuerunt, & adepti sunt gratiam; veluti absolvitur debitor intuitu fidejussoris pollicentis definito tempore pretium persolvere. Quæ de misericordia Dei subjiciuntur, nihil pro Socino efficiunt; quippe non repugnat idem opus esse summæ misericordiæ respectu hominis nullum habentis promeritum, & justitiæ respectu Christi solventis quæ non rapuerat, præsertim cum ipsa Dei charitas hunc Unigenitum salutis nostræ causa in mundum miserit: quæ cum dilucide explicata sint citata prop. 9. & 6. præced. necessum non est iterum inculcare.

14. Respondetur.

No-

Nobis itaque pœnitentiam agentibus misericordiam impendi, & si noverimus vitam renovare, mutari quoque divinas comminationes, verissimum est; sed cum reconciliati simus per mortem Christi, divinæ liberalitatis exercitatio non excludit, sed supponit Redemptoris satisfactionem. Accedit quod absque Christi meritis expertes gratiæ, & facti servi peccati nec possemus agere pœnitentiam, nec de resipiscentia cogitare; ut diximus prop. 8. cap. 3. ideoque ipsa Dei ad pœnitentiam invitamenta ex beneficio peractæ redemptionis proficiscuntur. Neque avaritia est, sed æquitas repetere pecuniam ab eo, qui nihil debebat, si fidejussor ac sponsor sit; hoc enim ipso, quod fidejubet, debitor constituitur. Ineptum vero est, & supra quam dici possit futile, ac ludicrum quod ajunt non esse in Catholica sententia summum Deum munificum & liberalem, quia de suo non donat: proprius enim Dei filius est, cui pro nobis non pepercit, eumque non coactus necessitate, sed charitate beneficentissima tradidit, id sacris eloquiis asserentibus, Joan. III. 16. & ad Rom. VIII. 32. At istic, inquit Socinus, dicitur Christus traditus ut credamus. Recte, quia fides necessaria est, ut nobis meritum passionis Christi applicetur, ut paulo post explicabo; cum unus redemptionis effectus alterum non excludat, nec fides satisfactionem innumeris aliis testimoniis expressam. Proxima objectio petita ex cap. IV. ad Ephesios diluitur à D. Anselmo lib. I. *Cur Deus homo* cap. XII. pag. 57. his verbis: *Nulla in hoc est repugnantia, quia Deus hæc præcipit nobis*, (ut condonemus invicem) *ut non præsumamus quod solius Dei est. Ad nullum enim pertinet vindictam facere, nisi ad illum qui Dominus est omnium, &c.* Quod si reponas inutilem fore Pauli hortationem, si Deus in condonandis delictis respiciat ad Filii mortem; dico ex hoc etiam capite Apostolica verba nos vehementius ad condonandas injurias permovere: quod evidenter ostendit eloquentissimus Joannes Chrysostomus hom. XVII. in Ep. ad Ephes. Tom. 2. pag. 1139. ea verba, *Sicut Deus in Christo donavit nobis*, sic apte graviterque exponens: *Hoc quoque magnum habet ænigma. Non absolute, inquit, sed cum periculo filii. Ut tibi ignosceret, sacrificavit filium. Tu autem sæpe videns condonationem & sine periculo, & sine sumptu, non facis.* Ac pariter Theophylactus pag. 547. *Deus donavit nobis. Quomodo? In Christo, hoc est, cum periculo filii sui, mactatione que ejus. Tu fortasse citra periculum donas; ille vero non sic: ac tu quidem fratri tuo; ille vero tibi, cum hostis esses, remisit ac donavit.* Ad insequentem Socini objectationem dico nos redemptos à diabolo, non tanquam à Domino, sed tanquam à ministro divinæ justitiæ, & lictore, à quo congruum erat nos liberari, non sola Dei omnipotentia, sed justitia; quoniam ipse jure aliquo hominem tenebat captivum, prout explicavi citata prop. IX. n. 5. Quoniam tamen pretium solvitur Domino & proprietario, non ministro aut custodi; summo Deo, non diabolo, pretium redemptionis nostræ fuit persolutum. Quæris quid Deo accesserit emolumenti? Profecto nihil intrinsecum, sed gloria, & honor, quem ei abstulit primus homo: nam quemadmodum Deus puniendo pervicaces, licet in sui usum non convertat aut vitam quam aufert impio, aut beatitudinem quam ei denegat, sicut homo convertit pecuniam ablatam debitori in propriam utilitatem; *hoc tamen quod aufert* (inquit Anselmus lib. I. *Cur Deus homo* cap. 14. pag. 58.) *utitur ad sui honorem per hoc quia aufert: auferendo enim peccatorem, & quæ illius sunt, subjecta sibi esse probat.* Ita Dominus Jesus nulli obnoxius peccato, & factus obediens usque ad mortem crucis, atque hac obedientia naturam nostram tanquam victimam Deo subjiciens reddidit ei honorem, ac supremi Domini cultum, quem inobedientia denegaverat Adam prævaricator. Ad ultimum omnes Theologi respondent, Christum quidem pretium pro nobis persolvisse, nec tamen inanes esse conatus nostros, ac bona opera supervacanea; quoniam mors Christi necessaria erat ad satisfaciendum divinæ justitiæ, & ad redimendum humanum genus, nostra autem opera requiruntur ad applicationem passionis Christi, ejusque fructus percipiendos: neque id ejusdem passionis merito quidquam detrahit, quia non tollit exquisiti medicamenti virtutem necessitas applicationis; atque *Christus sua passione nos à peccato liberavit causaliter, id est, instituens causam nostræ liberationis, ex qua possent quæcunque peccata quandocunque remitti vel præterita, vel præsentia, vel futura: sicut si medicus faciat medicinam, ex qua possint quicunque morbi sanari etiam in futurum.* Ut vero passio Christi fortiatur effectum suum, debet applicari *per fidem, & charitatem, & per fidei sacramenta.* Ita & nos docuimus Volum. III. pag. 227. magni Aquinatis verba adhibentes. Quod si petas, cur ad applicationem istam cooperatio requiratur nostra; responsionem exhi-

exhibent quæ diximus ad primam objectionem Socini, nimirum homines libero arbitrio præditos, & nulla necessitate cogente factos peccati, dæmonisque mancipia soluto quoque redemptionis lytro, volentes tantum, non invitos erui à captivitate; ideoque ad prædictam applicationem requiritur motus liberi arbitrii, & conatus eo major, quo majori voluntate adhærent peccato, ita, ut relapsis etiam pœnitentia ac tabula post naufragium sit necessaria, gravatis autem consuetudine vehementior nisus, & contumacis animi compressio. Adeat qui plura cupit Joannem Driedonem inter medii ævi Scholasticos de his accuratissime pertractantem in elaborato Opere de Captivit. & redempt. humani generis Tract. III. pag. 66. editionis Lovaniensis.

15. Objicitur 8. Insuper Socinus demonstrare conatur fieri non potuisse, ut divinæ justitiæ satisfieret, nobis non pereuntibus: quod ut evincat opponit. I. Pœna peccato constituta est mors æterna, & hæc à nemine ferri potest, nisi qui peccavit; unius quippe pecunia potest alterius effici, at non mors inflicta, ac sempiternum supplicium. II. Quamvis homines libidine excæcati vindictæ aliquando in justum desæviant; nunquam tamen plectunt aliquem innocentem, incolumi sponte dimisso qui intulit injurias. At si homines barbari nunquam de innocentibus pœnam sumunt, consulto dimissis nocentibus; quomodo id plusquam immane ac ferinum censeri poterit dignum Deo? III. Vituperationem promeretur exemplum Zaleuci Locrensis, qui cum deberet utrumque oculum eruere filio, sibi unum, filio alterum effodit; ac dum simul parcere nocenti filio, & legi satisfacere curat, neutrum facit. Ita in Catholicorum sententia nec filio unigenito pepercit Deus, nec punivit iniquos. IV. Omnium gentium exemplo comprobatum est non debere, nec posse corporalem pœnam, quam unus debet, ab alio persolvi; quod & supremus legumlator Deus apertissime docuit, Deut. XXIV. 16. *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur.* Habentur consimilia IV. Regum X v. 6. & Ezechielis XVIII. 20. Si autem pro patre satisfacere nequit filius conjunctissima patri persona; quomodo satisfacere potuit pro cæteris hominibus Christus? V. Si Deus erga homines voluit exercere misericordiam, cur filium affecit supplicio? Si justitiam, cur non potius animadvertit in eos, qui deliquerant? Num repones exercuisse utrumque? Non est perfecta misericordia, quæ cum peccatum condonare valeat, non condonat: nec perfecta justitia, quæ pœnam non exigit à delinquentibus. VI. Vera satisfactio est plena debiti persolutio. Unusquisque debebat divinæ justitiæ mortem æternam. Igitur nequit justitiæ satisfactum iri, nisi unusquisque mortem illam persolvat. VII. Quomodo potest quis eam corporalem pœnam pro aliis solvere, quam ipse debeat? VIII. Si dixeris Christum non fuisse obnoxium morti, utpote qui nihil deliquerit, unicam tamen habebat vitam, quæ substitui non poterat pro vita hominum singulorum, sicut qui habet tantum centum aureos nummos, satisfacere nequit pro innumeris debitoribus, quorum singuli debeant centum nummos aureos. IX. Non potest unus justitia, alterius qui injustus fuerit justitia censeri. Igitur nec pœna unius pœna alterius; ait enim Ezechiel citato cap. XVIII. 20. *Justitia justi super eum erit, & impietas impii erit super eum.*

16. Respondetur. Resp. his quoque Socini argumentationibus à me satisfactum c. 3. prop. 10. Ad priorem ergo nego quod non possit pro vita nocentium subrogari vita Innocentis, si vas ille sit ac fidejussor, si potestatem habeat ponendi animam suam, si non invitus, sed lubens ad supplicium trahatur, & si debitum persolvat supremo Domino, qui accepta exhibita satisfactione, oblati innocentis mactationem, ob meritum spontaneæ immolationis, compensat vita meliori ac sempiterna. Et si innocens, qui mortem subit, sit Deus homo; nego etiam ejus cruciatus corporisque vitæ profusionem, quamvis factam exiguo tempore, non esse propter infinitam personæ dignitatem cum sempiterna universorum hominum punitione, æquali ac majori pretio æstimandam. Verum id proximo capite est demonstrandum. Hæc divina persona plenissimo vitæ suæ dominio prædita, potest illam pro aliis profundere, non minus ac fidejussor propriam pro debitore pecuniam; nam ideo inter homines fit pecuniarum, non vitæ subrogatio, quoniam hanc supremus Dominus juri suo reservavit, præcipiens ne quis absque divina auctoritate funderet humanum sanguinem. Ad 2. dico homines vindictæ excæcatos libidine non spectare æquitatem, sed hostium suorum necem ac perditionem, ac propterea nunquam illos dimittere incolumes, si detur potestas ulciscendi. At Deus justitiam suam spectans, hominumque incolumitati prospiciens,

ciens, his ob Unigeniti mortem pepercit; maxime quod non oderat creaturam suam, cum scriptum sit, *Nihil odisti eorum quæ fecisti*, Sap. XI. 25. sed oderat iniquitatem, quam incolumi opera manuum ejus punivit in Filio. Atque ita justus exemplo Domini sui *magis cupit inimicum suum corrigi, quam puniri, & cum in eum videt à Domino vindicari, non ejus delectatur pœna, quia non eum odit, sed divina justitia, quia Deum diligit. Econtra malevolus animus contristatur, si ejus inimicus correctus evaserit pœnam: & cum puniri eum videt, vindicari se ita gaudet, ut non justitia Dei, quem non diligit, sed illius quem odit miseria delectetur.* Hæc sapientissimus Augustinus Enarrat. in Ps. LXXVIII. n. 14. Ex quibus apparet cur in hominibus vindictæ cupidis appareat ferinum odium, & vesana libido; in Deo autem æquitas simul, & charitatis munificentia splendescat. Perlegas & S. Patris librum contra Adimantum cap. XIII. num. 3. Ad id, quod sequitur, primum liquet imperite à Socino proferri exemplum Zaleuci, cum mortalium nemo queat manus in se ipsum inferre; ac supremus Dominus, Socino non diffitente, addicere potuerit teterrimæ morti Filium nullius criminis conscium, idque perditissimus hæreticus asserat, quamvis non credat Dei Unigenitum peccata nostra portasse, nostrumque fuisse vadem, atque fidejussorem; id quod difficilius esse intellectu, quam si affirmes oblatum, quia voluit, ut lytrum pro nobis solveret, & nos à captivitate reduceret, percipit quilibet homo cordatus. Vidit propterea hujus exempli incohærentiam idem Socinus, vir, si bene usus fuisset ingenio, nec rudis, nec incultus, scribens pag. 195 de Christo Servatore, *Sed jam inepto hoc exemplo valere jusso.* Deinde Zaleucum commendant Heraclides de Politiis Græcorum, Aristoteles de Lobrorum Republica, Diodorus lib. XII. Strabo libro VI. Aelianus lib. III. Clemens quoque Alex. in I. Stromatum: & de exemplo, quod objicitur à Socino, scriptum ab Emmio de Rep. Locrensium, Tom. IV. Antiq. Græc. pag. 595. *Sic & filio consultum, & legi satisfactum, & robur majus additum.* Quarto loco imperite Socinus opponit Gentium universarum consuetudinem; primum, quia citata prop. 10. demonstravimus exemplo Damonis, Pythiæ, obsidum, & eorum quos Græci appellant ἀντιψύχους, id est, *animæ alterius vicarios*, sumptum apud Gentes etiam de insontibus supplicium, si devoti essent, aut vades ac fidejubentes; quod non solum testatur Ausonius, & Diodorus in Excerptis Paresianis, verum etiam S. Pater Augustinus Epist. 54. ad Macedonium, nunc 153. num. 17. De qua re legi potest Grotius de Jure belli & pacis lib. 2. c. 21. n. 11. Nec repugnat iniquum & atrox visum fuisse Narseti, Scipioni, aliisque de innoxiis obsidibus supplicium sumere: nam & nos id inhumanum existimamus, quia nihil juris est homini in vitam suam, vel alterius, sed tantum in alias res, quæ in proprietatem veniunt, & quarum transfertur dominium. Quamobrem Gentes ejusmodi jus usurpantes arbitrabantur fas esse sævire in vitam innocentium; & quia hoc jure carebant, ab aliquo probo viro redarguebantur: cum Deus, qui pollet supremo jure, possit inviolata æquitate plectere innoxium, maxime non invitum, & se constituentem alterius vadem, ut inde Dei gloria, hominum salus, peccati abolitio, vitaque proveniat æterna. Atque hinc eruitur responsio altera, id est, quod si ab hominibus morte tantummodo afficiantur innoxii, dum pereunt justi, scelesti autem evadunt incolumes, labefactatur respublica: quod sane incommodum non oritur ex Christi morte, cujus efficaciâ deleta est culpa, & instituta sunt peccatorum omnium remedia. Insuper non esse contra naturam pœnæ, si ea plectantur innoxii, demonstratum est prop. 10. num. 3. pluribus Scripturarum testimoniis, eisque addi possunt Hesiodi, & Virgilii carmina, & profanarum historiarum exempla partim collecta à Justo Lipsio lib. 2. de Constantia pag. 23. tom. 2. partim vero à Jo. Lorino in cap. 24. Deut. tom. 2. p. 213. Socinianis ergo mirantibus quod nos credamus irruisse in Christum debita peccatis nostris supplicia, æquum est, cum eodem Lipsio respondere: *Hem! itane hoc novum, aut mirum? Imo miror ego mirari istos miriones.* Atque hinc habes objecta Scripturarum loca esse accipienda de lege ordinaria, quando filii ab originali noxa expiati legem custodiunt, quando ex illorum punitione nullum commodum capessit respublica, quando justis supplicio affectis improbi pervicaciores persistunt, & quando judicia exercentur ab homine nullam habente in vitam alterius potestatem. Quare his finibus non continetur altissimum homines reparandi consilium, executioni mandatum pro impiis scelere paterno inquinatis, mortem Christi decernente supremo Domino, eandem subeunte Unigenito summa prædito potestate, atque hinc commodis in-

numeris prodeuntibus. Ad 5. patet responsio ex 9. prop. ubi ostendimus quomodo in hominum redemptione *misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt.* Quamvis vero sit imperfecta misericordia quæ delectatur morte delinquentium; perfectissima est, quæ delectatur justitia, non peccatorum miseria: ac talis fuit misericordia Dei, cui accepta fuit passio Christi non propter Filii cruciatus, sed propter hominum liberationem: nec deest huic misericordiæ liberalis condonatio, quia ipsa donavit proprium filium, qui satisfaceret; nec deest perfectio justitiæ, quia cum satisfacere non posset debitor, condignum pretium exegit à Vade: ac si Deus vel peccata gratis condonasset, vel satisfactionem exegisset ab homine, (quamvis cum sit supremus Dominus facere potuisset utrumque,) minus appareret misericordia, quia non donasset hominibus proprium Filium; & minus justitia, quia non exegisset condignam satisfactionem. *In hoc ergo apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum,* inquit Joannes Epist. 1. cap. IV. 9. Præclara sunt etiam S. P. Augustini verba serm. CCVII. alias 71. de diversis num. 1. *Quæ autem major esse misericordia super miseros potuit, quam illa, quæ cæli Creatorem de cælo deposuit, vel terreno corpore terræ induit conditorem; eum qui in æternitate Patri manet æqualis mortalitate coæquavit, & nobis, formam servi mundi Domino imposuit, ut ipse panis esuriret, satietas sitiret, virtus infirmaretur, sanitas vulneraretur, vita moreretur? Hoc autem ut nostra pasceretur fames, rigaretur ariditas, consolaretur infirmitas, extingueretur iniquitas, ardesceret charitas. Quæ major misericordia, quam creari creatorem, servire dominatorem, vendi redemptorem, humiliari exaltatorem, occidi suscitatorem?* Ad 6. 7. & 8. dictum paulo supra, & proximo capite repetendum, vitam unius Domini Jesu Christi majoris esse pretii, quam sit vita hominum universorum, & illam voluntaria immolatione profusam satis esse ad totius mundi exhaurienda peccata. Ad ultimum dicimus posse justitiam Christi esse justitiam nostram *efficienter*, id est, nobis promerendo charitatem & gratiam, per quam *formaliter* justificati lavacro regenerationis, & renovationis Spiritus sancti, hærentes Domino, *per occultam communicationem, & inspirationem gratiæ spiritalis* salvi simus ab ira *in vita ipsius*; ut explicatum est libro XIX. cap. 2. Quare si justificemur in Christo, de nobis ob Christi merita recte enuntiabitur, *Justitia justi super eum erit*; sicut de iniquis, qui à gratia exciderunt, *Et impietas impii erit super eum.*

17. Objicitur 9. Conatur insuper Socinus evincere Christum neque satisfeciisse pro nobis, nec satisfacere potuisse. Ac primum probare nititur ad hunc modum. Priusquam, inquit, Christus in mundum veniret, jam Deus erat placato erga nos animo: ait enim Joannes Epist. 1. cap. IV. 10. *Ipse Deus dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Jam ergo nobis condonaverat illatas sibi injurias. Deinde non subiit Christus æternam mortem, alioquin non resurrexisset, & multo minus expertus est pœnas damnatorum; ac proinde non pertulit, quidquid peccato debetur. Præterea ad hoc ut superaret mortem, necessarium fuit, ut resurgeret: ergo satisfactio nostra vitam Christi potius requirit, quam mortem. Quid enim opus fuerat per resurrectionem mortem superari, si peccatis deletis eadem mors amplius non poterat dominari? *Aculeus mortis peccatum,* inquit Paulus 1. ad Corinth. XV. 56. Si igitur peccatum auferas, mors caret aculeo, & nocere non potest. Ineptum est quod respondere solent Catholici resurrectionem fuisse necessariam ad fidem. *Nunquid enim,* ait Socinus pag. 198. *si aliquis pro me creditori meo satisfecerit, & pecunia re ipsa meo nomine solverit, quam repetere jam non possit, neque solutum, neque satisfactum erit, nisi prius ego id verum esse credam?* Ad hæc ante resurrectionem nihil fuit in Christo, quod in nobis futurum non sit, nam & nos resurgemus in æternum regnaturi, Apoc. XXII. 5. Non ergo ante resurrectionem pro nobis satisfecerat, præsertim cum scribat Apostolus cit. Epist. 1. ad Corinth. XV. 15. nos in peccatis nostris futuros fuisse, nisi Christus resurrexisset. Accedit, quod in nos adhuc dominantur mors corporis, & calamitates quamplurimæ, quæ peccatum consequuntur; & innumeri homines plectuntur sempiternis quoque suppliciis, ac magnus numerus parvulorum excluditur à cælesti regno: quod salva æquitate fieri non posset, si pro peccatis omnium Christus satisfeciisset. His ergo momentis constat nullum redemptionis pretium fuisse ab eodem Christo solutum. Sed neque id fieri potuit: primo quia ipsemet factus erat *sub lege,* ad Galatas IV. 4. Legi itaque subjectus, quomodo pro aliis satisfacere poterat? deinceps erat innocens, ac omnis pœ-

na

ha peccatum supponit, ut non semel est repetitum.

18. Respondetur. Resp. facillime superatis aliis eludi conatus istos Socinianorum infirmiores. Et priorem quidem difficultatem proponit majori etiam vi, quam Socinus faciat, S. Pater Augustinus lib. XIII. de Trinit. cap. XI. n. 15. eamque in sequentibus luculentissime solvit. Quærit primum cur jam placatus Pater proprio Filio non parcens pro nobis illum tradiderit, & nihilominus Filius pro nobis mortuus sit, & reconcilietur nobis Pater per mortem ejus: quorum unum docet Apostolus ad Rom. VIII. 31. alterum ad Rom. V. 10. nec tamen una sententia alteri sit adversa? Deinde ait Patrem dilexisse nos, non solum antequam pro nobis Filius moreretur, sed etiam antequam conderet mundum, ipso teste Apostolo ad Ephes. I. 4. ipsumque Filium Patre sibi non parcente non invitum esse traditum, sed dilectione & charitate sua, ut scriptum est Galat. II. 20. sanctum quoque Spiritum, cum pariter, & concorditer cum Patre & Filio operetur nostram reconciliationem decrevisse, & tamen nos justificatos esse in Christi sanguine, & reconciliatos Deo per mortem Filii ejus. Explicans deinde quomodo id factum sit, narrat quadam justitia Dei in potestatem diaboli fuisse traditum genus humanum, & non potentia, sed justitia fuisse eruendum, quod factum est beneficio mortis Christi; quia cum in eo nihil morte dignum inveniretur, occidit eum tamen diabolus: atque ita justum erat, ut quos debitores tenebat, liberi dimitterentur, quia occisus liber à debito mortis solvit quæ non rapuerat, in remissionem peccatorum nostrorum innocente sanguine effuso. Hæc Augustinus demonstrat testimoniis Scripturarum invictissimis usque ad cap. XIV. num. 18. & omnia cohærent cum his, quæ diximus cap. 3. prop. 8. num. 3. & prop. 9. num. 5. hoc de Trinitate Opere laudato. Præcedit itaque misericordia tradens Filium, sequitur justitia vincens diabolum. Et quoniam Socinus objectat priorem Joannis Epistolam, adeat eundem Augustinum Tract. VII. num. 9. respondentem, ideo Deum prius dilexisse nos, quia *misit Filium suum litatorem pro peccatis nostris*, & ipse Filius non inveniens *hostiam, quam puram volebat offerre, seipsum obtulit.* Sed quid plura, cum idem eo loci affirmet Joannes verbis, ut inquiunt, quadratis? Ad illud, quod proxime sequitur, diximus Christi mortem æquivalere, imo præponderare cuilibet alteri pretio. Ad alterum responsum est in 1. harum objectionum classe num. 4. ubi diximus resurrectionem fuisse necessariam ad fidei confirmationem; quia articulo resurrectionis sublato concidit spes nostra, inanis est fides, & Apostoli faciunt Deum mendacem, falsique sunt testes. *Nam si mortuus non potuit resurgere, neque abolitum est peccatum, neque mors est perempta, nec ablatum est maledictum & execratio, & non solum nos inania prædicamus, sed vos quoque credidistis inania*, inquit ibidem Apostolus versu 14. & 15. Chrysostomo interprete, Hom. XXXVIII. Tom. I. in Paulum pag. 675. Petit Socinus, quid necessum erat resurgere, si mors carebat aculeo? Quid sit aculeus, sive stimulus mortis docet Apostolus scribens v. 56. *Stimulus autem mortis peccatum.* Mors ob Adæ culpam *in omnes homines pertransiit*, teste eodem Apostolo ad Rom. v. 12. nec pertransiit tantum, dominabatur quoque, & *habebat imperium*, ad Hebræos II. 14. At post resurrectionem *mors ultra non dominabitur*, ad Rom. VI. 9. quia *mortale hoc induet immortalitatem*, ad Corinth. XV. 53. Necessum ergo erat, ut Christus à mortuis resurgeret, & resurrectionem prænuntiaret nostram; ut perciperemus cessasse mortis imperium, & fore ut aliquando diceremus, *Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus? id est, ubi est mors victoria tua, qua omnes sic viceras, ut etiam Dei Filius tecum confligeret, neque non vitando, sed suscipiendo superaret? Ubi est aculeus tuus, hoc est, peccatum, quo puncti & venenati sumus, ut te etiam in nostris corporibus figeres, & ea tam longo tempore possideres?* Audis, opinor, Socine, quis loquatur. Augustinus is est in III. de remissione peccat. libro cap. XI. num. 20. Mortuus est ergo Christus, ut nullus esset mortis aculeus: resurrexit, ut nulla esset mortis victoria. Quod si reponas per nos contrahi à pueris originale peccatum, adeoque habere adhuc mortem aculeum; aperta est ex dictis responsio, necessarium esse, ut consepulti simus Christo in baptismo, & complantati similitudini mortis ejus, ad hoc ut redemptionis fructum percipiamus: quod ipse docet Apost. ad Rom. VI. 4. ad Colossen. II. 12. & Petrus I. Epist. III. 21. Aliud est enim de redemptione loqui, aliud de ejus applicatione. Ergo, ut ad Socini argumentationem revertar, surrexit Christus ne inanis esset fides nostra, id Apostolo absque ambage ulla asserente in 1. ad Corinth. XV. 15. Nec requiritur fides nostra, ut pretium sit re ipsa à

Christo

Christo solutum, ut mussat tergiversator; sed ut pretium applicetur nobis, quemadmodum semel, iterumque explicatum est supra. Quod ait nos post resurrectionem in æternum regnaturos, si se excipiat, aliosque ministros Satanæ, nec non improbos omnes ingratos Redemptori, id credimus & speramus: sed ideo regnabimus, quia agnus occisus redemit nos in sanguine suo, & fecit nos Deo nostro regnum; quod pariter legimus in Apocalypsi v. 10. aliisque in locis compluribus. Illud, quod proximo loco objicitur de morte, cæterisque miseriis etiamnum debacchantibus, diluitur à magno Augustino lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 31. num. 50. & seqq. quia nisi homines à Christo redempti experirentur corporis mortem, *carni quædam felicitas adderetur, minueretur autem fidei fortitudo:* deinde quia nemo *ad illam vitam, quæ post istam mortem beata futura est, per virtutem etiam contemnendæ ipsius mortis festinaret:* ulterius quia dum seminatur corpus animale, & resurgit spiritale, Redemptor *plus fidelibus suis sine dubitatione donavit:* insuper quia *res, quarum reatum ne post hanc vitam obsint, Deus solvit, tamen ad certamen fidei finit manere, ut per illas erudiantur, & exerceantur in agone justitiæ.* Revera, ut S. Pater ait proximo cap. 33. num. 53. propter peccatum *spinas & tribulos* parit terra: propter peccatum dixit Deus homini, *In sudore vultus tui vesceris pane.* Gen. III. 10. propter peccatum dictum est mulieri, *In dolore paries*, ib. vers. 16. & tamen nonne post remissionem peccatorum terra germinat aspera; nonne labor permanet? nonne fœminæ dolores parturiendo patiuntur? Negare itaque non potest Socinus, nisi alienus à fide catholica etiam sacris literis adversetur, mortem, & calamitates, quæ *ante remissionem sunt supplicia peccatorum, post remissionem esse certamina exercitationesque justorum.* Ita Pelagianorum argumentationes recoquenti Socino cum Pelagianorum oppugnatore respondemus. Legi item possunt quæ de hoc argumento scribit Athanasius de Incarnat. Verbi Dei num. 21. Tom. I. pag. 65. Quod autem addebatur de iniquis pereuntibus, & de infantibus decedentibus sine regenerationis lavacro, cum dictum sit supra necessariam esse applicationem per fidem, per charitatem, & per Sacramenta, ut Christi passio effectum sortiatur suum, aliâ modò confutatione non eget. Ad rationem, quæ in postrema parte nobis opponitur, respondeo ad hunc modum. Tres causæ sunt, propter quas Christus, tametsi legi subjectus, potuit nihilominus pro nobis satisfacere. Prima est, quod huic subjectioni sponte sese addixit, ut haberet quod posset immolare pro nobis, accipiens *formam servi, & in similitudinem hominum factus*, ut docet Apostolus ad Philip. II. 7. imo & eodem loco, qui opponitur ad Galat. IV. 4. assumendo autem formam servi, & factus sub lege, non amisit quod erat in principio, id est, formam Dei, per quam est æqualis Patri, ideoque potuit est Redemptor, ac Mediator inter Deum & homines, inter justum & injustum, inter immortalem & mortales, quia *assumpsit aliquid ab inimicis & mortalibus servans aliquid cum justo & immortali*, inquit S. P. Augustinus serm. 361. alias 120. de diversis num. 16. Altera causa est, quia habebat *potestatem ponendi animam* suam, Joann. X. 10. & consequenter *mortem carnis non conditionis necessitate, sed miserationis voluntate suscepit*, ait idem Augustinus in Psalm. LXXXVII. num. 3. Tertia causa est, quia mors homini inflicta est in pœnam peccati, & cum Dominus Jesus aliquid non haberet quare juste moreretur, carnem assumens nostram *de peccato damnavit peccatum in carne*, ad Rom. VIII. 3. *Unde illa mors Domini dignationis fuit, non debiti*, inquit prælaudatus Augustinus in Expositione prop. ex Ep. ad R. n. 48. Postremum abunde refutatum est supra.

19. Fundamenta Socini.

Tandem Socinus contendit nos Christi satisfactionem defendere philosophicis inventis, dum ad probandum exhibiti pretii valorem confugimus ad personæ divinæ infinitam dignitatem. Quod ut probet decem urget argumenta, aut ineptias potius aniles. Principio, inquit, nulla est apud Deum personarum acceptio. Deinde istud urget: Nunquid si vir princeps unius horæ exilio mulctetur, idem erit, ac si homo plebejus perpetuo damnetur exilio? Tertio repetit Christum passum non fuisse damnatorum pœnas, & quamvis non defuerint qui id senserint, explosam tamen esse communi suffragio sententiam istam. Præterea opponit: Christus ad gloriam ea quam antea habebat infinitis partibus majorem evectus est: quomodo ergo ejus passio tanti fuit pretii, ut promereretur pro aliis? Addit quinto loco: Finiti ad infinitum, ut dici solet, nulla est proportio: pœnæ Christi exiguo tempore finitæ fuerunt;

fuerunt; nullam ergo proportionem habent ad nostras perpetuo non finiendas. Argumentum sextum illud est: Creditur Christus à Catholicis verus Deus, sed falso, non enim opus fuisset, ut tot acerbos cruciatus, mortemque tam diram perferret. Insuper argutatur: Dato quod Christus Deus sit, ut Deus non poterat quidquam pati; passus itaque est, ut homo. Nec sufficit unio, quam dicunt hypostaticam, ad conferendam passioni humanitatis majorem efficaciam: nam qua majori prædita est vi sumptio cibi vel potus in homine, quam in cæteris animantibus? Ergo plaga corpori hominis inflicta nullam aliam vim habet, quam si inflicta fuisset bestiæ, nec aliam mors illata homini Deo, quam si illata esset puro homini. Illud quoque objicit: Divina natura non potuit afflictari, sicut animantia, quæ dum corpus affligitur, persæpe dolent; nullam igitur vim contulit afflictationibus naturæ humanæ. Octavo illud affert: Etiamsi Deus sit infinitus, non tamen operationes Dei, quantumvis maximi, infinitum habent pretium; non eim tanti æstimatur mundus, homo, & quælibet res creata, quanti sumus Deus Auctor, & Conditor. Idem asserendum de Christi operibus. Aliam quoque rationem adjicit, nimirum, quod ille qui satisfacit, debet esse ejusdem generis & naturæ, cujus ille est, pro quo satisfacit; unde infert opus fuisse, ut Christus satisfaceret in quantum homo: quod ob finitam humanitatis conditionem fieri non potuit. Postremum argumentum hoc pacto intenditur: Ipsa divina natura ipse Deus erat, cui erat satisfaciendum; quomodo ergo Christus ut Deus poterat satisfacere? Si recurras ad divinarum personarum distinctionem? nonne ipsius Filii personæ, non minus, quam personæ Patris satisfaciendum fuerat? Hæc Socinus: qui, ut ex dictis apparet, quidquid adversus Christi satisfactionem afferre poterat vel perfidia hæresis, vel fallax dialectica, vel dæmonis inspiratio, & quidquid ipsius gregarii ore pestifero evomuerunt, retexit & propinavit: & quem nos data opera oppugnare studuimus everso funditus universo ejus systemate: nam quæ objecta sunt nuper Scholastici omnes norunt, & contriverunt in quæstione proximo capite instituenda.

CAPUT VI.

An satisfactio Christi fuerit condigna, atque ad juris apices?

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Variæ DD. sententiæ.
3. 4. & 5. Probatur, satisfactionem Christi esse superabundantem.
6. & 7. Solvitur objectio.
8. 9 & 10. Resolutio cum prænotandis.
11. 12. 13. & 14. Probatur propositio.
15. & 16. Discutitur doctrina P. Fraisen, & P. Macedo.

1. Status quæstionis.

CONTRA postremas Socini argutationes ferunt nobis suppetias omnes è Schola Theologi in ea quæstione, utrum Christi satisfactio fuerit æquivalens, & ex stricta justitia. Omnes enim condignam & æquivalentem fatentur propter personæ satisfacientis infinitam dignitatem; quamvis Scotus, Durandus, & Gabr. in distinct. XIX. libri 3. ac nonnulli alii eorundem sectatores negent fuisse ex rigorosa justitia, si omnes conditiones spectentur justitiæ hujus, quas singuli approbant. Sunt vero conditiones illæ quatuor: ac prima, ut satisfactio sit æquivalens, & creditori quantum ablatum est persolvatur: secunda, ut sit ad alterum: tertia, ut sit ex propriis bonis personæ, quæ satisfacit, eaque bona sint aliàs indebita: ultima, ut non interveniat ex parte creditoris alicujus partis debiti gratiosa remissio. Addunt quidam conditiones alias, ut satisfactio sit libera, ut sit à persona offendente, ut denique creditor teneatur illam acceptare: quas tres conditiones arbitror non esse modo expendendas; nam quantum ad libertatem attinet, requiritur tantum ratione meriti, & Christum mortuum plenissima libertate consentiunt omnes: satisfactionem exhibendam ab ipsa persona offensa verum est, si nullus adsit fidejussor, qui solvat; ac demum nullam in Deo creditore reperiri necessitatem absolutam, sed hypotheticam tantum, ac supposita redimendi humanum genus gratuita prædefinitione, liquet

liquet ex priori capite hujus libri. Occurrit ergo difficultas de quatuor illis conditionibus principio positis, præsertim cum illustris Scotista Mastrius fateatur disp. IV. q. 4. dub. 3. postremas ab omnibus non requiri.

2. Variæ auctorum sententiæ.

His conditionibus non obstantibus, satisfactionem Christi fuisse ad juris apices tenet universa Schola Thomistarum, ac nostra, subscribentibus Salmant. disp. 1. dub. 7. Sylvio quæst. 1. art. 2. q. 3. Suaresio disp. 4. sect. 5. L'Herminierio Tom. 3. pag. 115. Du-Hamel lib. IV. differt 1. cap. 2. Tournely quæst. v. art. 3. Witasse quæst. XI. art. 2. quos è magno numero sat est laudasse. Nec desunt, qui sententiam oppositam appellent sacrilegam, impiam, & Christo Domino indignam, ut Barth. Medina, Capreolus, Soto, Cabrera, apud præcitatos Salm. num. 214. Sed cum illius auctores pretii valorem non minuant, ac tantum de his conditionibus dissentiant, temperandum est à censura, quam hac ratione propulsat Mastrius loco citato. Distinguenda itaque est illa quæstio, an Christi satisfactio fuerit æquivalens & condigna, ab altera, an fuerit ad strictos apices juris: quarum primam negative resolvere esset meritis Christi detrahere, & instaurare ad bellum confractas Socini vires: alteram affirmative p opugnare, licet id catholica fides non exigat, est omnino extremos ejusdem Socini impetus confringere, cum & ipse, ut vidimus, iisdem justitiæ conditionibus objectis tela ejaculet: quod nonnulli ad concertationem domesticam, quam ad hostium conflictum paratiores, minime præviderunt. Duabus ergo propositionibus id, quod quæritur, explanabimus.

3. Propositio I.

Ex Scripturis.

Propositio I. Satisfactio Christi nedum æquivalens est, verum etiam superabundans.

Probatur 1. ex Scripturis: nam Psalm. CXXIX. 7. legimus: *Copiosa apudeum redemptio*; ubi non solum advertendum est redemptionem dici *copiosam*, *multam*, *eximiam;* verum etiam addi, *Ipse redimet Israel*, ad commonstrandum, inquit August. Enarrat. in hunc Psalm. n. 11. *quia Israel vendere se potuit, & fieri venumdatus sub peccato; redimere se ab iniquitatibus non potest: sed ille potuit redimere, qui se non potuit vendere.* At satisfactio imperfecta etiam ab homine, qui se vendidit, poterat exhiberi. II. Ad Rom. v. 20. inquit Apostolus: *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia:* quo in loco fieri ex contrariis collationem probat adversus Jul. S. P. Aug. lib. 2. Op. Imperf. n. 217. cum *ex una parte generatio ponatur, & ex altera regeneratio; ex una regnum mortis, ex altera regnum vitæ; ex una abundantia, ex altera remissio peccatorum.* Atqui, ait Sylvius, peccatum de rigore justitiæ intulit damna, quibus homo erat obnoxius. Ergo gratia Christi etiam de rigore justitiæ damna illa reparavit. Aperta est in eundem locum sententia Theophylacti pag. 54. *Veluti igitur contrariæ inter sese pugnantes acies constituuntur, peccatum quidem militem habuit mortem, gratia vero justitiam.* III. Idem Apostolus ad Hebr. x. 12. 14. instituens comparationem inter legales hostias, & Christi mortem, de illis inquit: *Nunquam possunt auferre peccata;* de hac autem: *Consummavit in æternum sanctificatos;* atque utitur hac ratione, ut ostendat cur olim Sacerdos quotidie præsto esset ministrans, easdemque *semper* offerens hostias, Christus vero unam *semel* obtulerit: quod sane nihil evinceret, nisi Christi satisfactio omne debitum persolvisset æquivalenti pretio, nam & sacrificia legalia purgare poterant ex Dei liberalitate peccata; & justa adesset causa aliam quotidie hostiam mactandi, nisi Christus semel oblatus sanguinis sui magno pretio peccata omnium exhauriisset. Audias in hunc locum Oecumenium Tom. 2 pag. 395. *Unica enim oblatione, quam obtulit Christus, perfecte à peccatis liberavit.* Et infra: *Quæ necessitas est multarum oblationum cum unica illa, quam exhibuit Christus, fuerit sufficiens ad auferenda peccata?* IV. Huc spectant omnia fere argumenta, quibus cap. 2. & 3. ex sacris literis probatum est nos emptos pretio magno, damnatum peccatum ex peccato, Christum peccata nostra portasse, & cætera, quæ repetere non est opus.

4. Ex Patribus.

Deinde probatur ex Patribus: nam Chrysostomus hom. x. in Epist. ad Rom. pag. 100. *Quemadmodum*, inquit, *si quis eum, qui obolos decem sibi debeat, in carcerem conjiciat, nec eum tamen solum, sed ejus causa tum uxorem, tum liberos, tum famulos; atque hic superveniens unus aliquis decem quos dixi obolos non numeret modo, sed cum infinita item auri talenta largitur, tum vero in aulas regias victum illum introducat, cum eo summum honorem, reliquumque principalem splendorem communicet, non possint utique postea oboli illi decem illius memoriæ observari, qui eos numeraverit mutuaveritque; sic & in nobis evenit: multo enim plura iis, quæ debebamus*

bamus dependit Christus, atque adeo tanto plura, quanto mare immensum ad pusillam guttam collatum majus esse possit. Cyrillus Jerosolymit. Catech. XIII. pag. edit. Morelli 316. *Custodivit enim & decreti veritatem, & benignitatis virtutem. Assumpsit Christus peccata in corpore, in lignum: ut per mortem ipsius nos peccatis mortui justitiæ viveremus. Non parvus erat, qui mortuus est pro nobis. Non erat ovis sensibilis. Non erat simplex homo: non erat angelus tantum, sed Deus incarnatus. Non tantum erat peccantium peccatum, quanta pro illis morientis justitia; non tantum nos peccavimus, quantum ille juste egit, qui animam pro nobis posuit, qui posuit quando voluit, & rursus accepit quando voluit.* S. P. Augustinus lib. XIII. de Trinit. cap. 13. num. 17. ait: *Diabolus non potentia Dei, sed justitia superandus fuit:* quod postea pluribus probat, repetitque cap. L. Ench. num. 14. Et in Ps. 95. num. 15. & 129. num. 3. docet quomodo Christus *pro toto pretium dedit: delevit omnia peccata nocentium: redemit omnes captivos.* Sed plura ex Augustino præcedenti cap. sunt producta. Magnus Leo serm. XII. de Passione Domini cap. 3. pag. 59. inquit: *Effusio enim pro injustis sanguinis justi tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent: quoniam, sicut Apostolus ait, Ubi abundavit peccatum, superabundavit & gratia. Et cum sub peccati præjudicio nati potestatem acceperint ad justitiam renascendi, validius donum factum est libertatis, quam debitum servitutis.* Divus Bernardus contra Petrum Abael. cap. 8. pag. 117. *Fuit vero sanguis, qui effusus est, tam multus ad ignoscendum, ut ipsum quoque peccatum maximum, quo factum est ut effunderetur, deleret, ac per hoc de antiqui illius utpote levioris deletione nullam omnino dubietatem relinqueret.* Ac ne repetamus quæ attulimus tertio capite, Clemens V. in Extrav. *Unigenitus*, de pœnit. & remiss. cap. 2. hæc Tarraconensi Archiepiscopo scripsit: *Non enim corruptibilibus auro & argento, sed sui ipsius agni incontaminati & immaculati pretioso sanguine nos redemit: quem in ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse: ita, ut à planta pedis usque ad verticem capitis nulla sanitas inveniretur in ipso.* Ubi animadvertit Sylvius, Pontificem pro causa, cur una gutta pretiosi sanguinis sufficisset, afferre humanæ naturæ unionem ad Verbum, & ideo ineptum esse quorumdam responsum, Clementis verba exponentium, *divina acceptatione suppositæ.* Accedit Triburiense Concilium celebratum tempore Formosi Papæ anno 895. cap. 19. Tom. IX. Collect. Lab. pag. 451. causas afferens cur Sacra non conficiantur sine aquæ vinique mixtione, præter allatas à Florentino in decreto Eugenii ad Armenos Tom. XIII. p. 536. & à Tridentino sess. 22. cap. 7. Tom. XIV. 854. de quibus alibi, præcipere, *ut duæ partes sint vini, quia major est majestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi; tertia aquæ, per quam intelligitur infirmitas humanæ naturæ.*

Tertio comprobatur propositio ratione: Christus erat, quantum ad persona attinet, verus Deus, & licet passio, & quidquid ei convenit ratione assumptæ naturæ sit physica *entiate* spectata finitum, quia tamen persona ad sua jura transfert naturæ utriusque actus, nam illa humanitatem regit, cum ea conjunctim operatur, & quidquid operis ab ea elicitur, tribuitur ipsimet personæ; nulla fuit Christi actio libera ac meriti laude condecorata, cui non ineesset valor infinitus, summumque pretium. Ejus itaque satisfactio non solum omnium hominum iniquitati diluendæ fuit æquivalens, verum etiam pluris æstimanda ac præponderans, cum nihil Verbo Deo excogitari possit præstantius. Nota hic obiter ab infinita dignitate personæ repetere satisfactionis æqualitatem cum Patres, tum Theologos præstantissimos: nam Cyrillus Jerosolymit. laudata Catech. 13. demonstrat Christum plene pro nobis satisdediſſe; quia non erat ψιλὸς ἄνθρωπος, *parvus* ac finitus *homo*, sed *filius Dei unigenitus*, ἀλλὰ υἱὸς θεὸς μονογενὴς ὁ ὑπερκαποθνήσκων, *qui pro nobis mortem subiit.* Cyrillus alter Alex. in caput 1. Joann. Tom. IV. pag. 27. ostendit quomodo gratia per quam filii Dei constituimur nobis sit conferenda per Christum, quoniam ipse duntaxat *proprie filius est, non spurius, neque falso nuncupatus: unus ex uno, semper coexistens, & patri insitus.* Et in Epist. ad Monachos Ægypti Tom. V. 2. p. pag. 18. demonstrat contritam mortem, quia temere hostiliterque insultavit corpori, *quod ipsius vitæ corpus erat*, τῷ τῆς ζωῆς σώματι. Da-

5. Ex ratione.

mascenus lib. III. de Fide Orthod. cap. 26. declarat quomodo ipsum Verbum omnia carne sustinuerit, etiamsi divina natura ab omni doloris sensu permanserit incolumis, quoniam *unus ex divinitate & humanitate compositus* vere patiebatur, atque hinc meriti illius seq. cap. repetit granditatem. Idem Latini docent. Ambrosius enim lib. v. in Lucam num. 102. probat ex divinæ personæ testimonio nihil posse majori pretio æstimari, quam Dei Unigenitum *se obtulisse per mundo.* Augustinus lib. x. Confess. cap. 43. num. 68. ait Mediatorem debuisse utramque sibi copulare naturam, ut *per justitiam conjunctam Deo evacuaret mortem*: quod repetit serm. xxvi. num. 7. & ccxl. num. 5. Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 6. demonstrat non potuisse Deo satisfacere *nisi Deum*, & cap. proximo satisfeciisse Christum, *quia est Deus homo*, & quia duæ naturæ integræ in eo convenerunt in unam personam, quemadmodum corpus & anima rationalis conveniunt in unum hominem. Atque ex his infertur nullatenus posse repudiari rationem, quam pro hac assertione proferunt Scholastici cum D. Thoma in 3. dist. xx. 3. & 3. p. q. 48. art. 2. & D. Bonav. in Breviloq. p. 4. cap. 7. petitam ex quo vita, quam pro nobis Salvator dependit, quamvis corporalis, fuerit tamen *vita Dei hominis.*

6. Objectioni vulgari respondetur.

Ex his diluitur vulgaris objectio, quod omnis actio Christi fuerit finita, si loquamur de actionibus humanis ex natura assumpta prodeuntibus, quibus proculdubio peracta est generis humani redemptio. Missis enim responsis aliis, videtur nobis facile præfatam objectionem elidi, si reponamus actionem quoque finitam & humanam esse summo pretio æstimandam, si efficiatur ab *homine Deo*, in hac enim hypothesi divina persona, quæ agit in utraque natura, trahit ad jus suum quidquid in humana operatur, & revera dicitur: Hanc mortem pertulit ipse Deus: ad hanc humilitatem exinanivit semetipsum qui permanet in forma Dei; ac proinde hæc humilitas, hæc passio æstimanda non est tanquam *puri* hominis, sed tanquam Dei, licet nihil acciderit divinitati: quemadmodum mors inflicta corpori hominis, non est æque æstimanda, ac mors illata bestiæ, licet non interficiatur spiritualis anima; sed recte dicitur mors rationalis hominis, quia vita illa corporis, quamvis communis sit bestiæ, non erat vita cujuslibet animantis, sed hominis: ita nimirum à dignitate personæ, cujus vita est, mutuatur ipsa vita rationem pretii. Quamobrem utroque pollice subscribendum censeo magno Aquinati cit. loco scribenti: *Vita corporalis Christi habebat quemdam infinitum valorem ex conjuncta divinitate, in quantum non erat vita puri hominis, sed Dei & hominis.*

7. Urgetur objectio & respondetur.

Dices: cum scribat Apostolus ad Coloss. 1. 24. *Adimpleo ea quæ desunt passioni Christi in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia;* dicendum est aliquid defuisse exhibitæ à Christo satisfactioni, ideoque non fuisse tanti, ut inquiunt, pretii. Resp. minime asserere Apostolum, quod aliquid desit Christi passionibus *in se ipsis inspectis*, sed affirmare deesse tantum aliquid in *carne nostra*, & in corpore Ecclesiæ; quoniam, ut supra explicavimus, compati debemus, ut conglorificemur cum Christo: & licet ipsius Christi passio sufficiens sit ad universorum salutem; debet nihilominus adnitentibus nobis, & opera bona exercentibus applicari, ut effectum suum sortiatur. Audias Augustinum summum Theologorum culmen in Psalm. 86. num. 5. *Videte quid dixit Apostolus, quia in ipso Christus patiebatur. Ut adimpleam, inquit, quæ desunt pressurarum Christi in carne mea. Ut adimpleam: quid? quæ desunt. Cui desunt? pressurarum Christi. Ubi desunt? in carne mea. Nunquid aliquid pressurarum deerat in illo homine, quod factum est Verbum Dei nato de Maria Virgine? Passus enim est quidquid pati deberet ex sua voluntate, non ex peccati necessitate: & videtur quia omnia. In cruce enim positus accepit acetum ultimum, & ait, Perfectum est.* Potest etiam responderi, Apostolum pressuras, quas patiebatur, ut Christo reconciliaret Ecclesiam, *non suas velle passiones esse, sed illius*; quia ipse Christus per ministros suos curam gerit Ecclesiarum, & quidquid hi præstant, tribuendum est Redemptoris nostri solicitudini ac merito. Atque hæc interpretatio cum cæteris, quæ ibidem tradit Paulus, mire cohærens, est Chrysostomi Hom. IV. in eandem ad Coloss. Epistolam pag. 1342. edit. Commel. necnon Theophyl. pag. 642. Addit Oecumenius pag. 125. *complere* hoc in loco nihil esse aliud, quam ἴσως καὶ ὁμοίως παθεῖν, *æque ac similiter pati*; & omnes nos debitores constitutos, *ut ipsi etiam toleremus, & vicissim sustineamus afflictiones pro Christi*

Christi Ecclesia. S. Thomas in cap. 1. ad Colos. lect. 6. *Hoc deerat*, inquit, *quod sicut Christus passus erat in corpore suo, ita pateretur in Paulo membro suo, & similiter in aliis;* quia nimirum Deus in sua prædestinatione prævidit sanctorum suorum merita, inter quæ connumerantur passiones martyrum: & licet capitis merita sint infinita, quilibet sanctus exhibet aliqua merita, *secundum mensuram suam:* quæ juxta eundem Apostolum ad Ephes. IV. 7. est mensura *donationis Christi*, gratia scilicet meritis ejus collata. Id vero à præmissa Augustini interpretatione parum, vel nihil differt.

8. Propositio 2. PROPOSITIO II. In Christi satisfactione omnes conditiones interfuerunt, quæ requiruntur ad exactas justitiæ leges.

Prænotandum 1. Ut hanc positionem firmemus momentis Patrum auctoritate munitis, aliqua præmittemus. Ac primum sit, nullam Redemptoris operationem, sive agat assumpta forma, sive divina, sejungendam esse à communione personæ; quoniam, ut diximus lib. XXVI. cap. 11. licet caro exequatur quod carnis est, & divinitas pariter quod proprium habet; utraque natura, divinitatis, & carnis assumptæ operatur in una persona Unigeniti Dei Patris *inconfuse atque indivise.* Vid. supra pag. 158. Ratio hujus rei apertissima est, quia sicut nisi ageret utraque forma, Christus non esset Deus & homo; ita nisi operaretur eadem indivisa persona, Christus & Mediator non esset unus. Hinc sequitur, quod mors & passio, quæ si spectetur tantummodo forma humanitatis assumptæ, nota est infirmitatis ac subjectionis, si attendatur persona, quæ sibi humanitatem *hypostatice* univit, est plenissimæ potestatis ac libertatis. Ac sic in Christi satisfactione gratior facta est in humilitate justitia, quia *nisi* Christus *homo esset, non potuisset occidi; nisi Deus esset, non crederetur noluisse quod potuit, sed non potuisse quod voluit: nec ab eo justitiam prælatam fuisse, sed ei defuisse potentiam putaremus. Nunc vero humana pro nobis passus est, quia homo erat: sed si noluisset, etiam hoc non pati potuisset quia Deus erat.* Hæc Augustinus lib. XIII. de Trinit. cap. 14. num. 18.

9. Prænotandum 2. Animadvertendum deinde est, quod juxta plurimorum doctrinam, etiamsi quælibet rationalis creatura teneatur Deo omne obsequium & reverentiam præstare, supposita tamen rectissima justitiæ præscriptione, ut mors sit pœna peccati, si sponte creatura innocens mortem subeat, Deo exhibet quod pro se non debet. Quamquam enim vita creaturarum omnium sit Dei; posteaquam illam beneficentissima largitate impertitus est, libero subjiciens arbitrio, ac stata lege, ut perpetuo creatura vivat, nisi concessa libertate abutatur, si quis habens vitæ suæ potestatem hanc profundat, dat aliquid proprium, suique juris, nec alio titulo debitum: quemadmodum etiam servus data sibi dono pecunia à Domino, facta ei facultate, ut illam industria sua det mutuam, aut pro libito impendat, non tenetur titulo servitutis Domino suo reportatum inde lucrum rependere; & filius emancipatus, suique juris, potest iis, quæ in dominium ipsius transferuntur, satisfacere patri; licet neque inter Dominum & servum, neque inter patrem & filium vera intercedat justitia in iis, quæ non transeunt in servorum, filiorumque dominium. Hoc pacto mundi Redemptor, quamvis deberet supremo Domino præstare obedientiam, & omnia mandata ejus implere; accepta tamen plenissima potestate ponendi animam suam, subeundo mortem debitam tantummodo filiis Adæ peccato obnoxiis, ipse nulla culpa iniquinatus, & persolvens quod non rapuerat, dependit pretium à se non debitum. Neque hujus pretii valorem imminuit mandatum Patris præcipientis ut subiret supplicium crucis, quia Pater non tantum potestatem in mundi redemptione, sed etiam judicium exercens, id est, justitia utens, non sola auctoritate dominii, ideo præcepit Christo ut moreretur, quia erat fidejussor in quem irruerant omnium hominum scelera; alias id non præcepturus, quia decreverat antea, mortem non esse infligendam nisi in pœnam peccati. Quare S. Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 11. *Si dicimus* (inquit) *quia dabit se ipsum ad obediendum Deo, ut perseverando & servando justitiam subdat se ejus voluntati; non erit hoc dare, quod Deus ab illo non exigat ut debitor: omnis enim rationalis creatura debet hanc obedientiam Deo.* Ac postea: *Videamus si forte hoc sit vitam suam dare, sive ponere animam suam, sive tradere se ipsum morti ad honorem Dei. Hoc ex debito Deus non exigit ab illo: quoniam namque non erat peccatum in illo, non debebat mori.*

10. Prænotandum 3. Præterea notandum est, esse quidem in Deo unam operationem, quia est una virtus effectrix, nec non unam summam majestatem, quæ à peccatoribus afficitur injuria,

injuria, quia est una divinitas, una potestas, unum bonum ncommutabile: sed propter incomprehensibilem trium personarum in una divinitatis natura coexistentiam, ita quæ ejusdem naturæ propria sunt, æqualiter conveniunt tribus personis, ut quæ ad personarum proprietatem attinent competant uni, non alteri. Singulis enim personis convenit ex æquo æternitas, immensitas, omnipotentia; at soli Patri esse expertem originis, soli Filio nativitas, atque soli Spiritui sancto ab utroque procedere. Atque id non nisi ab ineffabilis Trinitatis perfectione repetendum est. Itaque cum nihil in Trinitate sit ratione operationis divisum, Verbi Incarnatio E. G. à tota Trinitate peracta est, quatenus est opus aliquod, ut inquiunt, *ad extra*, & Filius non solum dicitur missus à Patre, sed etiam à Spiritu sancto; imo & Filius ipse, in quantum existens *in forma Dei*, misit semet ipsum ut existentem *in forma servi*: alioquî divideretur operatio, nec *eadem* essent, *opera patris, & filii*, contra testimonia scripturarum, ac primæ causæ propriam trium personarum rationem. Verum, ut dixi, cum hac indivisa operationis unitate, proveniente ex individua divinitatis natura, consistit discretio quædam orta ex distinctione personarum in iis, quæ ipsarum personarum sunt propria: per quam discretionem Pater dicitur mittens, Filius missus, Spiritus sanctus illuminans: atque ita, ubi est in actione communio propter unitatem ejusdem substantiæ, adinvenitur singularis proprietas ob discretionem personarum. Hæc, quæ ad catholicam fidem spectant, gravi & eloquenti oratione declarantur à Leone Magno sermone 3. de Pentec. cap. 2. pag. 76. his verbis: *Una est ibi benignitas misericordiæ, una censura justitiæ: nec aliquid est in actione divisum, ubi nihil est in voluntate diversum. Quæ ergo illuminat Pater, illuminat Filius, illuminat Spiritus sanctus. Cumque alia sit persona missi, alia mittentis, alia promittentis, simul nobis & unitas manifestatur & Trinitas: ut essentia habens æqualitatem, & non recipiens solitudinem, & ejusdem substantiæ & non ejusdem intelligatur esse personæ. Quod ergo salva cooperatione inseparabilis Deitatis, quædam Pater, quædam Filius, quædam propriè Spiritus sanctus exequitur nostræ dispositio redemptionis, nostræ salutis est ratio. Si enim homo ad imaginem & similitudinem Dei factus in suæ honore naturæ manisset, nec diaboli fraude deceptus à lege sibi posita per concupiscentiam devoluisset; Creator mundi creatura non fieret, neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo patri filius Deus formam servi, aut similitudinem carnis peccati assumeret. Sed quia invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum, & aliter solvi captivitas humana non potuit, nisi causam nostram ipse susciperet, qui sine majestatis suæ damno & verus homo fieret, & solus peccati contagium non haberet: divisit sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis; ut Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus sanctus igniret.* Hactenus Magnus Leo.

Ex his prænotationibus tanta auctoritate firmatis videor mihi amplissimam quæstionem de Christi satisfactione perfecta, & ad strictos apices juris, finitam esse, & etiam quorumdam Scholastico- rum cavillationibus cumulatissime satisfactum. Verum enim vero ex priori notatione ex Augustino deprompta liquet in Christi satisfactione interfuisse pretii æqualitatem, non alicujus partis debiti liberalem condonationem; quoniam vita, quam pro reparatione nostra profudit, erat vita Dei, qui pati non poterat, si tantum *in forma Dei* permansisset, atque ut pateretur assumpsit *formam servi*, sine qua non potuisset occidi. Quare errant, me judice, qui passionem Christi, & quælibet opera carnis propria ipsectant *in se ipsis*, ut ex horum finitate inferant inæqualitatem satisfactionis; cum debeat attendi infinita personæ dignitas: cujus personæ erat caro quæ pependit in ligno, sanguis qui effusus est, & spiritus morte divulsus à corpore. Neque in re tanti momenti obsequendum arbitror humani ingenii excursionibus; quibus in humanitatem, qua Christus est passus, non in Verbum divinum, cujus est humanitas ipsa, solent quidam dirigere mentis aciem: sed, *ut appareat gratior in humilitate justitia*, attendendum est Jesum pro nobis passum esse verum hominem & verum Deum, & tam humanitatis, quam divinitatis operationes ad eandem pertinere personam.

11. Satisfactio Christi ad apicem Juris.

12. 1. Conditio satisfactio ad æqualitatem.

Infertur ex eadem prænotatione, & ex proxima collustrata verbis beati Anselmi, Redemptoris nostri satisfactionem fuisse ex propriis, & aliàs indebitis: quoniam assumpta à Verbo natura hominis translata est in jus divinæ personæ, quæ cum Deus sit, habet plenissimam potestatem *ponendi animam suam*, & hanc omni jure sibi vindicans, dum illam offert Patri hostiam *placationis*, dat quod sibi proprium est, ac magis proprium, quam

13. 2. Conditio satisfactio ex propriis & aliàs indebitis.

quam sit solventis debitum pecunia, ut pote unitam sibi *hypostatice*, & substantialiter; unde recte citato loco Augustinus, *Si noluisset*, inquit, *hoc non pati potuisset, quia Deus erat.* Et quamvis quidquid Christus habet, acceperit à Patre, ut merito ipsum his verbis alloqueretur, Joan. XVII. 10. *Omnia mea tua sunt*: in quantum tamen data sunt Filio coæterno & consubstantiali, ita sunt dona Patris, ut simul transeant in jus Filii, in cujus manu sunt *omnia*, Joan. III. 35. & qui habet *vitam in semet ipso*, v. 26. liberam *ponendi animam* suam facultatem, X. 18. atque *potestatem omnis carnis*, XVII. 2. Ergo & assumpta forma hominis, & anima, & vita, & innumera beneficia gratiarum, quæ inveniuntur in Christo, propria ejus sunt, & ab omni prorsus soluta debito; quoniam omnia sibi in proprietatem vindicat persona Verbi, quæ est Deus summus. Atque hoc pacto, si *hypostatica* unio attendatur, quam diximus in hoc satisfactionis negotio accurate spectandam; pretium pro nobis solvit persona à quocunque debito immunis. Id vero aperte sequitur ex doctrina Augustini. Dato enim, quod in Christo Domino attendatur ratio creaturæ duntaxat, quæ est subjecta Deo, eique debet obtemperare (tametsi præmonui ab hac, ut inquiunt, *præcisione* cavendum Theologo castigate disputandi de Deo homine Christo Jesu) dirimit subtiliter disputantium oppositiones Anselmus, demonstrans neque à creatura exigi *ex debito* mortem, quando nulli est obnoxia peccato; cum divina justitia ipsam mortem infligat hominibus, qui peccaverunt in Adam: quod supra ejusdem Anselmi verbis, & pervulgato exemplo fuit declaratum.

14. Conditio satisfactio ad alterum.

Præterea ex prænotatione tertio loco posita, & verbis Magni Leonis suffulta apparet nimium esse litigiosos, qui negant Christi satisfactionem fuisse *ad alterum*. Mirabilis quippe divinitatis unitas, & personarum discretio præstat, ut *Incarnatio* sit opus Trinitatis indivisum, & divinum Verbum existens *in forma Dei* miserit se ipsum ut existens *in forma servi*. Pari ergo jure tribus personis infertur per peccatum injuria; & nihilominus Verbum divinum ut existens *in forma servi* potuit satisfacere sibi ipsi, quatenus est offensum ut existens *in forma Dei*. Ut ergo satisfactio Christi dicatur *ad alterum*, sufficit duplex in eo natura: per quam, licet sit una persona, esse potest satisfaciens & creditor; quemadmodum est Deus & homo, mittens & missus. Explanant id nonnulli Scholastici exemplo tutoris, qui pupilli nomine, si creditor etiam sit, potest satisfacere sibi ipsi. Verum ne aliunde petantur exempla; etiam mittere & mitti, præcipere & obtemperare dicunt ordinem *ad alterum*, non minus, ac solvere debitum & satisfacere: & si assumpta *forma servi* sat est, ut Christus sit missus à tota Trinitate, ut toti Trinitati factus sit obediens usque ad mortem, ut à tota Trinitate sit exaltatus & clarificatus; non percipio mehercle, cur id non sufficiat, ut revera toti Trinitati plenam exhibuerit satisfactionem. Quare conditiones necessarias ad plenissimam satisfactionem facile inveniemus in Christo, si in Deo inseparabilem deitatem à proprietatibus personarum, & in ipso Christo unitatem personæ à duplici natura ratiocinando minime divellamus. Ita enim intelligemus quomodo hæc satisfactio sit debitis peccatorum æquivalens, ac proinde nulla pars debiti remissa sit gratis: quomodo sit ex propriis, & alias indebitis; quomodo etiam sit ad alterum: quod erat hac propositione inquirendum.

15. Doctrina Patris Frassen discutitur.

His nobis videtur posse Subtilis Scholæ Theologos acquiescere? neque aliud censemus reponendum esse ad illorum argumentationes ab Auctoribus principio laudatis multifariam discussas. Duo tamen ex illa schola prodierunt percelebres viri, quorum placitum postulat animadversionem aliquam nostram. Est unus Claudius Frassen, qui disput. 1. de Incarnat. art. 7. sect. 3. q. 4. propugnat satisfactionem Christi *suppositio divino pacto* habere omnes conditiones, quæ requiruntur ad satisfactionem ex rigorosa justitia, atque id esse sententiæ Scoti magis conforme. Verum & nos divinum beneplacitum in humana redemptione interfuisse concedimus; quia nullo nostro præcedente promerito, cum posset supremus Dominus omnes homines perdere, nulla necessitate absoluta ductus, dignatus est tradere pro nobis proprium Filium, ut pretium, cui solvendo non erant debitores, persolveret Fidejussor. At posteaquam id pro beneplacito voluntatis suæ definivit, non potest datam à tanto Fidejussore satisfactionem respuere: & quod respectu nostri munificentia est, comparate ad Redemptorem nostrum habet veram rationem justitiæ, ut non semel supra explicavimus. Si ergo Frassen Scoti mentem est assecutus; possumus etiam cum florentissima ipsius Schola facile convenire.

Theo-

16. Item P. Macedo.

Theologus alter est Franciscus Macedo, qui Collat. v. differentia 4. demonstrat justitiam Dei longe esse diversam ab ea, quam agnoverunt Philosophi: ab illa procul eliminandam omnem rationem debiti ac dependentiæ, quæ repugnant supremo dominio Dei, & nihilominus perfectissimam justitiam esse: sicuti perfectissima est sapientia, quæ caret discursu, quamvis ad sapientiam homines discurrendo pertingant. Atque hæc Macedo ornate, & luculenter demonstrat. His autem positis miratur Theologos tanto studio contendere Deum esse justum eo modo, quo nos justi sumus, redarguit sodales quod formam justitiæ nostræ in Deum transferant, ait controversiam hanc tantis animorum dissidiis exagitatam pendere à notione justitiæ, concludit denique satisfactionem Christi non esse ex rigore illius justitiæ, quam Aristoteles invexit. esse tamen ad apices justitiæ illius sublimioris, quæ cum sit independens, nulli obligationi, nisi ex liberrima voluntate Dei subjicitur, atque id nihil detrahere dignitati Christi, quoniam rigorosa justitia, quæ Deum debitorem constituat, est indigna ipso Deo, eique aufert rationem independentiæ. At non est, cur Macedo Theologos alios redarguat, ac multo minus cur animadversionem hanc suam, ut novam lectori proponat. Nullus quippe Theologorum tam demisse sentit de divina justitia, ut credat illam ab ea, quæ versatur inter homines, nulla ratione differre. Inter Scotistas Cardinalis de Laurea Tom. 2. in 3. p. disput. xx. art. 1. demonstrat in Deo esse quidem justitiam erga homines, sed hanc esse ipsam Dei voluntatem, & justitiam *non simpliciter* esse appellandam, sed tantum *secundum quid*; quoniam Deus nulli legi subjicitur, coronat dona sua, & obligatur tantum ex sua liberalitate. Suarez disput. IV. sect. v. & lib. 12. de Grat. cap. 7. demonstrat Deum non posse constitui debitorem, nisi ex sui promissione. Vasquez citatus cap. 3. prop. 9. negat justitiam commutativam esse proprie in Deo, ac inter Thomistas Deum non posse constitui debitorem, *nisi ex sui promissione*, nec aliquid habere rationem meriti, *nisi ex suppositione ordinationis divinæ*, tenent cum Angelico Doctore 1. 2. q. 114. art. 1. & 3. p. q. 46. art. 2. Joannes à S. Thoma, Alvarez, aliique complures apud Salmant. disput. 1. dub. 8. Quod ergo tanquam novum, & peracutum proponit Macedo, id in triviis, & frequenti loco persæpe audierat. Sed reposuerant etiam Theologi, non requiri, ut unus teneatur acceptare quod offertur ab altero, ad hoc ut inter ipsos vera justitia intercedat: *nam etsi* (inquit Sylvius) *Rex, aut mercator non teneatur acceptare justum captivi, vel mercis pretium; si tamen acceptet, vera intercedet justitia, modò sit æqualitas rei ad rem.* Attamen si placeat huc revocare controversiam, ut in Deo præsupponatur ad constituendam justitiam illius promissio, & liberalis voluntas; dicimus distinguendam duplicem necessitatem: *absolutam*, quæ nunquam in Deum cadit in iis quæ pertinent ad creaturas, & *hypotheticam*, cui absque ullo independentiæ præjudicio Deus positis prædefinitionibus suis subjicitur, atque hac necessitate acceptasse Deum satisfactionem Christi Domini, posteaquam ob nimiam erga nos charitatem illum miserat *in similitudinem carnis peccati*, ita, ut in humani generis reparatione sibi justitia & pax obviaverint, & quod est gratiarum maxima si attendatur Christi prædestinatio, sit summa æquitas si inspiciantur amplissima illius merita: quod non semel asserui in præcedenti Socciniani dogmatis refutatione.

CAPUT VII.

In quo refelluntur postrema argumenta capitis quinti.

SUMMARIUM.

1. Objectio prima Socini solvitur.
2. Refellitur ejusdem objectio 2 3. & 4ta.
3. Satisfit 5to argumento.
4. Solvitur objectio 6ta.
5. Respondetur ad 7. 8. & 9.
6. Ultima objectio eluditur.

1. Objectio 1. Socini solvitur.

REDEO nunc ad Socinum, qui non assereret defendi à nobis Christi satisfactionem philosophicis inventis, si in obsequium Fidei, qua nos profitemur Unigeniti divinitatem, captivasset angustum & sæpenumero aberrans ingenium. Quoniam ergo in sola humana ratione, & in dialectica arte censet locandum esse veritatis præsidium, abjicitque divinarum rerum agnoscendarum æquissi-

æquissimamque normam, id est, Catholicæ Ecclesiæ doctrinam; fatendum illi est, se potius, quàm nos superno fidei lumine fultos, confugere ad inventa philosophorum. Illud ergo, quod in classe posteriorum argutationum obtinet primum locum, scilicet, apud Deum nullam esse acceptionem personarum, nescio quem ob finem Socinus proferat. Paulus in VI. ad Ephes. 9. utitur ea sententia, *Personarum acceptio non est apud eum*, eaque in sacris literis frequenter occurrit; ac semper hunc præsefert sensum, legem Domini nullam noscere differentiam, communiter Deum omnibus benefacere, & Judæo simul & Græco, dummodo bonum operentur, retribuere mercedem. *Unusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, sive servus, sive liber*, inquit ibidem Apostolus, ac similia II. ad Romanos. II. Optimam affert rationem Chrysostomus Hom. XXII. pag. 1181. quoniam apud Deum nulla est ratio vel servi, vel liberi; nam etiam inter homines non induxit servitutem jus primarium, sed illam peperit *avaritia, sordidus & illiberalis quæstus, atque insatiabilitas.* Verum ex hac communi suprema lege omnibus æquo animo benefaciendi, minime sequitur teneri Deum ad impertiendum beneficia iniquis hominibus, quoniam nulla est personarum acceptio, nisi *ille qui judicat relinquens causæ meritum, de qua judicat, alteri contra alterum suffragatur;* ut demonstrat Augustinus lib. 2. contra duas Epist. Pelagian. cap. VII. num. 13. Quis enim dixerit acceptatorem personarum creditorem, qui debitori uni dimittat debitum, ab altero exigat, aut vineæ dominum, qui operarios æquales facit in mercede, nulli denegando denarium, de quo pactus fuerat? Ex Apostolica ergo sententia, si Socinus inferat potuisse Deum Optimum Maximum sine acceptatione personarum dare Redemptorem hominibus & non dæmonibus, eligere Jacob ac reprobare Esau, & etiam redemptione peracta unum præveniente misericordia trahere ad fidem, alterum in pœnam perversitatis deserere, quia nulla est acceptio personarum *in debitoribus æqualiter reis*; dicet aliquid in confessionem gratiæ Redemptoris, quam ipse negat cum Pelagianis: sed cum ex eadem sententia, impia consecutione deducit tam iniquum, quam justum Deo acceptos esse, aut nullam dari discrepantiam meritorum, aut nullum versari discrimen inter personam Unigeniti, & hominum cæterorum; profecto ludit operam, & ex abysso in abyssum prolabitur.

Quod addit Socinus de Viro principe ad unam horam pulso in exilium, nullius est momenti: nam si spectetur exilium in se, pluris quidem æstimandum est hominis alterius è plebe exilium diuturnum atque perpetuum; sed conditione personarum spectata, quis dixerit idem esse exulare regem, ac minimum ipsius famulum? At in satisfactione Christi considerandam esse mortem, non in se tantum, sed comparate ad personam, quæ illam subiit, capite præcedenti monuimus. Corruit hac responsione tertia argumentatio; nam mors hominis Dei majori pretio æstimanda est, quam sempiternum damnatorum supplicium. Quod si neget Socinus; istud ab eo petam cum Anselmo lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. XIV. pag. 72. *Si præsens esset homo ille, & quis esset scires, & diceretur tibi, Nisi occidas hominem illum, peribit mundus iste totus, & quidquid Deus non est, faceres hoc pro conservanda omni alia creatura?* Si respondeat Socinus, ut ibidem Boso, *Non facerem; etiamsi mihi infinitus numerus mundorum ostenderetur;* ex sui ipsius conscientia discet quanti vita Domini Jesu sit æstimanda: si respondeat autem, *Facerem;* abeat impiissimus cum manu in foro Præsidis conclamantium, *Tolle, tolle, crucifige eum.* At Pater, inquit, illum absque immanitate tradidit crucifixoribus. Dixi cap. III. prop. 10. tradidisse, quia ipse voluit, quia se exhibuit sponsorem nostrum ac vadem, quia nullum aliud inveniri poterat pretium condignæ satisfactionis; unde ipsa justitiæ æquitas commendat Patris charitatem, sicut mors tam dira commonstrat quanti ponderis sit peccatum, quod nonnisi morte Unigeniti filii Dei poterat expiari. Solvitur eadem responsione quarta Socini argumentatio: quandoquidem cum satisfactio Christi sit infiniti valoris, poterat ob valorem pretii facere satis justitiæ, & ob meritum obedientiæ obtinere tantam Christi exaltationem; non enim oblatus est invitus, sed *quia voluit:* unde Apostolus, qui pretio sanguinis nostram tribuit redemptionem ad Ephes. I. 7. ait quoque ad Philipp. II. 8. exaltationem nominis Jesu esse præmium singularis obedientiæ, & maximæ humilitatis.

2. Ejusdem objectio 2da refellitur.

Corruit exinde argumentum 3.

Et quartum.

Argumentatio quinta nullam aliam postulat responsionem: sed redarguenda est tamen Socini audacia, dum detrahit passioni Christi, ex quo peracta sit exiguo temporis intervallo. Plura enim sunt, quæ passionem ejus supra humanum captum adaugent. I. Quod in ejus mor-

3. Satisfit 5to argumento.

tem homines cujuscunque ordinis conspirarunt, Pontifices, Sacerdotes, Præsides, Ecclesiasticum, & Sæculare forum, Judæi, Ethnici, viri, ac mulieres. Accusarunt eum falsi testes, abnegavit Petrus, vendidit Judas, damnarunt contribules, deriserunt milites, improperavit latro, deseruerunt propinqui. II. A planta pedis ad verticem usque capitis dolores maximos pertulit: caput spinea corona circumdatum, facies colaphis palmisque contusa, cæsum diris flagellis dorsum, extensa brachia, manus pedesque transfixi. III. Quolibet exteriori, & interiori sensu eximiam pœnam expertus est, excipiens auribus improborum convicia, labiis amaritudinem fellis, oculis piissimæ Matris lacrymas, animo peccatorum nostrorum aculeos. IV. Perpessus est famæ, rei, & vitæ jacturam, appellatus seductor, posthabitus homicidæ, inter latrones suffixus, venditus vili pretio, exutus vestibus, nudus expositus, vitamque profundens ad ultimum usque spiritum. V. Ejus passio diuturnitate superavit cæteras, expectata à priori conceptionis momento, semper præsens menti, frequenter prænuntiata, prolixam habens agoniam, afflictationes innumeras, & mortem, cum qua diu luctatus est, non capite truncatus, non absumptus igne, non aqua demersus, sed in cruce ad horam usque nonam blasphemiis, subsannationibus, ludibriis objectus. VI. His accedit corpus divina virtute formatum, ut esset hostia placaminis, sensus vegetior, mens perspicacior, vita innocentior, honoris sui major quàm dici possit existimatio, cujusque consolationis voluntaria abjectio, ut mors in illum vehementiori atrocitate sæviret. Videat ergo Socinus, an Redemptoris nostri cruciatus leves sint, & exigui; an potius de his vaticinatus fuerit in Threnis 1. 12. Jeremias, dum ait: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus.* Adeas, Lector, Augustinum in Ps. LXVIII. Thomam Aquinatem 3. p. q. 46. art. 5. & 6. Joan. Driedonem de capt. & red. hum. gen. 3. p. 2. cap. 2. tract. art. 1. &c.

4. Solvitur 6ta objectio.

Ea, quibus Socinus impetit personæ Christi dignitatem, percurram breviter, ne hoc loco longior sim, quam necesse est. Fatemur itaque unam pretiosi sanguinis guttam fuisse redemptionis humanæ sufficiens lytrum: & nihilominus affirmamus Christum tot cruciatus mortemque acerbissimam haud inutiliter pertulisse; quandoquidem ostendit primum quid sit causa mortis, & quæstus peccati, quanta prævaricationem Adæ consecuta sint damna, quantum divinam justitiam pertimescere debeamus, quali studio cohibenda sit vitiorum licentia. Deinde nimiam erga nos charitatem testatam fecit, præbuit invictæ patientiæ exemplum, stendit ingentem humanæ salutis ardorem, deprecatus est veniam interfectoribus; & quia venerat non solum redemptor, sed etiam novæ vitæ institutor, tanta passus est, ut sequamur vestigia ejus. Voluit præterea, ne qua justitiæ pars deesset, iisdem rationibus delere peccatum, quibus admissum fuerat, expiare obedientia culpam inobedientiæ, qua primus parens deliquerat, & per salutiferum Crucis lignum superare infensissimum hostem humani generis, qui per lethiferum interdictæ arboris lignum protoparentem deceperat; mortem denique *stipendium peccati*, ut dicitur ab Apostolo, ad Rom. VI. 23. moriendo destruere, æternamque vitam iis, qui morti ejus complantantur, conferre. Hæc perpolita oratione de Passione Domini, plurimum ab Alexandro VI. probata, & quam Aldus Manucius gestabat in sinu, & legendam tradebat omnibus, prosequitur noster Lippus: quibus addenda sunt momenta à nobis capite tertio præmissa.

5. Respondetur ad 7mum.

Ad confutationem septimi faciunt quæ diximus postremo capite. Revera enim Christus satisfecit, ut homo; sed natura humana, in qua passus est, erat *hypostatice* unita divino Verbo: *Et divinitas* (inquit Damascenus lib. 3. de Fide orthodoxa cap. 15. pag. 245.) *miracula perpetrabat, sed non citra carnem; caro rursus humilia & abjecta efficiebat, sed non à divinitate sejuncta. Nam & patienti carni connexa erat divinitas ab omnis doloris sensu incolumis permanens, & salutares cruciatus efficiens: ac rursus operanti Verbi divinitati mens sancta conjuncta erat, cogitans & intelligens ea, quæ patrabantur.* Imperite ergo in satisfactionis negotio attenditur humanitatis natura, non Verbi persona, absque cujus regimine ac nutu illa nec existebat, nec patiebatur. Eadem responsione elliditur insequens Socini objectio; quippe & mundi productio, & quælibet alia operatio summi Dei, tametsi comparate ad *terminum*, sive ad rem creatam atque productam, finita sit, habet ex parte causæ effectricis infinitam virtutem. Ideo autem mundus in se finitum habet pretium, quia infinita illa virtus causæ efficien-

efficientis est extrinseca rei creatæ: sed personæ dignitas est ratio intrinseca merito, quoniam ipsa persona est, quæ pretium exhibet, quæ sacrificium offert, quæ oblatæ rei dominium habet ac potestatem. Et quoniam in iis, quæ absque deliberatione patrantur, nulla deprehenditur ratio meriti; satis apparet, quam inscite producat Socinus exemplum bestiæ cibum, potumque sumentis, & naturalem facultatem confundat cum libera; bestia ipse, ac monstrum naturæ, si neget rationalem hominem promereri jejunio, quo sine ullo merito bellua fame laborans atteritur. His nona quoque objectatio refutata est.

6. Ultima objectio eluditur.

Postrema eludi primum potest repetito discrimine duarum naturarum, quæ in Christo conveniunt in unitatem personæ: illo enim discrimine posito, potuit Verbum in humana natura subsistens sibi tanquam Deo satisfacere: de qua re plura prop. 2. præced. cap. Deinde, quoniam nobis concertatio est cum hæreticis omnium pervicacissimis, dicimus Christi personam, quamvis una est, moraliter censeri unam, & alteram, quoniam constans naturis duabus, vindicat sibimet divinitatis, atque humanitatis jura: cumque habeat divinitatis plenitudinem, & *formæ*, quam assumpsit, potestatem; hanc *ut homo* in redemptionis pretium exhibet, quam *ut Deus* acceptat in satisfactionem justitiæ. Idem quippe homo habens jus creditoris, & potestatem tutandi eum, qui nondum pervenit ad pubertatem, ob hæc duo jura in capite libero constituta potest satisfacere sibi ipsi, ac debitum pupilli persolvere, ut diximus eadem 2. propositione. At mittamus Socinum, qui nos coegit in hac controversia diutine commorari, & celerius reliqua percurramus.

CAPUT VIII.

An pura creatura possit Deo pro peccato proprio, vel alieno condignam exhibere satisfactionem?

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Nulla creatura peccato obstricta potest Deo condignè satisfacere.
3. Creatura constituta etiam in gratia nequit pro peccato mortali condignè satisfacere.
4. Ultima probatio propositionis.
5. & 6. Solvuntur objectiones.

1. Status quæstionis.

EX his, quæ sæpe repetita sunt, *Incarnationem* divini Verbi necessariam fuisse facta hypothesi, quod Deus decreverit servato omni jure æquitatis redimere captivum hominem, manifesta illatione consequitur, nullam creaturam à divina persona *hypostatice* non assumptam, neque ad consortium, nexumque substantialem divinitatis evectam, posse munus mediatoris, ac redemptoris implere tali soluto pretio, quod æquare valeat peccati magnitudinem, ac debitum prorsus delere. Qua in re, etsi Scholastici, ut solent, vel in oppositas partes abeant, vel etiam uni adhærentes producta ab aliis momenta studeant exagitare; geram me temperanter admodum, & pacate, certior factus Patrum documentis, & majori etiam Scholarum assensu, fieri non posse, ut exhibita ab homine, vel ab angelo satisfactio tantum honoris persolvat supremo Domino, quantum illi prævaricatoris iniquitas intultis injuriæ. Verum quia de hominibus originali peccato obnoxiis, & de creatura quæ posset à Deo produci gratiæ decore exornata, proferenda non censeo omnia in discriminatim argumenta, quæ inveniuntur apud divinarum rerum tractatores; consilium est eadem sejunctis thesibus ad hunc modum disponere.

2. Propositio 1.

PROPOSITIO I. Rationalis creatura obstricta peccato nequit vel pro se, vel pro aliis condigne Deo satisfacere.

Demonstratur 1. ex Scripturis.

Demonstratur primo ex Scripturis, quæ docent ideo Christum nos à maledicto solvisse, *eo quod iniquitatem non fecerit*, Is. LIII. 9. quia *peccatum in eo non est*, 1. Joan. III. 5. quem in locum ait Augustinus Tract. IV. num. 8. *In quo non est peccatum, ipse venit auferre peccatum. Nam si esset & in illo peccatum, auferendum esset illi, non ipse auferret.* Quomodo ergo creatura aliqua inquinata peccato potest culpam abstergere, & solvere maledictionem? II. Confirmatur concordissima SS. Patrum traditione. Divus enim Irenæus lib. III. adversus Hær. cap. 20. & ex distinct. Massuet 18. n. 2. ait: *Non erat possibile eum hominem, qui semel victus fuerat & elisus per inobedien-*

2. Confirmatur ex Patribus.

tiam, replasmare, & obtinere bravium victoriæ, &c. S. P. August. in Ps. xxix. num. 12. *Quia Israel vendere se potuit, & fieri venumdatus sub peccato, redimere se ab iniquitatibus non potest.* Eusebius Emessenus hom. 6. de Paschate ita loquitur: *Non subvenire peccato poterat simili peccato obnoxius, nec intervenire pro servis adstrictus legibus servitutis.* Vide cæteros similia tradentes apud Dionys. Petavium lib. 11. de Incarnat. cap. 12. III. Idem Theologica ratione firmatur; quoniam, ut diximus IV. Volumine pag. 149. mortale peccatum, in quantum est Dei offensa, infinitam habet malitiam, cui nullum bonum opus, quantavis charitate ab homine *puro* peractum, potest æquivalere: quod repetam paulo infra. Deinde fieri nequit, ut homo æternam mortem, quæ peccato mortali debetur, usque ad ultimum quadrantem persolvat, quippe æterna punitio non habet fines, qui possint attingi: atque temporalis quælibet pœna, nisi sit personæ sempiterna, maximaque majestate fulgentis, æquiparari non potest cum perpetuo gehennæ supplicio. Cum insuper anima, quam impius peccato vendidit, sit Dei imago tot, tantisque divinæ beneficentiæ muneribus decorata; (ut repetam verba divinæ Sapientiæ ore prolata, Mat. XVI. 26.) *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Ac tandem cum omnia creaturarum bona sint à Deo, si quid ipsi exhibeat homo, vel angelus; id non ex propriis solvit, sed ex liberalitate Creatoris: neque enim quod habet à supremo Domino, potest creatura aliqua in jus suum vindicare; ut præcedenti capite VII. diximus de Unigenito Filio Dei, qui cum sit Deus summus, habuit à se ipso quidquid dependit pro humani generis redemptione: mortem vero, quam juxta Anselmi doctrinam, ex debito Deus ab innocente non exigit, qui semel legem transgressus esset, omni jure persolveret; nec in satisfactionem justitiæ posset impendere vitam, quæ post peccatum evasit indebitum beneficium, inter bona, quorum jus habeat iniquus, nullatenus recensendum.

Ex ratione.

3. Propositio 2. PROPOSITIO II. Nulla creatura, quantumvis gratia, meritoque exornata, potest exhibere Deo pro mortali peccato coæqualem satisfactionem.

Probatur ex Script. Id primo evincitur ex Scripturis, asserentibus tantummodo Domino Jesu Christo competere, ut sit *Mediator Dei, & hominum*, ad Tim. II. 5. & ad Heb. IX. 15. ut pacem conciliet nostram, quia *fecit utraque unum*, ad Ephes. II. 14. ut nobis sit *Pontifex impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cæli factus*, nec habens necessitatem pro suis delictis hostias offerre, ad Hebr. VII. 26. Hæc non solum in hac rerum constitutione valere existimanda sunt, ut quidam sentiunt, verum etiam in quocunque rerum ordine, quoniam non potest esse mediator, nisi qui utriusque habeat naturam, nec sanguinem in redemptionem fundere, qui non habeat potestatem ponendi animam suam, quemadmodum diximus Patrum auctoritate suffulti disputantes contra Socinum. Sed aperta sunt verba Psalmographi XL. VIII. 8. *Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem suam, & pretium redemptionem animæ suæ*: quæ fatentibus omnibus de Christo sunt prænuntiata. Ita est, inquis, sed fieri tamen potuit, ut redimeret *frater*. Hæc quidem Scholasticorum nonnulli. Quid autem in hunc Psalmum Basilius? Is Tom. I. pag. edit. Morel. 280. *Neque enim*, inquit, *fratrem in redemptionem quærit, sed unum aliquem, qui nostram exuperet naturam: non item hominem nudum, sed hominem Deum Jesum Christum, qui solus pro nobis omnibus Deo propitiationem dare potest.* Similia Ambrosius Tom. I. pag. 949. Et Augustinus in eundem Ps. num. 8. serm. I. quasi eam prævidens responsionem, inquit mirabundus: *Aliquis homo redimet, si Filius hominis non redimit?* Audis ergo non tantum nos à Filio hominis fuisse redemptos, verum & non posse hominem *nudum*, qui non excedit communem naturam, dare Deo placationem. II. Et quoniam ad Patres progressa est disputatio; Irenæus lib. III. cap. XVIII. num. 7. assertum nostrum extra omnem hæsitationem his verbis confirmat: *Nisi homo conjunctus fuisset Deo, non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis.* Addit quod supra diximus, non posse officium Mediatoris exerceri, *nisi ab homine Deo.* Addit etiam quod nulla ratione possemus fieri participes adoptionis filiorum, *nisi per Filium eam, quæ est ad ipsum, recepissemus communionem.* Athanasius lib. 2. contra Apollin. habet ea verba, quæ laudantur Act. 8. Synodi VI. *Nisi in ea, quæ peccaverat, natura impeccabilitas visa esset, peccatum in carne damnari non potuisset.* S. P. Augustinus in Enchir. cap. CVIII. num. 28. ait: *Neque per ipsum liberaremur unum Mediatorem Dei & hominum Jesum Christum, nisi esset & Deus.* Fulgentius lib. II. ad Trasim. cap. 2. pag. edit.

Ex Patribus.

edit. Lugd. 457. demonstrat nec Angelum potuisse reparationis munus obire, quoniam est juvaminis egenus, nec potest propriæ stabilitati sufficere: & de Incarnat. & Grat. cap. 4. pag. 636. docet nunquam naturam humanam idoneam futuram esse ad auferendum peccatum, *nisi in unionem Verbi Dei, non naturali confusione, sed solum personali unitate transiret.* Loca producunt alia Petavius lib. 11. de Incarnat. cap. 12. & 14. L' Herminier pag. 105. Witasse q. 2. cap. 2. Tournely q. v. pag. 161. Verum à nobis selecta videntur insigniora, & ad aliam confugientium hypothesim diruunt perfugium: quippe nulla simplex creatura est Deus & homo, nulla personali unitate conjuncta esset Deo, nulla per communicationem proprii spiritus impertiretur filiorum adoptionem; quod tam expresse tradunt Ecclesiæ Patres. III. Auctoritati accedit ratio, & ea primum, quam supra dixi petendam esse à pravitate peccati: de quo licet sit in Scholis fervida partium contentio, verissima sententia est infinitam habere labem ac turpitudinem. A majestate enim personæ offensæ æstimatur gravitas injuriæ, quamvis damnum illatum dignoscatur à pretio illius rei, quæ aufertur: quod puto etiam manifestum fieri ex ipsa hominum consuetudine. Nam si per vim regium diadema legitimo ablatum principi, imponas capiti alicujus tyranni, quamvis postea reddas quod rapueras, non tamen illatum dedecus poteris facile compensare: & si aliquam inter homines etiam disparis ordinis compensationem invenenis, frustra illam *nudus* homo sataget ei dare, à cujus majestate infinitis intervallis recedit. Quare videntur mihi qui mortale peccatum finitum faciunt, minus accurate distinguere inter peccati, ut inquiunt, *entitatem*, atque malitiam. Sane hæc ratio inconcussa visa est D. Anselmo lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 21. pag. 63. ubi demonstrat quanti ponderis sit peccatum, ex eo etiam, quod nemo illud perpetraret, divina majestate perspecta, quamvis universi moles rueret, & redigeretur in nihilum. Neque arbitror diversa sentire mortalium aliquem, qui Deum timeat. Liquet ergo ex ipsa hominis recti conscientia plus horroris incutere peccatum, quam mundialis machinæ, & creaturarum universarum ruinam, profecto propter divinæ Majestatis contemptum, cui nihil possumus comparare. Hoc propterea momento deprompto *ex infinitate divinæ majestatis* utitur D. Thomas 3. p. q. 1. art. 2. Aeg. dist. 1. p. 2. q. 1. S. Bonav. dist. xx. q. 4. Suarez disp. xv. q. 1. art. 2. sect. 7. Estius dist. 20. §. 3. Sylvius Q. 1. q. 4. art. 2. & ne alios commemorem, nostræ, ac Thomisticæ scholæ universi. Spectata itaque gravitate peccati, ut in historia Dominicæ Passionis carmine conscripta cecinit F. Adam Januensis vir Instituti nostri pius, atque eruditus,

Ista salus hominis sub opaca mole ferenda
Tanti erat, ut totum natura creata, vel omnis
Angelica humanum Genus instaurare nequiret.

Ex ratione.

Atque id non solum de redemptione hominum universorum, sed etiam de rigorosa satisfactione pro uno duntaxat impio, propter peccati granditatem est asserendum.

4. Alia adhuc probatio.

Sunt præterea, qui idem non sentiunt de magnitudine peccati; & tamen negant posse puram creaturam ad æqualitatem Deo satisfacere ea ducti ratione, quod Deus supremum ordinem teneat, creatura autem medium, aut infimum, & asserentes opus esse, ut injuria ac satisfactio ordinis sint ejusdem. Si enim plebejus colaphum impingat regi, finitam quidem injuriam infert, non tamen huic ullo actu obsequii satisfacit: nec damnum illatum honori compensatur solutione pecuniæ; propterea quod rex & plebejus, fama ac divitiæ teneant ordines discrepantes. Et quamvis contingat aliquando, ut in hominum æstimatione minimum damnum ordinis præstantioris, sit in exemplo, famæ, censeatur ad æqualitatem compensatum per eximiam satisfactionem inferioris ordinis, v. g. per ingentem solutionem rei pecuniariæ; quam ob causam Vasquesius disput. 1v. cap. 4. n. 36. Cardin. de Lugo disput. v. sect. 4. aliique rationem illam refellunt: potest tamen hæc valide propugnari, quoniam inter unum, & alterum ordinem creatarum rerum datur quædam propinquitas, per quam inferiorum suprema possunt ad infera superiorum pertingere; sed hæc propinquitas inveniri nequaquam potest inter supremum Dominum & creaturam. Si cui autem placeat hac incedere, facem ei præferet L' Herminier pag. 106. Suaresius quoque præcitata sect. 7. & Augustinensis Gibbon disput. 11. dub. 6. quamvis hæc semita minus trita sit, & à via ampliori, quam sequimur, parum distet.

5. Objectiones.

Quæ adversus positionem hanc objiciuntur, sunt istiusmodi. Primum *simplex* homo eliciens actum contritionis perfectæ tantumdem reddit Deo,

quantum ei abstulit gravitate delicti: & quemadmodum se per noxiam cupiditatem converterat ad bona commutabilia, & finem ultimum constituerat in rebus creatis; ita per castam delectationem retrahens animum à fluxis bonis, & ad incommutabile vergens, locat finem suum in Deo, compensatque merito sanctæ charitatis quidquid prava dilectione contraxit. At si creditori restituas omne, quod abstulisti, satisfacis ad juris apices. Per actum ergo perfectæ contritionis potes exhibere Deo satisfactionem condignam. Præterea contritione perfecta promereris remissionem peccatorum; & si ornatus fueris sanctitatis decore, erit tibi vita æterna condigna merces, & corona justitiæ. Si tantum gratia condecoratus mereri potes, cur non satisfacere pro peccati injuria? Insuper conferre tibi potest summi Dei liberalitas adeo eximiam sanctitatem, ad quam nemo unquam pervenerit: ac talem saltem dignitatem nactus, par eris solvendo peccati debito. Ad hæc, si Deus rationalem creaturam constituat Caput morale cæterarum, ut fuit Adam posterorum hominum, poterit illa suam in alios justitiam transfundere, quemadmodum Adam ipse communem naturam vitiando homines universos infecit. Postremo ratio deprompta à gravitate peccati, est admodum imbecillis; quoniam si à dignitate personæ offensæ desumenda foret turpitudo peccati, neque esset discrimen inter veniale & lethiferum, neque unum mortale excederet fœditatem alterius, neque pro minima culpa posset condigne satisfieri: quarum assertionum duæ priores redolent impietatem, & hæresim; tertia verò fere ab omnibus improbatur.

6. Responsiones.

Ad primum igitur sic respondeo. Duo in mortali peccato attendi debent, quod aufertur, & cui aufertur, sive, ut inquiunt cum Sylvio quidam è Schola, injuria *realis*, ac *personalis*: quorum illud æstimatur ex rei pretio, alterum pensatur ex personæ amplitudine ac dignitate. Neque enim tantum refert expendere, an furatus sit quispiam obulum, vel aureum; an inflixerit colaphum, aut vulnus; sed etiam an damnum illatum sit diviti vel pauperi, an plaga inflicta plebicolæ vel principi; & quid discriminis intersit inter eum qui ignominiam inurit, & qui eandem perpetitur. Atque restituta re oblata, obulo nimirum, vel aureo, & vulnere inflicto pro vulnere, alapa impacta pro alapa, persolvendum quoque est, ni locum habeat hostimentum & talio, debitum contumeliæ, aut loris, aut triremi, aut suspendio, idque facta offendentis offensique comparatione: nam si servus conservum percusserit, eadem saltem pœna multabitur; si quemdam procerum, exilio; si regem, furca. Injuriam vero irrogatam Auctori suo, maximo, atque beneficentissimo, quæ multa multabit? Distinguo itaque majorem propositionem: Contritione perfecta redditur Deo tantumdem, quantum peccato ablatum fuerat, spectata duntaxat rei magnitudine, & *reali injuria*, concedo: attento Deum inter, hominesque discrimine, atque *injuria personali*, nego. Deinde per actum contritionis cuinam peccato satisfacies? Proprio? Minime, quoniam charitatem gratis, & eo fine ut resipiscerem, tibi Pater luminum inspiravit: nec est ex propriis, aut condigna ea satisfactio, in qua tibi remittitur debitum carendi gratia, ac novo obstringeris beneficio. Alienone? Nequaquam: pro illa enim gratia, quæ te exornat, ne interim commemorem debita alia quamplurima, debes Deo tuo, quidquid habes. Sed de primo quidem argumento satis. Ad alterum nego quod per contritionem mereatur quis remissionem peccati, merito *de condigno*: justificatio enim gratia est, non corona, vel merces. Vitam vero æternam homo justus meretur quidem, etiam *condigne*, sed quia Christo tanquam palmiti inseritur, & Christi gratia fit in eo *fons aquæ vitæ salientis in vitam æternam*; & quia accepta adoptione filiorum habet quoque hæreditatis pignus & arrham: ideoque meritum à gratia *habituali*, non ab opere in se spectato, talem habet condignitatem. Accedit, quod non est eadem ratio merendi, atque satisfaciendi: quippe in merito intervenit divina promissio, cum nequeat Deus constitui debitor creaturarum suarum, nisi sua largitate; in satisfactione autem attenditur personæ offensæ amplitudo, & pravitas injuriæ. Vide lib. XIX. cap. 6. & 8. Illud, quod tertio loco objicitur, nullius est ponderis: nam sanctitas quælibet creaturarum, quantumvis eximia, finita est, &, si etiam infinita fingatur, distat à Dei majestate infinito intervallo, ut infinitum accidens ab infinita substantia, & infinitum in quantitate ab infinito in omni genere; & ideo nunquam erit inter meritum creaturæ, & injuriam Deo illatam proportio. In solutione argumenti quarti me vano labore non frangam; siquidem *nudus* homo potest esse morale caput in ordine ad transfusionem peccati, quia illius prævaricatio habet infinitam turpitudi-

tudinem, & peccatum originale transfunditur vitiata generatione, cujus homo primus est auctor: at meritum cujuslibet simplicis creaturæ finitum est, nec ejus intuitu tenetur Deus gratiam posteris impertiri, nisi ex sua promissione; & consequenter *purus* homo nequit constitui morale caput, ex quo non ex Dei munifica largitate, sed ex justitia profluat gratia, & sanctitas cæterorum. In postremo pariter argumento haud multum operis & verborum insumam. Dixi enim libro XXI. cap. 8. offensam, quæ commensuratur cum dignitate personæ, esse illam, quæ conjuncta est cum despicientia & contemptu; & ideo veniale peccatum, licet sit Dei offensa, caret illa gravitate, quæ est in mortali, per quod constituitur finis ultimus in creatura. Affirmavi præterea adversus Jovinianum dari inter peccata mortalia discrimen, quia licet omnia afficiant injuria supremum Dominum, habeantque ex hoc capite maximam turpitudinem, ratione tamen violandi præcepta, & considerata cujuscunque peccati materia, unum est gravius altero, quia habet majorem voluntatis perversitatem, magisque recedit à regula incommutabilis æquitatis. Sed necessum non est, ut eo loci exposita repetantur. At, inquis, pro veniali peccato potestne *purus* homo satisfacere ad juris apices? Attenta peccati turpitudine potest quidem; idque tenent è schola permulti: nam cum veniale peccatum non habeat infinitam gravitatem, potest justus boni aliquid præstare, quod illi æquivaleat. Negant id tamen alii, quia hæc satisfactio esset ex gratia, non vero ex propriis. Cæterum non videtur omnibus momentum istud invictum, quoniam peccato duntaxat veniali non contrahitur debitum carendi ipsa gratia; neque hæc collata esset post ejusdem venialis peccati perpetrationem, ut ratiocinatur Suaresius disp. IV. q. 1. art. 2. sect. 9. Potest autem, inquiunt, fieri satisfactio etiam ex bonis dono acceptis, dummodo non conferantur post contractum debitum, & eo fine, ut istud deleatur, sicuti pecuniâ dono collatâ persolvitur inter homines debitum aliunde proveniens. Verum, si cui inhæreat opposita persuasio, reponet nunquam creaturam vindicare sibi jus donorum Domini sui; licet id eveniat inter homines, quos inter transferri potest dominium. Adde gravitatem peccati, nisi infinita sit, spectare nihilominus ordinis diversitatem: quæ omnia declarata sunt paulo supra. Ex quibus colliges me in postremam sententiam propendere, altera tamen in suo jure relicta.

CAPUT IX.

Ad universos homines, etiam fœminei sexûs, non vero ad dæmones pertinere Christi Domini redemptionem.

SUMMARIUM.

1. Christus pro omnibus est mortuus.
2. Multi hoc beneficio abutuntur.
3. Christus electis applicat mortis suæ fructum.
4. 5. 6. Etiam mulieres sunt redemptæ.
7. usque ad 12. Solvuntur objectiones.
12. An Christus sit redemptor dæmonum.
13. Refellitur sententia affirmans.
14. & seqq. Solvuntur objectiones.

1. Christus pro omnibus est mortuus.

CIRCA humani generis redemptionem tria adhuc remanent inquirenda: quorum primum est, an pro omnibus, ac singulis hominibus piissimus Jesus sanguinem fuderit, an duntaxat pro electis ante Mundi constitutionem: quod postremum commenti sunt Calvini asseclæ, Janseniani, & quorumdam opinione Prædestinatiani hæretici quinto Ecclesiæ sæculo, & vertente 9. Gotheschalcus, damnatus in Carisiaca Synodo ab Hincmaro Remensi coacta. De quibus postremis quid sentiamus, vide lib. VI. cap. 14. Immitem hanc, rigidamque sententiam, non solum à prælaudata Synodo, verum etiam à Tridentina sess. VI. cap. 2. ac postea in v. propositione Jansenii Romanorum Pontificum definitione damnatam, contumeliosam Christo, ejusque flagrantissimæ, maximæque charitati derogantem, 3. capite lib. XVII. refutavimus. Contraria est enim divinis Scripturis, asserentibus *unum pro omnibus mortuum esse: dedisse semetipsum redemptionem pro multis: pro omnibus gustasse mortem: Salvatorem esse omnium; nec pro nostris tantum peccatis propitiationem esse, sed etiam pro totius mundi.* Hæc enim leguntur 2. ad Corinth. v. 14. prima ad Tim. II. 6. ad Heb.

Heb. 11. 9. ad Tim. IV. 10. ac 1. Joan. 11. 2. Quæ loca, quoniam producta sunt eodem libro XVII. & repetita hoc, in quo versamur, contra Socinum, necessum non arbitror prolixius, diuque inculcare. Repugnat quoque sententia illa impia, ac blasphema traditioni Patrum universorum; Irenæi asserentis cap. 17 lib. v. Christum *propitiasse pro omnibus Patrem:* Clem. Alex. scribentis in VII. Strom. illum *prorsus omnium, nullo excepto, Servatorem esse:* Origenis in IV. adversus Celsum conscribentis, *non iis tantum mederi voluisse, qui in uno erant orbis angulo, sed quantum in ipso fuit, iis qui ubique sunt:* Nazianz. Orat. 42. *universum orbem instaurasse:* Ambrosii in 2. lib. de Abel & Cain, cap. 3. *pro salute universorum advenisse:* S. P. Augustini tract. XXXVI. in Joan. *venisse ut salvaret eos etiam, qui salvari noluerunt:* Prosperi ad object. IX. Gallorum, *rectissime dici pro totius mundi redemptione crucifixum:* Anselmi in primam ad Tim. cap. 2. *mortem pro omnibus sustinuisse, ut omnes à morte redimeret.* Atque hæc pariter, cum obvia sint iis omnibus, qui vel in nostras, vel in aliorum dissertationes oculos conjecerunt, satis est recapitulatione quadam recensuisse. Adversatur tandem placitum illud hæreticorum rationi, quæ petitur ex originali peccato, cui omnes filii Adam nascuntur obnoxii: ex oratione, quam pro omnibus tenemur effundere: ex Ecclesia, quæ in sui gremium quoscunque excipit: ex Evangelii prædicatione per universum terrarum orbem: ex Domini *Jesu* nomine: ex Mediatoris officio: ex Judicis potestate: ex sacrificii valore: ex charitate, qua proditorem amplexus est, qua pro crucifixoribus exoravit, qua tota die ad populum non credentem, & contradicentem manus extendit; quæ item produximus Tom. III. pag. 223. & sequentibus.

2. Redemptionis Beneficio multi abutuntur.

In hac tamen universali redemptione permultos esse, qui mortis ejus beneficium non recipiunt, expressa est definitio Tridentini sess. VI. cap. 3. ac tradita olim ab Augustino in Ps. 87. & Tract in Joan. 45. à Prospero ad ob. Gallorum 9. necnon à Valentina Synodo cap 4. & à Lugdunensi Ecclesia in Epist. *de tenenda Ecclesiæ veritate:* & quam comprobat experientia reproborum multorum; quorum aliqui prædicato Evangelio non credunt, aliqui susceptа fide transgrediuntur mandata, aliqui à justificatione statim decidunt, aliqui demum justitiam, quam diu servaverant, miserando lapsu pessundant. Id tamen communi Redemptioni, qua Christus pro universis hominibus profudit sanguinem, minime derogat: sive dicamus Christum sua passione omnes redemisse *instituendo causam nostræ liberationis*, sed passionem ipsam suo carere effectu, nisi applicetur *per fidem, per charitatem, per Sacramenta*; quæ est sententia nostra præcitato Volumine pag. 227. imo D. Thomæ 3. p. q. 49. art. 1. sive asseramus, quod idem prorsus est, requiri ad percipiendum fructum redemptionis assensum nostrum, quo non inviti, sed libero arbitrio cooperante divinæ gratiæ, accedamus ad Christum, & corpori ejus coaptemur; ut explicavimus præcedenti cap. 5. sive cum Theologis plurimis dicamus adesse singulis beneficio Christi sufficientem gratiam, qua possint salutem consequi: sive denique affirmemus gratiam ipsam universis præparari, atque exhiberi, neque denegari ulli mortalium, nisi quis sua culpa, rectissimoque judicio Dei permittente, veræ luci, quæ *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, claudat oculos: quod nos pariter diximus Tom. III. pag. 290. in qua sententia nihil derogari voluntati, quæ in Deo est, salvandi omnes, & beneficio universalissimæ redemptionis, hinc colligitur, quod non est tribuendum Soli, *si quis generali lucis beneficio se fraudet, quia clausis fenestris immissos radios excludat;* ut diximus eodem volum. pag. 292. & docuerat ante nos S. Thomas 1. 2. q. 79 art. 3. ante Thomam vero iisdem verbis Ambrosius in Ps. 118. serm. 8. n. 57.

3. Christus electis etiam applicat mortis suæ fructum.

Verum tamen est, quod pro ovibus suis, in sempiternum regnum prædestinatis non tantum Christus mortuus est *causaliter*, & instituens *causam liberationis*, sed etiam iis mortis suæ fructum impertitur, & salutiferum remedium reapse applicat: quod est redemptionis singularis quædam proprietas; veluti si medicus non solum faciat medicinam, ex qua possint morbi omnes sanari, verum etiam quibusdam ægrotis illam applicet: quod est peculiaris benevolentiæ argumentum, haud imminuens virtutem medicaminis instituti pro omnibus, exhibiti singulis, & adversus omnium morborum genera efficaciissimi. Specialem hanc erga electos dilectionem probant ea Scripturarum, Sanctorumque testimonia, quibus abutuntur hæretici, ut imperitis suadeant Christum pro solis electis sanguinem profudisse; respicientes, ut ajebat beatus Prosper,

Prosper, ad infidelium partem, qui delectati captivitate redimi noluerunt, aut ad eandem sunt servitutem reversi, non vero ad Sacramenti virtutem, atque ad mortem, quam Redemptor subiit propter communem omnium hominum perditionem. Nos itaque redemptionem, ejusque fructum, Augustino, Prospero, D. Thoma, ac Tridentinis Patribus erudientibus, accurate distinguentes nulla Novatorum cavillatione percellimur. Nec quod illi ajunt Christo perspectam fuisse reproborum pervicaciam, ac damnationem, nos aliqua ratione perstringit: quia non debebat munus suum ob aliquorum perversitatem deserere; sicut publicus medicus visitat omnes in xenodochio laborantes, & publicus Advocatus damnandorum quoque agit causam: ne quis dicat, ille medici culpa decessit, is strangulatur indiligentia advocati. Communi ergo suscepta causa, debuit Christus pro omnibus immolari; ne perditissimi homines vel pretium sanguinis ejus parvipenderent, vel prætermisso Mediatoris officio propriam adscriberent damnationem. Atque his summatim, omnibusque simul comprehensis pertractata iterum est controversia de universali hominum Redemptione.

De Mulieribus.

4. Etiam mulieres à Christo sunt redemptæ.

Nunc vero præconceptam à nobis justissimam indignationem adversus Redemptoris nostri inimicos, deliniam lepida quæstiuncula, quæ est hujus capitis pars altera, an mulieres quoque sint à Christo redemptæ. Id etiam, inquis, in disputatione positum est? nonne & mulier formata ex una costarum Adæ habet nobiscum ejusdem generis corpus, animumque ratione præditum? quisnam tam insanus fuit, ut ad hoc insinuandum ipse voce & sensu obbrutesceret, aut sacrilegio jocaretur? Fuit is quidam Horatius Plata in opusculo typis edito Lugduni 1647. ejusque meminit in Historia hæresum Dominicus Bernini Tom. 1. pag. 30. ac refutavit tam supinum errorem Philippus Maria Boninus edito adversus Platam libro vernacula lingua conscripto, & postea Opere, cui titulus, *Advocatus mulierum*, Franciscus Bordonius.

5. Probatur.

At primo manifestum est, mulieres eandem nobiscum naturam gerere, quia Gen. 1. 26. post ea verba, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, sequitur, *Masculum & fœminam creavit eos:* quo textu non utor modo cum Bordonio, ut probem in fœmina, sicut in viro, imaginem Dei relucere, quippe ibidem, & versu proximo, necnon cap. v. versu 1. Dei imago singulari numero tribuitur ipsimet viro, eique revera titulo convenit speciali, tametsi etiam mulier ratione mentis, & animi divinam imaginem præseferat; sed interim illud tantum assumo, quod pronomen *eos* nequeat ad aliud referri vocabulum, nisi ad præcedens, *hominem*; ideoque tam masculus, quam fœmina *homo* est. Deinde volucres, jumenta, ac bestias terræ, sive masculini sint generis, sive fœminei, species habere suas, atque in his masculum & fœminam non esse dissimiles, constat ex eodem cap. 1. Geneseos, versu 24. & ex cap. VI. 19. Quare autem brutis conceditur ejusdem naturæ fœmella, non autem viro? Præterea II. Genes. vers. 18. appellatur mulier *adjutorium simile* Adamo: atque Adam ipse cap. III. 12. suam illam vocavit *sociam*. Ineptit autem Plata, dum ait mulierem esse viri adjutorium, ut sutoris acus, & agricolæ asellus; quandoquidem mulier est *adjutorium simile;* non sexu, ut per se liquet, adeoque natura. Si enim ad similitudinem sufficit ratio tantum adminiculi, vel instrumenti; irrisorem fœminei sexus dicemus jure similem asino, si unquam hoc animal ipsum proprio dorso vectavit. Est insuper mulier procreata in viri adjutorium, ut esset gignendorum liberorum auctrix; quod, ut commonstrat idea generationis, requirit naturæ similitudinem. Societas quoque est ratione utentium mutua consuetudo, Philosophorum nemine repugnante. Demum, ut vir, ita fœmina corpore, animoque prædita est. Et de corpore quidem ait Adam Gen. II. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea:* de anima vero, sive per *metonymiam* de personis anima non destitutis, Petrus Epist. 1. cap. III. 20. *Octo animæ salvæ factæ sunt per aquam:* in quibus connumerari uxores Noe, & filiorum ejus constat ex Genes. VII. 7. quo etiam in libro cap. XLVI. 27. *Animæ domus Jacob* ingressæ in Aegyptum dicuntur *septuaginta:* animæ scilicet *filiorum, & filiarum*, ut habetur eodem cap. versu 15. Est ergo mulier animal præditum anima & corpore. Nec dici potest animam mulierum destitutam esse ratione; divina enim Scriptura, Patres, Historici, nostrorum quoque temporum experientia commendant mulieres plurimas, nulli virorum sanctitate, prudentia, doctrina, & rerum agendarum experimento posthabendas. Quis enim præstantior Sara, Rebecca, Judith, Esthere, Anna, aliisque in vete-

ris Testamenti historia magnopere commendatis? Quis eloquentior apud Ethnicos Aspasia, Amphiclæa, Sapho, cæterisque compluribus? Claret Hieronymi laudibus Eustochium, Paula, Fabiola, Marcella; Augustini præconio Monica, Italica, Florentina: laudat Clemens Alexandrinus Arthemision, Didymus Anaxandram, Eusebius Hypatiam. At sanctarum martyrum, ac virginum gloriosa pro fide certamina, & virtutum omnium decora nec recensere possumus, nec digne admirari. Una tantum fœmina hominum, & angelorum universorum merita superavit, Genitrix Dei, & perpetua Virgo Maria. Verum illustriores apud Gentes mulieres laudarunt Boccacius, Ribera, Alexander Piccolomineus: inter Divos relatas recensent Sanctorum Acta: eas autem, quæ florent ætate nostra ingenii acumine, morumque honestate, celebrabit venerabunda posteritas.

6. Confirmatur.

Sunt ergo fœminæ ejusdem cum viris naturæ, ideoque redemptæ à Christo, qui communem causam suscepit. Et quantum spectat ad Redemptionem; apertissimum est, etiam in mulieres debacchari mortem, & calamitates innumeras, quæ consequuntur antiquam maledictionem, ad quam solvendam venit humani generis Reparator. Is ergo debuit etiam pro mulieribus subire mortem. Nam ad quos pertransit pœna primæ prævaricationis, ad illos omnes extenditur passio Christi; ut demonstrat serm. 214. Tom. 2. pag. 154. Albertus noster Patavinus, vulgari dístticho:

Mortis homo calicem gustavit ut omnis in uno;
Omnis in unius morte revixit homo.

Et quidem legimus Act. 11. 17. tam filios hominum, quam filias frui participatione Spiritus Christi: in priori ad Corinth. VI. 18. nedum filiis, sed & filiabus adoptionis filiorum Dei beneficium conferri: ad Philipp. IV. 3. mulierum quoque nomina esse in libro vitæ: in prima Petri III. 5. etiam mulieres sanctas sperare in Deo, & versu 7. cohæredes esse *gratiæ vitæ*. Quomodo autem iis, quæ non sunt participes redemptionis, conferri potest Christi gratia, communicatio Spiritus sancti, & pignus hæreditatis? Præterea Christum gessisse salvandarum mulierum solicitudinem comprobatur ex misericordia qua excepit Chananæam, ex illius cum Samaritana colloquio, ex ejus ad Martham exhortationibus, ex ingenti erga hujus sororem charitate, ex suscepto adulteræ patrocinio, ex collocutione facta, dum Golgotham ascenderet, cum filiabus Jerusalem: licet præbens nobis exemplum niniæ familiaritatis vitandæ, à fœminarum contuberniis diligentius caveret, quam à conviviis publicanorum. Apostoli denique mulierum salutem æque ac virorum procurarunt. Paulus in I. ad Corinth. VII. docet quæ cura habenda sit virginum: ad Philipp. IV. admonet Evodiam, ut cum Syntyche concordi sit animo: ad Timoth. I. cap. V. plura habet de viduis: Petrus Epist. I. cap. 3. instituit, atque erudit ad probitatem junctas marito. Ita Clemens Alex. Tertullianus, Ambrosius, aliique Patres de Pædagogiis puellarum, de habitu mulierum, & de Institutione Virginis pertractarunt: non causa duntaxat nostri, quo fine reguntur & bestiæ; sed ut ipsæ mulieres consequerentur nobiscum sempiternam felicitatem; quippe non solum eis tradiderunt regulas domesticorum officiorum, verum etiam capessendæ æternæ vitæ præcepta. Hanc ergo tam viri, quam mulieres assequi possunt beneficio passionis Christi.

7. Objectioni Platæ.

Ex III. argumentis, quæ urget Plata adversus mulieres, hæc sunt præcipua. Primum fœmina non est producta ad imaginem Dei. Non itaque participat rationalem animum, in quo sita est hæc imago. Antecedens probatur ex Genes. I. 27. ubi legitur: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum, masculum & fœminam creavit eos.* Similia habentur cap. V. 1. & utrobique imago Dei tribuitur tantum viro. Accedit Apostolus, qui in 1. ad Corinth. XI. 6. ait de muliere: *Velet caput suum*: at de homine, versu proximo inquit: *Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago, & gloria Dei est.* Ergo mulier juxta Apostolum non est imago & gloria Dei. Item in cap. *Hæc imago*, Causa XXXIII. q. 5. num. 13. Augustini verbis sic Apostoli sententia explicatur, *Mulier autem ideo velet, quia non est imago Dei.* In eandem rem conspirat Ambrosius in Epistolam ad Corinthios. Præcitatus Augustinus libro XI. de Gen. ad lit. cap. 42. num. 58. asserit Apostolum mulieri imaginem Dei non tribuere: idem sensit Magister Sent. dist. XVIII. lib. II. n. 2. Præterea objicit Plata, Mulieres destitutas esse ratio-

ratione, inde colligitur quod nec peccati labem, nec remiſſionis gratiam habere queant. Si enim peccatum contrahunt, cur pro ipſis inſtitutum non fuit originariæ contagionis remedium, uti pro maſculis circumciſio? Etiam baptiſmum pro viris tantum inſtitutum fuiſſe colligitur ex cap. ult. Mat. verſu 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos.* Non iſtic occurrit fæminini generis pronomen, ut exigebat τὸ *Gentes*, ne quis crederet mulieres ſacro tingendas eſſe lavacro. Rurſus opponit, fœminas ſubjici dominio viri, ut beſtiæ & jumenta Geneſ. 1. 26. ſubjecta ſunt Adæ: ineptas eſſe ad Reipublicæ regimen, eisque prohiberi docendi munus in prima ad Timoth. 11. 12. necnon cap. *Mulierem*, Cauſ. xxxiii. q. 5. n. 17. Ex quibus liquet quantum intercedat inter fœminas, virosque diſcrimen. Poſtremo nullam habere illas in redemptione partem, infert Plata ex quo ſatis demonſtratum ſupponat in humano genere non comprehendi: additque fuiſſe Chriſto Domino ſummopere exoſas: cani comparaſſe mulierem Chananæam: eidem dixiſſe ſe non pro fœminis miſſum, ſed pro ovibus domus Iſrael, Matth. xv. 24. nullum mulieribus beneficium præſtaſſe; nam & puella, quam fertur revocaſſe ad vitam, Lucæ viii. 52. dormiebat: præcepiſſe ut relinquerentur uxores, Mat. xix. 29. & Lucæ xiv. 26. non permiſiſſe tangi ſe à muliere poſt reſurrectionem, Joan. xx. 17. Quid plura? etiam Matri hoc reſponſum dediſſe, Jo. ii. 4. *Quid mihi, & tibi eſt, mulier?* Indiciis igitur tam apertis oſtendit Dominus, quam vehementer ſexum fœmineum aſpernaretur. Hæc improbus deriſor, ineptus joculator, & peſſimus dialecticus.

8. Reſpondetur ad 1.

Reſpondetur ad primum, levis hujus ſcrupuli eximendi rationem eſſe, ſi quid importet Dei imago attendamus. Hæc primum ſita eſt in facultate intelligendi ac volendi, deinde in dominio, quo rationalis creatura præeſt cunctis animantibus; tandem in productione, qua primus homo omnes ex ſua poſteritate præcedit. Diſſeruimus de hac re Vol. ii. pag. 10. & 307. Ergo ſi accipiamus imaginem Dei pro facultate intellectrice, qua conſiſtit natura hominis, tam maſculus, quam fœmina refert imaginem Auctoris ſui; ſi pro dominio erga res homini ſubjectas, hæc imago principaliter in homine, deinde etiam in muliere invenitur; ſi denique pro initio & prima cauſa effectrice humani generis, ſolus vir eſt gloria & imago Dei. Itaque in primo Geneſis ratio divinæ Imaginis maſculo ac fœminæ indiſcriminatim tribuitur, ubi legitur, *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam;* hic enim *homo* eſt maſculus, & fœmina, nam ſequitur, *maſculum & fœminam creavit eos*; nimirum uterque productus fuit præditus corpore & animo. Ibidem tribuitur tam viro, quam mulieri dominium in alia terræ animantia; legitur enim ibidem, *Benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam, & dominamini piſcibus maris, &c.* Nihilominus quia vir prior, quam fœmina creatus eſt, de illo ſingulari numero repetitur, *Ad imaginem Dei creavit illum.* Liquet vero quod ſi accipiatur *imago* hoc poſtremo ſenſu, etſi tribuatur duntaxat viro, non infert in illo naturæ diverſitatem, nam alias nullus filiorum Adam eſſet homo, quoniam prior factus eſt Adam, quam filii poſſent ab eo gigni. Apoſtolus pariter docens fœminas humilitatem & verecundiam, uſurpat vocabulum *imaginis* quatenus in homine effulget regiminis dignitas, & principatus: unde ait, *Non enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro. Etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum.* Atque hinc recte ſequitur, caput mulieris velandum eſſe, quia velamen in capite indicium eſt poteſtatis alterius, teſte eodem Apoſtolo, qui ibidem verſu 10. pro velamine uſurpat *metonymice* vocabulum poteſtatis, ſcribens, *Debet mulier poteſtatem habere ſupra caput*: & econtra non velare caput ſuum, ut Auguſtinus inquit ſerm. iv. in Octava Paſchæ, nunc 376. num. 2. *eſt indicium libertatis.* Eodem pacto accipitur Dei imago in Cap. xiii. Cauſa 33. q. 5. quippe legitur eo loci, *Hæc imago Dei eſt in homine, ut unus factus ſit quaſi Dominus, ex quo cæteri orirentur, habens imperium Dei, quaſi vicarius ejus.* Opus tamen Quæſt. vet. & novi Teſt. ex cujus cap. 106. deſumptus eſt canon, non eſſe Auguſtini conſentiunt Eruditi. Mitto reſponſionem Auctoris libri *de nobilitate mulierum*, Etruſco idiomate eloquenter conſcripti, editique anno 1549. pag. 15. Ambroſio etiam falſo tribuuntur Commentaria in Epiſtolas Pauli; ubi tamen adverſus Platam legitur, *Quamvis una ſubſtantia ſit vir & mulier.* In lib. xi. de Gen. ad lit. loquitur Auguſtinus eodem ſenſu, quatenus mulier ſubjicitur *viro regenti, & diſpenſanti:* at S. Pater Dei imaginem locat etiam in rationalis animi perceptione, & amore, lib. vii. de Trinit. & xxiv.

contra Faustum. Atque his omnibus subscribit Magister, cujus citato loco hæc sunt verba: *Per hoc imago Dei in homine apparuit, quia sicut Deus omnibus rebus extitit principium creationis; ita homo omnibus hominibus principium generationis.* Dicam verbo, Mulier non est imago Dei, ratione *naturæ*, nego: ratione *potestatis*, concedo. Vide quæ scripsimus lib. XII. cap. 7.

9. Respondetur ad 2. Ad argumentum alterum hoc habeto responsum: si mulier peccare nequit, cur Levitici xx. adversus illas, quæ viris alienis commiscentur, æque, ac viris ipsis mors præscribitur? cur in adulterio deprehensæ ait Jesus, Joan VIII. 11. *Vade, jam amplius noli peccare?* cur mulieri, *quæ erat in civitate peccatrix*, inquit, Lucæ VII. 48. *Remittuntur tibi peccata?* Pro fœminis ergo instituta remedia peccatorum indubitatum est; cum in Levitico pro utroque sexu occurrant sacrificia, atque expiationes; & licet ignoremus quale fuerit olim remedium pro originali peccato, quantum ad fœminas attinet, negare non possumus extitisse; sicut fateri tenetur adversarius de masculis ante institutam circumcisionem. De baptismate vero scriptum est, *Baptizantes eos*, digniori genere consueta oratione usurpato pro epicœno & promiscuo, ut Gen. I. 27. *Masculum & fœminam creavit eos.* Mirum! quod adeo insanierit Plata, ut mulieribus denegarit regenerationis lavacrum, tam labili fundamento innixus. Quomodo enim in ejus mentem cadere potuit nullam extitisse fœminam in domo Stephanæ, quam baptizavit Paulus, I. ad Corinth. I. 16. nullam in familia custodis carcerum, cujus domum totam baptizatam legimus Act. XVI. 36. nullam in multitudine trium millium, de quibus eodem libro, cap. II. 41.? Atque si id quoque potuit comminisci; nonne in ipsis Apostolorum Actibus cap. XVI. 15. de Lydia purpuraria muliere civitatis Thyatirenorum habetur, *Cum autem baptizata esset, & domus ejus?* nonne legimus præcedenti cap. VIII. 12. *In nomine Jesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres?* Vide ergo quam Plata deliret, dum in patrocinium erroris sui advocat sacras literas.

10. Respondetur ad 3. At argumentum tertium sic refellitur. Nedum viro, sed & mulieri dictum est Gen. I. 28. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram;* non ergo eo pacto, quo jumenta, viris subjectæ sunt fœminæ; à quibus domum quoque regendam docet Paulus in prior. ad Timoth. V. 4. Debebat vero uxor subdi marito, quoniam in quolibet bene instituto regimine, unus præest; ut imperator exercitibus, civibus princeps: nec tamen ratione carent qui reguntur, alioqui bestia fuit Plata alieno subjectus imperio. Ut mulieres in Ecclesia taceant, recte monet Apostolus I. ad Corinth. XIV. 34. & ad Timoth. II. 11. nam docere publico in loco est auctoritatis indicium; atque hæc causa affertur præcitato Canone, *Mulierem constat*: sed esse fœminas ad perdiscendum idoneas asserit Apostolus utroque in loco; in primo quidem scribens, *Si volunt discere, domi viros suos interrogent:* in altero, *Mulier in silentio discat cum omni subjectione.* Imo non defuerunt, quæ, ut olim apud Græcos Aspasia, apud Italos in publico Licæo tradiderint disciplinas, Patavii præsertim, ac Bononiæ, ubi etiamnum ingenii sui specimina exhibet lectissima mulier Laura Catharina. Num optime id factum, non quæro; nam sat est hinc inferre, uti masculos, ita fœminas pollere mentis acumine, ingeniique præstantia.

11. Respondetur ad quartum. Ultimum vero argumentum indignum est, ut à nobis responsum habeat; perlegat ergo adversarius Evangeliorum historias, & inveniet Mariam sororem Marthæ à Christo laudari Lucæ X. 42. sanatam ab ipso socrum Simonis, IV. 39. fœminam alteram habentem decem & octo annos infirmitatis, XII. 12. *reversum* eo jubente *spiritum* mor uæ puellæ VIII. 55. exhibuisse illum Samaritanæ *aquam vivam*, Joan. IV. 10. dilexisse Martham ac sororem XI. 5. commendasse Matrem discipulo, XIX 27. plorantem mulierem fuisse solatum, XX. 15. Quærit cur de Filia principis synagogæ dixerit, Lucæ VIII. 52. *Non est mortua puella, sed dormit?* Etiam de Lazaro vita functo inquit Joan. XI. 11. *Amicus noster dormit;* quia potest Dominus *tanta facilitate excitare mortuum è sepulchro quanta* nos non excitamus *dormientem de lecto;* ut ait Tract. XLIX. num. 9. Augustinus. Petit cur Chananæam comparaverit *cani?* Ipse quoque appellatus est *Agnus*, & quemadmodum Christus *Agno* comparatur propter humilitatem, ita Gentes *canibus* assimilantur, quoniam colentes idola quasi *lapides lingunt*, ut animadvertit S. P. serm. 74. de Chananæa, nunc 77. num. 10. Inquirit cur Dominus se missum dixerit *ad oves Israel?* Etiam pro hominibus non Israelitis genere passum Christum, fatetur Romanus homo mulierum despector; & Judæis Dominus ita *sui corporis præsentiam* exhibuit, ut oves, *quas habebat in gentibus*

bus non contemneret, inquit Augustinus citato Serm. num. 4. In cap. XIX. Matth. & Lucæ XIV. non solum uxores dicuntur relinquendæ, sed etiam filii, parentes, ac fratres. Nullus ergo hominum est homo? Quis ita deliret? Imo uxores diligendas amore quodam peculiari, legimus Gen. II. 14. Matth. v. 32. ad Eph. v. 25. & ad Colos. III. 19. Mulieres ergo (quomodo & cæteri hominum) fugiendæ sunt, *si in Dei nobis itinere obsistant*, inquit hom. 37. in Evang. Gregorius Magnus. Noluit Christus post resurrectionem tangi à muliere, quia hæc figurabat Ecclesiam de gentibus, *quæ in Christum non credidit, nisi cum ascendisset ad Patrem*, juxta Augustinum Tract. in Joan. CXXI. num. 3. vel quia *non est quærenda gloria, donec perveniamus ad Patrem, ubi sit gloriatio omnis jam secura*, juxta Bernardum serm. v. de Omnib. SS. num. 7. Præstitisse Jesum Genitrici obedientiam filii constat ex Lucæ II. 51. In Cana autem Galilææ cur illam appellaverit *mulierem* communi vocabulo, diximus hoc eodem Volumine pag. 64. Si quis ergo joculari audacia tecum nugas agat ineptiens cum Plata; hac nostra lucubratiuncula, juxta vetus adagium Proverb. XXVI. 5. *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.*

De dæmonibus.

12. An Christus redemptor dæmonum.

Tertio loco quærendum est, an Christus dici possit redemptor dæmonum, & damnatorum hominum: Origenes enim hom. 1. in Levit. Comment. in Joannem, & in Epist. ad Rom. etiam angelos, imo & astra, quæ arbitratus est spiritali animo prædita, censuit morte Christi fuisse purgata; quod & sensit Didymus in Epistolam 1. Petri, Tom. IV. Bibl. vet. PP. p. 325. & quamquam Vasquesius III. p. disput. 49. cap. 5. scribat falli Sixtum Senensem, qui lib. v. Bibl. An. 107. adscribit prædictum errorem Origeni Com. in Leviticum, & videatur de aliis Origenianis locis ambigere; ipse tamen Vasquesius, inquit eruditus Petavius lib. XIV. de Incarnat. cap. 10. *falsus est.* Profecto Origenem in ea fuisse sententia, quod perpetua non sit pœna dæmonum & damnatorum (qui error est huic valdè affinis) exploratissimum est, ut diximus lib. x. cap. 17. Verum aliquando illius pœnæ finem videtur adscribere sacrificio Crucis jam peracto; aliquando autem tradit iterum venturum Dominum, ut pro angelis crucifigatur, uti legitur in Epistola Justiniani Imperatoris ad Mennam, quæ extat in Actis v. Synodi, aliisque in locis paulo post proferendis. Nonnulli eundem errorem de redemptis à Christo angelis tribuerunt S. Hieronymo, post Rufinum in priori Invectiva. Vasquez citato loco scribit non satis constare, an Hieronymus ex propria, an ex alterius sententia ita docuerit; sed paulo post castigatius loquens, existimo, inquit, errorem memoratum non docuisse ex propria sententia; sed ex aliorum libris, aut Origenis, aut Apollinarii, aut Didymi ad verbum transtulisse. Id extra omnem dubitationem positum esse demonstravi tertio Volumine pag. 217. Divinum Verbum Angeli induisse naturam est hæresis vetustior Origene, refutata à Tertulliano cap. XIV. de carne Christi: sed Tertullianus ibidem non redarguit asserentes à Christo redemptos dæmones, ut falso scribunt recentiores quidam eruditi; sed ex quo angeli non sint redempti, refellit nonnullos, qui opinabantur, non Christum esse salutis nostræ auctorem, sed angelum, quem Christus induerit: quod constat ex ipso Tertulliano, & annotatum est à Jacobo Pamelio num. 110.

13. Refellitur sententia affirmans.

At primum Origeniana sententia refellitur iis momentis, quibus alibi demonstravimus sempiterna fore dæmonum, aliorumque reproborum supplicia: quod expresse habetur Dan. XII. 2. Matth. XXV. 41. Marci III. 29. ad Thessalon. secunda I. 9. in Epistola Judæ versu 13. Apoc. XIV. 11. ac traditur ab Irenæo lib. IV. cap. 47. nunc 28. à Tertulliano cap. 13. Apologetici, à Lactantio in secundo Institut. libro cap. 12. ab Hilario Canone 27. in Matth. ab Ambrosio in Octonario 20. Ps. 118. ab Hieronymo in cap. 25. Matth. ab Augustino lib. XXI. de Civit. Dei, à Magno Gregorio lib. XXXIV. Moralium cap. 16. nec non ab ab aliis Patribus, quorum constantissimam traditionem necessum non est iterum explorare. Deinde ex sacris literis colligitur Christum esse Mediatorem *Dei & hominum*, 1. ad Timoth. II. 6. Salvatorem *omnium hominum*, ibidem cap. IV. 10. dedisse *semetipsum pro nobis*, ad Tit. II. 14. Ubi autem legitur, esse Mediatorem Angelorum, Salvatorem dæmonum, Redemptorem damnatorum? Præterea ineptum est, putidumque commentum, asserere divinum Verbum induisse Angelorum naturam, cum Joannes cap. I. 14. affirmet tantummodo factum carnem, & in nobis habitasse, Paulus ad Hebr. II. 16.

scribat nunquam ab illo apprehensos *Angelos*, sed *semen* duntaxat *Abrahæ*; ipse Dominus testetur Lucæ xv. 4. advenisse se ad inveniendam ovem unam perditam, in qua Patres figuratum agnoscunt humanum genus: atque aperte asserat capite ejusdem Lucæ xi. 22. à se dæmonis spolia diripienda, Joan. xiv. 30. nihil sibi negotii esse cum principe tenebrarum, & præcedenti cap. xii. 31. foras hunc ejiciendum esse, atque exturbandum. Insuper apertissime Patres hanc veritatem confirmant. Tertullianus citato cap. xiv. de carne Christi inquit: *Nullum mandatum de salute angelorum suscepit Christus à Patre: quod Pater nec repromisit, nec mandavit, Christus administrare non potuit.* S. P. Augustinus in Ench. ad Laurentium cap. lxi. n. 16. ait: *Non enim pro Angelis mortuus est Christus.* Greg. Magnus lib. iii. in Regum libros Tom. i. pag. 115. scribit malos angelos *pœnitentiam agere de perpetrata superbia nunquam posse:* & in iv. Moral. cap. 12. Tom. 2. pag. 382. *Idcirco namque Redemptor noster, non angelus, sed homo factus est, quia hoc proculdubio fieri debuit, quod redemit, ut & perditum angelum non apprehendendo desereret, & hominem in semetipso apprehendendo repararet.* Ad hunc modum loquuntur alii Patres. Ad hæc vel Angeli mali salvari possunt beneficio mortis Christi jam præteritæ, vel juxta Origenianum delirium morte, quam iterum Christus perferet. Non beneficio mortis Christi transactæ; quoniam, ut vidimus, in hac devictus est diabolus, non redemptus; expulsus & judicatus, non factus salvus: perseveratque etiamnum inimicitia inter semen mulieris, & antiquum serpentem: cui nihil molestum magis & odiosum, quam Christi gloriosissimum nomen, fideique & Ecclesiæ propagatio. Multo minus futura Christi morte salvabuntur cum membris suis angeli tenebrarum; nam *Christus resurgens à mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*, inquit Paulus ad Rom. vi. 9. Quo testimonio Bernardus serm. 54. in Cantica num. 5. Origenianum delirium refutat, damnatque *impudentis mendacii:* quemadmodum illud appellaverat *sacrilegium* Hieronymus in Epist. 59. nunc 94. ad Avitum, & apud Hincmarum loco citato Theophilus Alexandrinus in secunda Synodali, *vecordiam*, atque *dementiam.* Tandem, ut eo loci Theophilus & Hieronymus observarunt, fabricatum est Origenis commentum ex revolutione animorum: in qua sicuti opinabatur omnia circumagi, donec in meliorem substantiam commutentur, ita credidit Redemptorem nostrum qui salutem operatus est in medio terræ, iterum pro dæmonibus ac spiritualibus nequitiis in aere, vel apud superos affigendum cruci. Ut ergo ea revolutio, & animorum migratio est Platonicorum, Pythagoreorumque delirium, à nobis explosum lib. xii. cap. 6. ita eodemque jure subruitur, hoc fundamento suffosso, superstructa hujus & cæterorum errorum compago.

14. Objicitur.

Opponebant Origenistæ duo Pauli loca: unum ex Epistola ad Eph. i. 10. ubi legimus instaurari in Christo omnia, *quæ in cœlis & quæ in terra sunt*: alterum ad Coloss. i. 20. ubi legimus omnia per Christum reconciliata, & pacificata, *sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* His addi potest illustris sententia Hieronymi scribentis in Epistolam ad Ephesios Tom. 4. pag. 337. *Potest itaque responderi, quod absque peccato nullus sit, & sydera ipsa non sint munda coram Deo, omnisque creatura paveat Creatoris adventum. Unde & crux Salvatoris non solum ea quæ in terra, sed etiam ea quæ in cœlis erant, purgasse perhibetur.* Accedit quod Christus Agnus Dei, ut inquit Joannes i. 29. *tollit peccatum mundi*, atque, ut idem Joannes ait Epist. prima cap. ii. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi.*

15. Respondetur.

Verum hæc nil pro Origenianis evincunt: prioris enim loci sensus est, quem tradit Augustinus cap. 62. Ench. num. 16. his verbis: *Instaurantur quippe quæ in cœlis sunt, cum id, quod inde in Angelis lapsum est, ex hominibus redditur: instaurantur autem quæ in terris sunt, cum ipsi homines, qui prædestinati sunt ad æternam vitam, à corruptionis vetustate renovantur.* Si autem contendas idem esse *instaurare*, ac *recapitulare*, cum extet in Græco, ἀνακεφαλαιώσασθαι, *in unum colligere*; sensus erit, quod *omnis dispensatio, quæ est ante mundum, & postea esse cœpit in mundo, tam invisibilium, quam visibilium creaturarum, adventum Dei Filii pollicebatur*; inquit Hieronym. citato loco pag. 330. Chrysostomus hom. 2. pag. 1038 ait per peccatum abscissa fuisse *cœlestia à terrestribus*, & per Christum fuisse iterum conjuncta: & *instaurare* nihil esse aliud, quam *conjungere.* Exponendus est eadem ratione locus alter; quoniam Angeli per Christi redemptionem cum hominibus redierunt in gratiam, *post inimicitias, quas inter homines, & sanctos angelos pecca-*

peccata fecerunt; inquit S. P. Augustinus cap. 61. Ench. & Hieronymus eodem loco pag. 345. *quod Christus in suo sanguine terrena & cælestia copulavit, quæ inter se antea dissidebant.* Ac Joannes Chrysostomus hom. III. p. 1337. *Quæ autem sunt in cælis quomodo pacificavit? Illic quoque erat bellum, & pugna. Abscissa erat terra à cælo: bellum gerebant Angeli adversus homines, videntes suum dominum probro, & contumelia affectum.* Nihil ergo in Epistolis Pauli pro dæmonum redemptione. Sed nec in Joanne: nam mundi nomine intelliguntur homines in toto terrarum orbe diffusi, tam mali, quorum princeps diabolus dicitur *princeps mundi*, Joan. XIV. 30. quam boni, ex quorum corde *princeps hujus mundi*, id est, ipse diabolus *ejicitur foras*, Joan. XVI. 11. Legitote Augustinum Tract. LII. in Joannem num. 10. Innumera sunt Scripturarum loca, in quibus *mundus* pro terra, & inhabitantibus in ea hominibus usurpatur, Matth. XXVI. 13. Marc. XIV. 5. XVI. 15. Joan. I. 10. III. 17. VIII. 23. XII. 19. XVI. 28. ad Rom. I. 8. &c.

16. Vindicantur Epistolæ S. Hieronymi.

Quantum ad Hieronymum attinet; si quæ sunt in ejus Commentariis ad Epistolam Pauli ad Ephesios, quæ redolere videantur Origenianum dogma, ipsi Hieronymo nequaquam sunt tribuenda. Respondet enim Rufino similia objicienti libro I. Apologiæ pag. 365. Tom. IV. *Ego in Commentariis ad Ephesios sic Origenem & Didymum & Apollinarium secutus sum (qui certe contraria inter se habent dogmata) ut fidei meæ non amitterem veritatem. Commentarii quid operis habent? Alterius dicta edisserunt: quæ obscure scripta sunt, plano sermone manifestant: multorum sententiis replicant, & dicunt: Hunc locum quidam sic edisserunt: alii sic interpretantur: illi sensum suum, & intelligentiam his testimoniis, & hac nituntur ratione firmare: ut prudens lector, cum diversas explanationes legerit, & multorum vel probanda, vel improbanda didicerit, judicet quid verius sit. & quasi bonus trapezita, adulterinæ monetæ pecuniam reprobet. Num diversæ interpretationis, & contrariorum inter se sensuum tenebitur reus, qui in uno opere, quod edisserit, expositiones posuerit plurimorum?* Vide hujus Operis Tom. II. pag. 216. Addendum est modo, S. Hieronymum in fine Præf. Commentariorum in Epistolam ad Ephesios, in qua Præfatione obsecrat Paulam, Eustochium, & Marcellam, ne *maledicis & invidis* opuscula sua tradant, asserere se dedisse operam, *ut studiosus statim in principio lector agnosceret*, an *hoc opus* suum esset, *vel alienum*: unde arbitror in Hieronymi autographo fuisse accurate distincta, quæ sunt Origenis, quæ Apollinarii, quæ Didymi: ea vero postmodum indiligentia Amanuensium permixta nonnisi difficulter distingui. Præterea dato, quod verba superius objecta sint Hieronymi, possunt facile exponi ex dictis: asserendo scilicet, eatenus per crucem Salvatoris fuisse purgata omnia, quatenus terrenis & cælestibus copulatis, inter sanctos angelos, & homines inita est amicitia. Idem enim Hieronymus sese aperte explicat infra pag. 345. *Et hanc totam intelligentiam ad angelos, virtutesque cælestes, & ad animas temperabit humanas: quod Christus in suo sanguine terrena, & cælestia copularit, quæ inter se antea dissidebant: & bonus pastor morbidam ad montem revectans ovem, fecerit esse cum cæteris; drachmamque quæ perierat, drachmis quæ salvæ fuerant copulaverit: & mandata legalia ad illa retraxerit dogmata, ad quorum typum, & imaginem Moyses quæ essent in tabernaculo fabricanda conspexit. Atque ita fieri, ut crux Domini non solum terræ, sed & cælo profuerit: non solum hominibus, sed & angelis: & omnis creatura Domini sui cruore purgata sit.* En aperte Hieronymus *purgationem* creaturarum omnium, de qua supra pag. 337. scripserat, *Crux Salvatoris non solum ea quæ in terra, sed etiam ea quæ in cælis erant, purgasse perhibetur*, nihil aliud esse declarat, quam hominis, qui perierat, & angelorum, qui nunquam Deo contrarii fuerant copulatio.

17. Objicitur 3.

Præterea objiciunt Christum ad inferos descendisse, ut inde erueret etiam incredulos impiosque scribente Apostolorum Principe in Priori Epist. cap. III. 18. 19. 20. *Quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. In quo & iis, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam, cum fabricaretur Arca.* Verum perdifficilis Petri textus, etsi omnium fere interpretum torquet ingenia, nullo tamen pacto probat, incredulos, qui sine pœnitentia discesserant, fuisse extractos à Christo è sempiternis gehennæ suppliciis: sed accipiendus est uno, vel altero sensu ex iis, quos innuimus IV. volumine p. 242. id est, quod Christus

Respondetur.

Christus spiritu divinitatis prædicarat olim incredulis, quemadmodum adveniens in carne Judæis primum, deinde Gentibus Evangelium nuntiavit; sive quod ad inferos descendens, detentis in Patrum *lymbo* spiritibus lætum attulerit nuntium redemptionis peractæ, inter quos & ii connumerabantur, qui dum fabricaretur Arca, quamvis aliquandiu increduli fuerint, nihilominus priusquam fluctibus mergerentur, egerunt pœnitentiam. His addo Petrum eo loci nos hortari ad ferendum adversa, & calumniantium dicteria, proposito nobis exemplo Christi: qui cum justus esset, mortem oppetiit pro impiis, nec deseruit pervicaces; sed, ut olim ad pœnitentiam vocavit incredulos, ita venit ad filios Israel, qui ipsum recipere noluerunt: nec ad hos tantum, etiam ad nos delitescentes in tenebris & idolis addictos, quos salvos fecit, & per lavacrum regenerationis locavit in Ecclesia, cujus typum gerebat Arca Noe. Atque de hac planiori interpretatione legi poterit noster Basilius Poncius P. 1. variarum disputationum quæst. 9. expositiva nam hunc præ cæteris Petri verba accurate enodasse liquet ex Indice illustriorum interpretum Fabiani Justiniani.

18. Bellarminus modeste refellit interpretationem Augustini.

Nunc ego, quoniam prior interpretatio est Augustini in Epistola 164. ad Evodium, & postrema traditur à præclarissimo Ordinis nostri Theologo, in utramque paulisper intendam animum. Interpretationem Augustini refellit doctissimus Bellarminus, modeste tamen, eoque consilio, ut ex loco producto Petri demonstret adversus Novatores catholicum dogma de Christi descensu ad inferos. Ait se ideo ab Augustino recedere, quoniam & ipse fatetur se hunc locum minime intellexisse, rogatque, ut qui commodiorem invenerit interpretationem, ipsi impertiat: alia autem ex parte expositionem diversam suppeditant Patres; & momenta, quibus ductus est Augustinus, videntur infirma, cum Christi *spiritum* non ad animam referat, sed ad virtutem divinitatis, & nomine *carceris* intelligat custodiam corporis, non inferna animorum receptacula. Cornelius à Lapide Augustinianam illam interpretationem non rejicit, sed inquit esse potius symbolicam, & mysticam. Benedictus Justinianus ait, ab hac Augustini sententia parum admodum discrepare Novatores. Permulti illam absque nota ulla recensent, præferunt tamen allatam paulo supra secundo loco.

19. Expositio Augustini non est censurâ notanda.

Principio itaque affirmo Augustinianam expositionem nullâ esse censurâ notandam: cum in eadem Epistola num. 3. non solum Augustinus asserat Christi descensum ad inferos, verum etiam hunc demonstret ex Psalmo xv. 10. & ex Act. 11. 24. 27. concludatque in hæc verba: *Quis ergo, nisi infidelis, negaverit fuisse apud inferos Christum?* Quibus similia habet lib. XII. de Gen. ad lit. cap. 33. n. 63. & de Civit. Dei lib. xx. cap. 15. Nihil ergo habet Augustinus affine damnatis placitis Novatorum. Deinde affero, non solum Augustini sententiam probari à Beda, à D. Thoma, atque ab Interpretibus à Cornelio à Lapide laudatis, verum & ab aliis, ut à Joanne Gagnæo, à Tacito Nicolao Zegero, à Francisco Titelmano, cæterisque compluribus: Divum autem Thomam non probare illam duntaxat, sed existimare alia qualibet meliorem; nam 3. p. q. 52. art. 2. ad tertium inquit: *Augustinus tamen melius exponit in Epistola ad Evodium, ut referatur non ad descensum Christi ad inferos, sed ad operationem divinitatis ejus, quam exercuit à principio mundi.* Affirmo præterea, Augustinum existimasse traditam à se expositionem, non ambiguam & fluxam, sed talem, quæ non possit de falsitate convinci, & ex singulari ejus modestia non esse arripiendam ansam eam refellendi, sed apprehendendum documentum alias quoque interpretationes Sanctorum debito obsequio excipiendi, ut nos præstare studuimus præcitato volumine quarto. Ad hunc enim modum loquitur S. Pater in ipsa ad Evodium Epistola num. 22. *Hæc expositio verborum Petri, cui displicet, vel cui, etiamsi non displicet, non tamen sufficit, quærat ea secundum inferos intelligere. Qui si valuerit illa, quibus me moveri supra commemoravi, ita solvere, ut eorum auferat dubitationem, impartiat & mihi: quod si factum fuerit, poterunt illa verba utroque modo intelligi; sed ista sententia de nulla falsitate convincitur.* Dico insuper probabilius videri, quod Petrus sermonem instituat de prædicatione facta incredulis, dum adhuc detinerentur in carne. Enimvero pro *iis, qui in carcere erant*, habent nonnullæ Versiones, *iis, qui in carne concluſi erant:* neque ita legit solus Thomas Anglicus, quem unicum citat A Lapide; verum etiam hanc lectionem præfert Venerabilis Beda: eandem occurrere in nonnullis codicibus vetustioribus scribit Zegerus: idem affirmat Correnſis apud Erasmum. Præferendam

tamen

tamen censemus vulgatam Versionem, cum extet in Græco, ἐν φυλακῇ, *in carcere*: atque arbitramur sapientissime adhibuisse Petrum eam verborum phrasim, dum ageret de incredulis; eoquod uno vocabulo designavit corpus, quo concluditur anima, & mentis cæcitatem, & captivitatem dæmonis, in qua delitescunt increduli: unde Augustinus laudata Epist. num. 16. ait: *Ad illum ergo sensum, qui te movet, ideo videntur attracti qui hoc Petrum sensisse crediderunt, quia dixit conclusis in carcere spiritibus prædicatum; quasi animæ non possint intelligi spiritus, quæ tunc erant in carne, atque ignorantiæ tenebris velut carcere claudebantur: de quali carcere se desiderat liberari ille, qui dicit. Educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo; quæ alibi umbra mortis appellatur. De qua non utique apud inferos, sed hic liberati sunt, de quibus scriptum est, Qui sedebant in umbra mortis, lumen ortum est eis.* Neque in uno tantum loco, sed in multis infideles & iniqui dicuntur sedentes in tenebris, mortui, captivi; tametsi vitam agant corpoream: ut Is. IX. 2. LXI. 11. Matth. IV. 16. Luc. I. 79. IV. 18. Rom. V. 15. VI. 11. VII. 6. Tandem assero particulas illas, *In quo*, si referantur ad *spiritum*, quod, ut dicam paulo infra, non est necessarium omnino, melius significare *spiritum divinitatis*, quo Filius Dei antequam veniret in carne, venit ab initio mundi ad homines commonendos; quàm *animam*, in qua descendit ad inferos. Si enim attendatur verborum ordo, inquit Petrus Christum fuisse mortificatum carne, vivificatum vero spiritu: *in quo* spiritu, in eo scilicet, quo vivificante resurrexit, prædicavit & illis spiritibus, qui increduli fuerant aliquando in diebus Noe: præsertim cum difficile sit demonstrare eos pœnitentiam egisse, & rationem afferre, cur iis Christus apud inferos prædicaverit, aut Petrus istorum potius, quàm aliorum mentionem fecerit, atque hac in re tot fere inveniantur sententiæ, quot capita.

20. Confirmatur.

Ex quibus omnibus infertur Augustinianam expositionem de nulla posse falsitate convinci: & ad eam corroborandam ulterius animadverto, S. Hieronymum in caput LIV. Isaiæ absque ulla ambiguitate referre verba Petri ad prædicationem factam in diebus Noe, & dum inferebatur diluvium. *Unde* (inquit Tom. III. pag. 395.) *Dominum fecisse diluvium, qui juxta Apostolum Petrum occisus est carne, vivificatus spiritu, & prædicavit spiritibus in carcere constitutis, quando Dei patientia expectabatur in diebus Noe, diluvium impiis inferens.* Audin quando prædicavit? *In diebus Noe.* Vides quomodo? *Diluvium inferens.* Revera de quo argumento petractat Apostolorum Princeps? Aut de perferendis contumeliis, ut mihi satis perspicuum videtur; aut de Ecclesia, quam ibidem comparat Arcæ Noe. Ad perferendas contumelias movet quidem plurimum, si dicamus etiam Christum justum pro injustis passum fuisse deglutiendo pro nobis mortem, nec detrectasse Evangelium nuntiare Judæis, quamvis credere noluerint, quemadmodum diluvii tempore vocavit ad pœnitentiam incredulos, eos quoque, qui perierunt extra arcam: sed quam vim habeat ad hoc comprobandum commemorare beneficia facta iis, qui egerant pœnitentiam, id mehercule non satis assequor. Quid enim habet roboris hæc exhortatio, Patimini eos, qui detrahunt vobis, vestramque calumniantur conversationem; quoniam & Christus evangelizavit spiritibus olim incredulis, sed justis postmodum, ac fidelibus? Nonne habere videtur majorem efficaciam hortatio istiusmodi: Patimini, quoniam etiam Christus olim spatio centum annorum pertulit incredulos, postea Judæis pervicacibus in carne apparuit, deinde pro iniquis subiit crudelissimum supplicium crucis, & modò vos omni labe inquinatos purgavit baptismate? Itaque Augustini interpretatio scopo Petri cohæret quammaxime. Quod si dicas hunc instituere comparationem inter Arcam Noe, & Ecclesiam; nec illud percipio, quomodo gentibus, quæ venerunt ad fidem, æquiparari possint increduli, qui extra Arcam demersi sunt, & qui typum gesserunt damnandorum, ut legimus Matth. XXIV. 37. & Lucæ XVII. 26.

21. Concordatur expositio Augustini & Basilii contra Judæos.

Ut modo expositionem Augustini cum Basilio Legionensi referamus etiam ad pervicaces Judæos, quibus Christus adveniens in carne prædicavit, & percipiamus quomodo & ii sint, *qui fuerunt increduli, dum fabricaretur Arca*; observandum est, quod supra dixi, particulas illas, *in quo*, non esse necessario accipiendas de *spiritu*. Habere enim vim causalis, & idem valere, ac, *ideo, propter quod, quapropter*, tradunt scholia Græcorum, & Oecumenius præsertim scribens Tom. 2. pag. 514. τοῦτο ἀντὶ τοῦ διὸ, *Hoc*, ἐν ᾧ, *causaliter sumitur pro ideo*. Idem Poncius plura indigitat loca, ubi

ubi propositio *In* sexto juncta casui est idem, ac *propter:* ut Psalmo LXV. 3. *In multitudine virtutis tuæ.* Michææ III. 11. *Principes ejus in muneribus judicabant.* Matth. II. 6. *Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me*: quibus in locis constat sensum esse, *Ob multitudinem virtutis tuæ, Propter munera, Propter me.* Illis quoque verbis, *In diebus Noe*, censet Basilius supplendum *sicut*; ut sensus sit, *Propter quod*, id est, ut nos offerret Deo *mortificatos quidem carne, vivificatos autem autem spiritu*, veniens prædicavit etiam illis, qui aliquando fuerant increduli, *sicut* increduli fuerant homines, cum fabricaretur Arca. At videtur Legionensis probare lectionem quorumdam Bibliorum, ut Plantinianorum anni 1583. Sixti V. anni 1590. & Complutensium: cum proculdubio legendum sit *mortificatus*, & *vivificatus*, ut habet modo Scriptura Canonica, nec non correctior Sixtina anni 1592. in cujus margine aureis notis propria manu conscriptis Angelus Rocca demonstrat hanc lectionem esse cæteris præferendam. Retenta hac tamen, persistit adhuc sententia Legionensis, si dicamus morem esse cum profanorum, tum sacrorum Scriptorum, dum alloquuntur præsentes, eis tribuere, quæ eisdem antiquitus acciderunt, veluti dum idem populus putatur, qui nunc extat, & qui fuit majorum ætate, aut plurimis ab hinc annis. Atque exempla apertissima hujus rei occurrunt apud Marc. X. 3. Joan. VI. 32. VII. 19. Act. VII. 38. & apud Latinos quoque, Græcosque Scriptores laudatos à Grotio lib. 2. de Jure belli & pacis cap. 9. Hanc loquendi consuetudinem eo magis servare debebat Petrus, quo pervicaces, & increduli, quibus prædicavit Christus, aut in spiritu Christi prædicarunt Apostoli, non minus ac ii, qui vixeruut ætate Noe, degebant sub peccati captivitate; & quemadmodum ad naufragium vitandum tunc Arca construebatur, ita Christi, & Apostolorum temporibus ad salutem credentium ædificabatur Ecclesia. Recte itaque Basilius Pontius supplendum censuit τὸ *sicut*, nec male Petri locum explicavit de incredulis in carne viventibus: quod postea fecerunt alii citati à Calmet, & nuperrime Joannes-Thomas Melitensis.

Infertur ex hactenus dictis posse utramque sententiam Augustini, ejusque discipuli simul defendi, & commodiorem esse intelligentiam Apostolici textus, si dicamus proponi nobis ad patientiæ exemplum Dominum Jesum Christum, qui pro injustis affixus est cruci; qui venit ad oves quæ perierant domus Israel; qui post resurrectionem ex mortuis per Apostolos prædicavit spiritu virtutis suæ gentibus idololatris, sicut olim antequam appareret in carne, aut per ora prophetarum, aut occulto divinitatis suæ spiritu increpaverat improbos, rectosque docuerat, ut unumquemque erueret è dæmonis captivitate: quæ fusiori stilo dicta sint ad vindicandam Augustini expositionem, ad explicandam alteram eximii Augustinensis Theologi, ad enodandum Scripturæ locum, in quo expediendo sudant quamplurimi; salva tamen interpretatione meliori, & persistente Catholico, & Orthodoxo dogmate de Christi descensu ad inferos, quod libro XXII. cap. 7. adversus hæreticos propugnavimus. 22. Illatio ex dictis.

CAPUT X.

De Christi merito, oratione, & Mediatoris officio.

SUMMARIUM.

1. Christus fuit capax merendi.
2. Meruit à primo instanti conceptionis.
3. Ejus merita sunt infinita.
4. & 5. Objectio solvitur.
6. Quid & quibus meruerit.
7. Christus ad Patrem oravit.
8. Ejus oratio humanitatem, & divinitatem demonstrat
9. An quælibet oratio à Patre fuerit exaudita.
10. & 11. Solvuntur objectiones.
12. Quomodò Christus sit mediator.
13. Secundum quam naturam.
14. Præscindendo à persona Verbi non fuit mediator.
15. Secundum opera Christus mediator est in quantum homo
16. Etiam à dexteris Dei mediatorem agit.

1. Christus fuit capax merendi.

FACILE ex præmissis disputationibus infertur quid Candidati nostri tenere debent in cæteris quæstionibus apud omnes fere Scholasticos pertractatis, circa Christi meritum, orationem, atque munus, officiumque Mediatoris: sed nihilominus eas in hujus libri postremo capite diluere curabimus, ne rudiores querantur, quod illæ non sint à nobis singillatim expositæ. Ergo circa meritum Christi illud primo loco definimus, quod revera fuerit merendi capax: nam fuit in ipso necessaria ad meritum libertas, cum oblatus sit quia voluit, & potestatem habuerit ponendi animam suam, Isaiæ LIII. 7. & Joan. X. 18.

Serva-

Servavit præterea mandatum Patris factus obediens usque ad mortem, ad Philip. II. 8. Fuisse plenum Spiritu sancto, & gratia exornatum liquet ex Is. XI. 2. Dan. IX. 24. & Luc. II. 35. Ad hunc quoque finem in mundum venerat, ut salutem nostram operaretur, atque honorem libera prævaricatorum culpa Deo ablatum, voluntaria sui ipsius immolatione restitueret, Joan. III. 16. & Epistola prima IV. 9. Ejus præterea singulari obedientiæ retributum à Deo præmium exaltationis nominis sui, Patris glorificationem in universo terrarum orbe, necnon omnium redemptionem, justificationem multorum, atque electorum suorum gloriam, manifeste colligitur ex Isaia LIII. 10. Joan. XVII. 5. 9. Rom. V. 2. 9. 11. Fuerunt autem hæc omnia suis quæque locis comprobata. Nihil ergo ad Christi meritum deest: non arbitrii libertas, non gratiæ ornamentum, non obedientiæ perfectio, non denique Dei præordinatio, ac promissio.

2. Christus à primo instanti conceptionis meruit.

Quærunt deinde nonnulli, quandonam Christus Dominus incœperit promereri: qua in re arbitramur subscribendum sententiæ communiori, quam propugnat Magister in III. dist. XVIII. S. Thomas q. 34. art. 3. Scotus in distinct. præcitatam, Argentinas ibidem q. 1. art. 3. Gavardi q. VIII. art. 1. Gabr. à S. Vincent. disp. XIX. dub. 2. Juenin disser. VI. q. 6. Witasse q. X. art 3. & cum his propemodum infiniti, quod nempe Christus meruerit à primo suæ conceptionis momento. Ac præter Scriptorum auctoritatem, constat 1. ex Apostolo ad Hebræos X. 5. 7. Dominum Jesum in exordio vitæ suæ, & mundum ingrediendo sese obtulisse Deo hostiam & oblationem pro peccato, cum ad hoc expiandum satis non essent holocautomata, eoque priori momento divinæ voluntati obedientiam præstasse: *Ingrediens mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus voluntatem tuam.* Diximus præterea lib. X. cap. 15. nec Angelis id denegandum, quin promeruerint in primo instanti; quamvis ordine causalitatis ipsorum mentis perceptio præcesserit motum liberum voluntatis: quod multo magis est asserendum de Christo, in quo fuit plenitudo scientiæ, neque ad deliberandum potuit præcedere hæsitatio ulla animi fluctuantis. Insuper affirmavimus eo loci, nunquam juxta Magnum Gregorium lib. 1. in Ezech. hom. 6. beatissimam Christi animam fuisse absque merito. Ad hæc Christus & lumine gloriæ, & gratiæ virtute suffultus fuit. Ut ergo per lumen gloriæ statim vidit essentiam; ita per effectricis gratiæ virtutem statim promeruit. Demum quod movit perpaucos sententiæ oppositæ assertores, requiri scilicet ad meritum liberum arbitrium, ad istud vero indifferentiam, non videtur alicujus esse ponderis. Alia est enim indifferentia suspensionis, quæ sita est in hæsitatione animi, & per quam quid agendum sit, consulatione quadam inquiritur: alia est indifferentia libertatis, qua ita operamur, ut possimus non operari propter mediorum liberam electionem. Prior quidem indifferentia nequit conjungi cum actu; sed cum proveniat ex ignorantia, & sit arbitrii defectus, locum non habuit in Christo. At indifferentia altera cum ipso actu persistit, cum sit exercitium libertatis; quamvis idem actus à voluntate perspicuo scientiæ lumine collustrata absque ulla mora exeratur. Vide Tom. 1. pag. 259.

3. Merita Christi sunt infinita.

Tertia, eaque præcipua quæstio est, an Christi merita infiniti sint pretii: sed hanc etiam dirimunt quæ præcedenti capite sexto differui de Christi satisfactione. Infinita quippe esse Christi merita inde colligimus, quia etsi meruit per actiones tantum humanæ naturæ, cujus proprium est Deo subjici, & ipsius mandatis obtemperare; ipsæ tamen actiones erant hominis-Dei, & à persona, quæ in sua jura eas vindicabat, habebant summum, maximumque valorem. Demonstravimus enim Patres ideo satisfactioni Christi tantam vim tribuere, ut non solum sufficiens fuerit ad omnia exhaurienda peccata, verum etiam superexcedens, plurisque æstimanda, quoniam non homo nudus passus est, sed homo-Deus: neque à forma assumptæ humanitatis segreganda est divinæ personæ majestas. Quare, ut cum Damasceno, & Leone Magno dictum est, patienti carni connexa erat divinitas; & licet aliud sit Creator, aliud creatura, aliud deitas inviolabilis, aliud caro passibilis; in una tamen persona concurrit proprietas utriusque substantiæ, ut sive in infirmitatibus, sive in virtutibus, ejusdem sit contumelia, cujus est gloria. Verum ab iis repetendis, in quibus multum locavi operis, supersedeo.

4. Objicitur. Prætermittendum non est autem, negare quosdam infinitum meritorum Christi valorem; propterea quod promeruerit operibus naturæ humanæ finitis, & finita quoque fuerit gratia ipsius, effectrix causa promeriti. Illud quoque nonnullos movet, quo pacto, si infinita fuerunt Christi merita, non sit una tantum actione consummata humani generis redemptio. Quærunt denique quomodo diversa merita in Christo sint, si infinitum est unumquodque, neque in suo genere potest perfici.

5. Respondetur 1. Verum hæc omnia diluimus disputantes contra Socinum. Ad primum enim dictum est, stare cum humano opere, & finita gratia promeritum summum atque infinitum, si persona, ex cujus dignitate æstimatur opus, sit Deus ipse. Ad alterum responsum est, Christum actionibus plurimis, quarum unaquæque ad nos redimendos sufficiens erat, dedisse nobis salutaria præcepta, & ingentem erga nos charitatem manifestasse. Adde fuisse in eo potestatem referendi vel mortem, vel opus aliud ad hominum reparationem, cum sit Deus summus plenissima pollens auctoritate. Ad ultimum dicimus unum quidem esse singulorum operum Christi valorem attenta dignitate personæ, sed esse multiplicem respectu operum & objectorum: quemadmodum est una Dei actio, si referatur ad ejus omnipotentiam; multiplex, si ad res creatas: servato tamen discrimine, de quo superiori capite VII.

6. Quid, & quibus meruerit. Quid, & quibus Christus meruerit, hoc loco non repetam cum ex cap. 20. libri XXVII. constet non potuisse sibi promereri hypostaticam unionem, ac primam gratiam, quæ duo merita quæque præcedunt. Eadem ratio est de beatifica visione, & sanctitatis ornatu, quæ unionem ipsam hypostaticam consequuntur: non enim cadunt sub merito, quæ in primo conceptionis momento alicui tribuuntur. Meruit ergo Dominus Jesus sibimet gloriam corporis, nominis exaltationem, cultum populorum, creaturarum omnium obsequium, dæmonum subjectionem, & Ecclesiæ suæ firmitatem, atque incrementum. Quæ omnia licet sibi deberentur jure divinæ generationis, ad nostræ tamen profectum virtutis comparare voluit profusione sanguinis, maximorumque meritorum impendio. Illustris est sententia Hugonis Victorini q. 150. in Epist. ad Rom. scribentis: *Mereri geminam habet significationem: dicitur enim mereri, cum per bonum opus efficitur dignus aliquo qui prius non erat dignus; secundum quam significationem videtur nobis quod nec secundum divinitatem, nec secundum humanitatem Christus aliquid meruit, etiam in ipsa morte. Dicitur etiam aliquis mereri, cum bonum aliquod facit, quod sit dignum remuneratione; secundum quod Deus dicitur etiam mereri, cum beneficia præstat pro quibus tenemur eum in æternum laudare, & Christus secundum humanitatem in sua passione meruit nobis introitum vitæ æternæ.* Vide Thomas. lib. v. cap. 16. & Du-Hamel lib. IV. cap. 1. At nobis Christum promeruisse redemptionem, remissionem peccatorum, omniaque gratiarum munera, quæ justificationem præcedunt, vel subsequuntur, liquet ex II capite hujus libri: quid demum præstiterit Angelis dictum est supra pag. 221. Hæc itaque de Christi merito.

De Christi Oratione.

7. Christus ad Patrem orat. De oratione autem illud principio statuendum est, Christum Dominum Patrem orasse: quod extra controversiam omnem positum censeo. Lucæ enim VI. 12. legitur: *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Joann. XVII. 1. *Et sublevatis oculis in cœlum dixit: Pater venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te.* Ibidem versu 20. *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Legimus quoque orasse dum in Bethania suscitaret Lazarum, Joan. XI. 41. in horto Gethsemani, Mat. XXVI. 39. necnon è cruce pendens, Lucæ XXIII. 34. Atque id factum optime, primo ut nobis demonstraret unde petendum sit auxilium, & quomodo in corporis animique angustiis divinam voluntatem debeamus eligere; ut præclare demonstrat hom. 38. in Mat. pag. 707. Jo. Chrysostomus. Deinde ut omnia referret ad Patrem, inquit Epiphanius hæresi 69. quæ est Arianorum, num. 30. Tum ut nobis Filii persona innotesceret, & sermo deprecantis alterum nobis fidem Trinitatis & Incarnationis insinuaret, juxta doctrinam Hilarii libro X. num. 22. præterea, ut impleret Mediatoris officium, Sacerdotis munus, Capitis nostri partes, optimique Magistri munia; quemadmodum exponunt Augustinus in Psalm LXXXV. num. 1. & Damascenus lib. III. de Fide orthodoxa cap. 24.

Secun-

Secundo loco animadverto Christi orationem non tam illum verum hominem demonstrasse, quàm ostendisse majestatem divinitatis: quod summopore notandum est adversus Arianos. Primo enim orans pro electis suis, Joan. XVII. 10. dixit sua esse omnia, quæ Patris sunt: & versu 21. rogans, *ut omnes unum sint*, ait, *sicut tu, Pater, in me, & ego in te*; non vero, *ut tu in nobis, & nos in te*, aperte se à creaturis separans, inquit Ambrosius lib. IV. de Fide cap. 3. num. 37. Item orans eodem cap. versu 5. *Nunc clarifica me tu, Pater, apud temet ipsum, claritate quam habui priusquam mundus esset, apud te*, ostendit, *Unigenitum, quod ad divinam quidem naturam spectat, gloria sibi convenienti non esse destitutum*; inquit Cyrillus lib. XI. in Joan. cap. 4. Lazarum pariter suscitaturus, Joan. XI. 43. postquam Patri gratias egerat, ait voce magna, *Lazare veni foras*, quæ vox imperantis est, non precantis, demonstratque internam Christi gratiam vivificantem, & divinitatis potentiam, juxta Augustinum Tract. XLIX. in Joan. num. 24. Demum, ne alia exempla proferam, Lucæ XXIII. 34. exoravit veniam crucifixoribus suis, sed ibidem vers. 43. ait Latroni, *Hodie mecum eris in Paradiso*, ostendens, quomodo propria auctoritate regnum dabat, ut inquit Ambrosius citato libro IV. cap. 5. num. 56. Itaque, ut eo loci concludit sanctus Antistes, *Rogat quando passurus ostenditur, imperat quando filius Dei creditur.* Atque hinc duo inferuntur digna notatu; perperam Arianos ex oratione, qua Christus comprobavit propriam humanitatem, impugnare divinitatis substantiam: & Paulinum Aquilejensem, dum libro I. adversus Felicem tinctum pice Nestoriana, videtur asserere Christum non orasse, intelligendum esse de illa oratione, quæ divinæ personæ deprimit majestatem.

9. An quælibet oratio Christi à Patre fuerit exaudita.

Affirmo tertio loco quamlibet Christi orationem, absolutam, atque proficiscentem ex voluntate regimine rationis directa fuisse à Patre exauditam, ut docet S. Thomas 3. p. q. 21. art. 4. Sylvius, ac Thomistæ omnes ibidem, Estius in dist. XVII. §. 4. aliique unanimiter. Atque id in sacris literis expressum est. In Psalmo enim XX. 3. de Christo Rege legimus prænuntiatum: *Desiderium cordis ejus tribuisti ei, & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.* Martha Joannis XI. 22. ait: *Sed & nunc scio, quia quodcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Ipsemet Christus eodem capite versu 42. *Ego autem sciebam quia semper me audis.* Paulus denique in Epistola ad Heb. v. 7. *Qui in diebus carnis suæ, preces, supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Et quidem duo sunt, quæ non sinunt quemquam de hac re dubitare: unum, quod Christus nullam habens voluntatem rationis contrariam Deo, nil poterat absolute precibus petere, quod nollet idem Deus elargiri; ideoque exaudiri debuit omnis oratio istiusmodi voluntatis interpretativa; quæ est ratiocinatio D. Thomæ: alterum vero, quod cum omnia quæ petuntur in Christi nomine, cunctis, juxta Evangelica eloquia, concedantur, Matth. XXI. 21. Marc. XI. 24. Joan. XIV. 13. multo magis credendus est accepisse quidquid petit Unigenitus filius; cujus orationi neque charitatis fervor defuit, neque fiduciæ firmitas, neque expetendarum rerum honestas, neque præstantia meritorum.

10. Objicitur & Respondetur.

Hæc cum ita sint, illud principio à me quæritas, Eccur quando oravit ad Patrem, Matth. XXVI. 39. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste*, nequaquam fuerit exauditus? Sed quamquam id Christus peteret commonstrans humanam infirmitatem, ac sensum, pro quo mortem refugiebat; in ipsa tamen oratione expressit desiderium ratione directum, atque absolutum & efficax, ut Patris adimpleretur voluntas, idque iterum, ac tertio dicens, *Fiat voluntas tua, & ostendens*, ut diximus paulo supra cum Chrysostomo, *voluntatem se Dei omnino continere, & ubique voluntatem Dei quærendam, & eligendam esse.* Quamobrem in hac oratione non solum attendi debet voluntas, quæ sentiens tristitiam mortis, exclamavit, *Transeat à me calix iste*, verum etiam imperium rationis, quo addidit, *Fiat voluntas tua*: atque istud præsertim, cum voluntas quæ sequitur rationis deliberationem, sit absoluta & propria; quæ vero sectatur motum sensualitati, (inquit ibidem S. Thomas) sit potius *velleitas*. In illa ergo oratione quod Christus absolute petiit, & deliberata voluntate exoravit, impletum est: atque huic responsioni lubens subscribo. Est tamen sententia beati Hilarii lib. X. de Trinit. num. 37. 38. & 41. non sibi orationem illam Christum fecisse, sed Apostolis, qui per calicem Dominicæ passionis tentandi erant: at Hilarius de Christi divinitate ibidem disserens demonstrat mortis tristitiam non potuisse perturbare mentem divinitati conjunctam,

junctam, quod evenire utique potest hominibus cæteris; ideoque non indigebat Christus auxilio ad voluntatis reprimendam obluctationem: quale auxilium Martyribus implorabat. Quare, ni fallor, potest Hilarii sententia propugnari simul cum præcedenti. Idem dicendum arbitror de responsione quorundam asserentium orationem Christi exauditam fuisse, non ut mortem evaderet non patiendo, sed ut mortem vinceret resurgendo, quod videtur conforme verbis Apostoli ad Hebr. v. 7. Recurrit enim responsio prima; quoniam ut mortem vinceret erat divina voluntas, idque Christus orabat voluntate deliberata: quamquam, me quidem judice, ea verba, *Transeat à me calix iste*, non mortis victoriam significant; sed afflictionem potius atque passionem, calicis poculo comparatam Matth. xx. 22. & Joan. xviii. 11.

11. Denuo objicitur & respondetur.

Quæris præterea, quomodo exaudita fuerit altera Christi oratio, qua in cruce clamavit, Luc. xxiii. 34. *Pater, dimitte illis: non enim sciunt quod faciunt?* Complures enim teterrimæ illius mortis auctores, atque magna Judæorum in illam conspirantium pars miserrime perierunt. Respondet autem S. Thomas citato art. 4. ad 2. non orasse Christum *pro omnibus crucifixoribus, sed pro iis solum, qui erant prædestinati, ut per ipsum vitam consequerentur æternam:* quam responsionem omnino tenendam esse demonstrat ibidem Sylvius ex verbis Christi Joannis xvii. 9. *Ego pro eis rogo, non pro mundo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt:* quo loco & nos usi sumus Tom. iii. pag. 225. ad demonstrandam in Christo pro salute electorum peculiarem solicitudinem. Accedit ad hanc responsionem corroborandam Augustinus, cujus Tract. xxxi. in Joan. num. 9. hæc sunt verba: *Videbat quosdam suos inter multos alienos: illis jam petebat veniam, à quibus adhuc accipiebat injuriam.* Verum cum sæpenumero dictum sit mortem Christi omnibus, etiam reprobis, attulisse redemptionem, ac parasse salutarem medicinam, quamvis illius mortis beneficium singuli non accipiant, sed ii tantum, quibus per fidem, per charitatem, & per sacramenta applicatur: cohærenter assero, Christum in cruce pro electis orasse, *ut salutem consequerentur*, quod optime expressit D. Thomas; pro reprobis vero orasse, ut iis quoque pararetur salubre medicamentum, neque ulli mortalium pœnitentiam agenti denegaretur venia, atque in utraque parte exauditam fuisse Christi orationem. Audiendus est Augustinus serm. 175. alias 9. de verbis Apost. num. 2. & 3. *Ille autem*, inquit, *etiam cum occideretur medicus erat, vapulabat, & curabat: patiebatur phreneticum, nec deserebat ægrotum: tenebatur, alligabatur, colaphis percutiebatur, arundine plagas accipiebat, irridebatur, insultabatur ei, postremo occidebatur, damnabatur, ligno suspendebatur, undique circumferebatur, & medicus erat. Agnoscis phreneticos, agnosce & medicum. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Illi perdita mente sæviebant, & medici sanguinem sæviendo fundebant: ille etiam de ipso sanguine suo ægrotis medicamentum faciebat. Non enim frustra dixit: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt; orat Christianus, & exauditur: orat Christus, & non exauditur? Prorsus exauditus est. ibi erant, ibi sæviebant. Erant in ipso populo, à quo ipse medicus occidebatur, & in ejus sanguine etiam ipsis antidotum parabatur.* Hactenus de Christi oratione.

De Christo Mediatore.

12. Quomodo Christus sit mediator.

Postremo loco dicenda nonnulla sunt de officio Mediatoris. Ac primo Christum Mediatorem esse peculiari quodam titulo, & ad differentiam Sanctorum, quatenus ipse solus nos redemit, ac pretio sanguinis sui debita persolvit nostra, quamvis etiam Sancti per Christi gratiam, & redemptione peracta, pro nobis fungantur intercessorum officio, satis superque demonstratum esse contra Socinum, ac traditum ab Apostolo 2. ad Corinth. v. 18. prima ad Timoth. ii. 5. aliisque in locis innumeris. Inquirendum remanet, secundum quam naturam Christus sit Mediator, an secundum divinam, an secundum humanam, an secundum utramque. Missis itaque Socinianis, qui divinam in Christo naturam negant, aliisque Arianis & Ebionitis; sciendum est Andream Osiandrum Lutheri discipulum, cum refutaret sententiam aliorum Novatorum, autumantium justificari homines per solam fidem, excogitasse absurdiorem alteram, quam amplexi sunt Joachimus Westphalus, & Joannes Wigardus, fieri scilicet justificationem per ipsam justitiam *substantialem* Christi sanctis inhabitantem. Quem errorem oppugnaturus Franciscus Stancarus Mantuanus addictus partibus Lutheranis in Apologia edita adversus Witembergenses, docuit Osiandri sententiam labili innixam esse momento, cum Christus sit media-

13. Secundum quam natura.

mediator, & justificationis auctor, spectata tantum natura humana, quæ nequit justis singulis inhærere. Ita Osiander divinæ tantum naturæ, Stancarus humanæ duntaxat tribuit Mediatoris officium. Legatur Florimundus Ræmundus lib. 11. cap. XIV. num. 6. & cap. XV. num. 1. Contra Stancarum conscripsit Joannes Calvinus duas ad Polonos epistolas: in quibus mediam ingressus viam tradidit Christum Mediatorem esse secundum utramque naturam. Sed nec Calvinus recta incessit, autumans juxta utramque naturam Christum perfunctum Mediatoris officio: cum sententia Catholica teneat, Christum utique esse Mediatorem ut Deum & hominem, sed ex humana tantum natura tanquam à principio, ut inquiunt, *formali*, prodiisse opera redemptionis; quæ à persona Verbi exequentis quæ carnis erant, habebant pretium, valorem, ac dignitatem.

14. Christus non fuit mediator præscindendo à persona verbi.

Hæc si probe distinguas, nihil occurret in hac materia difficultatis: & quamquam ad ea distinguenda satis superque sufficiunt quæ diximus in confutatione trium hæresum, Monothelitarum, Nestorianorum, Eutychianorum: majoris tamen perspicuitatis gratia affirmo primum, non fuisse Christum Mediatorem, prout est homo à persona Verbi præcisus. Quod probatur primo, quia in nostræ Redemptionis negotio non debet humanitas considerari à divinitate sejuncta; quoniam Christus non potuit occidi nisi ut homo, & non potuit morti suæ tantum conferre pretium, nisi ut Deus. Atque id præcedenti cap. VI. ratione, & auctoritate probatum est. Deinde ipsum Mediatoris nomen commonstrat, debuisse Christum habere aliquid cum Deo, & cum hominibus commune, quemadmodum docet Irenæus lib. III. cap. 20. nunc 18. num. 7. Joannes Chrysost. hom. VII. in Epistolam I. ad Timotheum, Theodoretus Dialogo III. Lactantius lib. IV. cap. 25. & S. P. Augustinus in Enchirid. cap. 108. n. 28. lib. X. Confes. cap. 42. num. 67. serm. 2. in Ps. 90. n. 1. aliisque in locis supra productis. Depromitur præterea illustris ratio ex ipsomet Augustino lib. I. de Consensu Evangelistarum cap. 35. num. 53. quæ ex Theologiæ nostræ principiis sponte fluit: & quam ut percipias, recole immutabilem virtutis regulam nihil esse aliud, quam sapientiam Dei: rectam esse rationalem Creaturam, dum hujus sapientiæ particeps facta casto amore adhæret summo bono; impiam vero, dum avertens mentis obtutum à luce sapientiæ, convertit se ad imaginem rerum commutabilium, atque his adhæresit amore noxiæ cupiditatis. Ut ergo hinc animus divellatur, & ad suprema redeat, opus habet ipsa Dei sapientia, quæ nos ex imis attrahat ad superna. Audi nunc citato loco Augustinum: *Quia omnia, quæ in contrarium pergunt per aliquod medium reducuntur, & ab æterna justitia temporalis iniquitas nos alienabat; opus ergo erat media justitia temporali, quæ medietas temporalis esset de imis, justa de summis, atque ita se nec abrumpens à summis, & contemperans imis, ima redderet summis. Ideo Christus mediator Dei & hominum dictus est, inter Deum immortalem, & hominem mortalem Deus & homo, reconcilians hominem Deo, manens id quod erat, factus quod non erat.*

15. Secundùm opera Christus Mediator est, in quantum homo.

Nihilominus assero, quod si attendantur opera, per quæ Christus partes Mediatoris implevit, Mediator est in quantum homo. Principio id affirmat Apostolus in 1. ad Timoth. II. 5. scribens: *Unus Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus.* Præterea Augustinus de Peccat. Origin. cap. 28. num. 33. inquit: *Non autem per hoc Mediator est, per quod æqualis est Patri.* Similia habet Tract. 82. in Joan. num. 4. & lib. X. Confes. cap. 43. num. 63. Deinde idem tradit Magister dist. 19. & antiqui omnes Scholastici, necnon S. Thomas q. XXVI. art. 2. Sylvius ibidem, Estius in dist. XIX. §. 7. Denique ratione constat mortem, obedientiam, orationem, sacrificium crucis, & cætera Mediatoris officia peracta quidem esse à persona divina, sed ratione naturæ assumptæ. Quamobrem mirari soleo recentiores aliquos, qui longam instituunt disputationem, ut ostendant hæc non juvare Scantarianos. Isti enim cum Nestorio negabant Verbi personam redemptionis opera perpetrasse, affirmantes τὸν λόγον adfuisse tantum naturæ humanæ, ut posset passionem perferre, ut inquit citato loco Ræmundus, Canisius in Præmonit. ad librum I. de Corruptelis Verbi Dei, necnon Vasquequesius disput. 83. cap. 2. At nos ipsum Dei Verbum passum, mortuum, & Mediatoris officio perfunctum profitemur ratione humanitatis assumptæ, quam à Verbi persona minime separamus, refutantes hac fidei professione, Stancari, Osiandri, Calvini, aliorumque omnium hæreticorum errores.

Habes hinc, Lector, quantum in Mediatoris officio Dominus Jesus discrepet à Sanctis suis. Primum quia humana natura

natura Christi est Verbo unita *hypostatice*, Mediator est, ut inquiunt Theologi, per *mediationem substantialem*, id est, Mediator noster non morali tantum affectu, ut sancti alii, sed *substantiali* unione conjunctus est Deo. Ille insuper est reconciliatio & propitiatio pro peccatis totius mundi: alii habent ministerium reconciliationis. Fecit ille proprio sanguine ægrotis medicamentum: cæteri tantum dant operam, ut ægrotis medicina applicetur. Christus est fons gratiarum, lux, via, veritas, vita; alii Christi gratiam suppliciter petunt, lumen quærunt, viam commonstrant, veritatem docent, vitam annuntiant. Christus denique est Ecclesiæ caput, vivus Panis, Sacerdos & holocaustum: sancti autem sunt Christi membra, pascuntur ad Christi mensam, offerunt Christi victimam.

16. Christus à Dextris Dei etiamnum Mediator est.

Denique inquirunt aliqui, an etiamnum sedens à dextris Dei orando, atque interpellando pro nobis exerceat piissimus Jesus officium Mediatoris. Exercet utique. Nam Apostolus ad Rom. VIII. 34. ait: *Christus Jesus qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis:* & ad Hebr. VII. 25. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Joannes etiam in priori Epistola cap. II. 2. *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum.* Legatur Augustinus Epist. 59. ad Paulinum quæst. 5. nunc 149. num. 14. & 17. & Tract. 1. in Epist. Joan. num. 8. Joannes Chrysostomus hom. XVIII. in Epist ad Rom. hanc profert rationem, quoniam Christus in cælis *nostri curam non deposuit, & adhuc eandem charitatem constanter servat.* Scribit idem Theodoretus Tom. III. pag. 70. Theophylactus in cap. VIII. ad Rom. ac Patres alii. Me non latet eruditum Vasquesium disp. LXXXII. cap. 2. contendere Patrum testimoniis, quod Christus in cælis non oret, nisi naturam nostram in Patris dextera collocatam incessanter Patri manifestando, ut inquit Paulinus Aquilejensis in libro Sacrosyllabo, Nazianzenus orat. 36. num. 52. & Gregorius Magnus libro 22. Moralium cap. 13. Verum manifestat quidem Salvator Patri susceptam pro nobis humanitatem; sed non absque interpellatione, atque oratione: quam si aliqui Patrum denegare videntur, aut sermonem instituunt de oratione illa, quam fecit in diebus carnis suæ cum lacrymis & clamore valido, ut inquit Apostolus ad Hebr. v. 7. vel de oratione, qua petitur redemptio hominum, non redemptionis applicatio; vel de ea, quæ sita est in vocibus oris, non in cogitationibus cordis. Priori sensu loquuntur Nazianzenus & Paulinus, postremo autem Gregorius: nam illi oppugnant hæreticos deprimentes personam Christi; hic vero demonstrat æternam vitam corde potius, quam ore petendam esse. Profecto orationem Christi nihil gloriæ & majestati ipsius derogare, demonstrat citato loco Theodoretus duorum regum exemplo: quorum unus si à regni consorte petat, ut ei quispiam reconcilietur, *hocne* (inquit Præsul Cyrensis *de ejus qui petit dignitate detrahit? Nequaquam.* Atque hæc dicta sint de humani generis redemptione, de Unigeniti Filii Dei nimia erga nos charitate, de magno Sanguinis ejus pretio, & de beneficiorum omnium maximo perpetua contemplatione in memoriam revocando.

Hoc igitur pretio captivi cum redimuntur,
Agnoscant quali concluſi carcere, quove
Obsessi fuerint morbo: quibus eripiendis
Sucurri haud aliter potuit, quam morte Medentis:

inquit in Carmine de Ingratis cap. 54. alias 43. Aquitanorum decus, & Augustinianæ doctrinæ vindex beatus Prosper.

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER VICESIMUS NONUS,

In quo disputatur de tempore perfectæ Reparationis.

NESCIO, qua de causa recentiores Scholastici dantes operam Theologicis institutionibus politiori stylo tradendis, gravissimas disputationes de Christi ætate, ac de rebus ab ipso gestis omittant; nisi forte, quod hujusmodi dissertationes difficillimæ sint, easque sibi sacrarum Historiarum Scriptores, Chronologi, & Critici soleant jure suo quodammodo vindicare. At ego illas penitus non prætermittam, propterea quod Chronologicæ saltem necessariæ videntur, ut percipiantur libri xxv. supputationes; præsertim cum nostratium plurimi, non viri summi, ac domestici Norisii, sed Alexandri Natalis, doctissimi quidem, sed cum Usserio, cæterisque postremi ævi Chronologis haud recte de Christi ætate differentis, dediti pervolvendis lucubrationibus; atque assueti duntaxat lectioni Theologicorum librorum, qui nuper è Galliis ad nos cum magna Auctorum fama delati indies typis Italicis recuduntur, nisi forte in controversiis cæteris, in his saltim à vero exorbitant: nec Norisii tantum, quod in Augustinensibus doleo magnopere, sed & Augustini de Christo affixo cruci Coss. duobus Geminis sententiam aut deserunt, aut ignorant, necnon si probe scio, in supputatione hebdomadum Danielis ignoranter, ac temere oppugnant. Perpaucis itaque disputationibus exornandis, quæ ad domestica limina Norisianam Chronologiam revocarent, dicandos putavi conatus istos tenuissimi ingenii mei, fortassis Instituti nostri sodalibus haud inutiles, exterisque minime ingratos. Et quoniam etiam sunt, qui ut uno, vel altero studiorum anno se plurimum profeciſse videantur, vix conjicientes oculos in Serrium, Tillemontium, Honoratum, aut Criticum alium, vel Historicum recentiorem, pervulgatis controversiis rejectis, disputare solent absque delectu de re aliqua, sciolis nova, & jucunda literatulorum congressibus; ut iis simul morem geram, ostendamque quid in vellicandis receptis traditionibus sit periculi, & audaciæ, inferam Chronologicis discussionibus aliquam animadversionem in Christi vitam. Ero tamen hac in re brevis, tum quia plura non patiuntur voluminis hujus angustiæ; tum etiam quia opinione nostra. Scholastica Theologia methodo, & ordine à nobis servatis tradenda est, ut juvenes his studiis peractis, certisque imbuti elementis, aut Ecclesiasticæ historiæ, aut lectioni sacrorum Canonum, aut Patrum monimentis se totos libero, ac maturo judicio devoveant. Si quis vero nobis auscultet; illum forte consilii non pœnitebit: neque ætate grandævus mirabitur se perperam diu lusisse operam, quod nos feciſse maximo cum dolore experimur. Cæterum, ut me revocem ad munus pensumque meum; Doctores quoque Scholastici multa de rebus à Christo patratis differuerunt, Divus Thomas, Alexander Alensis, Suaresius, Sylvius, alii: ut mihi succensendum non sit, quod nonnulla tradam necessaria admodum, & quibusdam forsitan eruditulis hactenus incomperta.

CAPUT I.

Exposita sententia nostra de genere Herodis, hujus Epocha figitur, & explanatur.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Herodes probabiliter fuit Idumæus.
3. Fuisse Ascalonitam etiam probabile est.
4. Benè aliqui vocant simplicier alienigenam.
5. Probabilius tamen fuit Idumæus.
6. Benè tamen adhuc dici potest Ascalonita.
7. & 8. Solvuntur quædam objectiones.
9. Duplex Epocha Herodiana.
10. Demonstratur prior Epocha.
11. 12. Statuitur altera, ut ut incerta.
13. usque ad 20. Quo anno, & mense satisfactio cessit Herodes.
20. & seqq. Solvuntur objectiones contra Epocham Herodianam.

1. Status quæstionis.

CUM natus sit Jesus, teste Evangelista, in diebus Herodis regis; priusquam definiam annum salutiferæ nativitatis, statuere cogitavi Epocham Herodianam: quod nunc faciam, investigato genere ejusdem regis. Non consentiunt Auctores, cujas Herodes fuerit. Genus illum traxisse à primoribus Judæorum ait Nicolaus Damascenus apud Josephum lib. XIV. Antiq. cap. 2. nunc 1. num. 3. Fuisse Idumæum genere scribit eo loci Josephus, necnon lib. 1. de Bello cap. 5. nunc 6. num. 2. Assentiuntur Hegesippus lib. 1. cap. 14. Photius in Biblioth. num. 238. Petavius lib. X. de Doctrina Temp. cap. 5. Natalis Alex. VI. Aet. M. dissert. 9. Valesius in Notis ad Euseb. lib. 1. cap. 6. Usserius ad an. P. Jul. 4642. Ezech. Spanhemius in Stemm. Herodis, Cellarius in Hist. Herod. Noldius in Historia Idumæa, Sam. Basnagius in principio Annalium; innumeri denique, cum orthodoxi, tum hæretici. Fuisse Ascalonitam genere, ejusque Patrem Antipatrum postea ab irruentibus idumæis in Idumæam adductum, Ascalone in templo Apollinis functum officio æditui narrat Eusebius lib. 1. cap. 6. ex Epistola Africani ad Aristidem, & S. Epiphanius Hæres. 20. quæ est Herodianorum: idem propugnat Baronius in Apparatu, Salianus ad annum 3989. n. 12. in singulari opusculo de Herode Nicolaus Serarius, nec dissentiunt Magdeburgenses Cent. 1. lib. 1. cap. 3. Sive Idumæus fuerit, sive Ascalonita, fuisse alienigenam est communis traditio Patrum, quam defendunt Serrius Exerc. de Christ. 17. Tournelius q. 3. de Incarnat. art. 1. Witasse q. 3. art. 1. cap. 1. Censendum esse indigenam, & Judæum genere contendunt Joseph Scaliger in Animadvers. Eusebianis ad an. 1983. Casaubonus exercit. 1. in Baronium, Torniellus ad annum. 4018. num. 7. Daniel Huetius in Demonstr. Evangelica prop. IX. cap. 4. & Claudius Frassen disp. 1. art. 1. sect. 3. q. 5. Sententiam nostram proxima thesi explicabimus.

2. Propositio I.

PROPOSITIO I. Herodes alienigena dicendus est: an Idumæus fuerit, an Ascalonita, incertum; videtur tamen probabilior opinio eorum, qui illum existimant Idumæum.

Demonstratur Pars I. testimonio Judæorum.

Demonstratur prima pars testimonio Judæorum. In omnibus quippe Hebræorum Chronicis, Regnum Herodianum appellatur regnum *Proselytorum*: deinde Josephus lib. XIV. Antiq. cap. 2. nunc 1. num. 3. ait, Antipatrum fuisse *genere Idumæum*; fuit autem Antipater pater Herodis. Ibidem ait Nicolaum Damascenum deducentem Antipatri genus *à primoribus Judæorum*, mentiri *in gratiam Herodis, quem fortuna ad Hebræorum regnum evexit.* De eodem Antipatro scribit lib. 1. de Bello cap. 5. nunc 6. num. 2. *Erat autem genere Idumæus, & nobilitate, & opibus, & alia potestate gentis suæ princeps.* Probatur præterea traditione Patrum, quorum singuli Herodem faciunt *alienigenam*, etiamsi non videantur convenire in eo, an fuerit Idumæus genere, an Ascalonita; sed hanc esse nominis, verborumque discrepantiam merito asseruit citato loco Petavius. Sive enim dixeris Antipatrum Ascalone natum, & illinc abductum ab Idumæis cum Africano, atque Epiphanio; sive Idumæum genere, & Ascalone commoratum, ut dicam paulo infra, persistit sententia Herodem adstruens alienigenam, & cohærentia inter eos, quorum aliqui Herodem Ascalonitam appellant, aliqui vero Idumæum. Torniellus & Frassen respondent non esse attendendam traditionem Patrum, quod nec de genere Herodis hi data opera pertractârint, nec hæc quæstio ad fidem pertineat. Sed cum omnia argumenta, quæ adversus traditionem istam proferuntur, inepta sint, & futilia; intemperanter se gerunt, qui putant Patres omnes in erro-

re

re fuisse versatos, maxime cum Patribus ipsis compertum fuerit tradi Judæorum historiis literisque certissimis, *primum alienigenam Herodem regem fuisse in gente Judæorum quo tempore Christus natus est*, ut inquit Augustinus lib. XII. contra Faustum cap. 42.

2. Probatur 2. Pars. Herodem itaque fuisse Ascalonitam probant primò ex Julio Africano, qui in Epist. ad Aristidem apud Eusebium inquit, *Herodem Antipatri fuisse filium: huic vero Herodem quemdam Ascalonitam unum ex numero servorum templi Apollinis, quod Ascalone est, fuisse patrem; Antipatrum, cum admodum puer à latronibus Idumæis captus esset, cum iisdem diutius vixisse, eoquod pater præ inopia pretium pro redemptione illius solvere non valeret; moribus postea, atque institutis Idumæorum innutritum Hircani Judæorum Sacerdotis amicitiam fuisse consecutum.* Idem confirmant ex Epiphanio eandem historiam narrante ad hæresim XX. Herodianorum. Accedit S. Ambrosius lib. III. in Lucam num. 41. Ad hæc Herodem *Ascalonitam* appellant S. Martyr Justinus in Dialogo cum Tryphone, Theodoretus dialogo primo, Severus Sulpitius lib. 2. Historiæ sacræ, Photius etiam in Bibliotheca num. 76. licèt Cod. 238. faciat *Idumæum*, Eutychius denique Alexandrinus in Annalibus editis à Pocochio. Qui hanc sententiam propugnant, asserunt Herodem ab aliis Patribus dici Idumæum à nativitate, cum ab avorum origine fuerit Ascalonita. Atque ita facile singulos revocant ad concordiam.

4. Probatur 3. Pars. At fuisse *Idumæum* genere affirmant longe plures, quibus adstipulatur, ut vidimus, Flavius Josephus. Hegesippus pariter lib. I. cap. 14. scribit de Antipatro: *Is erat Idumæus genere, moribus apud suos clarus, non tenuis pecuniæ, & prævalidæ potentiæ.* Rupertus libro 9. in Gen. cap. 29. *Herodes*, inquit, *Alienigena, patre Idumæus, matre ortus Hebraica.* Qui autem huic sententiæ subscribunt, possunt reponere ab aliis Patribus Herodem dici *Ascalonitam*, quia etsi Idumæus genere, quandoque Ascalonem inhabitaverit; quæ videtur sententia Norisii differt. v. de Epoch. Syromacedonum Tom. II. pag. 542. Ex his probatur propositionis nostræ pars prima: Omnium prorsus consensu Herodes vel Idumæus est, vel Ascalonita: aut fuerit Ascalonita genere, & nativitate Idumæus; aut Idumæus origine, Ascalonita domicilio atque sede. At sive Ascalonitam, sive Idumæum dixeris, semper alienigena est. Igitur Herodes est alienigena. Rectè Serarius de Herode cap. 9. *Modò ex Hebræa gente non fuerit Herodes, cujusque gentis alterius fuerit, alienigena semper contra Scaligerum intelligitur.*

Opinio Auctoris. Quærenti à me tamen, cui parti potius adhæream, primum respondeo me summopere eos commendare, qui vitantes ejuscemodi conflictum dicunt absolute Herodem alienigenam: atque ut id asseram, ducor hisce momentis. Primum est, quod hac ratione stat sua cuique Patrum auctoritas. Alterum, quod docti viri ajunt hanc esse verborum conflictationem, & cum possunt facile componi Scriptorum dissidia, non opus est singula expendere minutatim. Tertium quod Eusebius commendans traditionem Africani, laudat quoque sententiam Josephi scribentis Herodem paterno genere fuisse Idumæum. Quartum denique, quod inter Patres præstantissimi vocant Herodem alienigenam & proselytum, nihil de ipsius patria definientes: ut Hieronymus lib. I. in Oseam cap. 3. & lib. III. in Matth. cap. 22. S. P. Augustinus lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 45. num. 3. atque lib. XII. contra Faustum cap. 42. necnon Cyrillus Alexandrinus lib. VIII. contra Julianum pag. 260. quorum testimonia magis videntur expedita ad eos revincendos, qui arbitrantur Herodem Judæum genere.

5. Probabilius erat Idumæus. Deinde affirmo videri mihi probabiliorem sententiam eorum, qui Herodem existimant *Idumæum*. Movet autem me primò numerus & eruditio eorum Scriptorum, qui sententiam istam propugnant. Deinde S. Ambrosius lib. III. in Lucam num. 41. ait opinionem alteram tradi *ab his, qui sive argumentati, sive simpliciter docentes, sive vera adstruentes* Herodem fecerunt Ascalonitam: in quæ verba adnotarunt Benedictini, *Narratio illa ut prorsus fabulosa, & commentitia rejicitur, neque omninò probatur Ambrosio.* Præterea non conveniunt Africanus atque Epiphanius, cum unus *Hierodolum*, sive ædituum Apollinis faciat Antipatrum, alter Herodem Antipatri patrem; & aliunde constet patrem Antipatri appellatum fuisse *Antipatrum Antipam*, ex Josepho lib. XIV. Antiq. cap. 2. nunc 6. quamquam fateor hæc posse facile conciliari, si Antipatro ac patri idem tribuamus in templo Apollinis ministerium, & avo Herodis nomen *Herodis* simul atque *Antipatri*. Verum gratis id fingitur. Insuper con-

ciliari nulla ratione potest, Antipatrum fuisse non tenuis pecuniæ & prævalidæ potentiæ virum, ut cum Josepho scribit Hegesippus; ac non potuisse *præ inopia* redimi ab Idumæis, quemadmodum Epiphanius inquit post Africanum. Item quod de Antipatro scribit Josephus ex hoc redditur probabilius, quod vir miserrimus & captivus non adeo facile veniisset in amicitiam Hircani summi Judæorum Pontificis, neque is Mariamnem neptem suam formæ venustate insignem, & nobilissimo exortam genere Herodi locasset in matrimonium. Insuper pater Antipatri, auctore ibidem Josepho, tenuit totius Idumææ præfecturam: quomodo ergo Antipater captivus in Idumæam à latronibus adductus est? Ad hæc cum Africanus opinionis suæ neminem alium laudet auctorem, quàm privatam traditionem quorumdam, qui se faciebant Domini cognatos, Josephus autem gentis suæ origines, historiasque conscribat, antiquior etiam sit, & ætati Herodis proximior, hujusque avum, parentes, uxores, filios, universamque familiam recenseat; huic potius, quam illi videtur fides præstanda. Hæc sunt quæ me permovent, ut Herodem asseram Idumæum.

6. Adhuc tamen benè dicitur Ascalonita.

Non hinc tamen infertur, male à multis Patribus dictum *Ascalonitam*. Enimvero constat ex Josepho citato loco Antipam patrem Antipatri *feciisse amicitiam cum Arabibus, Gazæis, & Ascalonitis, eosque sibi multis & magnis muneribus conciliavisse*. Factum id, uti adnotavit differt. v. de Epoch. Syromaced. Norisius, ut si forte æmulorum invidia excideret à gratia Alexandri regis, posset Ascalonem ad amicam urbem secedere. Valde itaque probabile est majores Herodis quandoque Ascalone fuisse commoratos. Confirmat sententiam suam Norisius, ex quo Herodes ad regnum evectus, memor pristinæ amicitiæ, & paterni domicilii construxerit *Ascalonitis balneas & fontes magnificos, prætereaque peristylia tam opere, quam magnitudine suspicienda*, ut ait Josephus lib. 1. de Bello cap. 16. nunc 21. num. 11. Cæsar etiam Herodis *sorori Salomi ædes regias in Ascalone largitus est*, ut inquit idem Historicus lib. 2. de Bello cap. 4. nunc 6. num. 3. Igitur Herodes & Idumæus, & Ascalonita recte dicitur; *Idumæus* genere, *Ascalonita* domicilio, semper tamen *proselytus, atque alienigena*.

7. Objicitur.

Qui Herodem putant Judæum, opponunt primo testimonia Scriptorum, Nicolai Damasceni, de quo supra: ipsius Josephi, qui lib. xx. cap. 6. nunc 8. num. 7. sermonem instituens de rixa inter Judæos, & Syros orta Cæsareæ, inquit: *Judæi primas sibi deferri volebant, quod Rex illorum Herodes fuerit Judæus*. Libro etiam xv. Antiq. cap. 14. Judæi ab Herode dicti sunt *viri ejusdem originis*, ἄνδρες ὁμόφυλοι. Strabo quoque lib. xvi. Geographiæ Herodem vocat ἄνερα ἐπιχώριον, *virum indigenam*. II. Si Herodes fuisset Idumæus genere, ad solium evectus studuisset Idumæorum ritus inducere, quemadmodum Hircanus coegerat Idumæos ad Judæorum legem, ac politiam. III. Ex Josepho lib. xv. cap. 7. num. 9. Costobarus Idumæus factus gener regis indignum existimabat Idumæos servire Judæis. Herodes ergo Idumæos ipsos in suam libertatem vindicavisset, si ortus esset eodem genere. IV. Hircanus alienigæ non locasset in matrimonium neptem suam Mariamnem, cum id Exodi xxxiv. 16. & Deut. vii. 3. inhibeatur. V. Præsetulit Herodes Judaicæ legis zelum maximum, adeo ut Cæsar apud Macrobium lib. 2. Saturn. cap. 4. cum audisset Herodem occidisse filium suum, dixerit, *Melius est Herodis esse porcum, quam filium*. Ejusdem religionis argumentum sunt instauratum ab ipso Templum, solicitudo ne statua Caji Cæsaris persisteret in sacris ædibus, aliaque hujus generis facinora. VI. Nisi Judæus Herodes fuisset, falsitatis convinceretur vaticinium Geneseos xxv. 23. *Major serviet minori*, quandoquidem Idumæi originem ducentes ab Esau imperassent Jacobi posteritati. VII. Multo magis corrueret oraculum Jacobæum Gen. xlix. 10. de non auferendo sceptro de Juda usque ad Messiæ adventum; nam ablatum foret anno ante Christum 35. dum Herodes regnum Judæorum adeptus est. VIII. Matth. 22. commemorantur Herodiani. Hi existimabant Herodem esse Christum, juxta Epiph. h. 20. Incredibile est autem habitum fuisse, ut Messiam, principem non Judæum. IX. Tandem Idumæi quoque erant Judæi: si ergo Herodes fuit Idumæus, Judæus fuit.

8. Respondetur.

Resp. ad primum nil probare prædictorum Scriptorum testimonia, nam Nicolaum Damascenum in gratiam Herodis mentitum affirmat Josephus lib. xiv. cap. 1. num. 3. Ad se ipsum, cæterosque intelligendos, facem præfert idem Historicus lib. xiii. cap. 9. num. 1. ubi de Idumæis ab Hircano devictis inquit: *Illi vero patriæ suæ amore tum circumcisionem admiserunt*

serunt, tum vitam in cæteris similiter ac Judæi agere constituerunt. Atque eo tempore ipsis contigit, ut deinceps Judæi essent. Hoc sensu dici ὁμοφύλας *Judæos*, atque *Idumæos* à Stephano, & à Strabone, compertum est. Ergo Judæi, Idumæique *idem genus* sunt, quatenus Judæorum nomine veniunt recutiti, & ritibus Moysis addicti; non quatenus designantur eo nomine posteri Jacob. Alterum diluitur iis, quæ de moribus Herodis narrantur lib. xv. Antiq. cap. 9. num. 6. *Cogebatur à receptis moribus decedere & patria instituta violare, dum & urbes ambitiosa sui ostentatione conderet, & templa erigeret, non hæc quidem in Judæa, nam Judæi nunquam tulissent, cum nobis interdictum sit statuas & simulacra Græcorum more colere, sed alias regiones & urbes ita instruxit & ornavit, Judæis semet purgans, quod non suapte sponte, sed ex jussu & mandatis hoc faceret, à Cæsare vero & Romanis gratiam iniens, quasi non adeo patriis moribus, ac eorum honori studeret.* Itaque Herodes non induxit ritus Idumæos, ne Judacium populum adversum se concitaret, & quoniam Hebræorum statutis imbutus veram noverat religionem. Ad tertium respondeo Costobarum fuisse *de genere Sacerdotum Coze, quem Deum existimant Idumæi*, studuisse autem, ut Judæorum excuteret jugum, *quod arbitrabatur accisis Herodis viribus facile se posse gentis Idumææ dominatum adipisci*, inquit Historicus lib. xv. cap. 7. num. 9. Perperam itaque comparatur proselyto & regi homo principatum affectans atque idololatra. Ad quartum dico primum, vetitum Judæis jungere connubia cum idololatris, ut liquet ex locis objectis; Herodem vero fuisse *proselytum*: deinde peto à Torniello & Frassenio, qui adeo commendant Herodis pro lege zelum, & has argutiunculas objectant, cur Herodes Costobaro Idumæo, apud Josephum cit. loco, *Salomen sororem suam nuptui dedit?* Ad quintum idem, ac ad secundum esto responsum; ne longior sim narrando servitutem qua Herodes Judæos premebat, insidias quas struxit Aristobulo, cædem Hircano illatam, interfectam Mariamnem, aliaque flagitia innumera. In argumentatione sexta non immorabimur, longo enim tempore posteri Jacob tenuerunt principatum in filios Esau, at non semper. Quod sequitur nullius est ponderis; tempore quippe Herodis sceptrum penitus ablatum est, & quia ipse fuit Rex primus alienigena, & quia non permansit eo regnante *Dux de femoribus Juda*, ait Hieronym. lib. 3. in Matth. cap. 22. *Rex de semine Juda*, inquit Augustinus lib. xii. contra Faustum cap. 42. *Principes ex tribu Juda & David qui per successores sceptrum ad regnum Herodis usque transmiserunt*, scribit Cyrillus lib. viii. contra Julianum 260. Quo autem pacto ad Herodem usque sceptrum permanserit non solum in Judæorum populo, sed etiam *in tribu David, in semine Juda, in duce ex hujus femoribus orto*, diximus alibi. Si vero cum viris doctis sceptrum referas ad solum regem genere Judæum; dico ablatum quidem paulo ante Christum, sed non esse vaticinium Jacobæum ad punctum & particulam temporis coarctandum: nam & in magnis rerum eventis solet tempus diutinum designari, ut dum dicimus adventurum Antichristum in fine mundi: & signum debet rem, quam promittit, præcedere. Sane Jacobi vaticinium eventum omnium maximum portendebat: & sceptri Judaici finem tanquam signum illius eventi prænuntiabat. Fateor tamen non posse falsitatis convinci celeberrimum vaticinium, etiamsi Herodes dicatur *indigena*, quoniam successor ejus Archelaus non obtinuit à Cæsare *regii nominis honorem*, ut legimus lib. xvii. Antiq. cap. 13. nunc 11. num. 4. Quare sententia Tornielli, Frassenii, & Huetii nullatenus enervat, ut quidam arbitrantur, oraculum Jacobæum: sed rejicitur à nobis tantummodo tanquam falsa. Ad objectionem octavam dico in sententia Hieronymi Herodianos fuisse *Herodis milites*, & S. Doctoris lib. iii. in Matth. pag. 104. Tomi iv. hæc verba legi: *Quidam Latinorum ridicule Herodianos putant, qui Herodem Christum esse credebant: quod nusquam omnino legimus.* Sed dato id Herodianos credidisse; quid mirum hos Herodem pro Messia coluisse, cum Josephus Historicus Messiam dixerit Vespasianum, aliique Simonem Magum, & Dositheum Samaritas? Adde hoc argumento, si quid evinceret, etiam probari Herodem esse filium Davidis, atque de Tribu Juda, quoniam verus Messias è semine David expectabatur. Postrema objectio facillime ex dictis diluitur, quoniam Idumæi erant quidem Judæi religione, sed genere atque origine ἀλλοφύλοι, *proselyti, alienigenæ;* qualem fuisse Herodem dixi hactenus: nunc de Epocha.

9. Propositio 2.

Propositio II. Duplex distinguenda est Epocha Herodiana, quarum prima figenda est anno U. C. 714. P. Julianæ 4674. Cos. Domitio Calvino II. & Asinio Pollione: altera anno U. C. 717. P. Jul. 4677.

457. Cos. M. Vipsanio Agrippa, & L. Caninio Gallo.

10. Demonstratur de priori Epocha.

De priori Epocha consentiunt accuratissimi Chronologi, Petavius lib. x. de Doctrina Temp. Norisius dissert. 2. Cenot. Pisan. dissert. v. de Epoch. Syromaced. & in Parænet. ad Johan. Harduinum, Usserius ad annum 3964 Calvisius in Augusto, Pagius in Apparatu num. 80. Basnagius ad an. P. Jul. 4711. Auctor Chronologiæ ad Biblia Antonii Vitrè, & post doctrinam temporum majori in lumine collocatam, omnes propemodum. Demonstratur autem 1. Joseph lib. XIV. Antiq. cap. 14. num. 5. olim cap. 26. inquit de Herode: *Ille regnum suscipit Olympiade centesima nonagesima quarta, Cajo Domitio Calvino iterum, & Cajo Asinio Pollione Consulibus.* Eadem repetit lib. 1. de Bello cap XIV. n. 4. Perspicuum est autem Consulatum Calvini, & Asinii Pollionis concurrere cum anno Augusti Imperatoris quinto, correctionis Julianæ sexto, P Jul. 4674. & U. C. 714. nullo Chronologorum dissentiente. II. Utroque loco Josephus narrat Herodem decreto Senatus salutatum regem, *quod etiam ad Parthicum bellum expediret ut rex fieret.* Atqui Parthi aggressi Syriam ducibus Pacoro regis Parthorum filio, & Labieno, universam subegere anno U. 714. ex Dione Cassio lib. 48. pag. 372. edit. Hanoviæ, atque ex ipso Josepho lib. XIV. Antiq. cap. 2. Igitur eodem anno U. 714. Herodes à Romanis declaratus est Rex. III. Josephus eo loci scribit occupatam Syriam à Parthis altero anno ab adventu Antonii in Asiam. Antonius vero in Asiam se contulit anno Romæ 713. ex Dione ibidem. Sequenti ergo anno 714. Herodes senatus consulto declaratus est rex Palæstinæ & Judææ. De priori hac regni Herodiani Epochâ nulla difficultas superesse videtur, inquit Cl. Pagius in App. num. 50. Similia Norisius de Nummo Herodis Antipæ Tom. 2. pag. 655. Emanuel à Schelstrate dissert. 1 Antiq. Eccl. cap. 2. art. 1. aliique complures.

11. Statuitur altera Epocha.

Altera Epocha figenda est in anno, quo captis à Sosio & Herode Jerosolymis, atque interfecto Antigono, ipse Herodes rerum potitus est: quod etsi non omnino sit exploratum, contigisse arbitramur anno U. Romæ 717. Cons. Agrippa, & Gallo. I. Joseph lib. XIV. Antiq. cap. 28. nunc 16. num. 4. ait accidisse Jerosolimitarum cladem *M. Agrippa & Caninio Gallo consulibus, olympiade centesima, & octogesima quinta, mense tertio, jejunii solemnitate, tanquam recurrente in idem temporis momento illata à Pompejo Judæis calamitate: nam & eodem die ab illo post septem & viginti annos Hierosolyma capta fuerat.* Memoratum consulatum incidere in annum U. 717. commonstrant Fasti. Occupatam à Pompejo Jerosolymam *Cos. M. Cicerone, & Antonio*, id est, anno Romæ 691. narrat etiam Dio lib. 36. Hinc ergo connumeratis annis 27. perveniur ad consulatum M. Agrippæ, & Caninii Galli, & duplici nota, Fastorum scilicet, & devictæ à Pompejo Jerosolymæ, constat hanc à Sosio, & Herode fuisse occupatam anno 717. urbis Romæ. II. Consentiunt omnes captam Jerosolymam proximo anno post secundam victoriam, quam de Parthis retulit Ventidius. Is Labienum Parthorum ducem priori conflictu devicit anno U. 715. juxta Dionem lib. 48. pag. 380. Id confirmat Cl. Pagius in App. num. 91. & seq. ex quo Ventidius ab Antonio missus fuerit ad reprimendos Parthos post ultimum fœdus initum cum Cæsare, ut liquet ex Vellejo cap. 77. libri 2. & Appiano lib. 5. de Bello civ. At de pace pertractatum non est, nisi labente anno 714. ex ipso Dione libro 48. pag. 376. dum Sextus Pompejus occupata Sicilia vastabat Italiam; ideoque non potuit Ventidius Labienum superare, nisi vertente anno U. 715. Atqui secunda victoria Parthica, qua P. Ventidius Pacorum in Syria Cyrrhestica prælio vicit, contigit elapso anno post primam è Labieno relatam: non ergo accidit ante annum U. 716. quo etiam anno narratur à Dione libro 49. pag. 404. cumque Chronologis omnibus assentientibus Sosias & Herodes Jerosolymas expugnaverint anno proximo post secundam victoriam P. Ventidii, idque colligatur etiam ex Josepho lib. XIV. Antiq. cap. 27. nunc 15. num. 7. & lib. 1. de Bello cap. 12. nunc 16. num. 6. consequens est Jerosolymitanam cladem consignandam esse anno Romæ 717.

12. Altera Epocha non est omnino explorata.

Dixi tamen id omnino exploratum non videri. Doctissimus enim Norisius dissert. 2. Cenotaph. Pisan. contendit captas Jerosolymas anno U. 716. Claudio, & Norbano Cos. quoniam hoc anno consignatur à Dione facta à Sosio & Herode expugnatio lib. 49. pag. 405. ubi etiam Dio addit: *Anno insequenti nihil memoratu dignum à Romanis in Syria actum est.* Addit Scriptor Eminentissimus Josephum deceptum anno Sabbatico, qui inchoatus fuit anno U. 716. mense Tisri, exiitque vertente anno 717. ideoque Josephum annum

annum captæ urbis illum putâsse, quo exibat annus Sabbaticus, cum revera fuerit A.U. 716. vide Tom. III. pag. 231. Ita valde probabile est, ex Dione corrigendum esse Josephum. Fateor tamen me in priorem sententiam propendere: primum quia ubique Josephus sibi constans ait Herodem castra prope urbem metatum anno tertio postquam Romæ declaratus rex fuerat, & regnâsse annos 34. ab interfecto Antigono, postquam vero rex designatus est à Romanis, 37. Ita lib. I. de Bello cap. 13 nunc 17. num. 8. & cap. ultimo num. 8. Videntur ergo tres anni inter unam, & alteram Epocham statuendi. Præterea Josephus consignans cladem Jerosolymitanam anno U. 717. diem, mensem, olympiadem, & priorem expugnationem commemorans satis ostendit quantum hac in re fuerit accuratus. Deinde præcedentia argumenta ipsius Dionis testimoniis corroborata aperte evincunt Dionem, non Josephum errasse; quod Toinardus, Pagius, aliique viri doctissimi hujus problematis inquisitioni toto ingenii nisu insudantes rem nunc definitam, & in luce positam arbitrantur. Verum tanta est Norisii in Chronologicis difficultatibus enodandis diligentia, tantum argumentorum ejus pondus, & tanta ipsius apud omnes existimatio, ut illius judicium nec possim, nec debeam extrudere; præsertim cum id parum scopo hujus disceptationis afferat adjumenti.

13. Propositio 3.

PROPOSITIO III. Herodes decessit ante festum Paschatis anni U. C. 751. à palilibus, sive antequam exiret annus U. C. 750. Augusti 41. correctionis Jul. 42. & P. Julianæ 4710. quo autem mense præcise, arduum est definire.

Quo anno fatis cessit Herodes.

In priori propositionis parte conveniunt recentiores Chronologi, in altera plurimum dissentiunt; nam Herodem fatis cessisse circa festum Paschatis anni U. C. 750. putant Petavius lib. XI. cap. 1. & lib. XIII. ad annum P. Julianæ 4710. Henschenius & Papebrochius in Apparatu ad Chronolog. Pontificiam, quæ præmittitur Tom. I. Act. SS. Aprilis, Tillemontius in Hist. Imp. Tom. I. p. 2. pag. 1041. aliique viri doctissimi. Herodem vita functum eodem anno U. 750. die 25. Novemb. tenent Usserius ad annum P. Jul. 4710. Schelstratius differt. I. Antiq. Eccles. Franciscus Blanchinus in Chronolog. Consul. Tom. 2. Anastasii Prolog. p. 164. Antonius Pagius in App. n. 142. nec dissentit Norisius in dissert. de nummo Herodis Antipæ Tom. 2. p. 654. sed Pagius hoc asserit ex sententia Usserii, nec aperte negat contigisse mortem Herodis sequenti anno circa festa Paschalia, quod & propugnat Norisius differt. 2. Cenotaph. Pisan. Tom. III. pag. 232. & seq. Hi enim duo viri de Chronologia optime meriti certo statuunt Herodis obitum ante festum Paschatis anni Romæ 751. à palilibus, diem ex sententia Usserii duntaxat innuentes. Eo denique anno 751. non vertente 750. ad fata Herodem venisse scribunt loco nuper laudato Norisius, Aegidius Bucherius in Belgio Romano lib. II. sect. 3. Samuel Basnagius ad annum P. I. 4711. sive 43. Juliano, & U 751. His positis primam thesis partem sic demonstro. I. Herodes regnavit annos ab interfecto Antigono 34. & ex quo salutatus fuerat rex à Romanis 37. Scribit enim Josephus lib. 17. Antiq. cap. 10. nunc 8. num. 1. *Quinto post occisum Antipatrum die vitam finivit, cum regnasset post interfectum Antigonum annos triginta quatuor, postquam autem rex à Romanis creatus fuerat, triginta septem.* Et lib. I. de Bello cap. ult. num. 8. *Postquam autem à filii cæde quinque dies vixisset, mortem obiit, cum scilicet regnasset annos quidem triginta quatuor, ex quo Antigono interfecto regnum potitus est, triginta vero septem ex quo rex à Romanis declaratus est.* At sive supputentur anni 37. ab anno U. 714. quo demonstratum est Herodem acclamatum fuisse regem; sive anni 34. ab anno U. 717. quo cum Sosio Jerosolymas expugnavit, pervenitur ad annum Romæ 751. Hoc ergo anno Herodes magnus interiit. II. Post Herodis obitum ejus filii Romæ apud Augustum de paterna hæreditate judicio disceptârunt: atque hoc judicium habitum Lentulo & Messalino Cos. constat ex quo eidem interfuerit Cajus Cæsar Superiori anno Kalendis Januarii Consul destinatus, nec interesse potuerit Lucius Cæsar. designatus consul anno insequenti, Cons. Augusto XIII. & Silvano, id est, anno Romæ 752. à palilibus. Decesserat ergo Herodes ante Azymorum festivitatem Cornelio Lentulo, & Valerio Messalino Consulibus, & anno Urbis 751. Præterea Archelaus successor Herodis, accusantibus fratribus ac primoribus Judæorum ab Augusto Viennam in Galliis relegatus est, *anno regni nono*, ex Josepho lib. 2. de Bello cap. 6. nunc 7. num. 3. sive *anno decimo*, ex eodem Auctore lib. 17. Antiq. cap. 15. nunc 13. num. 4. id est, expleto anno *nono*, & *decimo* inchoato. Pulsum vero in exilium Archelaum *nono* principatus sui exacto anno consentiunt omnes, Eusebius ad annum

14. Quo mense, Disconveniunt Chronologi.

num Augusti 56. Beda Tom. 7. p. 195. Philippus Bergomas Historicus Ordinis lib. VIII. Supplem. Petavius, Norisius, Pagius, Tirinus, Usserius, Scaliger, omnes. Disceptatur tantum de anno hujusmodi exilii. Et quanquam Ecclesiasticorum Annalium Parens id contigisse contendat anno U. 767 paulo ante mortem Augusti, quem fatis cessisse hoc anno duobus Sextis Consulibus, 14. Kalendas Septembris, *est doctorum omnium sententia*, inquit Fastorum Pater Panvinius lib. 2. Fast. cap 302. attamen compertum modo est Archelaum pulsum in exilium anno Romæ 760. Cos. Gretico, & Nerva, septem annis ante Augusti obitum. Relegato enim Archelao Quirinius ejus facultates redegit in censum, *anno post Actiacam pugnam trigesimo septimo*, ex Josepho lib. XVIII. cap. 3. nunc 2. num. 1. Cumque pugna Actiaca contigerit anno Urbis 723. Cos. Augusto III. & Messala, annus 37. à pugna Actiaca incœptus est tricesima die mensis Augusti anno U. C. 760. Ab hoc ergo anno retro enumeratis integris annis novem, devenitur ad annum U. 751. ideoque hoc anno Herodes magnus obierat. Liquet autem ex dictis Josephum sibimet per omnia constare, & perperam damnari à multis antilogiæ. IV. Julia Augusti filia in exilium deportata est anno U. C. 752. Cos. Augusto III. & Silvano, ob turpem vitam, & deditam libidini consuetudinem. At Philippus Tetrarcha filius Herodis Bethsaidam urbem ornatam splendidissimis ædificiis è nomine filiæ Augusti appellavit *Juliam*, non ut quidam autumant in honorem Liviæ Augusti uxoris, urbem *Juliæ* confundentes cum ædificata ab Herode Antipa fratre Philippi *Juliade*. Vide lib. 18. Antiq. cap. 3. nunc 2. num. 1. At nunquam Julia ingrata Cæsari, adulteriisque infamis à Philippo tales habuisset honores. Præcedenti ergo anno Philippus Tetrarchiæ potitus Bethsaidam ornaverat, & appellaverat *Juliam*.

15. **Determinare mortis tempus est difficile.**

Ex his constat Herodem vita functum ante Pascha anni Romæ 751. Dixi autem perdifficile esse definire præcisum mortis tempus. Obiisse illum anno 750. ante Pascha. videtur colligi ex eclipsi lunæ hujus mortis prænuncia, ut legitur lib. 17. Antiq. cap. 8. sive 6. n. 4. quam eclipsin Keplerus, & tabulæ Astronomicæ consignant die 13. Martii tribus oris ante solis ortum, apud Bucherium in Belgio Rom. lib. 2. pag 79. & Petavium lib. XI. de doctr. Temp. Tom. 2. pag. 292. Præterea constat ex Dione lib. 55. pag. 567. Archelaum trans alpes relegatum M. Aemilio Lepido, & L. Arruntio Cos. id est, anno U. C. 759. ideoque exordium habuit Archelai principatus ab anno 750. Insuper liquet ex nummo Rigordiano, de quo extat erudita dissert. Norisii, Herodem Antipam attigisse Tetrarchiæ suæ annum. 43. extat enim in postica, ΗΡΩΔΗC. ΤΕΤΡΑΡΧΗC. L. ΜΓ. *Herodes tetrarcha, anno quadragesimo tertio.* Atqui in altera nummi parte cusum est nomen Caji Cæsaris, cujus postremus imperii annus est U. C. 793. Ab hoc ergo anno detractis 43. adinvenitur annus Urbis 750. ac primus tetrarchiæ Herodis Antipæ. Obiter nota Rigordii nummum Parisios delatum ab omnibus eruditis judicatum fuisse antiquissimum, & germanum, & Cl. Norisium, qui initio dubitabat num esset adulterinus, deposuisse tandem omnem dubitationem. Legendus Schelstrate diss. 1. p. 32.

16. *Aliqui putant Herodem decessisse labente Novembri.*

Decessisse Herodem eodem anno 750. labente Novembri, conjiciunt alii ex cit. lib. 17. Josephi, ubi narrat post prædictam eclipsin, sumptumque de Matthia, cæterisque seditiosis supplicium, Herodem ingravescente morbo, & pœnam impietatis exigente Numine, profectum ultra Jordanem calidis aquis se fovisse apud Callirrohen, reversum deinde Hierichuntem, vocatos ad se Judæorum nobiliores concluisse in circo, aliud testamentum condidisse, mandasse necem Antipatri, & exactis ab hujus morte diebus quinque cessisse fatis. Quæ omnia longiori egent tempore, quam quod inter diem 13. Martii, & festum Paschatis intercesit. Præterea Hebræi die septima mensis Cisseu, id est, die 25. Novembris festum celebrant ob mortem Herodis, ut liquet ex ספר תענית, *Sepher thabanith*, seu ex Volumine Jejunii edito Amstelodami anno 1659. ubi cap. 9. pag. 45. legitur, בשבעה ביה יום טוב יום שמת הורורום מפני שהיה הורורום שונא את החכמים: *Septima die hujus, festiva dies; in hac enim mors Herodis: & habuit odio Herodes sapientes.* Fertur autem volumen illud Jejunii scriptum à sociis Rab. Eliezer Ben-Chaninâ, qui floruit paulo post obitum ipsius Herodis. Atque hoc argumentum præcipuum est Livellii, Usserii, Emanuelis à Scheleſtrate, Gravesonii, aliorumquem multorum; quod diximus prorsus non rejici à viris eruditissimis Pagio, & Norisio.

Demum

17. Cur potius Herodes Ante pascha sit mortuus.

Demum qui putant Herodem decessisse ante festum Paschatis anni Urbis 751. atque Paschate ipso imminente, his momentis ducuntur. Primo melius in hac sententia enumerantur anni Herodis 37. de quibus supra, & triginta quatuor à morte Antigoni; cum hi anni mense Novembri A. 750. vix fuerint inchoati. Deinde si Herodes obiit paulo ante Pascha, fatentibus adversariis, annus tricesimus septimus, ex quo Herodes declaratus fuit rex à Romanis, nec inchoatus erit; quoniam declaratus fuit rex labente autumno anni U. 714. Obiisse autem paulo ante Pascha, præter consensum omnium omnino veterum Chronologorum, videtur aperte demonstrari ex ipso Josepho, quia lib. 17. Antiq. cap. 11. nunc 9. num. 3. narrat instante festo Azymorum nonnullos Judæorum deflevisse Matthiam, aliosque Aquilæ aureæ violatores ab Herode supplicio affectos, *clamoribus, & ejulatu in defunctum regem jactantes convitia*: quod Historicus repetit lib. 2. de Bello cap. 1. & licet Judæi ad tempus animi amaritudinem simularint, perperam tamen asseritur à Novembri ad Pascha conceptum dolorem corde intimo compressisse; præsertim cum Herode mortuo necessaria non fuerit hæc simulatio ad regis indignationem evitandam.

18. Opinio Auctoris visa ut probabilior.

Quamquam vero is ego non sum, qui possim hunc nodum dissolvere, atque ad institutum meum sat est, Herodem vita functum ante festivitatem Azymorum anni U. 751. quòd puto evidentissime demonstratum: fateor tamen videri mihi posteremam sententiam probabiliorem. Ad quam confirmandam tria addam argumenta. Ac primum sit. Joseph citato cap. 2. lib. 2. de Bello narrat Archelaum diebus septem in lugendo patrem consumptis, epulisque feralibus populo exhibitis, indutum candida veste processisse ad Templum solioque aureo residentem cunctis in gratiam populi postulatis annuisse. Deinde celebratis hostiis, invitasse amicos ad epulas: & ea die post meridiem excitatum fletum eorum, qui plorabant damnatos ob Aquilam auream. *Deinde* (inquit Historicus ibidem n. 2.) *re divina facta cum amicis convivia inibat. Ibi igitur sub vesperam non pauci ex illis, qui novis rebus studebant congregati, quando pro rege in communi luctu esse desierunt, vicem suam lamentari cœperunt eos lugentes quos supplicio affecerat Herodes propter Aquilam è templo auream è templi porta excisam.* Paucis ergo diebus post Herodis funera seditionis auctores tumultus excitaverunt; cumque id factum sit instante festo Azymorum, quis non videt Herodem paulo ante Pascha obiisse? Accedit argumentum alterum. Ait eo loci Josephus hac seditione irritatum fuisse Archelaum, *quod Romam proficisci omni festinatione pararet*, nimirum eò iter arripuerat Antipas paterni regni competitor. Hinc metu perculsus Archelaus immisso tribuno cum cohorte militum studuit cohibere seditionis auctores, deinde irritata multitudine immisit exercitum, pedites per civitatem, equitesque per campum, dum omnes sacris faciendis intenti essent: atque ita compositis rebus, & relicto Philippo, ut simul regias tueretur, suamque domum curaret, *Ipse cum matre, nec non & Popla, & Ptolomæo, & Nicolao amicis ad mare descendit.* Vide & lib. XVII. Antiq. cap. 11. nunc 9. num. 3. At magna profectò esset solicitudo, & itineris festinatio, discedere Jerosolymis post festum Azymorum, cum pater sex antea mensibus è vita migrasset! Tertium argumentum est hujusmodi. Eodem libro 2. de Bello cap. 1. nunc 2. num. 2. ait Historicus: *Illis autem* (Archelao & sociis) *Cæsareæ obviam fit Sabinus Syriæ præses, in Judæam ascendens ad pecunias Herodis custodiendas.* Sabinum in itinere *properasse* & ratio proficiscendi commonstrat, & tradit idem Historicus lib. XVII. Antiq. citato loco, pagina postremæ edit. Amst. 851. At est prorsus incredibile Sabinum è Syria adventasse Cæsaream duntaxat post Pascha, dum properabat ad custodiendam demortui regis pecuniam. Hæc itaque me in tertiam sententiam magis trahunt.

19. Objicientibus quomodo Respondendum.

Si quis ergo hanc præferendam sentit, momentis, quibus aliæ sententiæ nituntur, poterit respondere eclipsim, quæ contigit ante Herodis obitum, fuisse quemdam lunæ pallorem, ut solis deliquium, de quo idem Historicus lib. XIV. Antiq. cap. 21. nunc 12. num. 3. & quod eclipsim solarem non fuisse demonstrat Petavius lib. x. de doctr. Temp. cap. 66. quare illustris Pagius in App. n. 142. ait, ex illa eclipsi annum mortis Herodis *certo non detegi*. Et revera anno 42. Juliano, quo eclipsis contigit, ante Pascha non attigerat Herodes annum regni trigesimum septimum: quare secundæ sententiæ patroni putant commemorari à Josepho eclipsim aliam, quæ contigit eodem anno Juliano, & Urbis 750. die quinta Septembris, à qua Herodem protraxisse contendunt languidam vitam usque ad Novembris vicesimam quintam.

tam. De exilio autem Archelai ſtandum ſententiæ Joſephi, præſertim cum Dio eodem libro 55. pag. 567. Archelaum appellet Herodem Palæſtinum, eodemque anno U. C. 759. ſcribat partem dictionis ejus in publicum redactam, quod factum conſtat anno inſequenti; niſi mavis aſſerere accuſatum quidem Archelaum à fratribus anno 759. ſed anno proximo pulſum in exilium: quo pacto omnia conciliantur. Ad Volumen Jejunii, dicendum pugnare cum hiſtoria, & nihili eſſe faciendum, ut cenſent in Conatu Chronologico Papebrochius, & ad annum, 751. U. C. Samuel Baſnagius. Et quidem in Hebræorum Kalendario Tom. 2. Bibl. Rabbin. Julii Bartolocci pag. 558. nihil aliud die ſeptima menſis Chisleu adnotatur præter jejunium ob combuſtum à *Jeojakim* volumen conſcriptum à Baruch. Nummus denique Rigordianus aut cuſus eſt cum ſententia Romæ jam lata nondum promulgata eſſet in Galilæa; aut Herodes Antipa in exilium detruſus eſt, cum vix annum tetrarchiæ 43. attigiſſet. Verum cum petitum ex hoc nummo argumentum ſit talis ponderis, ut etiam Noriſius, qui in Cenotaphiis Piſanis tradiderat Herodem deceſſiſſe *circa feſtum paſchatis*, Tom. 3. p. 232. in Epiſt. ad Pagium de eodem nummo differens conſignet cum Uſſerio obitum Herodis in labente autumno anni Urbis 750. Tom. 2. pag. 654. & idem Pagius in App. num. 142. poſt conſignatum cum Uſſerio Herodis obitum in autumno anni U. 750. non audeat negare quin *anno ſequenti mortuus fuerit:* hinc fidenter pronuntio Herodem magnum deceſſiſſe ante Paſcha anni U. 751. ignorans num eodem anno, num verò autumno elapſo migrarit è vita, proferens momenta, ob quæ in priorem ſententiam propendeam, & haud denegans propriam miſerabilem ignorantiam. Ergo Herodes ante feſtum Azymorum anni Romæ 751. deceſſit; quo autem menſe, vel die, me fugit.

20. Objectiones contra Epocham herodianam.

Adverſus ſtatutam Epocham Herodianam objiciunt 1. Herodes, cum illi Antipater Galilæam commiſit, *quindecim tantum annos natus erat*, ex Joſepho lib. XIV. Antiq. cap. 17. nunc 9. num. 2. commendata autem fuit Galilæa Herodi anno U. 707. Cum ergo vixerit annos ſeptuaginta, ex eodem Hiſtorico lib. XVII. cap. 8. nunc 6. n. 1. & lib. 1. de Bello cap. 21. nunc 33. num. 1. ſequitur Herodem obiiſſe anno U. C. 759. Ita Baronius ad annum Chriſti VIII. num. 1. Præterea Archelaus in exilium pulſus eſt duobus Sextis Coſs. id eſt, anno U. 767. paulo ante mortem Auguſti. At relegatus ille eſt nono principatus ſui anno, ex Joſepho lib. 2. de Bello cap. 6. Igitur anno U. 759. obtinuerat ſuam, mortuo parente, tetrarchiam. Hæc idem Baronius ad annum Chriſti XVI. num. 1. Inſuper Herodes magnus urbem Cæſaream in Judæa condidit, & ſplendidiſſimis ædificiis ornatam dedicavit *anno regni ſui duodevigeſimo*, ex Joſ. lib. XV. Antiq. cap. 9. nunc 5. num. 1. Perfectam Cæſaream an. U. 745. Druſo, & Criſpino Conſulibus demonſtrant accurati quidam Chronologi. Si autem annus 28. regni Herodis incidat in annum Urbis 745. trigeſimus ſeptimus ac poſtremus concurret cum anno U. 754. primo Vulgaris æræ, quo anno Herodem objiſſe tenent quidam recentiores, ſtatuentes Chriſti nativitatem in anno præcedenti 753. Lentulo, & Piſone Coſs. Tandem ex eodem Joſepho lib. XV. Antiq. cap 12. nunc 9. num. 1. liquet annum, quo Herodes condidit Sebaſtem, fuiſſe regni ſui *decimum tertium*, paulo ante, quam Aelius Gallus in Arabiam felicem ſuſceperit expeditionem. Expeditio Aelii Galli contigit ex Dione anno U. 730. Sebaſte ergo condita fuit anno U. 729. Coſs. Auguſto IX. & Silano, ut demonſtrat Noriſius differt. v. de Epochis Syromacedonum §. 1. Tom. 2. pag. 559. Ab hoc ergo anno Romæ 729. & decimotertio regni Herodis, enumeratis aliis 24. (regnavit enim Herodes annos 37.) inchoabitur trigeſimus ſeptimus anno U. C. 753. ut demonſtratum quoque eſt præcedenti argumentatione.

Hæc argumenta, ſi primum excipias, ſententiam noſtram confirmant, & miramur ſummopere eſſe inter Sodales noſtros, qui eadem plurimum urgeant, magni Noriſii in nos auctoritatem contorquentes, qua ipſimet penitus profligantur. Ac de exilio Archelai ſatis dictum ſupra: ſive enim conſignetur cum Joſepho anno U. 760. ſive cum Dione anno præcedenti, utcunque res ſe habeat, ſemper Herodes ante feſtum Azymorum anni U. 751. ut Noriſius docet, fatis conceſſerat. Perfectam Cæſaream anno 28. Herodis concedo: ſed ſi annos Herodianos numeras *à nece Antigoni*, & annum regni Herodis 28. refers in annum U. 745. reſidui ſunt vitæ Herodis anni ſex tantum, quoniam ab interfecto Antigono non regnavit Herodes annos XXXVII. ſed XXXIV. Ergo hoc eodem argumento petito à dedicatione Cæſareæ evincitur objiſſe Herodem anno U. 751. quandoquidem ſex anni additi anno *vigeſimo octavo*

21. Reſpondetur 1.

octavo complent numerum annorum XXXIV. additi vero anno U. 745. constituunt annum Romæ 751. Quod si anni regni Herodiani supputentur ab anno U. C. 714. quo declaratus fuit rex à Romanis, *Cæsarea perfecta fuit anno U. Romæ 742.* inquit Norisius in Par. ad Harduinum Tom. 3. p. 1284. non anno R. 745. Ab anno autem 742. ad annum 751. sunt anni 9. qui una cum 28. constituunt annos regni Herodiani XXXVII. Quocunque ergo te vertas, ex ipsis quoque argumentis in me contortis liquet anno U. 751. Herodem fuisse mortuum. Nec aliud sequitur ex argumento postremo. Norisius dissert. v. de Epochis Syromaced. Tom. 2. pag. 559. inquit: *Cum vero Josephus ait Sebastem conditam anno* XIII. *regni Herodis, annos regni, non quidem à Triumviris primum A. U. C. 714. accepti, sed post necem Antigoni legitimi Judæorum regis A. U. 717. ab Herode initi, intelligit.* Bene habet. Enimvero si primus annus Herodiani regni inchoatus est anno Romæ 717. decimus tertius initium ducit ab anno U. 729. postremus vero, & trigesimus quartus ab anno U. C. 750. Mortuus est ergo Herodes, etiam juxta adversariorum nostrorum calculos, ante festivitatem Azymorum anni U. DCCLI.

22. Respondetur 2. Itaque ad argumentum depromptum ex lib. XIV. Antiq. cap. 9. quo videtur evinci mortuum Herodem anno Romæ 759. liquet primum inde potius erui quod obierit anno U. 762. quod nemo unquam somniavit. Cum enim Herodes vixerit annos 70. si annus 707. fuit Herodis decimus quintus, superadditis annis vitæ Herodis LV. perveniemus ad annum 762. Respondent ergo doctissimi viri Possevinus Tom. 1. Bibl. Tom. 2. cap. 6. Langius de annis Christi lib. 2. p. 1. cap. 6. Casaubonus exercit. 1. in Baronium, Keplerus de Anno Nat. Christi pag. 52. Norisius in Cenotaphiis dissert. 2. cap. 6. Pagius in Apparatu num. 62. Hudsonus Adnot. in hunc locum, aliique permulti legendum esse κε'. XXV. non ιε', XV. quæ literæ potuerunt facile ab Amanuensibus permutari, quamquam ιε' legit etiam Photius in Bibl. Cod. 238. pag. 970. Et quidem Usserius, & Pagius putant Ptolomæum, & Nicolaum Damascenum Josepho antiquiores, non ιε', XV. sed κε', XXV. scripsisse. Norisius verò mendum in Josephi textum irrepsisse invicte demonstrat, quoniam Herodes anno U. C. 687. jam vivebat, cum proximo anno una cum fratre Pherora, qui Herode erat major natu, datus sit ab Antipatro obses Aretæ regi Arabum. Herodes ergo anno U. 707. quando illi commissa est Galilæa, jam annum vigesimum excesserat: ideoque in textu Josephi XXV. non XV. legendum est. Atque mire cohærent omnia; si enim Herodes anno U. 707. expleverat annos tantum XXV. anno U. 751. inchoaverat annum vitæ suæ septuagesimum, quem non expleviſse constat ex Josepho lib. 1. de Bello cap. 21. nunc 33. num. 1. Quod si petas, quomodo Herodes annos natus 25. dici potuerit *adolescens*, sive, ut habetur in Græco, νεός, *omnino juvenis*, respondent viri prælaudati, etiam Cæsarem à Sallustio in Catil. appellatum *adolescentem*, dum annos natus 27. superavit Q. Catulum in petitione Pontificatus: à Cicerone in Divinat. contra Verrem, M. Cecilium jam ad Prætoris dignitatem evectum: à Tacito lib. 1. An. anno U. 760. Cæsarem Germanicum, cum ageret 29. ætatis annum, itaque adolescentia, atque νεότης, etiam adultis juvenibus convenit, imo iis potius, quàm primum exeuntibus à pubertate, & quos accuratiores Scriptores non adolescentes dixerunt, sed egressos ex ephebis, aut hirquitallos. Tandem si in textu Josephi legendum contendas cum Christiano Noldio in vita Herodum pag. 342. XV. non XXV. dices cum eodem auctore, Herodem vixisse annos LX. non LXX. quod non rejicit Schelstratius pag. 16. Tom. 1. Antiq. Eccl. Verùm scribente Josepho citato loco de Bello, necnon lib. XVII. Ant. cap. 8. nunc 6. num. 1. Herodem vixisse annos fere LXX. ejusque invaletudinem nimium fuisse gravatam *senectute pariter, ac mœrore*, non videtur hæc responsio alteri præferenda. Atque hæc de Epocha Herodiana.

CAPUT II.

In quo pertractatur de tempore Dominicæ Nativitatis.

SUMMARIUM.

1 Variæ sententiæ de anno Nativitatis Christi.
2. Demonstratur prima propositio.
3. Probatur secunda propositio.
4. & seqq. Refelluntur objectiones.

1. Variæ sententiæ de tempore & anno Nativitatis Christi.

ANno Herodis emortuali firmato, inquirendum est de anno Nativitatis Dominicæ. Ut autem in re admodum dubia utamur certioribus Chronologiæ principiis, non disputabimus de anno Mundi, sed de annis Julianis, Augusteis, Urbis conditæ, Romanorumque Consulum; quoniam istorum fixa est Epocha Tom. 11. pag. 274. eorumque ignorarantia *nonnullos coegit errare*, ut lib. 2. de Doctrina Christ. cap. 28. recte Augustinus animadvertit. Et quidem quam variæ sint annorum supputationes à condito orbe ad Reparatoris adventum, legi potest in Elementis Hist. Vallemontii, apud Scisellium in dissert. de quarta ætate mundi, atque in Tabulis Chronologicis Bibliorum nuper editorum Venetiis. At si fixis epochis insistamus, videntur nobis tantorum Auctorum opiniones, saltem quæ tulciuntur momento aliquo, ad septem nunc servato annorum ordine recensendas posse commode revocari. Est itaque sententia prima, quæ tenet natum Dominum anno U. C. 748. Consulibus Balbo & Vetere, sive anno Juliano 40. Cæs. Augusti 39. ac tertio Olym. 193. quam sententiam propugnant doctissimi viri, Antonius Pagius in App. Pagius alter in Brev. Summ. Pontif. in præfixa Operi serie Augustorum, Emanuel à Schelstrate Dissert. 1. Antiq. Eccl. cap. 2. art. 4. Franciscus Blanchinus in Chronologia Consulari Tom. 2. Anastasii Biblioth. pag. 164. aliique recentiores. Secunda sententia refert Natalem Christi in annum proximum U. C 749. Cos. Augusto XII. & Sulla, sive in labentem annum Julianum 41. Cæs. Augusti 40. & 4. Olympiadis 193. quam sententiam propugnant Decherius apud Petavium lib. XII. de Doctr. Temporum cap 6. Chronicon Weingartense, Cornelius à Lapide in cap. 2. Lucæ, Norisius in Cenotaph. Pisanis dissert. 2. Usserius, Cappellus, Tirinus, Basnagius, Alexander Natalis, Gravesonius, Antonius Vitrè, aliique complures. Locat sententia tertia Nativitatem Christi in anno U. C. 750. Cos. Calvisio Sabino II. & L. Passieno Rufo, sive in anno Juliano 42. Cæs. Augusti 41. & 1. Olymp. 194. & hanc sententiam defendit in Apparatu Chronologico Bern. Lamy, neque ab ea videntur abhorrere Irenæus, Tertullianus, Hieronymus, & Severus Sulpitius, quamquam incertum est, unde hi supputent annos Augusti. Sententia quarta natum Christum tenet proximo U. anno 751. Cos. Lentulo ac Messalino, sive anno Juliano 43. Augusti 42. & 2. Olym. 194. atque ita sentiunt Baronius, Gerardus Vossius, Scaliger, Langius, Calvisius, Marianus Scotus, Salianus, Sigebertus, & Cornelius à Lapide in Pentath. quam tamen sententiam retractavit, ut diximus, in cap. 2. Lucæ. Quinta sententia est Fastorum Conditoris Panvinii contendentis Christum natum anno U. C. 752. Cos. Augusto XIII. & M. Plautino Silvano, id est, anno Juliano 44. Augusti 43. & Olymp. 194. anno 3. à qua sententia non videntur recedere ex Patribus Epiphanius, ex Historicis Eusebius, Nicephorus, & Sigonius, atque ex sacrarum literarum Interpretibus Pererius, & Maldonatus. Accedit sententia sexta referens Natalem Christi ad annum U. 753. Cos. Cornelio Lentulo, & L. Calpurnio Pisone, Julianum 45. Cæs. Augusti 44. postremum Olympiadis 194. Habet & hæc sententia assertores plurimos, eosque gravissimos, Joannem Lucidum, Dionysium Exiguum, Apollinarium Laodicenum, Burgensem, Tostatum, Genebrardum, Labbeum, quos nuper secutus est noster Augustinus Aetini summopere Chronologicis studiis addictus. Postrema sententia est eorum, qui protrahunt Christi nativitatem ad annum U. 754. Cos. C. Jul. Cæsare Augusti F. & L. Aemilio Paulo, ad annum nempe Julianum 46. Augusti 45. & Olympiadis 195. annum primum. Traditur hæc sententia ab Auctore Fastorum, quos laudat Joannes Cuspinianus, ac plurimum desiderari ajebat Aegidius Bucherius, erutos autem ex vetusta membrana Bibliothecæ Cæsareæ vulgavit primum ad

ad calcem Operis de Epochis Syromaced. Norisius noster, postea Schelstratius in Append. Tom. 1. Antiq. Eccles. & Collector Epitomes Romanarum Historiarum edit. Florentiæ an. 1723. Videtur in eandem sententiam conspirare Cl. Bossuet in Epitome Univers. Hist. in Latinum conversæ ab Emanuele de Partenay pag. 92. sed vir doctissimus loquitur de principio Ae. Vulgaris, & Natali Christi Dionysiano, quem à vero Natali distinguendum præmonuimus Tom. 2. pag. 273. ac paulo post demonstrabimus. Cum enim vir doctissimus affirmet Romam conditam anno M. 3250. & Christum natum desinente anno M. 4999. consequenter supponit veram Christi nativitatem consignandam anno U. C. 749. desinente, ut fert sententia, quam utpote probabiliorem amplectimur.

2. Propositio 1. PROPOSITIO I. Christus natus est anno U. C. 749. P. Julianæ 4709. Olymp. 193. anno 4. Cos. Augusto XII. & Sulla, anno Juliano 41. Cæsaris Augusti 40. aut saltem præcedenti anno Romæ 748.

Demonstratur. Demonstratur. Supposita Epocha Herodiana Christus natus est ante festum Azymorum an. U. C. 751. At primo non potest retrahi Christi Natalis ad annum U. 747. Christus enim natus est *toto orbe in pace composito*, ex communi & vetustissima PP. traditione. Atqui constat anno U. C. 747. Tiberium Neronem Cos. II. Kalendis Januariis post devictos Germanos triumphasse, ac paulo post coortis iterum in Germania motibus ad bellum fuisse profectum, Norisio differt. 2. Cenotaph. Pisan. cap. 10. id evidentissime commonstrante. Non ergo ad annum U. 747. retrahi potest annus Christi Natalis. II. Nec differri potest post annum 750. Enimvero Christus natus est *in diebus Herodis Regis*, atque, ut fert Ecclesiæ traditio inferius comprobanda, VIII. Kal. Januarias. Decessit autem Herodes ante Pascha anni U. C. 751. Eodem ergo anno, Decembri mense, & Herode è vivis sublato, Christus nasci non poterat. III. Multo minus consignari potest Christi Natalis, an. U. C. 752. aut sequentibus; quoniam & Herodes obierat, & eo anno erupit bellum, contigit Caji Cæsaris expeditio in Orientem, atque exinde Parthicum bellum per tres annos perduravit: ideoque nec anno 752. nec tribus sequentibus natus est Rex pacificus, mundique Redemptor. Nec bellum tantum Parthicum, verum etiam Arabicum, & Armenicum erupit prædicto anno U. 752. *& circa exitum ejusdem anni*, inquit Norisius, *universus Romanus orbis armorum fragore resonabat.* IV. Christus baptizatus est, cum esset annorum *quasi triginta*, ex Luca III. 23. idque retinendum *auctoritate Evangelica*, docet S. P. Augustinus lib. 2. de Doct. Christ. cap. 28. Baptizatus est autem anno U. C. 779. ut cap. 5. demonstrabo. Si ergo retrocedas per annos XXX. vel trigesimus inchoatus tantum erit, & incides in annum U. C. 749. vel exactus, incœpto jam anno XXXI. & pervenies ad annum U. 748. At quæris, ex his duabus sententiis quænam est probabilior? Arbitror primam, eoquod verba Lucæ, *quasi annorum triginta*, videantur significare potius tricesimum annum inchoatum, quàm exactum, ut suo loco discutiendum est: & quoniam anno U. 748. etsi nusquam gesta à Romanis bella commemorentur, Dio tamen apud Zonaram narrat quosdam Armeniæ tumultus, quos Cæs. Augustus constituto Armeniis rege Artavasde compescuit. Quia tamen sedari poterant hi tumultus ante hiemales brumas, nec parvi ponderis est argumentum petitum ex nummis Quintilii Vari paulo post producendum, fateor sententiam referentem Christi natalem ad annum U. C. 748. non posse aperte revinci, quamvis non sit, ut fidenter quidam pronuntiant, exploratissima, & alteri præferenda. V. Vulgaris Aera Dionysiana incipit, ut mox ostendam, anno U. C. 754. Atqui constat ex vetustis Aegyptiacis monumentis apud Laurentium-Alexandrum Zacagnium Tom. 1. Collectan. Monum. Vet. Eccl. Græcæ & Latinæ, ac nostrum Guilielmum Bonjour Exercit. in Mon. Coptica Vaticana, vulgarem Aeram solido quadriennio anteverti à Christi Nativitate: ibi enim Euthalius Episcopus Sulcensis scribit usque ad Consulatum Leonis Augusti, (qui consulatum iniit anno Aer. vulgaris 458. Indict. XII. & Epochæ Diocletiani 173.) exactos fuisse à Dominica Nativitate *annos quadringentos sexaginta duos.* Igitur solido quadriennio ante annum U. 754. id est, anno 749. labente natus est Christus. Obiter nota sententiam nostram, priusquam calculis recentiorum Chronologorum probaretur, fuisse olim apud Aegyptios exploratissimam, atque receptam.

3. Propositio 2. PROPOSITIO II. Vulgaris Aera incipit anno U. C. 754. Coss. C. Cæs. Augusti F. & L. Aem. Paulo, anno nempe Juliano 46. Augusti 45. Olym. 195. anno primo, & P. Julianæ 4714. solido quadriennio post veram Christi Nativitatem.

Probatur. Adversus Scaligerum, qui in Animadversionibus Eusebianis asseruit Aeram Diocletianam, sive Martyrum Alexandrinorum initium ducere ab anno Christi 288. demonstrarunt apertissime viri clarissimi, Norisius in dissert. de duobus Nummis Dioclet. & Licinii, Pagius ad annum Chr. 284. Petavius lib. XI. de Doctr. Temp. c. 29. Em. à Schelstrate dissert. 2. Antiq. Eccl. cap. 8. revera initium imperii Diocletiani incidere in annum V. Ae. 284. & in Consulatum Carini Augusti II. & M. Aurelii Numeriani Aug. II. Atque id evincitur primo ex Cod. Justin. lib. 3. *L. Ut nemo*, quæ habet Rescriptum, *Dat. Id. Octob. Carino II. & Num. Coss.* Deinde confirmatur ex Consulatu anni proximi Ae. V. 285. quo idem Diocletianus una cum Aristobulo Consul prodiit, posteaquam XV. Kal. Octobris elapsi anni Chalcedone renuntiatus fuerat Imperator, ut liquet ex Chronico Alexandrino. Præterea idem probatur ex Epist. Ambrosii ad Episcopos Aemiliæ, in qua annum vulgarem 373. quo luna 14. incidit in diem nonum ante Kal. Aprilis, appellat S. Antistes *annum Diocletiani octogesimum nonum*: & annum 377. quo luna 14. incidit in V. Id. Aprilis vocat *annum Diocletianum nonagesimum tertium*. Detractis autem annis 89. ab anno Chr. 373. residui erunt anni 284. detractisque annis 93. ab anno Chr. 377. erunt pariter residui anni 284. ideoque hoc anno incipit Aera Diocletiani. Idem eruitur ex Inscriptione, quæ extat Romæ in atrio ædium Tiberii Cævuli, & apud Gruterum pag. 279. n. 3. in qua Diocletianus nominatur TRIB. POTEST. COS. II. At Diocletianus iniit Consulatum II. cum Aristobulo anno Vulg. Aeræ 285. ut dictum est paulo supra. Igitur Tribunitiam potestatem consecutus fuerat anno præcedenti 284. Ita ratiocinatur Baronius ad hunc annum, & Petavius lib. XI. de Doctr. Temp. cap. 30. Denique Diocletianam æram initium ducere ab anno vulgari 284. eruitur ex Apographo Græco Fastorum edito à Du-Cange, & latine reddito à Schelstratio, ubi ad Consulatum Carini & Numeriani apponitur titulus, τὰ ἀπὸ Φιλίππε μέχρι Διοκλετιανὲ τὸ Β. ἔτη χζ. *Anni à Philippo usque ad Diocletiani secundum*, 607. quod indicium est eodem anno incipere Epocham Martyrum. Hoc autem evidentissime demonstrato sequitur assertum nostrum manifesta illatione: quippe si anni 284. retro numerentur à Consulatu Carini & Numeriani, & ab U. C. 1073. pervenietur ad Consulatum Cæsaris & Pauli, id est, ad annum U. C. 754. & consequenter erit iste vulgaris Aeræ annus primus.

Opp. 1. adversus primam propositionem. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 7. ait *testem fidelissimum Dominicæ Nativitatis* esse censum à Saturnino in Judæa actum, & inquit acta illius census *in Romanis Archivis custodiri:* quod repetit cap. 19. Descriptio itaque, quam Lucas cap. 2. ait factam *à Præside Syriæ Cyrino*, per Saturninum peracta est; unde Valesius in Notis ad H. Eccl. Eusebii lib. 1. cap. 5. demonstrare nititur pro Cyrini, aut Quirini nomine, scriptum olim in Evangelio nomen *Saturnini*. Atqui Sentius Saturninus anno U. C. 748. Syriæ præfecturam absolvit; nec in superiorem annum retrahi potest Christi Natalis ob bella, quæ tunc grassabantur per Romanum orbem. Igitur anno U. C. 748. natus est Christus. Et quidem hoc anno Saturninum Syriæ absolvisse præfecturam, constat ex nummis Quintilii Vari apud Norisium de Epoch. Syromacedonum cap. 7. Pagium in Apparatu ad Annal. Harduinum in Antirrhetico, Schelstratium in App. Tom. 1. ex quibus liquet Varum jam ab anno U. 748. Syriam administrasse: unde Norisius, qui in Cenotaph. Pis. scripserat Saturninum præfuisse Syriæ anno U. 749. suos confessus est anachronismos, & Parergon Præsidum reformavit. 4. Objicitur 1.

Resp. 1. A me quoque hanc opinionem existimari probabilem. Deinde, ut appareat hoc argumento non refutari sententiam alteram ætati Christi, & vetustis monumentis magis consentaneam; concedo Varum præfuisse Syriæ anno U. 748. & nego descriptionem totius orbis factam tempore Dominicæ Nativitatis vel actam fuisse à Quintilio Varo, vel indictam à Saturnino. De Varo quidem nullam aliam afferunt conjecturam, nisi quod erat tunc temporis præses Syriæ. Sed quid Syriæ præsidi cum regno Judææ, vivente rege, licèt Augusti beneficentia ad solium evecto, nondum tamen vectigali, quemadmodum factum est demortuo Herode, & denegato filiis regio titulo? Peractum ergo censum illum universalem ab administrante Syriam Præside eadem facilitate rejicitur, qua asseritur. Ac dato etiam actum censum illum à Syriæ præside, nullibi legitur peractum à Varo, & etiam dato hoc, Varus anno U. C. 749. non discesserat à Palæstina. Indictum vero censum à Saturnino, principio, missa auctoritate Tertulliani, absque ulla temeritate negare possum. 5. Respondetur.

Cyri-

Cyrinum apud Lucam lego, Cyrinum apud Ignatium disputantem cum Tryphone, Cyrinum apud cæteros Patres universos. Estne magis æquum, ut Evangelio credamus, ac Traditioni universæ, an uni Tertulliano? Deinde nego Tertullianum agere de censu acto tempore Dominicæ Nativitatis, ubi meminit Saturnini. In cap. 7. adversus Marcionem, in quo de Dominica Nativitate verba facit, censum quidem commemorat, Saturninum vero nequaquam. Cap. autem 19. ait utique, *Sed & census constat actos sub Augusto, nunc in Judæa per Sentium Saturninum.* At istic non loquitur Tertullianus de censu acto tempore Dominicæ Nativitatis, sed de aliis, quos ille opinatur actos à Saturnino, cum in Syriæ administratione successit Pisoni, anno Ae. V. 19. sive U. C. 772. jam Christo adulto: atque ita Tertullianus, & Lucæ Evangelium mire concordant, & perperam istud emendandum contendunt Valesius, Cappellus, & alii, qui pro Cyrino legendum putant Saturninum; nec non Huetius, qui substituendum censet Quintilium, nullius vel antiqui Scriptoris, vel Ms. auctoritate. Profecto Tertullianum citato cap. 19. loqui de censu acto per Saturninum adulto Christo, demonstrat particula *Nunc*, id est, dum illum Mater fratresque requirebant, ut liquet ex textu: ex vetere scriptura ad marginem Rhenani, quæ talis est, *Nunc, id est, cum Christus illa diceret nuntiantibus adesse matrem, & fratres;* & ex notis in hunc Tertulliani locum Nic. Rigaltii pag. 100. Mirum hæc non observasse aut Pagium, aut Schelstratium, qui unice ob Tertulliani testimonium sententiam nostram repudiarunt. Sane C. Sentium Saturninum prætuisse Syriæ anno U. 772. & Ae. Vulg. 19. probat ex Tacito idem Schelstratius Tom. 1. Antiq. Eccl. pag. 123. & Pagius Tom. 1. pag. 16. num. 3. Nego itaque descriptionem universi orbis factam tempore Nativitatis Dominicæ per Saturninum, & nego id asserere Tertullianum: quem census alios ab eo, quem egit Cyrenius, innuere eodem lib. IV. contra Marcionem cap. 36. illum vero neque cap. 7. ejusdem libri, neque adversus Judæos pag. 219. adscribere Saturnino, ex ipso Tertulliano facile deprehendet lector.

6. Objicitur 2. Opp. 2. Natus est Christus dum describeretur universus orbis, & hæc descriptio facta est à Cyrino Syriam administrante. Augustus, ut inquit Suetonius in Octavio, *censum populi ter egit, primum ac tertium cum collega, medium solus.* Quo tempore acti fuerint singuli, constat ex lapide Ancyrano, quem attulit è Byzantina Legatione Busbequius, apud Andream Schottum in Scholiis ad Epitomen Aurelii Victoris, & apud Janum Gruterum lib. 1. Inscript. pag. 230 num. 2. Peractus est prior census Augusto & Agrippa Coss. anno 726. & cum Lap. Ancyrano concordat Dio lib. 53. Alterum censum peractum constat anno U. 746. si cum Justo Lipsio legatur in fragmento lapidis, *Censorino, & Asinio Gallo Coss.* Tertius peractus est Coss. duobus Sextis, paulo ante Augusti obitum, anno U. 767. Horum censuum nullus incidit in annum U. C. 749. Cyrinus vero, aut Quirinus in Judæam redactam in provinciam venit post Archelai relegationem anno U. C. 760. ut dictum est cap. præcedenti, aut juxta Dionem anno 759.

Resp. 1. Non probari, quin descriptio facta tempore Dominici Natalis fuerit media, quam Augustus egit solus: nam anno U. 746. nullum censum commemorat Dio: Consulum nomina abrasa sunt; ac necessum non est, ut asseramus actum censum ubique terrarum eodem anno. Deinde respondeo præter census actos ob exigenda tributa, factam ab Augusto descriptionem omnium capitum, ut ederet totius Imperii Breviarium: quod scriptum reliquisse legimus apud Dionem lib. 56. Suetonium in Octavio cap. 102. Suidam in voce, Ἀπογραφή. Hujus Breviarii conficiendi causa in omnes provincias selectos viros dimissos, ibidem Dio & Suidas testantur. De hac universali descriptione loquitur S. Lucas, dum ait: *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.* Missus ad hanc rem, non ut Syriæ præses, sed extraordinaria legatione Quirinus, nam in Judæa nondum exigebantur tributa; Herode magno superstite; nec opus erat ad censenda Judæorum capita Syriæ Præsidibus. Eorum itaque verborum, *Hæc descriptio prima facta à præside Syriæ Cyrino*, sensus magis planus hic est: Hæc descriptio est prima facta à Quirinio, qui ad hunc conficiendum censum prius venit, quàm rediret relegato Archelao redacturus illius pecunias in fiscum, Præses tunc Syriæ ordinarius. Cur enim dicitur descriptio illa πρώτη, *prima*, nisi respectu alterius ab eodem Quirinio peractæ? Quod si velis, Quirinum faciendæ descriptioni præpositum, & fortassis anno U. C. 749. in Judæa, quæ ditio populi Romani amica erat, post devictos Homonadenses commorantem dici Syriæ præs-

7. Respondetur.

præsidem, quatenus imperium aliquod obtinebat, non prout fungebatur munere Proprætoris, neque id absurdum erit; cum vox ἡγεμὼν, qua utitur Evangelista, omnem rectorem, ducemque significet, pœnes quem est arbitrium. Denique si contendas geminam Quirini delegationem esse commentitiam, potes respondere, positivum πρώτη habere vim comparativi πρότερα respectu genitivi ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίε, ut sensus sit: Hæc descriptio est prior ea, quæ postea fuit instituta administrante Syriam Cyrenio. Responsio prima est apud Interpretes vulgaris, plana, cæterisque præfertur à Petavio lib. XII. de Doctrina Temp. cap. 8. Frassenio in disquisit. Bibl. pag. 396. aliisque permultis. Alteram, quæ cum prima conciliari potest, probat Pagius in Apparatu num. 129. & Norisius dissert. 2. Cenot. Pisan. Tom. 3. pag. 509. Usserius ad annum M. 4000. pag. 531. Adhærent tertiæ Georgius Herwartus Chron. cap. 241. Henschenius in App. ad Chronologiam Pontif. Exercit. 2. Samuel Basnagius ad an. U. C. 749. pag. 109. Verum quocunque anno locaveris Natalem Christi, hoc tibi argumentum solvendum erit, cum Quirinus ordinarius Syriæ præses fuerit anno 37. Actiaco, U. C. 760. & Ae. V. 7. ut diximus capite præcedenti.

8. Objicitur 3. Opp. 3. Christum natum anno ab U. condita 752. & anno Imp. Octaviani Augusti 42. tenet Ecclesia in Martyrologio Romano: assentitur Cassiodorus vir Consularis, omniumque scientiarum splendore clarissimus in Chronico ad Regem Theodoricum, Eus. in Chronico, Epiph. in Panario lib. 1. H. 20. aliique profitentes Christum natum anno Octaviani 42. Ad quam sententiam accedunt omnes, qui natum Dominum censent anno ejusdem Octaviani 41. quoniam hi non à nece Julii Cæsaris, sed à Triumviratu constituto Augusti annos enumerant.

9. Respondetur. Resp. Ecclesiam in Martyrologio Romano adhibere Aeram Dionysianam, & Vulgarem, licèt hæc minime sit exacta, ut vidimus supra, idque prudentissime, ne ob tricas & dissensiones Chronologicas, Aeram semel receptam exantiquando quisque in annorum computatione propriam opinionem sequatur: quod inde liquet, quia ibidem in Marryrologio sequitur Ecclesia supputationem Bibliorum Græcorum, asserens Christum natum anno à creatione mundi 5199. ob reverentiam antiquorum Patrum, qui LXX. Interpretum secuti sunt chronotaxim; cum tamen præferat in Vulgata hebraicam supputationem. Usus autem Vulg. Ae. in Ecclesia perantiquus non est, sed illam suadente Biondo adhibuit primum in publicis tabulis Eugenius IV. cum olim in Ecclesia usus obtinuerit annos numerandi per Græcorum Olympiades, per Fastos Consulares, & per Aeram Alexandrinam. Ac Baronius editor novi Martyrologii (in vetusto enim Martyrologio Ecclesiæ Occidentalis, à Cassiodoro, Beda, aliisque appellato Hieronymi, & ex probatæ fidei codicibus an. 1668. edito à Florentinio, illa annorum partitio non legitur, sed tantum, VIII. *Kal. Nativitas Domini, & passio Anastasiæ Virginis:*) ideò vulgarem Aeram deduxit ab anno U. 752. quoniam imperante Gallieno expunxit Consulatus duos ordinarios, id est, anno Christi 259. Aemilianum & Bassum, & seq. anno 260. Cornelium Secularem, & Julium Donatum, neque in viam rediit rectæ Chronologiæ, nisi anno V. Ae. 80. Similiter Conditor Fastorum Panvinius eandem Aeram assumens in usum, ac statuens Christi nativitatem Anno Juliano 44. & Augusti 43. in aptando fastis primorum sæculorum historias integro semper anno aberravit, donec anno Christi 217. prætermisso Consulatu Probi & Paulini, quem existimavit suffectum, in rectam sese reduxit. Neque nos imperiti de viris maximis Baronio, & Panvinio hæc dicimus; sed qui Fastos & Annales emendarunt, Norisius ac Pagius: effossi autem lapides, ac nummi, quos illi cernere non potuerunt, excusant ipsorum errorem; horum vero perspicacitatem commendant. Istorum beneficio Consulares Fastos, Herodianam Epocham non vidimus modo, sed contrectavimus: nec possumus iis assentiri, qui diversis supputationibus, & discrepantibus sententiis Veterum conantur nobis ostendere natum Dominum eo anno, quo Herodem regem invenire non possumus inter vivos. Supputantur utique anni Augusti à nece Julii Cæsaris, sive ab anno U. 710. à constituto Triumviratu, id est, ab anno insequenti 711. necnon ab Actiaca pugna, & ab anno U. 723. sed nequeunt calculi arithmetici dies Herodianos producere, vel curtare.

10. Objicitur 4. & Respondetur. Opp. ultimo. In vetustis Consulum Fastis supra commemoratis ad annum U. C. 754. scriptum est: *Hoc Cons. Christus natus est* VIII. *Kal. Jan. lun.* XV. Igitur vulgaris Aera incipit ab anno Natali Repa-

Reparatoris. Respondeo in iisdem Fastis hæc verba præter fidem Codicis addita esse ad commonstrandum initium Aeræ Dionysianæ; nam anno 782. ibidem signatur Passio Christi, nec potest circumscribi universa Salvatoris nostri ætas annis duntaxat XXVIII. quot sunt ab anno 754. ad 782. Eodem anno 754. die 25. Decembris luna signari debebat XVII. cum ibi proximis Kalendis Januariis signetur luna XXIV. & nihilominus signata est luna XV. quæ duo sunt manifesta factæ additionis argumenta. Compertum denique est Fastos ipsos non esse tantæ, ut olim credebatur, antiquitatis, sed Conradus Janningus in Epistola ad Schelstratium ait vix attingere ætatem 500. annorum, Schelstratius putat nec superare ætatem annorum 300. Vide Append. ad Opus Chronologicum pag. 541.

CAPUT III.

In quo demonstratur natum Christum VIII. Kalendas Januarias.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Probatur Christum natum esse VIII. Kalendas Januarias.
3. Et seqq. Enodantur variæ objectiones.

1. Status quæstionis.

NOn solum de anno, verum etiam de mense ac die Dominicæ Nativitatis litem nobis intentant quamplures. Nonnulli apud Clem. Alex. lib. 1. Stromatum pag. 340. edit. Morelli natum Dominum autumarunt die 25. Pachon, id est, 20. Maji juxta Christamanum, & Sylburgium, juxta Basnagium 25. Quin etiam eo loci quidam dixerunt natum Christum die 24. vel 25. Pharmuthi, Aprilis 19. aut 20. Epiphanius hæresi 51. num. 24. & 29. scribit Christum natum VIII. Idus Januarias, qui est apud Rom. Januarii dies 6. Aegyptiis autem Tybi 11. Syris, Græcisque Andynæi 6. Et quidem in Ecclesia Orientali celebratam olim ex antiqua traditione Epiphaniam simul, ac Domini Nativitatem affirmat etiam Cassianus Collat. X. cap. 2. Hinc Novatores plurimi asserunt nihil certum haberi, & falsam esse Ecclesiæ Romanæ vulgarem opinionem, ut Gerardus Vossius Tom. 6. p. 81. Samuel Basnagius ad an. ante Christum 5. num. 34. Clericus in dissert. 1. Harm. Evangelicæ subjecta. At Casaubonus Exercit. 2. in Baronium standum putat sententiæ Epiphanii, & Domini Nativitatem ac Theophaniam, diemque, ut Græci appellant, sanctorum Luminum esse unam eandemque. Joseph Scaliger natum Christum contendit exeunte Septembri, vel Octobri ineunte, quæ fuit etiam sententia Matthæi Beroaldi, Hospiniani, & Henrici Wolphii gravi censura notata in Martyrologio Hispano Tom. 11. pag. 386. & à Gretsero lib. 1. de Festis cap. 29. pag. edit. Ingolstadii 216. & tamen hanc recudit Harduinus in Antirrhetico cuso Parisiis anno 1689. pag. 65. Recentiores Critici quamvis natum Christum VIII. Kal. Januarias aut certum, aut saltem probabile fateantur; negant tamen id sequi ex Dominica Incarnatione peracta, ut fertur, die 25. Martii: quod postremum vellicant Thomassinus lib. 2. de Festis, Tillemontius Annot. 1. in Jesum Christum, Serrius Exercit. 31. num. 3. & in Vit. SS. 25. Martii art. 7. Bailletus. Nos à Romanæ Ecclesiæ traditione nullatenus recedentes sententiam nostram sequenti propositione explicamus.

2. Propositio. Probatur.

PROPOSITIO. Christus natus est VIII. Kalendas Januarias.

Hæc enim sententia semper in Romana Ecclesia obtinuit, nec quando recepta sit demonstrare poterunt adversarii. Auctor Constitut. Apostol. lib. 5. cap. 13. pag. 312. inquit: *Dies festos custodite, fratres, in primis Natalem, qui celebratur à vobis die* 25. X. *mensis: post quem Epiphaniæ dies sit in maximo honore.* Vetustissimum Ms. Regium laudatum ibidem à Cotelerio habet: *Sciri debet, quod Annuntiatio facta est die Martii* 25. *Nativ. vero die* 25. *Decembris.* Laudat ibidem Cotelerius Ms. Regium alterum num. 1819. Idem tradit Chronicum Alexandrinum. Idem Kalendarium pervetustum editum à Bucherio. Idem omnia Martyrologia Occidentalis Ecclesiæ, cum reformato à Baronio. II. Hujus veritatis fulcimentum est maximum Traditio Patrum, cujus testem locupletissimum laudamus Hieronymum, qui initio Commentar. in Ezech. diem Epiphaniorum à Natali aperte distinguit, hac producta ex *Epiphaniæ* etymo ratione, *Tunc enim*

absconditus est, non apparuit: quo in loco Hieronymum contrarium esse præceptori suo Nazianzeno, immerito queritur, ut mox videbimus, Isacius Casaubonus S. P. Augustinus idem docet in Psalm 132. lib. IV. contra Cresconium cap. 37. & lib. IV. de Trinit. cap. IV. nec ex vulgi opinione, sed *ex traditione majorum.* Ut nonnullos ex Græcis proferam, missa Epistola Joannis Nicæni edita à Combefisio, quam spuriam arbitrantur permulti, ac missis testimoniis aliorum, de quibus plura Suaresius q. 31. de vita Christi, & Natalis Alex. dissert. 2. sæc. 1. S. Joannes Chrysostomus homilia in Natalem Domini, quam laudat etiam Vossius Tom. VI. pag. 78. ait, sententiam nostram *Occidentem incolentibus jam à superioribus notam:* addit, *ab illis, qui exacte hæc norunt, hunc diem se accepisse:* concludit veritatis signum esse apertissimum, quod repente hæc sententia increverit, & ab omnibus recepta fuerit. Vide Tom. V. edit. Com. pag. 446. Produci etiam potest altera Chrysostomi Homilia de Nativitate Domini, in qua traditionem de die Servatoris nostri Natali in Romana Ecclesia fuisse servatam, atque in Occidente doceri nos à Petro, non in Oriente, ubi ortæ sunt hæreses, & discordiæ: quæ Homilia extat Tom. 2. edit. Basileensis pag. 1090. ac Lugdun. 522. Quamquam enim apparet spuria, neque Chrysostomi habet salivam, & à Sixto Senensi lib. IV. Bibl. S. aliisque rejicitur; accurate notandum est, à Tito Bostrensi fuisse collectam ex Commentariis Chrysostomi in Lucam, qui licèt magno litterariæ Reipublicæ detrimento perierint, à Chrysostomo tamen editos affirmant Suidas, & Euthymius. Asservari enim Florentiæ in D. Marci Bibliotheca perantiquum Ms. collectum ex Commentariis Chrysostomi in Lucam, Titi Bostrorum Episcopi inscriptum nomine; in quo hæc eadem oratio est secunda numero, scripsit olim ad Joannem Casam Christophorus Sarrarigus. Atque iis defendi possunt, qui hujus homiliæ ducuntur auctoritate. III. Annunciatio quoque Deiparæ Virginis die 25. Martii recte colitur, atque ita *traditum à Majoribus*, scribit citato libro IV. de Trinit. cap. 5. S. P. Augustinus. Auctor Chronici Alexandrini & die 25. Martii Dominum conceptum asserit, & enumeratis diebus ab apparitione facta Zachariæ mense Septembri explicat, quomodo in Virginis Annunciatione Elisabeth sextum mensem ageret à Præcursoris conceptu, Tom. XII. Bibl. PP. pag. 924. Idem demonstrat Chrysostomus præcitata homilia in Servatoris nostri Natalem; comprobatque Præcursoris Nativitas, quæ contigit, *sicut tradit Ecclesia*, VIII. *Kal. Julias*, ut inquit Augustinus in Psalmum 132. Conceptum Dominum die 25. Martii tradit Tom. IX. Bibliothecæ Patrum pag. 939. Anastasius Antiochenus, & Auctor Chronici Paschalis apud Honoratum in Animadv. Criticis Tom. I. pag. 267. Accedunt vetera Martyrologia, antiquissimum Anglo-Brittanicum ante annos mille exaratum, de quo Henschenius Tom. III. Martii, attributum Hieronymo apud Salianum ad annum Christi 34. antiquum Corbejense, & Ms. Reginæ Sueciæ nongentorum fere annorum apud Florentinium pag. 396. Si autem VIII. Kal. Aprilis conceptus est Christus; quare in dubium revocatur traditio de die Natali, cum omnes fere infantuli diebus 276. quot numerantur ab illa die usque ad 25. Decembris, id est, novem mensibus materno in utero claudantur? IV. Denique non desunt congruentiæ, cur debuerit in Decembri Salvator nasci: quandoquidem tempus, quo frigus riget, & crescere incipiunt dies, commonstrat mundi Reparatorem pro nobis vitæ hujus incommoda suscepisse, atque ortum justitiæ Solem, ut nos de tenebris revocaret ad lucem; præbuisse nobis exemplum ferendi æquo animo ingruentes calamitates, dum ipse, cujus in arbitrio erat quodcunque vellet eligere tempus, natalem suum asperrimo molestissimoque alligavit; nascendo tandem in fine anni extremam mundi ætatem adventu suo consecratam in mentem hominum revocasse. Verum de his Augustinus citata enarrat. in Psalm 132. num. 1. Bernardus serm. 3. de Nat. Dom. Guilelmus etiam Durandus lib. VI. Enchiridii divinorum Officiorum cap. 13. num. 2.

Oppones 1. Nequit ex traditione certo colligi dies Christi natalis, cum apud Clementem Alexandrinum diversæ de hac re notentur sententiæ, & Græci, ut liquet ex Epiphanio, & Cassiano supra laudatis, Domini Nativitatem cum Epiphania simul celebraverint. 3. Objicitur I.

Resp. 1. Traditionem, si apud Orientales aliquandiu fuit incomperta, viguisse perpetuam atque incorruptam in Ecclesia Romana aliarum omnium Magistra: unde Chrysostomus citata homilia in Servatoris nostri Natalem interprete Petro Pantino, ait: *Quare non* 4. Respondetur.

non erraverit, qui eundem diem novum simul & antiquum nuncupet: novum quidem, quod nunc demum exacta ejus notitia ad nos provenerit: antiquum vero & vetustum, quod celeriter vetustioribus ætate velut suppar redditus sit, & ad eundem cum ipsis temporibus commensum evaserit. Ut enim generosæ & nobiles stirpes (etenim simul terræ inseruntur, etiam celeriter in altitudinem magnam succrescunt, fructibusque onerantur) non aliter hic dies, cum ab exordio iis, qui in Occidente habitant, cognitus fuerit, nunc ad nos demum non ante multos annos transmissus, repente ita increvit, talemque fructum tulit, qualem nunc cernere licet septis nostris ubique refertis, temploque universo præ multitudine concurrentium angustato. Deinde respondeo Orientales utique priscis sæculis simul Natalem Christi, & Theophaniam celebrasse, ut liquet ex Monologio per Sirletum edito, & ex dissert. de Dominicis Græcorum Leonis Allatii, num. 32. Græcorum tamen complures nativitatem ab Epiphania, Epiphaniam à Theophania, sive diem qua Christus apparuit in carne nascendo, ab illa, qua manifestatus est gentibus distinxisse. Theodorus enim Studita 37. catechesim sic incipit: Αἱ ἑορταὶ ἤδη παρῆλθον, τότε θεοφάνια, νῦν ἐπιφάνια: *Jam feriæ transiere, cum Theophaniæ, tum Epiphaniæ:* Gregorii Nazianzeni Orat. 39. titulum præfert de secundis Epiphaniis appositum, ut inquit Cotelerius ad lib. 5. Constit. Apost. à Rufino. *Duas Epiphanias*, unam qua Christus apparuit Pastoribus, alteram qua revelatus est gentibus, distinguit etiam Isidorus lib. VI. Origin. cap. 18. & Auctor sermonis olim 18. inter Ambrosianos, nunc 137. in Appendice Augustinianorum. Potest ergo Latinorum, Græcorumque traditio facile conciliari, dicendo Orientales duas Apparitiones simul celebravisse: unde plurali numero hujus celebritatis diem nuncuparunt *Epiphaniorum, Theophaniorum, Sanctorum luminum.* Ita Nazianzeno secundas Epiphanias agnoscenti non adversatur Hieronymus, ut conqueritur Casaubonus. De Clemente Alexandrino plura non dicam, cum duas sententias à nostra diversas repudiet, affirmetque primam à curiosis quibusdam confictam, à Basilidianis postremam.

5. Objicitur 2. Opp. 2. Non ex Veterum traditione, sed duplici alia ex causa alligavit Romana Ecclesia Natalem Domini VIII. Kal. Januarias: quarum causarum una est, quod Ethnici celebrabant eadem die ortum Solis; in Kalendario enim Romano de Mithra, id est, Sole extabat, VIII. *Kal. Jan. N. Inv.* hoc est, *Natalis Invicti* Invictum vero esse Solem recte notavit Grævius, & ex Nummis Gallieni demonstravit Harduinus. Igitur congruum visum est eodem die Christi, qui est Sol justitiæ, recolere natalitia. Causam alteram præbuit falsa opinio, quod Zacharias fuerit summus Sacerdos: unde quidam inferunt mense Septembri, in festo Tabernaculorum, ingresso Pontifici in Sancta, quò semel tantum in anno fas erat ingredi, Gabrielem Archangelum prænuntiasse nativitatem Joannis Baptistæ, & sexto post mense, ut legimus Lucæ II. 36. nempe Martio, factam Virginis Annuntiationem, ac novem revolutis mensibus natum Christum in Decembri. Id autem & valde dubiam habet supputationem, & falsum supponit; quia revera Zacharias non fuit summus Sacerdos, sed ex una ex 24. familiis, quæ non uno tantum die in Sancto Sanctorum, sed per unam hebdomadam, juxta familiarum vicissitudinem & sortitionem, extra velum, ubi erat ara suffitus, administrabant liturgiam: quod innuit ibidem Evangelista versu 8. illis verbis, *cum Sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ.*

6. Respondetur. Resp. ineptam esse primam ex hisce duabus causis: nunquam enim Ecclesia Christi celebritatum suarum normam accepit ab Ethnicis, imo ex adverso dæmon superstitionis auctor cultus ritusque instituit in veræ religionis contemptum; & hæc ceremonias suas ad idololatriam eliminandam: quare ex ea ratione potius inferendum est, Orientales olim non celebrasse Domini natalitia proprio die, ut se opponerent Ethnicis celebrantibus ortum Mithræ, quàm Occidentales ex hujus cultu in diem impropriam transtulisse solemnia salutiferæ Nativitatis. Causam alteram nos quidem non produximus: nequit enim labefactari antiqua traditio per hoc, quod in ea comprobanda quidam scripserint aliquid falsi; quoniam traditio antiquitate sua, & Ecclesiæ auctoritate roboratur, non ratiocinantium additamentis. Sive ergo Zacharias summus Sacerdos fuerit, sive non fuerit; potuit Joannes nasci die XXIV. Junii, potuit Christus concipi die XXV. Martii: atque ita factum esse accepimus à Majoribns. Age tamen, nonnulla etiam de hac re disseramus. Zachariam simplicem fuisse Sacerdotem non solum tradunt Etherodoxi, verum & Nostratium plurimi, Lyranus, Salmeron, Jansenius, Barradas, Sylveira, Didacus Stella, aliique Interpretes in Lucam. Adde Sigonium

nium de Republica Hebr. lib. v. cap. 3. & Card. Gotti Tom. IV. de Verit. R. Ch. cap. 7. Sed Zachariam fuisse Pontificem affirmat Joannes Chrysostomus citata Homilia in Servatoris nostri Natalem pag. 473. Auctor Chronici Alexandrini à Radero latine redditi Tom. XII. Bibliothecæ Patrum pag. 924. Anastasius Sinaita Tom. IX. pag. 939. Theophylactus in Lucam pag. 300. Ambrosius (quamquam is utitur verbo, *videtur*) lib. I. in Lucam num. 22. Augustinus Tract. 44. in Joannem 2. parte Tom. III. pag. 629. Venerabilis Beda Tom. V. pag. 219. Nec repugnat Hieronymus, qui Epistola 4. ad Rusticum in edit Martian. 95. appellat Joannem Baptistam *filium Pontificis.* Arbitror non posse pro sententia opposita talem Patrum numerum laudari, imo pro se nullum citati Interpretes proferunt: quare majori ducuntur auctoritate Hofmeisterus, Paulus Burgensis, & Cajetanus, qui Zachariam connumerant inter Pontifices. Videtur id magis conforme etiam Evangelio Lucæ, ubi versu x. legitur: *Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi;* siquidem Levitici XVI. 17. præcipitur, ut *nullus hominum sit in Tabernaculo, quando Pontifex sanctuarium ingreditur:* ibique notatur in margine prædictus versus 10. Lucæ. Versu etiam proximo legitur, *Apparuit autem illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi;* nimirum, quod Pontifex semel in anno deprecaretur super cornua Altaris, ut legitur Exodi XXX. 10. Addit Evangelista versu 21. *Et mirabantur quod tardaret ipse in templo*; quæ aut significant Zachariam plebe expectante latitasse intra velum, aut saltem solum, & nullo Sacerdote comitante ingressum in Sancta: alioquî rei novitas cæteris innotuisset. Præterea probabilitate non caret intra velum fuisse situm altare thymiamatis: quod non solus Augustinus affirmat, ut inquit Lyranus, verum etiam Chrysostomus citato loco scribens, *Altare sacrificiorum & holocaustorum foris erat, intus vero incensi:* imo Apostolus ad Hebr. IX. 4. ait *thuribulum* fuisse *post velamentum secundum*: quod multum torsit interpretes, & perdifficile fatentur Salmeron disput. 32. Tom. 2. Joan. de la Haje in 30. caput Exodi. At, sive θυμιατήριον sit mensa, sive batillum cum prunis; cur intra velum collocabatur, nisi ob adolendum incensum? Probabilis est ergo sententia Patrum, quam temere nonnulli vellicant, de Zachariæ summo Pontificatu. Nam quod ajunt habitasse in montanis, non Jerosolymæ, ubi morabatur Pontifex, & dici Sacerdotem *de vice Abiæ*, solutum est ab Augustino præcit. Tract. 49. num. 27. ubi ait olim quidem unum fuisse summum Sacerdotem, cui mortuo succederet alius, sed postea constitutum, ut plures essent, & singulis vicibus ministrarent: idemque affirmat Beda superius laudatus, & serm. 92. Chrysologus. Ex Evangelica quoque Historia Luc. III. 2. liquet fuisse eodem tempore Sacerdotum principes Annam & Caipham; & ex verbis Joannis XVIII. 13. *Qui erat Pontifex anni illius*, infertur Pontifices singulis annis fuisse sorte ac vicissitudine permutatos. Hæc tamen omnia dicta sint in defensionem sententiæ Augustini, aliorumque Patrum; quamvis in oppositа adhuc persistat vetus traditio de tempore Dominicæ Nativitatis.

Opp. 3. Ea nocte, qua est natus Salvator mundi, *Pastores erant vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum*, Lucæ II. 8. At incredibile est summa hieme armenta, ac pastores sub dio pernoctasse. Resp. Wolphii, & Beroaldi argumentum, etsi probatum Scaligero, & ab Harduino recoctum, sicut & affine aliud, quod census non fuisset indictus à Cæsare cum tanto populorum incommodo, dici à Gretsero vanitatem, & ratiunculam, necnon parum solidum etiam à Casaubono Exercit. II. sect. 7. & à Vossio num. 13. quia etiam in Anglia, ubi nullus est à lupis, & aliis noxiis animalibus metus, armenta toto anno in agris pernoctant, idque Vossius, cum sæpius per Angliam iter faceret, à se compertum testatur: ac verisimilius est, si loquamur de Palæstino agro, non adeo glacie, nivibusque obsito; & si ulterius animadvertamus pastores mapalia construere, ingredi palearia, succendere arbusta, ac se vestire cæsi pecudis pellibus. Rejicimus tamen sententiam eorum, qui Lucæ textum exponunt de diurnis excubiis, eoquod ἀγραυλεῖν potius sit sub *dio agere*, quam *excubare*: etenim quod sequitur, φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτὸς, *Custodientes vigilias noctis*, nocturnas excubias satis exprimit. 7. Objicitur 3.

Opp. 4. Etiamsi detur conceptum Dominum die 25. Martii, non sequitur natum 25. Decembris, cum aliquando infantes ultra novem menses gestentur materno in utero, aliquando in lucem breviori tempore proferantur. Resp. 1. Nos attendere ad Ecclesiæ traditionem. Deinde dicimus cum Augustino lib. IV. de Civit. Dei cap. 5. parientibus fœminis imputari decem menses, id est, novem menses 8. Respondetur.

&

& sex dies, & licèt non omnes ad sextum diem post nonum mensem perveniant, corpus tamen Domini diebus 276. fuisse perfectum, quia tot computantur ab VIII. Kalendas Aprilis ad VIII. Kal. Januarias. Addimus si citius, aut tardius emittatur fœtus, vel causam esse hujus imperfectionem, vel matris invaletudinem. Denique de Elisabeth legimus Lucæ 1. 57. *Impletum est tempus pariendi*, & de Maria Virgine Lucæ II. 6. *Impleti sunt dies, ut pareret*: quæ verba nullibi in universa Scriptura leguntur, nisi de partu Joannis, & Christi, ut percipiamus servatum in his ordinarium tempus maturandi partum, quamvis unus fuerit de sterili, alter de puella conceptus.

9. Objicitur 4. & Respondetur.

Opp. ult. Ammianus Marcellinus de Cæsare Juliano Apostata inquit: *Feriarum die, quem celebrantes mense Januario Epiphaniam dictitant, progressus in eorum Ecclesiam, solemniter Numine adorato discessit*: quod referens Tom. III. Annal. Zonaras ait, *Ipse Natali Domini Ecclesiam ingressus, adorato Numine discessit*. Dies ergo Epiphaniæ, & Natalis est idem prorsus. Resp. nego consequentiam, nam Julianus tunc versabatur in Galliis, inquit Cotelerius, ubi more Occidentali dies Nativitatis & Epiphaniæ separate observabantur. Ad hæc nonne potuit utraque die Julianus adire templorum limina? Tandem Zonaras appellare potest *diem Epiphaniorum* diem Natalem, quod Græci olim duas simul Apparitiones recolerent, ut dictum est supra. Nota Casaubonum ipsum refellendo sententiam Scaligeri de Christo nato exeunte Septembri hæc verba veritate cogente protulisse, *Vetusta traditio Ecclesiæ non temere nobis rejicienda*. Dignum, quo dissertatio nostra absolvatur, proloquium.

CAPUT IV.

Vindicantur nonnulla, quæ in vita Christi ante baptismum acta perstringunt morosi Critici.

SUMMARIUM.

1. Acta Christi ante baptismum.
2. usque ad 6. Solvuntur objectiones quantum ad Domini præsepe, & incunabula.
6. An Magi adoratores fuerit Reges.
7. Fundamenta sententiæ negantis.
8. usque ad 13. Solvuntur hæc fundamenta.
13. Adoratio Magorum fuit Religiosa.
14. & 15. Solvitur objectio.
16. & seqq. Domus Nazarethana translata fuit Tesactrum, & hinc ad Picenos.

1. Acta Christi ante baptismum.

ITAQUE VIII. Kal. Januarius anno Cæs. Augusti XL. cum Joseph à Nazareth, sed familia Bethlehemensis, & Maria desponsata illi uxor Bethlehemum se contulissent, causa census à Cæsare indicti, ut capita omnia provinciarum, regnorumque amicorum describerentur; impletis diebus ut pareret Virgo habens in utero de Spiritu sancto conceptum Desiderium gentium, ac mundi Reparatorem, enixa hunc est, & reclinavit in præsepio, cum nullus esset ei locus in diversorio referto hospitum multitudine. Paulo post advenerunt Jerosolymam Magi quærentes Regem Judæorum nuper natum, cujus stellam inusitato lumine radiantem in Oriente à se conspectam dixerunt; reique novitate Herode rege, & Jerosolymorum civibus perturbatis, cum assererent Scribæ Christum nasciturum in Bethlehem Judæ oppido, juxta Michææ vaticinium, illuc dimissi Magi profecti sunt, & adorato Puero, auri, thuris, & myrrhæ munera illi obtulere. Nec ad Herodem reversi sunt; sed diversum arripientes iter, illuso rege ipsorum reditum expectante, patrios lares adierunt. Tunc Herodes infantes omnes bimulos, minorisque ætatis in finibus Bethlehemiticis immanissime trucidavit; at interim Christo circumciso, cæterisque peractis secundum consuetudinem legis, Joseph, cum Maria ac puerulo, ab Angelo monitus in Ægyptum confugit; ibique permansit usque ad Herodis obitum: quo vita functo, Angelo pariter commonente, Joseph cum Virgine, divinoque Pignore in patriam reversus habitavit in Nazareth, quæ est civitas Galilææ distans à monte Thabor duabus leucis, & ab urbe Jerosolyma trium dierum itinere. Ab illa autem civitate, Domini primum conceptione, Lucæ 1. 26. deinde vero incolatu, Matth. II. 23. celeberrima, & eo grandiori, quo Judæi dictitabant è Galilæa nullum prophetam, atque è Nazareth nihil esse boni oriturum, Joan. 1. 46. & VII. 52. ab illa, inquam, civitate Jesus Christus appellatus est Nazarænus.

I.

2. Objicitur 1. Quantum ad Domini præsepe, & incunabula attinet, arguunt nos quidam nimiæ credulitatis, quod persuasum nobis sit præsepi alligatos bovem & asinum. Sunt autem argumenta eorum, quæ sequuntur. Primum ea verba Is. 1. 3. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*: & quæ habentur Habacuc III. 2. *In medio duorum animalium cognosceris*, non secundum literam debent accipi, sed primum locum exponunt Patres de Judæorum erga innumera Dei beneficia ingrato animo: alterum de Gentibus, quæ ad Christum venerunt, aut de Testamentis duobus, ut nos etiam cum Hieronymo, & Augustino diximus Tom. 2. pag. 277. ac præterea ita legitur juxta LXX. cum Vulgata & Hebraica habeant, *In medio annorum*. Bos ergo & asinus ad præsepe accubantes sunt *irrationabiles gentes pecudum intra præsepia more viventes*, inquit Ambrosius lib. 1. in Lucam num. 43. & Prudentius in Cathemerinon hym. XI.

Adorat hæc brutum pecus,
Indocta turba scilicet,

3. Objicitur 2. Argumentum alterum est Lucæ silentium, qui pastoribus ab Angelo hoc brutorum indicium ad puerum inveniendum minime datum commemorat. Ad hæc duo reducuntur quæ adversus piam fidelium traditionem objectant Erasmus in notis ad præfatum hymnum pag. edit Hanoviæ 174. Rich. Montacutius P. 1. Originum Ecclesiasticarum n. 30. Basnagius ad annum 5. ante Christum, num. 21. Tillemontius Annot. 5. in *Jesum Christum*, Serrius Exercit. XXX. n. 4. & seqq.

4. Responsio generalis, & indirecta. Nunquam verò ad oppugnandam veritatem producta sunt infirmiora sophismata. Etenim quod bruta *per anagogen* commonstrent populum Judaicum, vel Gentilem, nil profecto historiam elevat: aliàs nihil fere in veteri Testamento gestum esset, cum omnia ibidem narrata aliquid præsignarint. Reprobat idem Basnagius aliorum ratiocinationes, ad sola testimonia Scripturæ nos provocans, nec negans Patres bene multos tradidisse, quod bos, & asinus ad præsepe Dominicum accubuerint. *Nobis constat*, inquit, *non allegorice duntaxat Patres esse locutos, sed etiam fide historica. Allegorica siquidem explicatio in historia nititur.* Incaute Novator ille quidquid alii exstruxerunt, evertit. Sed vicit aliquando etiam tenebriones aperta veritas. Hieronymus in Epist. 27. nunc 86. ad Eustochium Tom. 4. p. 674. absque ulla morali interpretatione *simpliciter* de Paula inquit: *In Bethlehem ingressa & in specum Salvatoris introiens vidit sacrum Virginis diversorium, & stabulum, in quo agnovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Paulinus epist. XI. ad Sev. pag. edit. Platin. 139. *In Bethlehem quoque, ubi cognoverat bos possessorem suum, &c.* Nazianzenus orat. 38. pag. edit. Morelli 623. *Cognosce ut bos possessorem tuum, & cum asino præsepe Domini tui, cum stella curre, cum Magis adora, cum Angelis tripudia.* Quid est ad literam Scripturæ verba intelligere, si hoc non est? Vere stella antecessit, vere Magi adorarunt, vere Angeli gaudium magnum nuntiarunt. Ergo vere bos, & asinus ad Christi incunabula cubuerunt. Imo & Ambrosius priusquam mysticum innueret sensum, præcedenti num. 42. inquit: *Non audis bovis Dominum agnoscentis mugitus;* necnon Prudentius appellaverat cunabula divini pueruli, *Mutis & ipsis credita*, id est (inquit Georgius Fabricius ejusdem edit. Hanoviæ pag. 343. quem opponimus Erasmo Roterodamo) *pecoribus, quæ vocem non proferunt. Bos & asellus gratiores fuerunt, quam homines.*

5. Respondetur. Ad primum itaque argumentum respondemus stare allegoricam Patrum interpretationem cum veritate historiæ: ac priorem locum ex Esaia promptum à Patribus etiam aptari præsepi Dominico: alterum vero etiam ab Ecclesia in Officio Nativitatis & Circumcisionis ad puerum Jesum referri. Neque obstat quod sit in Hebraico, *In medio annorum*, ac ita pariter in Vulgata: quia utrumque cohæret, *In medio annorum*, si loquamur de tempore; *In medio animalium*, si loquamur de loco. Etiam in Græca LXX. versione ζωων valet, *animalium*, &, *vitarum;* cum olim neque circumflexus accentus fuerit in secundo *omega*, neque acutus in primo: quare *vitarum* habent Cyrillus Jerosolymitanus, & Theophylactus, *animalium* cæteri. Utrumque significaret etiam hebraicum חיים בקרב, quemadmodum legisse LXX. opinantur nonnulli. Non ergo explo-ditur decantata lectio. *In medio duorum animalium*, ut inquit Serrius num. 6. Utramque lectionem probat Ecclesia, utramque tradunt Patres, utramque non solum Versio LXX. verum etiam Hebraici Codices patiuntur. Ad alterum argumentum breviter respondemus, dum Lucas mentionem fecit præsepis, sa-

tis

tis innuisse locum, in quo jacebat infantulus; nec necesse erat fœnum, animalia, & cætera hujusmodi commemorare, quæ non esse in præsepe nequit nisi temere denegari; cum ibidem esse non repugnet, fatente Basnagio. At quod Lucas non scripsit, tradiderunt Majores. Mirum quod Critici subscribant Broccardo asserenti in descript. Terræ sanctæ, præsepe illud fuisse *excisum in rupe*, ac studeant Broccardum componere cum iis, qui *lateritium* faciunt atque ex luto coctili, & cum Ecclesia, quæ in Basilica Liberiana *ligneum* veneratur: ac nolint postea allegoricam significationem cum historia componere! Sed nec illud satis congrue conciliant, dum inquiunt *lateritiam* fuisse cavitatem, cui ad majorem firmitudinem inclusum erat vas *ligneum*, & utrumque, vas, & cavitatem recte dici *præsepe*. Præsepe enim proprie est locus præseptus, ubi pecudes stabulantur, à *sepio* dictus, atque hic locus est lapideus, vel *lateritius;* & per synecdochen præsepe dicitur *linter*, in quo pabulum jumentis ponitur, atque hic est vimineus, aut *ligneus*. Docet hæc etiam *Calepinus*, sive Latinum lexicon, ita à celebri familiæ nostræ Grammatico nuncupatum.

II.

6. An magi adoratores fuerint Reges.

De Magis etiam Christi adoratoribus complures nobis succensent, quod Reges illos populari credulitate arbitremur. De qua re placet mihi admodum exhortatio viri cl. Melchioris Cani lib. XI. de Locis cap. 5. ubi, posteaquam dixerat extremæ dementiæ esse frustra niti, & nihil aliud quam laborando odium quærere, *Sine*, inquit, *plebem probabilissimam opinionem, præsertim quæ penitus insedit & inveteravit, cum suis majoribus retinere*. Quod monitum, cum etiam Rich. Montacutius pag. 206. probarit, & omnibus hîc legendum proposuerit, decet nos quammaxime custodire. Sed quoniam Magos fuisse reges negant præfracte, ac se evidenter demonstrare opinantur Casaubonus adversus Baronium, Stolbergius, & Dan. Rhoden Tom. 2. Thes. Theol. Philologici, Schmidius in Matth. aliique Etherodoxi, necnon in Carm. de Epiph. Domini Mantuanus, & Hyacinthus Serrius Exercitat. 34. num. 2. idque incertum saltem atque inexploratum scribunt Calmet, Tillemontius, & alii; ideo non videtur omnino hæc quæstio prætermittenda. De qua, si quis postea iis, quæ subjicimus, plura desideret, adire poterit Baronium ad annum 1. Christi num. 3. Joannem Eckium hom. 2. de Epiphania, Hieronymum à S. Fide Tom. 26 Bibl. Patrum, Salmeronem Tom. 3. Hist. Evang. tract. 37. Maldonatum, Barradium, Sylveiram, Jansenium, Cornelium à Lapide, & Natalem Alex. in Evangelia, necnon Ægidium Gelenium in Fastis Colonienſibus, Suaresium Tom. 2. in 3. p. disp. 14 sect. 2. Vincentium Cardinalem Gotti Tom. IV. Verit. Relig. Christ. cap. XI. §. 2. Honoratum in Animadv. Criticis Tom. 2. pag. 206 & Richardum ipsum Montacutium P. 1. Originum Eccles. pag. 202. ex quorum omnium lectione poterit etiam de hac nostra lucubratiuncula proferre judicium.

7. Fundamenta sententiæ negantis.

Ac primum non video quæ adversus piam populorum traditionem urgeri queant, nisi insequentia. I. Magi dicuntur, qui in rerum contemplatione, ac præsertim in inspectione siderum sunt occupati; sic dicti, quasi מהגים, ab radicali, הגה, *meditari*, juxta Vossium in Etym. & Hofmannum in Lexico. Erasmus in Matthæum *sophos*, aut *philosophos*, appellat; quidam alii ex Apulejo in Apolog. *idolorum sacerdotes*. Nec desunt, qui in pravum sensum nomen istud accipiant, quatenus magia est *theurgia*, cultusque dæmonum, in qua significatione dicuntur magi præstigiatores Ægypti, Simon, & Elymas. De his plura Rhoden, & Storbergius. At sive Christi adoratores dicas inspectores astrorum, sive sapientes, sive sacerdotes, sive ariolos, nihil id est ad comprobandam regiam eorum dignitatem. II. Quamquam olim Magi regali apud Persas auctoritate pollerent; tempore tamen Natalis Christi dudum cessarat in Magis imperium, scribente Strabone lib. 1. eosdem Magos *non amplius ad regios fasces extolli*: quo argumento utitur in Matth. Schmidius. III. Barradius, aliique interpretes traditionis suæ ficulneum auxilium quærunt à licentia pictorum; atque hinc refelluntur à Casaubono. IV. Evangelista Magorum regium comitatum, & cætera, quæ in Dei honorem cederent, minime prætermisisset, cum & *Reguli* meminerit, cujus filium Christus restituit sanitati. Accedit veterum quoque Patrum silentium. Scripturæ testimonia; quæ huc à quibusdam adducuntur, non sunt peculiariter accipienda de Magis, sed universè de regibus gentium advocandis ad Christi fidem. VI. Si reges fuissent Magi, quomodo non præmissis nunciis ingressi fuissent ditionem Herodis? quomodo Herodes ipse

cum

cum imperio egisset cum illis, dicens, *Ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inveneritis renuntiate mihi?* Postrema argumenta sunt Walæi in Matth. aliorumque. Vidit hæc & Mantuanus, dum cecinit:

Nec reges, ut opinor, erant, nec enim tacuissent
Historiæ sacræ Auctores genus istud honoris,
Inter mortales quo non sublimius ullum.
Adde quod Herodes, ut magnificentia Regum
Postulat, hospitibus tantis regale dedisset
Hospitium, secumque lares duxisset in amplos.

8. Responsa Auctoris.

Ut iis respondeam ex ordine, ac simul vindicem piam, ac valde probabilem fidelium traditionem; animadvertendum est splendidissime mentiri Casaubonum Exercit. 2. in Baronium, & Theodorum Bezam in Matthæum, dum inquiunt Romanam Ecclesiam sola tyrannide tradere, ut fide certum, insignitos fuisse Magos dignitate regali, nec pati aliud quomodolibet opinantes. Movit id stomachum etiam Montacutio, qui Casaubono respondet, aliter de pia traditione loquendum: non prodiisse hanc è gurgustio; sed fulciri Patrum multorum auctoritate. Diximus qua moderatione loquatur Canus: eandem adhibet Cornelius Jansenius in Concordia cap. 9. Cardinalis Gotti pag. 236. & qui vel sententiam oppugnant, vel nihil definiunt, ut præcitatus Mantuanus, & Calmet. Atque nos pariter communiori sententiæ ita assentimur, ut adversariis nullatenus indignemur. Primum itaque argumentum confirmat potius regiam in Magis dignitatem, quàm evertit. Etenim in Oriente, & præsertim in Persíde neminem regio potitum fastigio, qui non calleret Magorum disciplinam affirmat Cicero in primo de divinatione num. 41. atque olim Magos imperium obtinuisse scribunt Strabo lib. 1. Geograph. Plato in Alcibiade, Plinius lib. 3. cap. 1. Justinus lib. 1. Histor. cap. 9. Ammianus Marcell. lib. 24. Severus Sulpitius lib. 2. Hist. sacræ cap. 13. Ex quo ergo Magi fuerint sapientes, & in astrorum contemplatione occupati, quomodo eosdem non fuisse Reges evincitur? At, inquit Schmidius, Magi ex Strabone ab honore pristino ceciderant. Utique: non erant amplius Monarchæ; sed tamen honore adhuc conspicui, regni *primores*, ut appellantur à Juvenco pio quarti sæculi Vate, sive Dynastæ, Toparchæ, reguli, ac alterius principis tributarii: quales permultos tunc temporis extitisse demonstrant subjecti Romano Imperio, Ariobarzanes, Aretas, Tigranes, Dejotarus, Herodes ipse. Neque enim credibile est dejectos Magos ad fortunæ ludibrium, sive apud Persas, sive apud finitimas gentes; quibus semper fuit nomen inspectorum stellarum, Sophorumque præclarum atque honestissimum. Quod picturas attinet, nec recentiores omnino, nec plebis inventa dicendæ sunt quæ Magos referunt reges; quippe x. sæculi extant nummi, ubi sculpti visuntur tres reges puerulum Jesum adorantes; de quibus vide Anselmum Bandurium Numism. Imp. Tom. 2. & Cangium in Familia Zimiscæ pag. 152. edit. Billainii.

Cur Evangelista magos non vocaverit Reges.

Cur Evangelista, qui & *Reguli* meminit, & Herodem immanissimum tyrannum non fraudavit regis titulo, regiam istorum conditionem nequaquam expresserit, rationes satis congruas reddiderunt Interpretes. Prima ratio est, quod ad veritatem occultam confirmandam regia appellatio otiosa erat, Magorum vox opportuna & præclara. Ita Canus. Alteram afferunt Palacius & Salmeron, ut commoneret Evangelista neminem mortalium coram summo principe Christo regia appellatione esse dignum. Tertiam assignat noster Simon à Cassia, quoniam reges quidem erant, sed parvi. Non militat eadem ratio de Herode, quia erat rex appellandus, ut distingueretur ab Herode Tetrarcha, atque ut ex rege alienigena innueretur Messiæ adventus. Joannis IV. 46. Regulo non aliud tribuitur nomen, quo distinguatur: at Magi proprio designati sunt charactere. Quid præterea, si inficiamur hunc *Regulum* fuisse parvum regem? Si Capharnaites erat, & sub Herodis Tetrarchia, quomodo Rex? *Regulum* dictum arbitror, quoniam erat Herodis, aut Tiberii minister. Βασιλικὸς, *Regius*, habent Græci Codices vetustiores, & Syrus, & Arabs, *Servus regius*. Non repugno tamen legendum Βασιλισκος. *Regulus*, & Christum etiam primoribus attulisse salutem: sed quid cavilli valeant, ostendo duntaxat. Regium apparatum utique in Matthæo non legimus, quod humilis fuerit Christi Adoratorum incessus: legimus tamen ad eorum adventum commotam urbem univer-

universam: legimus liberos ab Herode dimissos: legimus obtulisse munera *apertis thesauris*; quod in reges maxime quadrat.

9. Juxta Patres Magi probabilius fuerunt Reges.

Quod spectat ad Patres, fatemur permultos regiam dignitatem in Magis non celebrare, quosdam etiam id non asserere quod contendunt quidam Interpretes. Sed Magos tamen fuisse reges probabilius est, quod nullus Patrum id expresse neget, nonnulli diserte affirment. Tertullianus adversus Judæos cap. IX. inquit: *De hoc auri munere etiam David dixit, Et dabitur illi de auro Arabiæ: & iterum, Reges Arabum & Saba munera offerent illi. Nam & Magos reges fere habuit Oriens, & Damascus Arabiæ retro deputabatur, antequam transcripta esset in Syrophœnicem ex distinctione Syriarum, cujus tunc virtutem Christus accepit.* Ubi Judæis objicientibus Christum Messiam non esse, quoniam non accepit Damasci spolia, neque regum obsequia, respondet id completum in Magis, quoniam & reges erant, & ex Arabia, cui deputabatur Damascus. Idem tradit in III. contra Marcionem cap. 13. & utrobique, quidquid alii sentiant, literalem sensum exponit, rationem afferens, cur Magi sint Damasci spolia, atque in iis completum fuerit vaticinium Psalmographi. Quare ut verè juxta Tertullianum erant Damasci robur, quia Arabes, ita verè erant reges. Auctor Hom. de Baptismo Christi inter Opera Cypriani inquit: *Non satis est quod Angeli locuti sint Pastoribus, quod apparuerit stella Regibus, &c.* Theophylactus in cap. 2. Matth. ait: *Judæi quare turbantur? Oportebat enim gaudere potius, quod regem ipsi habituri essent, qui à Persicis regibus adoraretur.* Innocentius III. serm. 1. de Epiph. *Secundum historiam isti Magi tres Reges fuerunt.* In vetustissimo hymno, quem Damaso adscribunt, legitur:

Ecce pastores ovibus relictis
Convolant Bethlehem, videant ut ortum
Principem mundi, properant & acti
Sidere Reges.

His accedunt Cæsarius serm. 43. in Append. Augustinensium, Paschasius Radbertus in cap. 2. Matth. & alii. Addere possumus Martyrologia Usuardi, & Germanicum apud Bollandum Tom. I. pag. 8. & 323. Ms. Florarium apud eundem Bollandum die XI. Januarii, Molanum in Addit. Usuardi, vetustum Codicem Carthusianum, Gelenium, & Broelmannum eodem Tom. I. pag. 664. Flavium Lucium Dextrum in Chronico ad an. 70. qui omnes communem traditionem reddunt probabiliorem, & quartam objectionem abunde refellunt.

10. Confirmatur ex Scripturis.

Sacræ quoque literæ piam ipsam traditionem confirmant: nam Isaiæ LX. 3. de Christo prænuntiatum est, *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui*: ac Psal. LXXI. *Reges Tharsis & insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent.* Accipienda hæc de vocatione Gentium fatemur, sed gentium fuerunt Magi primitiæ. In iis propterea implendum vaticinium, & ad Messiæ incunabula adventuros Reges agnoverunt veteres quoque Rabbini, de quibus Joannes à S. Fide cap. 6. & Raymundus Martini Pug. Fidei P. 3. dist. 3. cap. 10. Atque impletum reapse videtur tenere Ecclesia, quæ dum celebrat Magorum adventum, laudata verba frequenter intonat, affirmatque disertissime Leo III. & Fidei propugnator Eckius in homiliis supra laudatis. Et quidem tria in his vaticiniis prænuntiantur: lumen & splendor ortus, oblatio munerum, & regalis conditio. Primum completum est in stella, quæ apparuit in Oriente: alterum in auro, thure, ac myrrha: cur tertium quoque non putabitur adimpletum? Accedit, quod si Magi ex Arabia venisse dicantur, ut sententia fert nostra, etiam aliæ præcitati Psalmi notæ in ipsos quadrant. Dicuntur enim versu 9. *Aethiopes* hebraico vocabulo צִיִּים, quo intelliguntur incolæ *Aethiopiæ Orientalis* habitantes *circa Arabicum sinum*, juxta Strabonem lib. 2. pag. 89. Aethiopes enim Occidentales appellantur, כּוּשִׁים. Dicuntur *reges Tharsis & insularum*, מלכי תרשישׁ ואיים, nempe, ut Pagninus, & Marinus reddiderunt, incolentes *insulas maris* Dicuntur denique *Reges Arabum, & Saba*, מלכי שבא וסבא, ubi *Saba* scriptum cum שׁ, Hieronymo interprete, *Arabiam* designat, cum ם, vero *urbem* Aethiopicam. Quare si dicamus Magos venisse ex Arabia, vel, ut quidam tenent, è Carmania, ex Strabone lib. XV. pag. 449. Arabis, Persisque contermina, non erit in Psalmi LXXI. nono, ac decimo versu lexis aliqua, quæ Magis ad literam non conveniat. Ipsi Aethiopes, ipsi Arabes, ipsi insularum incolæ, ipsi Sabæi, ipsi postremò Reges.

11. Refellitur imperium Herodis in Magos.

Quod in eos Herodes cum imperio se gesserit, illius superbiæ tribuit cum Interpretibus cæteris noster Sanctotisius pag. 144. in Matth. Addo verba illa *Ite, &c.* non esse præcipientis, sed cum simulatione dimittentis. In tanta enim perturbatione, si fas ei fuit exercere in Magos imperium, cur ut redirent indictis pœnis eos non coegit? Cur dies ad redeundum non præscripsit? Cur liberos absque satellitibus dimisit? Optime nimirum noverat, (ut in Catena inquit ex Chrysostomo D. Thomas,) quod tales viros non potuisset blandimentis flectere, nec minis terrere, nec auro corrumpere. Nam in regiam urbem ingressi, quamquam scirent Herodem illic regnare, natum tamen Regem Judæorum, eique se detulisse munera palam testati sunt, quamquam regi alienigenæ nil posset nuntiari molestius, quam ortus regis proprii, ac legitimi. Talis ergo conditionis erant Magi, ut Herodis indignationem minime pertimescerent.

12. Respondetur Mantuano Carmelitæ.

Baptistæ denique Mantuano Carmelitæ doctissimo opponimus alium ejusdem Instituti virum celebrem Joannem Mariam Kerratum Ferrariensem, qui in *Catena* docet Magos fuisse *sapientes ac reges*. Et si Poetarum verbibus certandum est; sententiam pangunt nostram Alvarus Gomez in Thalichrist. lib. 7. & Emmanuel Pimenta lib. 3. sacrorum Poematum. Contentus ero antiquo Epigrammate:

Dant tibi Chaldæi prænuntia munera Reges.
Mirrham homo, Rex aurum, suscipe thura Deus.

Claudiano tribuitur à multis, eique adscribendum ex Cujaciano libro omnium optimo affirmat Joannes Camers in Vita Claudiani, & Caspar Barthius in notis. Hunc tamen Poetam fuisse à Christi nomine alienum scribunt Augustinus lib. v. de Civit. Dei cap. 26. & Orosius lib. v. Historiarum cap. 35. Cæterum, *si Claudiani non est, certe elegantissimi poetæ est*, inquit Canus.

III.

13. Negant Sociniani, adorationem Magorum fuisse Religiosam.

De exhibita à Magis adoratione autumarunt Sociniani non fuisse religiosam, & quæ possit divinitatis Christi præbere argumentum, sed qualem Orientis populi regibus suis exhibere consueverunt. Idem scripsit in caput secundum Matthæi Grotius; atque in dubium vertit, de qua adoratione loquatur Evangelista, Auctor versionis Gallicæ Bibliorum, quæ typis Trevoltiensibus cusa est anno 1702. ejusdemque versionis Apologista adversus Censuras eodem anno emanatas à Meldensi doctissimo Episcopo Bossuetio, & à Cardinali de Noailles Archipræsule Parisiorum, sive Apologista ille fuerit Simonius, sive alius quispiam. Refellitur autem pernicious error ipsa Evangelica historia, traditione Patrum, mysterio munerum, necnon manifesta ratione. Primò enim ex Evangelio colligimus, Magos ex Oriente profectos non spectasse ad Judaici Regni ditionem, ut deberent nato regi Judæorum, tanquam regi suo in faciem procidentes præstare obsequium, atque hujus rei causa ex longinqua regione, sponte, ac tanta animi alacritate discedere, digna Deo munera offerre, & jacentem angusto in loco puerulum absque ullo majestatis apparatu, tam demisse venerari; ac tametsi Grotius, & Sociniani observarunt Josephum de Davide Saulem venerante scripsisse, *Adorat eum in faciem procidens, ut moris erat;* attamen in novo Testamento, nullibi, quem viderim, locus occurrit, ubi ea phrasis πεσὼν προσκυνεῖτωι, *procidens adorat*, aliam significet adorationem, quam Deo dignam. Nam Apostolus 1. ad Corinth. xiv. 25. ait: πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον προσκυνήσει τῷ θεῷ, *Cadens in faciem adorabit Deum*: ac diabolus, qui non aliam affectabat adorationem, nisi divinam, inquit Matthæi iv. 9. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*, quæ phrasis etiam usurpatur de Christo Patrem adorante Matth. xxvi. 39. de Petro ad Christi genua provoluto Lucæ v. 8. de leproso Samaritano, cujus fides cæteris præfertur Lucæ xvii. 16. de senioribus ante Dei thronum prostratis Apocal. xix. 4. ubique iisdem Græcis verbis appositis. Historia itaque Evangelica verborumque accurata proprietas commonstrant revelatam Magis pueruli Jesu Divinitatem. II. Patres diserte affirmant Magos exhibuisse Christo adorationem, tanquam Deo. Irenæus lib. iii. cap. 10. nunc 9. num. 4. scribit, *deductos Magos à stella ad Emmanuel per ea quæ obtulerunt munera ostendisse quis erat, qui adorabatur.* Origenes lib. i. contra Celsum ait decrevisse adorare eum, quoniam è stella prænunciatrice conjectarant *potentiorem esse omnibus dæmoniis.* Nazianzenus Orat. 38. pag. 623. *Cum stella curre: cum magis dona: offer aurum, thus, mirrham, ut Regi, ut Deo, ut tua causa mortuo.* Theophylactus in Matth. pag. 14. *Vide animæ illustrationem. Pauperem videbant, & adora-*

Refelluntur.

adorabant; multis enim argumentis didicerant quod esset Deus: ideo & ei obtulerunt munera ut Deo, & ut homini. Consentiunt Græcis Latini PP. quos inter Ambrosius lib. 2. in Lucam num. 48. *Et cognoverunt hanc esse stellam, quæ hominem, Deumque significat. Adoraverunt parvulum? utique non adorassent, si parvulum tantummodo credidissent*, Hieronymus in cap. 2. Matthæi pag. 10. Tom. IV. *Puleberrime munerum sacramenta Juvencus presbyter uno versiculo comprehendit, Thus, aurum, myrrham, regique hominique Deoque Dona ferunt.* S. P. Augustinus serm. 200. aliàs 30. de Temp. num. 3. instituens antithesin inter Judæos, & Magos, *Isti*, inquit, *in membris parvis Deum agnoverunt, illi in factis magnis nec tanquam homini pepercerunt.* Et serm. proximo num. 1. *Nunquid tanta devotione requirerent, tanto pietatis affectu desiderarent, nisi eum agnoscerent regem Judæorum, qui rex est etiam sæculorum?* Gregorius Magnus lib. 1. in Evang. hom. x. num. 6. *Eum ergo Magi quem adorant, etiam mysticis muneribus prædicant: auro Regem, thure Deum, myrrha mortalem.* III. Ex iis consequitur, quod tertio loco posuimus, Magos fidem suam oblatis muneribus contestatos, quod expressit etiam auctor antiqui Epigrammatis Claudiano attributi, nec non Sedulius lib. 2. num. 97.

Aurea nascenti fuderunt munera Regi,
Thura dedere Deo, myrrham tribuere sepulto.

Magos denique puerum Jesum veneratos tanquam Deum, comprobat ipsamet ratio: primò, quia illi erant *primitiæ Gentium*, atque ut ait S. Pater serm. 31. de Temp. nunc 201. num. 1. *Inde cœpit, quod in universo mundo fructificaret & crescere*; fides nempe Evangelica, qua profitemur Christi divinitatem. Prætera hanc *mirabilem* in Magis *fidem* ostendit Chrysostomus hom. 8. in Matth. pag. 73. ex eo, quod admoniti ne redirent ad Herodem, *in nullum hinc scandalum commoventur, nihilque omnino turbantur, neque ipsi secum disputant dicentes: Si magnum quiddam esset hic puer, & potentiæ aliquid haberet, nobis adoratoribus ejus quid opus esset fuga, occultusque discessus?* Incredibile demum est, *viros superni luminis ductum, & prævii fulgoris indicium intenta contemplatione comitantes, ad agnitionem veritatis gratiæ splendore non pervenisse*, ut inquit S. Leo serm. 1. de Epiph. cap. 2. præsertim cum sacramentum fidei suæ intelligentiæque manifestârint, & quod cordibus credebant, protestati sint muneribus, *scienter divinam humanamque naturam venerantes.*

Opposita verò argumenta nullius sunt roboris. 14. Objicitur. Objiciebat auctor Apologiæ Simonio attributæ, nullum legitimum censorem alicujus Versionis censendum esse, nisi habeat exquisitam linguarum peritiam: Lucam Brugensem, aliosque nonnullos fateri verbum προσκυνέω, *adoro*, usurpari etiam dum homo hominem veneratur.

At respondet Cl. Meldensis Episcopus Instruct. 1. pag. 122. *Minime à linguarum peritia pendere præcipuas circa dogmata notas;* eosque decipi, qui contrarium sentiunt: quo nihil dici poterat verum magis, & utilius, cum fidei norma sit Ecclesiæ traditio, non loquacitas Grammaticorum. At Cardinalis de Noailles in sua Censura num. 12. arrogantiam quoque Apologistæ jure, meritoque his verbis perstringit: *Il s' éleve avec une presomption insupportable au dessus de tous ceux qui ont traduit de nous jours le nouveau Testament: il ne creint pas méme de se donner cet aire de superiorité sur les saints Peres, saint Chrysostome, saint Jerome, & sur tous les interpretes anciens, & noveaux: & fait paroître par sa vanité, qu'il n'a pas éte conduit par l' esprit, qui à dicté le livre, dont il à entrepris la Traduction.* 15. Respondetur. Ostendimus præterea paulo supra ea phrasi, *Et procidentes adoraverunt eum*, non uno in loco novi Testamenti religiosam adorationem, cultumque latriæ designari. Nonnulli denique interpretes, si de Catholicis loquamur, dixerunt tantummodo verbum *adorare* suapte natura cultum latriæ non semper præferre; sed Magos civile tantum obsequium præstitisse, nullus, quod sciam, affirmavit: & idem Burgensis pag. 24. ait: *Prosecuti sunt puerum honore, eo qui regem, imo qui Deum decet*, & paucis interjectis, *In sacrificium munera ista dederunt.* Quodsi aliquando interpretes aliqui minus accurate locuti sunt; exorta nondum erat tanta opinionum licentia, & audacia Criticorum, aut saltem hæc nondum Catholicorum studia labefactarat. Quamobrem Simonius, aut quisquis conscripsit citatam Apologiam, dum laudat Burgensem, Huræum, & Biblia quædam Gallica edita anno 1534. & 1541. Antuerpiæ, quemadmodum ait eruditus Auctor Bibliothecæ Criticæ sacræ Tom. IV. pag. 107. num. 86. *miserrimam ostentat eruditionem.*

IV.

16. An domus Nazarethana fuerit translata.

Sunt præterea, qui negant Domum Nazarethanam Angelorum ministerio è Syria translatam Tersactum, olim Tarsaticam, hinc vero in Picentinum agrum, inter Recinetum & maris Adriatici oram, nunc Lauretum, urbem augustissimo templo, atque peregrinorum undique confluentium religiosa pietate clarissimam. Conati sunt præ Novatoribus cæteris translationem hanc oppugnare Apostata Vergerius in *Idolo Mariano*, Thomas Bernegerus, Basnagius, & alii. Sed refutantur à Hieronymo Angelita in Historia Virginis Lauretanæ, à Christiano Adrichonio pag. 141. à Canisio lib. v. de Virgine Deipara cap. 25. à Raynaudo Tom. VIII. pag. 145. à Tursellino lib. I. Historiæ Lauretanæ, à Francisco Turriano contra libellum Vergerii, à conterraneo nostro Sylvio Serralio à Petrasancta, ab Honorato Animad versionum lib. III. differt. I. ac postremo à Viro Cl. & de Lauretana Historia optime merito Petro Valerio Martorelli Auximate, Episcopo olim Leopolitano. Ut autem ex Angelita, ac Tursellino narrat Tom. XIV. Eccl. Annal. Raynaldus, Nazarena Ecclesia, in qua sacra Deiparæ ædicula claudebatur, à Saracenis Syriam inundantibus solo æquata, Tersactum Dalmatiæ oppidum sacra ipsa ædes divinitus transvecta est anno 1291. VII. idus Majas, Nicolao IV. Pontifice Maximo: inde verò, sedente Bonifacio VIII. anno 1294. IV. idus Decembris in Picenum delata, ibique posteaquam sedem semel iterumque mutavit proximo anno, in loco, in quo etiamnum colitur, stationem elegit. Appellatur vero *Lauretana Domus*, & urbs *Lauretum* à loco, ubi constitit, ut inquit lib. 6. Agelariorum Mantuanus:

Et quia transvectam mulier Laureta recepit
Virginis ædiculam, præbens ubi sisteret agrum,
Lauretæ delubra vocant.

17. Objiciunt. I.

Ut hæc ad fabulas Novatores amandent; negant primo sacrum Virginis domicilium Nazarethæ servatum ad annum usque 1291. non alio innixi argumento, nisi quod vero simile non videatur, à Romanorum legionibus Syriam occupantibus ædiculam illam dirutam non fuisse, præsertim cum Hieronymus Epist. 17. nunc 44. & 27. nunc 86. jejune admodum loquatur de Nazareth, quam etiam alibi appellat *Nazaram* exiguum *viculum Galilææ*. Utitur hoc argumento Basnagius ad annum 3. ante Dominum n. 25. At primum ex ipso Hieronymo colligi potest Nazarethanam domum eo tempore perstitisse, cum vetustæ urbis servaretur adhuc exiguus *viculus*, Deo minime permittente, ut profani milites tuguriolum sacratissimum violarent; maxime quod in amplas ædes, non in casas, id est, rusticas domos, ubi nulla suppellex, furit militaris licentia. Cur etiam Paula, ut ibidem inquit Hieronymus, *percucurrit Nazareth nutriculam Domini?* cur is ad hanc invisendam invitat Eustochium, scribens, *ibimus ad Nazareth, & juxta interpretationem nominis ejus, florem videbimus Galilææ*, si in *Nazara* exiguo tunc viculo, nihil veneratione dignum supererat? Verum cum Etherodoxi urgeant negantes conjecturas nullius apud Dialecticos firmitudinis; nos Virginis ædiculam perstitisse comprobamus etiam testimonio Scriptorum. Nam Imperatricem Helenam, *cum perveniisset Nazareth salutationis Angelicæ domo reperta, ibidem peramænum excitasse templum*, scribit lib. VIII. cap. 30. Nicephorus. Ejusdem templi meminit Venerab. Beda de Locis sanctis cap. 16. in eo se confecisse sacrum testatur in descript. Terræ sanctæ Jacobus S. Rom. Eccl. Cardinalis de Vitriaco: & ibidem S. Ludovicum Francorum Regem sacram accepisse communionem, non solum affirmat Jodocus Clitovæus laudatus à Tursellino cap. I. & à Rutilio in Speculo Episcop. disp. I. q. I. verum etiam præclari gestorum Ludovici Scriptores, Guilelmus de Nangiaco Monachus S. Dionysii Tom. V. Hist. Francorum pag. 359. & Gaufridus de Bellolo-co pagina ejusdem Voluminis 457. Casse itaque, & nullo fulti testimonio Sectarii autumant ab exundantibus Romanorum copiis sacram Virginis Aedem fuisse eversam.

Infirmatur argumentum.

18. Objiciunt. 2.

Negant præterea Deiparæ ædiculam Tersacti apud Dalmatas constitisse, cum id asserendi nullum aliud habeant fundamentum, quàm pervicaciam. Primo enim traditionis nostræ invictum argumentum est perpetua & constans sententia omnium Illyricorum, ac Liburnensium, qui hæc à majoribus acceperunt; & præter cultum, quem exhibent sacratæ domus vestigiis, quod annis magno in numero Lauretum profecti teneris lacrymis ut ad propria revertatur, exorant. Insuper cum Dalmatiam Prætor regeret Nicolaus Fregipanius, veritate comperta cum juramento Tersactensium, tum missis Nazaretham legatis, in iisdem vesti-

Refelluntur.

vestigiis ubi steterat sacra domus, parem extruxit, temploque Virgini sacro circumdedit: ibique in antiquo marmore legitur: *Hic est locus, in quo olim fuit sanctissima domus de Laureto, quæ nunc in Recineti partibus colitur.* Præterea Terfacti sacratam stetisse ædiculam, & illinc anno 1294. ab angelis asportatam, compertum est ex autographo invento in oppido Fluminis ad oram Adriatici sinus adjacente; quod autographum transmissum est ad Leonem X. Pontificem Maximum Illyricis conscriptum literis, nostrisque redditum Lauretana in Aede asservatur.

19. Transmigratio Sanctæ domunculæ ad Picenos.

Derident insuper Novatores transmigrationem sanctæ domunculæ ad Picenos, utpote nullis suffultam momentis: nos contra firmissimis adminiculis munitam contendimus. Ac 1. liquet ex Angelita anno 1296. Recinetenses quosdam viros probatæ fidei jubente Magistratu Tarsaticam primum in Liburniam transmisisse, ac inde Nazaretham, & utrobique recentem populi recordationem explorâsse, vestigia transvectæ ædis inspexisse, eademque accurate fuisse dimensos, & omnia prænarratæ historiæ, & Lauretani Cubiculi dimensionibus respondisse. Temere autem Adversarii negant hæc vestigia in Nazareth diu permansisse; cum ibidem constructum templum ab Augusta Constantini Matre narrent historiæ, imo hodierna die antiqua eadem vestigia supereresse scribat in Historia itineris sui Morissonius. II. Paulus Rinaldutius, & Franciscus Recinetenses cives se ab avis multoties audivisse, quomodo sacra ædes ipsis, aliisque conspicientibus tranarit Lauretum, non semel interposito sacramento asseruerunt; uti relatum est in publicas tabulas, & scriptum ab Angelita. III. Accedunt in veritatis confirmationem miracula innumera ab eodem Auctore, à Riera, & à Turfellino è certis monumentis conscripta: Pauli à Sylva anachoritæ per decennium cælestium flammarum intuitus in loco eodem, in quo stitit se Deiparæ sacrosanctum cubiculum: Turcarum, Judæorumque testimonia mirabili eventu corroborata, quæ in Psalmum LXXXVI. cap. 31. recenset Lauretanus Episcopus Rutilius Benzonius: confluentium ex tota Europa, non vulgarium modo, sed procerum, virorumque principum devotio, fides, vota, donaria: Romanorum Pontificum Gregorii XII. Joannis XXIV. Pauli III. Sixti V. Alexandri VII. aliorumque Constitutiones, Privilegia, ac Pontificiæ munificentiæ plurima, amplissimaque argumenta: quæ omnia apud Martorellum legi possunt, cum nequeant brevi hac dissertatione comprehendi.

20. Objiciunt novatores.

Denique objiciunt oppugnatores, ex verbis Bedæ scribentis esse in Nazareth Ecclesiam, *ubi domus erat, in qua Angelus ad Mariam venit*, everti hujus translationis miraculum; quoniam ex iis verbis infertur antiquam Vriginis domum ætate Bedæ non extitisse. Addit Basnagius tuguriolum, quo Maria utebatur, fuisse conductitium, ideoque ejus sanctitatem, posteaquam Virgo eo recessit, à profanis hospitibus violatam: idque conjectat ex Virginis paupertate. Addit labentibus annis quadringentis Virginis cubiculum in tenebris latitasse, cum Eusebius non asserat Imperatricem Helenam Nazaretham urbem, & domicilium illud lustrâsse. Quærit præterea cur Angelicis manibus transvecta potius non sit domus Servatoris Capernaitica, & consistens Jerosolymis sepulchrum? Ait denique rem tam miram ab illius ævi Scriptoribus ignoratam, nec traditam à Nicephoro, qui floruit sub ea ætate, nec ab Antonino, qui annis duntaxat uno & quinquaginta transvectionis hujus tempore posterior fuit.

21. Respondetur.

Hæc cum levissima sint, brevissime percurremus. Verba enim Bedæ sic accipienda sunt, ut eadem sacra ædes fuerit simul domus, ac templum, & in Dei cultum veneratione fidelium consecrata: quæ etsi fuisset conductitia, ob peractum in ea Incarnationis mysterium, omni foret veneratione dignissima; sed inepte ratiocinatur Basnagius, dum arbitratur conductam, cum potius ex quo ibidem habitaverit Virgo ab Angelo salutata, atque ad eandem redierit cum Viro ex Aegypto reversa, (quanquam is genere esset Bethlehemiticus,) haud obscure conjicitur, paternum fuisse domicilium, etiam sanctorum parentum habitatione conspicuum. At de Helena contrarium, quam Basnagius sentiat, asserimus; cum hoc discrimine, quod ille inepte pugnat paucorum silentio; nos publica traditione, ac testimonio multorum. Cur vero aliæ Terræ sanctæ monumenta Salvatoris nostri sanguine consecrata ad nos divinitus asportata non fuerint, cum plura tamen Romæ veneremur, altissimo Dei judicio humillime reservamus. In postremo denique argumento nimium Basnagius exorbitat. Sanctus enim Florentinorum Archiepiscopus

Antoninus floruit medio sæculo xv. obiitque die 2. Maji 1459. quo tempore Lauretanum templum fuisse *totius Italiæ celeberrimum* scribit Blondus Flavius, qui fuit Eugenio IV. à secretis, & ejusdem cum Antonino ætatis, pag. edit. Basileensis 339. &, quod nescio num gratanter audituri sint adversarii, eodem fere tempore concione, liturgia, precibusque Lauretanam Virginem decoravit Erasmus Roterodamus: de quo vide illustrem Canisium lib. v. de Maria Deipara Virgine pag. 798. Floruit paulo post Mantuanus, de quo supra. Sed ante horum ætatem meminit almæ Lauretanæ Domus in Apostolicis literis Benedictus XII. qui Pontificatum iniit anno 1334. apud Turselli. & Martorellum Tom. 1. pag. 47.

Confirmatur Responsio.

Probabilitate non caret Lauretanæ domus mentionem feciſſe celeberrimum quoque poetam Danthem Aligherium, natum anno 1265. vel ut quidam scribunt, 1260. & qui tempore transvectionis sacræ ædis ætate, ac fama florebat, dum de Petro Damiani Cantico 111. cant. xxi. inquit:

In quel loco fu io Pier Damiano,
Et Pietro pescator fu nella casa
Di nostra donna in sul lito Adriano.

Ita legitur in Veneta editione anni 1529. pag. 270. & in altera 1569. pag. 525. Octo editiones similia habentes adnotavit vir clarissimus Joannes-Antonius Vulpius in sua anni 1727. pag. 402. Ipse tamen secutus est lectionem alteram, *Et Pietro peccator fu nella Casa*: quam vidimus haberi in Florentina editione antiquiori anni 1481. & arbitramur fulciri Mss. optimæ notæ; quippe eam probavit Landinus, qui ita in hunc locum scripsit: *In quel luogo. 1. nell'heremo di Catria fu io piero damiano: & pone el nome proprio. Et pietro peccatore fu nella casa di nostra donna in sullito adriano: La sententia è io fui heremita in catria dove non si chiama peccatore: perche purgato gia da vitii era dato alla contemplatione. Ma prima era stato monacho in sancta maria di ravenna in sullito del mare adriatico; & quivi si chiama peccatore perche non era ancora purgato da vitii.* Ita juxta editionem anni 1481. Martorellus tamen ex sententia Antonii Magliabeci V. C. priorem lectionem præferendam censet Tom. 2. pag. 394. Mihi compertum est ex Vita Petri Damiani conscripta à Joanne Monacho ejus discipulo, & ex altera edita per Joannem Antonium Flaminium, non in Cœnobio S. Mariæ ad litus Maris Adriani, sed in Eremo Avellana eundem Monachum induisse. Quare falsus est Landinus: qui etiam errat, dum montem Catriæ situm in diœcesi Eugubina locat inter Picenum, & Aprutium. Si ergo Danthes tam primo, quam secundo versu loquitur de Damiano, dicendum est cum Augustino Fortunio lib. v. Hist. Camal. cap. 6. Petrum antequam ad Eremum Avellanam sub Catria sitam commigrâsset sese aliquamdiu in cœnobio ad Adrianum litus exercuisse *ad eremitici rigoris similitudinem*, quamvis Joannes Monachus, & Flaminius scribant illum se ad eremiticæ sanctionis instar conformâsse *in cellula quadam*, nullo commemorato cœnobio. Sed & illud falsum est, Petrum priusquam ad eremum iter arriperet, indulsisse vitiis; cum illius afflictationes, eleemosynas, sæcularis fastus contemptum, atque supra ætatem singularem prudentiam laudati Scriptores commendent. Vero itaque similius est, Petrum nec *peccatorem* in Danthis Cantico nuncupari, nec ad litus Adrianum posuisse vitæ eremiticæ tyrocinia; ideoque poetam clarissimum memoriam *Lauretanæ domus* eodem tempore, quo ad Picentes transvecta est, literis consignâsse. Verum quidquid sit de Danthis Cantico, Lauretanam Aedem Catholici omnes venerantur, atque ut Mantuani verbis hanc absolvam dissertationem,

Huc Itali, Siculique ferunt solemnia vota:
Huc fluit Epirus, fluit Illyris, accola Rheni,
Accola Danubii: venit usque à litore Narbo
Galliæ, & Isthmiacæ Spartanus ab æquore terræ.

CAPUT

CAPUT V.

Definitur Epocha Tiberii Cæsaris, & annus, quo Christus suscepit baptismum.

SUMMARIUM.

1. & 2. Præliminaria ad propositionem.
3. Propositio prima probatur.
4. & 5. Solvuntur objectiones.
6. usque ad 10. Propositio 2da probatur.
10. usque ad 20. Solvuntur objectiones.
20. & seqq. Propositio tertia probatur.

1. Status quæstionis.

S. Lucas Evangelista cap. III. 1. narrat Joannem Baptistam ministerium suum cœpisse prope Jordanem anno XV. imperii Tiberii Cæsaris, & versu 23. Christum ad baptismum veniisse, cum ageretætatis suæ annum trigesimum. Liquido constat Tiberium, postquam decessit Augustus, adeptum imperium anno U. C. 767. die 19. sextilis mensis. Annus itaque XV. erit annus U. 782. quo juxta recentiores Chronologos cœpit Joannes baptizare, & si Christum natum dixeris cum Martyrol. Rom. an. U. C. 752. tunc annum trigesimum ipse Salvator inierat; si placeat Baptismum ejus cum iisdem recentioribus referre in annum proximum 783. & secundum prædicationis Joannis, juxta veterem Chronologiam inchoaverat Dominus à diebus XIII. trigesimum primum ætatis annum. Verùm cum iidem recentiores Chronologi nobiscum Natalem Christi retrahant ad an. U. C. 749. & quidam etiam ad præcedentem, servata Epocha illa Tiberiana, nequeunt locare baptismum Christi in Urbis anno 782. Tiberii quintodecimo, vel in proximo U. 783. Tiberii XVI. nisi affirment baptizatum Dominum anno trigesimo tertio, aut trigesimo quarto ineunte: quam postremam sententiam propugnat vir clariss. Natal. Alex. diss. II. q. 2. Nobis verò extra controversiam positum esse videtur, venisse Christum ad baptismum, cum esset *fere annorum triginta*, idque ex Evangelica historia, ac Traditione compertum esse; ideoque consentientibus jam omnibus Christum natum an. U. 749. aut saltem præcedenti, jure contendimus tinctum Joannis baptismate anno U. 779. die sexta Januarii, cum ageret annum trigesimum, vel hunc à paucis diebus expleret. Verùm cum iste sit annus Tiberii ab Augusti obitu duodecimus; gravis oritur quæstio, quomodo Joannes incœperit ministrare baptismum anno Tiberii decimoquinto: aut quomodo si hoc anno, vel insequenti baptizatus est Jesus, non attigerit ætatem illam, quam adstruunt Recentiores.

2. Explicatur.

Ut hunc solvamus nodum, recurrendum est ad imperium Tiberii Proconsulare: de quo etiam non levis insurgit quæstio, à quo anno sit deducendum. Pagius enim in dissert. Hyp. censet hanc dignitatem adeptum Tiberium anno U. C. 763. x. Vulgaris Aeræ, Dolabella & Silano, anno ante obitum Augusti IV. quam opinionem propugnat dissert. cap. 4. Schelstratius, & dissert. x. de Myst. & An. Christi Cl. Gravesonius. At Pagius postea ad annum Christi XI. n. 2. & 10. retulit hunc Tiberii principatum in annum proximum U. 764. Coss. Lepido & Tauro: quæ fuit quoque sententia Cappelli dissert. de Anno Pass. Christi, & Henschenii in Exposit. vet. Catal. Pontif. Et quamvis Gravesonius asserat non videre se, cur doctissimus Pagius à priori sententia recesserit, permotum hunc fuisse momentis firmissimis, ea, quæ subjiciam, apertissime commonstrabunt. Tenent præterea Petavius lib. XI. de Doct. Temp. cap. 7. Norisius dissert. 2. Cenotaph. Pisan. pag. 519. Tom. III. & in Epist. IV. ad Pagium Tom. IV. pag. 765. necnon Tillemont. Not. IV. in hist. Augusti, indeptum Tiberium Proconsularem dignitatem Coss. Cæsare Germanico & Capitone, anno V. Ae. XII. & U. C. 765. quam sententiam nec Pagius rejicit, scribens citato num. 10. incertum esse, an erraverit Vellejus affirmans collatum imperium Tiberio ante triumphum, an Suetonius asserens concessum triumpho acto. Nam possunt hæc in eundem annum convenire, id est, in præcitatum Romæ 765. quo Tiberium egisse triumphum res est apertissima. Pighius denique Tom. III. Annalium ait datam Tiberio in provinciis parem cum Augusto auctoritatem anno U. 766. C. Silio & Munatio Planco Coss. & V. Ae. XIII. quod Suetonius id evenisse scripserit post triumphum.

3. Propositio I.

Propositio I. Tiberius imperium Proconsulare indeptus est an. U. C. 765. Coss. Cæsare & Capitone, anno IV. olymp. 197. Juliano 57. P. Jul. 4725. Ae. V. XII.

Etenim

Probatur. Etenim Vellejus Paterculus lib. II. cap. 121. de Tiberio ait: *Cum res Galliarum maximæ molis, accensasque plebis Viennensium dissensiones, coercitione magis, quàm pœna mollisset; & Senatus populusque Romanus postulante patre ejus, ut æquum ei jus in omnibus provinciis, exercitibusque esset: (etenim absurdum erat non esse sub illo, quæ ab illo vindicabantur; & qui ad opem ferendam primus erat, ad vindicandum honorem non judicari parem) in Urbem reversus, jam pridem debitum, sed continuatione bellorum dilatum, ex Pannoniis Delmatisque egit triumphum.* Igitur tum primo Imperium Proconsulare Tiberio delatum est, cum sedato Viennensium tumultu, compositisque rebus Germanicis reversurus erat ad Urbem, ut ageret triumphum ob Varianam cædem, bellorumque continuationem dilatum. At Tiberius triumphum egit anno U. 765. Cæs. Germ. & C. Fontejo Capitone Coss. Hoc ergo anno Tiberio æquum cum Augusto jus in provinciis collatum est. Præterea Suetonius *in Tiberio* cum narrasset domito Illyrico Tiberium distulisse triumphum, mœsta civitate clade Variana, scribit proximo anno repetita Germania prospere rem gessisse, ac è Germania in Urbem *post biennium* reversum, decretum, dilatumque egisse triumphum; & denique cap. 21. inquit: *Ac non multo post lege per Consules lata, ut provincias cum Augusto communiter administraret, &c.* Animadvertit Norisius in hoc tantum discrepare à Vellejo Suetonium, quod unus paulo post triumphum, alter paulo ante, Tiberium evectum ad honorem Proconsulis, literis consignarit; ac Pagius, *Uter*, inquit, *erraverit incertum.* At sive paulo ante triumphum, sive paulo post, affirmes latam per Consules legem decernentem Tiberio par cum Augusto jus in provinciis; cum certum sit illum triumphum egisse anno V. Ae. XII. in hunc annum referri debet Tiberiani principatus initium. Æquum tamen est, ut Vellejo potius, quàm Suetonio credamus: illi enim fratrique suo triumphantem Tiberium, (ut scribit laudato cap. 121.) *inter præcipuos, præcipuisque donis adornatos viros, comitari contigit.*

4. Objecta adversariorum. Contraria argumenta sunt. I. Suetonii hæc sunt verba: *Dedicavit & Concordiæ ædem. Item Pollucis, & Castoris, suo fratrisque nomine de manubiis. Ac non multo post lege per Consules lata, ut provincias cum Augusto communiter administraret, &c.* Aedem verò Concordiæ dedicatam an. U. 763. die 17. Kal. Februarias constat ex Dione lib. LVI. pag. 586. & ex Ovidio I. Fastorum. Igitur paulo post hanc dedicationem, eodem anno 763. Coss. Dolabella & Silano Tiberius Proconsulare imperium indeptus est. II. Tacitus lib. I. Annal. cap. 1. inquit: *Nero solus è privignis erat: illuc cuncta vergere: Filius collega imperii, consors Tribunitiæ potestatis adsumitur, omnesque per exercitus ostentatur.* III. Dio Cassius citato loco pertractans de rebus gestis Coss. M. Aem. Lepido, & T. Statilio Tauro, id est anno U. 764. inquit: *Tiberius & Germanicus cui Proconsulare erat imperium impressionem in Germaniam fecerunt.* Dio autem minime appellasset Tiberium Proconsulem initio anni 764. si tantum v. Kal. Septembris ejusdem anni, vel anno proximo accepisset imperium. IV. Scripserat ibidem Dio ob victoriam à Tiberio relatam è Dalmatis, *Tiberio nomen Imperatorium ac triumphum decretum*; & Suetonius pariter cap. 17. *Triumphus ei decretus est, multique & magni honores:* ideoque Tiberius, antequam Germaniam repeteret, potitus erat imperio. V. Plinius lib. XIV. cap. ult. appellat Tiberium Principem, quando Pisonem ad præfecturam Urbis delegit. At Piso obiit anno U. 785. Domitio & Scriboniano Coss. ex Tacito lib. VI. Ann. cap. 2. *viginti per annos probatus.* Si ergo viginti hinc eximas annos, invenies anno U. C. 765. Tiberium Imperii collegam. Hæc sunt argumenta, quibus Schelstratius & Gravesonius certissimum putant Epocham Imperii Proconsularis figendam in anno U. 763. ita, ut Gravesonius scripserit: *Nec sane video, qua ratione doctissimus Pagius ab hac certissima Epocha, quam in sua dissertat. Hyppatica multis stabilierat argumentis, postea in sua Critica Annalium recesserit.*

5. Auctoris Responsa. At recessit, me quidem judice, jure ac merito, cum nihil his argumentis erui queat circa exordium imperii Tiberiani. Etenim, quantum ad primum attinet, Suetonius non solùm eo loci commemorat dedicationem ædis Concordiæ, verum etiam Castoris & Pollucis, quam liquet consecratam anno U. 759. Coss. Lepido, & Arruntio. Suetonius ergo ordinem temporum non servavit, sed utramque dedicationem, necnon manubias, & prædatitias pecunias, quæ pompam auxerant, narravit post triumphum ann. U. 765. Quæ cum Norisius per Epistolam Pagio significasset, recte is sen-

sententiam verbis Suetonii haud rectè ponderatis innixam retractavit. Igitur ea verba, *ac non multo post*, non ad ædis Concordiæ dedicationem, sed ad triumphum referri debent: maxime cum sint exordium alterius capitis, & à præcedentibus sint sejungenda: ideoque Suetonius sententiam nostram confirmat. Tacitus vero demonstrat sane imperium Tiberii, sed de imperii exordio ne quidem. Drusi tantum, & Caji narrat obitum, ex quo colligi nequit Tiberii Epocha: nam Drusus obiit anno U. 755. ut demonstrat Panvinius lib. 2. Fastorum pag. 296. ex T. Livio, & Suetonio, ac Justus Lipsius in lib. 1. Taciti num. 26. Cajus autem ex Norisio differt. 2. Cenotaph. Pis. cap. 17. decessit anno Romæ 756. IX. Kal. Martias. Argumentum quoque tertium corroborat sententiam nostram, nam Dionis verba, *Cui Proconsulare erat imperium*, ut liquet, non ad Tiberium sunt referenda, sed ad Germanicum: quod recte animadvertit Norisius in Cenotaph. dis. 2. cap. 9. & manifestissimum est ex Græco Dionis textu, Γερμανικὸς ἀντὶ ὑπατεῖ ἄρχων, *Germanicus pro consule imperans*. Cum ergo Tiberius & Germanicus anno U. 764. *impressionem in Germaniam fecerunt*, Tiberius nondum adeptus fuerat æquum cum Augusto in provinciis imperium, sed illud obtinuit anno duntaxat insequenti. Quod sequitur, & nullius est roboris, & sententiam adversariorum evertit: nomen quippe *Imperatoris* non significat *imperium proconsulare*: sed appellatio erat militaris, qua duces confecto bello, primum acclamatione militum, deinde Senatus decreto honestabantur, ex Dempstero lib. x. Antiq. Rom. cap. 6. quare Tiberius appellatus est *Imperator* anno U. 759. ob res contra Illyricos præclare gestas, ex Panvinio in 2. Fastorum; & ex ipso Dione, ac Suetonio ante Varianam cladem, ideoque ante annum U. 763. Sed nec verum est consignandam cladem Varianam anno U. 763. x. V. Ae. & Dolobella & Silano Coss. ut Schelstratius ait Tom. 1. Antiq. Eccl. pag. 63. forte deceptus à Baronio idem tradente ad an. XII. Christi. Hunc enim anachronismum emendarunt summi viri, Petavius lib. XIII. de Doct. temp. pag. 663. Norisius in Cenotaph. Tom. III. pag. 494. Pagius ad annum Christi IX. num. 2. cum ex Dione lib. LVI. pag. 663. quem sequitur Panvinius in Fastis pag. 41. inciderit Variana cædes in Consulatum Camerini, & Poppæi, scilicet, in præcedentem annum Urbis 762. & nonum vulgaris Aeræ. Postrema denique argumentatio ejusdem farinæ est: primo, quia anni XX. inter annum U. 765. & 785. intercessere, & consequenter non refutatur sententia nostra ex anno Pisonis emortuali: deinde Lipsius in notis ad lib. VI. Taciti ait ex geminata litera x. errorem in Taciti librum irrepsisse, quod pluribus confirmat Norisius Cenotaph. diss. 2. cap. XVI. §. XII. Denique Suetonius *in Tiberio*, cap. 42. scribit Tiberium in epulis, quas noctem, continuumque biduum cum Pomponio Flacco, & L. Pisone protraxit, illi *Syriam provinciam*, huic vero *præfecturam urbis detulisse*. Syria autem Pomponio Flacco commissa est juxta Norisium anno U. 775. Ae. V. 22. non dissentiente à Schelstrate Tom. 1. Antiq. Eccl. pag. 124. imo & Pagio ad annum XXII. num. 3. licèt is ad annum Christi XI. num. 5. scribat incertum esse, num Flaccus statim demandatam provinciam inierit, an propter ignotas nobis causas tardius profectus fuerit ad Syriam regendam. Ut ut sit, nequeunt hæc argumenta Tiberianam Epocham è suo loco amovere; cumque Pighius statuens illius initium in an. 766. nulla alia ratione utatur, quàm petita ex verbis Suetonii scribentis lata per Consules lege, ut cum Augusto provincias administraret, *simulque censum ageret, condito lustro in Illyricum* Tyberium profectum esse: quorum verborum sensus est, legem hanc latam *non multo post* triumphum, non vero *paululum ante* lustrum an. 767. conditum; firmior apparet assertio nostra etiam confutatione contrariarum, certissima autem ex ea quæ consequitur, positione.

PROPOSITIO II. Christus Baptizatus est anno U. C. 779. Coss. Cornelio Lentulo Getulico, & Calvisio Sabino, Ae. V. XXVI. secundo Olymp. 201. P. Julianæ 4739. ætatis suæ trigesimo anno ineunte. 6. Propositio 2.

Demonstratur I. Lucæ cap. III. describitur tempus prædicationis Joannis, quo baptizante confluentem ad eum multitudinem, ipse Jesus ad nostræ humilitatis exemplum ad baptismum accessit. Est autem tempus istud annus imperii Tiberii Cæsaris XV. *Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris*, inquit Evangelista. Atqui hoc loci nequit intelligi annus XV. quo Tiberius regnavit à morte Augusti, juxta enim hanc Epocham quintus decimus imperii annus incipit à die sextilis mensis XIX. anno U. C. 781. & si Christus dicatur natus VIII. Kal. Januarias, Demonstratur.

an. U. 749. eadem die, labente præcitato anno Romæ 781. usque ad palilia expleviſſet annos duos ſupra triginta, atque die ſexta Januarii egiſſet annum trigeſimum tertium, aut, ſi retrahas Chriſti natalem in præcedentem annum U. 748. vel unum annum ſtatuas inter inchoatam Joannis prædicationem & Salvatoris baptiſmum, (ut quidam faciunt) annum inchoaſſet quartum ſupra triceſimum; quod eidem Evangeliſtæ, & Eccleſiæ auctoritati repugnat. Igitur Evangeliſta loquitur de anno xv. imperii Proconſularis, qui annus xv. juxta epocham fixam præcedenti propoſitione incidit in annum U. C. 779. ideoque hoc anno Chriſtus baptiſmum ſuſcepit. Et Jeſum quidem baptizatum anno Tiberii xv. tradunt communiter Patres, & nemo unus, quem legerim, differt Redemptioris baptiſmum in annum Tiberii xvi. Imo antiquiſſimus auctor Tertullianus lib. 1. contra Marcionem cap. 15. ſcribit baptizatum Dominum *anno* xii. *Tiberii Cæſaris:* quo in loco perperam Tertullianus à Pamelio, aliisque reprehenditur; cum fixa Epocha Imperii Proconſularis anno U. 765. vere cum anno 779. concurrat annus Tiberii xii. Auguſtalis.

7. Confirmatur 1.

Præterea confirmatur propoſitio verſu 23. prælaudati capitis Lucæ, *Et ipſe Jeſus erat incipiens, quaſi annorum triginta.* Cum itaque Chriſtus natus ſit anno U. C. 749. inchoaverat annum trigeſimum anno U. 779 ideoque hoc anno baptizatus eſt. Quid vero ad tam expeditum, apertumque momentum Recentiores? Reponunt quidam extare in Græco particulam ὡσεὶ, 1. *circiter*, per quam particulam ætatem, qua Chriſtus ad baptiſmum venit, poſſimus extendere ad annum usque triceſimum quartum inchoatum: reſpondent alii participium illud *incipiens* non ad baptiſmum, ſed ad prædicationem Chriſti eſſe referendum. Mirum doctos viros ad ſuam chronotaxim defenſandam tam abſurda effutire! Refellitur enim reſponſio, ſive, ut melius dicam, commentatio prima ſequentibus argumentis. Primum dato particulam ὡσεὶ idem valere, ac *circiter*, nonne potius innueret annum Chriſti xxix aut xxxi. quorum unus per diminutionem, alter per exceſſum annum circiter triceſimum complectuntur? Deinde particula ὡσεὶ, *quaſi*, aut diminutionem, aut certe non tantam amplitudinem ſignificat: nam, ut ſacra proferantur exempla, ubi legimus Joan. 1. 39. *Hora autem erat quaſi decima.* iv. 6. *Hora erat quaſi ſexta.* xix. 14. *Erat autem Paraſceve Paſchæ hora quaſi ſexta*: & verſu 39. *quaſi libras centum*, non habet adverbium *quaſi* amplam ſignificationem; quemadmodum nec apud Latinos: inter quos dum Suetonius in Caligula ait, *Hora quaſi ſeptima cunctatus an ad prandium ſurgeret*, dum Terentius Heaut. *Quaſi talenta ad quindecim coegi*, dum Cicero quarto Academ. qq. *Quantulus vobis videtur? mihi quidem quaſi pedalis;* in iis, aliisque locis quamplurimis τὸ *quaſi* diminutionem, non ampliationem ſignificat. Præterea participium *incipiens*, de quo paulo infra, omnem particulæ *quaſi* tollit ambiguitatem, demonſtratque Chriſtum, dum ad baptiſmum venit, annum inchoaſſe triceſimum. Inſuper cum Latina mire conſpirant Verſiones aliæ: nam habet Syriaca, *Et Jeſus erat quaſi filius annorum triginta.* Æthiopica, *Et ſuſſiciebat trigeſimus annus Domino Jeſu.* Perſica, & Arabica, *Et Jeſus cœperat ingredi in trigeſimum annum.* Dominum baptizatum eſſe *annorum fere triginta*, (ut inquit S. P. Auguſtinus lib. 2. de Doct. Chriſt. cap. 28. num. 42.) *retinemus auctoritate Evangelica;* necnon perpetua traditione Sanctorum. Juſtinus enim in Dialogo cum Tryphone pag. 315. ſcribit baptizatum Chriſtum, *cum haberet annos plus, minus triginta.* Irenæus lib. 2. adv. hæreſes cap. 22. num. 1. aliàs cap. 38. *Salvator triginta annorum exiſtens venit ad baptiſmum.* Euſebius lib. 1. Hiſt. cap. 10. *Quando jam ætatis ſuæ annum trigeſimum agere incipiebat, ut ſcribit Evangeliſta, ad Joannem ut lavacro baptiſmatis tingeretur, ſe contulit.* Gregorius Nazianzenus Orat. 39. *Chriſtus cum trigeſimum ageret annum, baptizatur.* Hieronymus in cap. 1. Ezech. *Illud quoque intelligendum, quod trigeſimo ætatis ſuæ anno Dominus ad baptiſmum venerit.* Mitto brevitatis gratia Bedam, D. Thomam, Chronicum Alexandrinum, Zonaram, Genebrardum, Suareſium, Perrerium, Nicolaum Lyranum, Dionyſium Carthuſianum, Toſtatum, Cajetanum, Hugonem, & ex Chronologis Graveſonium, Pagium, Schelſtratium, Noriſium: Quid enim multus ero Scriptores connumerando, cum nec unum aut percelebrem, aut proletarium, qui aſſerat Chriſtum baptizatum anno ætatis ſuæ xxxiii. aut xxxiv. novitiæ hujus ſententiæ patroni in medium proferre valeant?

Ex-

8. Confirmatur 2.

Excutitur etiam facillime commentatio altera, quod participium *incipiens* non anni tricesimi, sed prædicationis Christi sit nota. Enimvero in tertio Lucæ capite, non Christi prædicatio, sed ætas, atque genealogia citato versu 23. & sequentibus describuntur: ac subinde initio capitis IV. regressus Salvatoris à Jordane, quadragenarium jejunium, & diaboli tentatio enarrantur; quæ etiam ex capite Matthæi quarto baptismum inter & Evangelicæ prædicationis initium intercessere. Quomodo ergo huc spectat τὸ *incipiens*? quomodo è versu 23. cap. III. divulsum, ad versum 15. capitis IV. violenter pertrahitur? Ad hæc perspicua est Vulgatæ authentica lectio, *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta:* quibus in verbis *incipiens* ætati conjunctum est. Neque quidquam officit participii postpositio extans in Græco, cum interpunctione, quam ferunt ab Origene appositam, ad hunc plane modum: Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, ἀρχόμενος. Ad quid enim, quæso, hæc interpunctio, nisi forte, ut participium ἀρχόμενος ad rectum Ἰησοῦς pertinere percipiatur? Adde, quod emendatissima exemplaria, & omnia, quæ vidimus, inter quæ Angelicæ Bibliothecæ Codex regius, ipsam interpunctionem non habent. Insuper Græcus antiquissimus Vaticanus n. 1209. habet, Καὶ αὐτὸς ἦν Ἰησοῦς ἀρχόμενος ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, mire conveniens cum Vulgata, & commentitiam recentiorum interpretationem revincens. Præterea in Græco non extat illud tantum *incipiens*, sed, *incipiens existens*, ἀρχόμενος ὢν: quod ad ætatem, non ad ministerium ferri debet; unde Vatablus, Isidorus Clarius, necnon Erasmus reddiderunt: *Incipiebat agere annum tricesimum. Incipiebat esse annorum triginta.* Denique si concedamus τὸ *incipiens*, ad prædicationem spectare, quid adversum nos erit consecutionis? Nonne post baptismum, jejunio tamen dierum quadraginta præmissio, *cœpit Jesus prædicare*, ut inquit Matth. IV. 17. Marcus I. 14. & Petrus Act. I. 22.? Christus itaque agens annum trigesimum baptizatus est in Jordane, eodemque anno prædicationem incœpit suam.

9. Confirmatur 3.

Insuper propositio confirmatur ex quo in priori anno Dominicæ prædicationis Judæorum quidam de Herodiano templo dixerint, Joan. II. 20. *Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc*, quæ verba de Templi ornatu, non de corpore ædificii accipienda esse ostendimus pag. 33. Ex Josepho insuper lib. VI. de Bello cap. 6. imo ex Mat. XXIV. 1. infertur in sacræ ædis structura plurimum operis etiam posterioribus annis insumptum, neque, dum ea verba Judæi pronuntiarunt, fuisse amplissimum ædificium undequaque perfectum. At ex eodem Josepho lib. XV. Antiq. cap. 14. nunc 11. Herodes arduum hoc opus aggressus est *anno decimo octavo regni sui*; sive, ut inquit idem Historicus lib. I. de Bello Jud. cap. 21. aliàs 16. *anno regni sui decimo quinto*, id est anno XV. à cæde Antigoni; anno XVIII. ab accepto regno à Romanis: ita enim nulla offenditur in probatissimo Auctore contradictio. Herodianum ergo Templum inchoatum est anno U. C. 732. qui est Regni Herodis à cæde Antigoni XV. & ab anno, quo à Romanis declaratus est Rex, XVIII. Addantur modo *quadraginta sex anni*, ac nobis tempora supputanda erunt usque ad annum Romæ 778. quo exacto, nimirum anno U. C. 779. præterierant adamussim anni ædificationis templi XLVI. & consequenter idem annus Urbis est primus Dominicæ prædicationis & baptismatis Christi.

10. Objicitur 1.

Opp. 1. Illa Evangelistæ verba, *Anno quintodecimo, &c.* non sunt Chronologica nota imperii Proconsularis Tiberii, sed imperii Augustalis. Atqui annus imperii Augustei quintus decimus concurrit cum anno U. C. 782. & cum anno vitæ Christi tricesimo tertio, id est, Ae. V. 29. & Dominus baptizatus est altero anno prædicationis Joannis, ut argumentatione proxima demonstrabimus. Ergo Dominus ad baptismum venit anno U. 783. Coss. Vinitio, & Cassio, anno Ae. V. 30. atque ætatis suæ tricesimo quarto ineunte. Probatur major. I. Ex Tacito lib. I. Annalium Livia Tiberii Mater defuncto Augusto *acribus custodiis domum & vias sepsit*, Filiumque vix ingressum Illyricum properis literis revocavit. Quid autem pertimescebat Livia, si Tiberius Senatusconsulto summum jam indeptus erat principatum? II. Inquit ibidem Tacitus: *Primum facinus novi principatus fuit postumi Agrippæ cædes:* ubi aperte imperium Tiberii dicitur *novum*, nuper scilicet arreptum. III. Aelius Spartianus de M. Aurelio & L. Vero inquit: *Hi sunt, qui postea duo pariter Augusti primi Rempublicam gubernavere*: ideoque nemo ante M. Aurelium, & L. Verum, in consortium imperii fuerat assumptus. IV. Historici omnes in supputandis annis Tiberii Epocham Augustianam usurpant, dum inquiunt Tiberium

berium imperasse tribus ferme ac viginti annis, sive annis 22. mensibus septem: quibus accedunt PP. Clem. Alex. lib. 1. Stromat. Tertull. lib. adversus Judæos cap. 8. & Lactantius lib. IV. Institut. cap. 10. asserentes Christum affixum cruci anno XV. Tiberii, annos natum quasi triginta, & Consulibus duobus Geminis. Consulatus quippe duorum Geminorum concurrit cum anno XV. imperii Augustei, non Proconsularis. Commentitium est itaque Proconsulare imperium Tiberii, & incredibile omnino est Lucam Evangelistam in historia ubique terrarum narranda Epocham usurpasse sacris, profanisque scriptoribus prorsus ignotam.

11. Respondetur. Resp. nego majorem, quæ nullatenus tribus primis momentis fulcitur; quippe nos fatemur Tiberium in provinciis tantum parem cum Augusto adeptum eo vivente auctoritatem, quod & scribit Tacitus; non asserimus illum evectum ad imperium Augusteum, de quo anxia erat Livia, ne illius potiretur Germanicus, *in cujus manu tot legiones, & immensa sociorum auxilia*, ut eo loci narrat Historicus. Nihil ergo adversum nos aut Taciti, aut Aelii Spartiani testimonia. Sed & parum, aut nihil urget argumentum quartum, & quantum ad Patres attinet sententiam communit nostram. Quomodo enim Christus mortuus est anno XV. Tiberii, ut scribunt Clemens Alex. ac Tertullianus, si anno XV. venit ad baptismum, & adversarii, qui hæc objectant, inter baptismum, & mortem Christi quatuor Paschata fatentur intercessisse? Baptizatus est ergo Dominus anno XV. imperii Proconsularis, & Augustei XII. mortuus anno XV. imperii Augustiani, & Proconsularis XVIII. & qui imperium Augusteum à Proconsulari non distinxerunt, maluerunt asserere Christum passum anno trigesimo vitæ suæ, quàm exploratissimam traditionem deserere de anno Christi emortuali. Nam è sententia nostra consequitur vere Christum suffixum cruci anno XV. Tiberii, & duobus Geminis Coss. ut suo loco dicetur. Falsum præterea est secutum Evangelistam Epocham ignotam penitus, cum ex dictis manifestum sit illam comprobari ex Tacito, Vellejo, & Suetonio. Idem Clem. Alexandrinus lib. 1. Strom. pag. edit. Morelli 339. ait Tiberii tempora à quibusdam diversa ratione describi. Tertullianus dum scribit baptizatum Dominum anno Tiberii XII. nequit accipi nisi de anno Augusteo, at supponit alteram fixam à nobis Epocham. Atque hanc secutus est Evangelista usurpans notam imperii in provinciis notissimi; quemadmodum Jeremias, & sacra Regum Historia supputant annos Nabuchodonosoris Regis Babyloniorum ab ejus in Syriam expeditione, à quo tempore regnavit annis XLIV. quamvis Berosus lib. 3. Chald. hist. Josephus in X. Antiq. & Ptolomæus in Canone nonnisi annos XL. dinumerent, illos supputantes à morte patris. Quare Evangelista secutus quoque est aliorum divinorum Scriptorum consuetudinem.

12. Objicitur 2. Opp. 2. Non XV. Tiberii anno, sed XVI. baptizatus est Dominus: inter initium quippe prædicationis Joannis unum, vel alterum annum interfluxisse demonstrant viri clarissimi, Pagius, Schelstratius, & Gravesonius, ex quo Dominus ad baptismum accesserit, *cum impleret Joannes cursum suum*, ex Act. XIII. 25. & *cum baptizaretur omnis populus*, ex Lucæ III. 21.

13. Respondetur. Resp. doctissimorum virorum, quorum mentio à nobis facta est, chronotaxim nobis nullatenus adversari, cum Epocham imperii Proconsularis Tiberii vel uno, vel duobus annis antevertant. Placet tamen nobis in anno potius XV. quam XVI. Christi baptismum locare, primum quia circa principatum Tiberii subscribendum censemus Norisio: deinde quia nullus aut Historicorum, aut Patrum asseruit Christum lavacro Jordanis tinctum anno XVI. Tiberii, sed concordissime factum id narrant anno XV. excepto Tertulliano, qui posuit annum XII. recte concurrentem in sententia nostra cum anno U. C. 779. computatis annis XII. à morte Augusti, sive ab anno U. 767. & annis XV. ab exordio imperii Proconsularis, scilicet ab anno Romæ 765. Tandem quia argumentum istud nullius est efficaciæ. Annus quippe Tiberii XV. concurrit cum anno Ae. Vulgaris XXV. & XXVI. cum Tiberius imperium indeptus fuerit Sextili mense. A Septembri autem anni XXV. usque ad Januarium anni proximi, quatuor mensium decursu potuit Joannis nomen undique resonare, & ad Jordanis fluenta confluere populi multitudo: nam & Christi fama initio prædicationis *exiit per universam regionem*, Lucæ IV. 14. Atque his accedit, quod non expleto Joannis ministerio, sed *cum impleretur*, (ex iisdem, quæ objiciuntur locis) Christus suscepit baptismum. Sed & Joannes peragravit duntaxat omnem regionem Jordanis, id est,

omnia

omnia circa Jerichuntem campestria, quæ sacer fluvius perlustrat, & quæ quatuor tantum mensibus poterat prænuntii ministerio commode circuire.

14. Objicitur 3. Opp. 3. Evangelista non solum meminit anni Tiberiani XV. verum etiam Pilati eo temporis Judæam procurantis. At Pilatus anno U. 779. nondum erat Procurator Judææ: inde enim urgente Vitellio discedens *exactis in sua Provincia decem annis*, ad Urbem iter suscepit, quo priusquam perveniret, excessit è vita Tiberius. Obiit autem Tiberius Consulibus Cn. Acerronio Proculo, & C. Pontio Nigrino, id est, anno Ae. V. 37. & U. C. 790. Pilatus ergo ante annum U. 780. non fuit Judææ Procurator. Vide Josephum lib. XVIII. Antiq. cap. 3. alias 5. & de Bello Jud. lib. II. cap. 13.

15. Respondetur. Resp. Pilatum ex Josepho ibidem missum in Judæam successorem Grati, qui exactis annis XI. Romam repetiit anno Ae. V. 25. & U. C. 778. Quomodo ergo Pilatus proximo anno minime Judæam procurabat? Pervenit utique Romam anno U. 790. sublato è vivis Tiberio XVII. Kal. Aprilis: sed Josephus scribens Romam illum venisse *consumptis decem annis in Judæa*, vel omisit menses aliquod primi ac postremi anni, ut efferret numerum annorum rotundum, vel pro δέκα *decem*, scripsit ἕνδεκα, *undecim:* vel sane Pilatus male sibi conscius, & judicium refugiens, seu morbum finxerit, seu ventorum contrarietatem, seu causam aliam, expectavit in itinere mortem Tiberii Cæsaris.

16. Objicitur, 4. Opp. 4. Ex Evangelicis verbis, *Et ipse Jesus erat quasi annorum triginta*: inferre non possumus, qua ætate Christus baptismum susceperit. Particula enim *Quasi* definitiva non est: nam de turbis à Domino satiatis legimus Marci VIII. 9. *Erant qui manducaverant quasi quatuor millia.* Joannis VI. 10. *Quasi quinque millia*; & Matth. XIV. 21. *Erant autem quinque millia virorum, exceptis parvulis & mulieribus.* Possumus ergo asserere Christum ad baptismum venisse anno ætatis suæ tricesimo quarto ineunte.

17. Respondetur. Resp. neque à nobis usurpari particulam illam *Quasi* tanquam anni tricesimi definitivam, cum sententia nostra veniens Dominus ad baptismum vix tricesimum annum attigerit. Quare affirmamus hujus particulæ eandem vim esse, ac si diceretur *plus minus*, quemadmodum ait S. Martyr Justinus disputans cum Tryphone. In sensu autem diminutivo particulam illam accipiendam putamus, quod participium *incipiens* denotet inchoatum annum tricesimum, non exactum; quod communiter Patres, qui dum sacræ literæ ambiguæ sunt, nobis facem præferunt, baptizatum Dominum ubique affirment anno labente tricesimo; quod præterea id maxime cohæreat cum annis Domini tam natali, quam emortuali. In præcitatis vero Evangelistarum verbis nihil prorsus difficultatis offendimus. Etenim Marcus cap. VIII. enarrat aliud Christi miraculum, atque ipsemet cap. VI. 44. *Erant autem* (inquit) *qui manducaverunt quinque millia virorum*, non secus, ac in capite XIV. Matthæus. Miraculum istud patratum est in deserto, multiplicatis quinque panibus, & duobus piscibus: at quod Marcus narrat cap. VIII. contigit prope mare Galilææ in panibus septem, paucisque piscículis. Perperam itaque hisce exemplis nonnulli nituntur ut differant baptismum Christi ad annum quartum ac tricesimum, passionem vero ad tricesimum septimum: quod pariter repugnans est, adversatur Patrum traditioni, & paulo post refutabitur.

18. Objicitur 5. Opp. ultimo: Negari saltem non potest, quin Dominus ad baptismum accedens annum tricesimum exegerit; quippe id comprobatur expresso testimonio Ignatii Martyris scribentis ad Trallesios, *Et expletis tribus annorum decadibus vere baptizatus est à Joanne.* Adversus autem tam patens de ætate Christi testimonium nemo vel mutire, nedum refragari debet, inquit Baronius. Accedunt Canones præscribentes, *ne quis presbyter ordinetur, nisi triginta ætatis annos impleverit, quoniam & Dominus trigesimo anno baptizatus est.* Ita Canon XI. Concilii Neocæsarienſis, 17. Agathensis, 4. Carthaginensis III. & 20. Toletani IV. Consonat & antiquus Ordo Romanus laudatus ab Albino Flacco de Off. Eccles. cap. 6. necnon cap. *Siquis*, dist. 78. & cap. *Cum in cunctis*, de Elect. & Electi potest.

19. Respondetur. Resp. 1. His nullo pacto sententiam nostram concuti, si natalem Christi referamus ad annum U. 748. aut inter passionem ac baptismum tria duntaxat Paschata dinumeremus: quæ duo possunt aliqua probabilitate defendi, nec pugnant cum Antiquorum consensu, quemadmodum pugnat sententia eorum, qui contendunt Christum baptizatum anno æta-

tis suæ XXXIV. Respondemus præterea his quoque momentis demonstrari baptizatum Dominum anno XXX. inchoato, nondum autem exacto. Martyr enim Ignatius ad Trallianos inquit: Καὶ τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτεύσαμενος ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννε ἀληθῶς: *Et triginta annos agens baptizatus est à Joanne verè:* non ut vertit olim Vairlenius Sylvius, *Et expletis tribus annorum decadibus.* Pagius in Apparatu num. 151. observat hæc verba legi quidem in Epistola Ignatii interpolata, at non in genuina. Revera non comparent in Florentino Codice edito ab Isacio Vossio. Extant tamen in vetustissimo Vaticano num. 859. & laudantur ab Auctore Chronici Alexandrini. Ignatii itaque testimonio admisso, eodem sententia nostra fulcitur. Canon etiam Neocæsarienſis habet, *Presbyter ante triginta annorum ætatem non ordinetur*, nec aliter Agathensis, ac Toletanus. In antiquo pariter Ordine Romano legitur, *Expletis enim Christus quasi triginta annorum curriculis venit ad Jordanem, ut baptizaretur;* non autem absolute, *expletis.* Aliter legi fatemur in cap. *Si quis*, dist. 78. sed ex regulis Juris, & ex eadem distinct. infertur canonem explicandum esse de anno tricesimo duntaxat inchoato; quoniam dum agitur de muneribus & honoribus computatur etiam tempus, quo infans in utero materno delituit. & sat est, si annus præscriptus una tantum die attingatur, ut censeatur transactus: uti observat Glossa in lib. 1. Decret. tit. 6. c. 7. & de Laicorum muneribus extat ff. *de mun. & hon. ad Remp.* Canone etiam *Cum in sanctis*, nequaquam inhibetur, (servatis terminis juris,) ne Episcopus eligatur dum tetigit, nec explevit annum trigesimum; sed id inhibitum duntaxat est Constitutione Gregorii XV. edita die 15. Maji an. 1591. ut inquit in hunc titulum Emmanuel Gonzalez. At Joannes Cardinalis à Turrecremata in cap. *Si quis*, definitam quidem censet ætatem tricesimi anni completi: sed ait rationem petitam *ex Christi baptismate* videri Glossæ & Hugoni inefficacem; cum Christus ad baptismum accedens non attigerit anni tricesimi, nisi diem tertiumdecimum. In distinct. LXXVIII. cap. *Nemo presbyter*, definitur, *ne quis dum consecratur, minor triginta annis sit*; atque proximo cap. *Si triginta*, ut si necessitas exposcat, *à vigintiquinque annis & supra Levitæ, & Sacerdotes ordinentur.* In veteri quoque Testamento legimus Num. IV. 3. admissos Levitas ad ministrandum in tabernaculo fœderis, *à trigesimo anno & supra*, ut habet Vulgata, & Hebræus Codex, *à filio triginta annorum.* מבן שלשים שנה At ibi in Versione LXX. legimus, ἀπὸ εἰκοσαέτοις καὶ πέντε ἐτῶν καὶ ἐπάνω, *à vigintiquinque annis, & supra.* Hæc spectasse videntur prædictorum canonum Conditores, ac Tridentina Synodus sess. XXIII. cap. 12. dum ait: *Nullus in posterum ad Presbyteratus Ordinem ante vigesimum quintum ætatis annum promoveatur.* Cum igitur in promovendis presbyteris post Tridentinum Concilium requiratur tantum annus vicesimus quintus inchoatus, non autem expletus; dicendum est eandem ætatem præscribi Canone, *Si triginta*, dist. 78. quemadmodum tricesimum annum Can. *Si quis*, eadem distinctione, necnon præcitatis definitionibus Toletani, Carthaginensis, & Agathensis Conciliorum; præsertim cum Toletanum apud Aguirre Tom. II. pag. 483. præferat legem præcitatam Numerorum. Ex quibus infertur præscriptionibus Canonum nequaquam adversari, sed quammaxime consentire sententiam, quæ asserit baptizatum Dominum anno tricesimo nondum expleto; prout nos hac dissertatione exponere, & comprobare curavimus.

PROPOSITIO III. Christus baptizatus est VIII. idus Januarias. 20. Propositio.

Hanc propositionem addimus adversus recentiores perpaucos, qui unius Epiphanii sententiam secuti baptismum Christi referunt in autumnum, cum idem Epiphanius H. LI. scribat baptizatum Jesum *die 12. mensis Athir, id est, octava Novembris.* Verum cum hæc Epiphanii sententia singularis sit, ab ea recedendum esse arbitramur. Movet nos primum traditio Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ, quæ in solemni Epiphaniorum die Magorum adventum, & Redemptoris baptismum concelebrat, affirmatque eadem die recurrente utrumque contigisse. Viget eadem traditio apud Ecclesias cæteras: nam Christiani Copti, ut scribit Scaliger lib. VII. Emendat temporum, quotannis sexta Januarii die memoriam baptismi Dominici recolentes sese in piscinam immergunt. Armenii pariter VIII. idus Januarias crucem in aquam immittunt Christi baptismum recolentes, appellantque diem illam *Cacciciuran*, id est, *Crucis immersionem*: atque hanc Armeniorum ceremoniam se in Persida vidisse scribit Epist. VIII. Petrus à Valle. Ecclesiæ Orientis aliæ prædicta die in aquam Chri- Probatur.

sti

sti statuam immittunt trina immersione, atque eandem aquam diutissime incorruptam permanere narrat ad annum Christi 29. Antonius Pagius, referens Josephum Georgerinum Archiepiscopum in insula Arcipelagi anno 1676. hoc Orientalium ritu servato Aquam consecrasse, quæ limpidissima perduravit annis plurimis, & servata esset diutius, nisi phiala fortuito fuisset confracta. Apud Aegyptios recoli in Epiphaniis Christi revelationem, atque baptismum, scribit Collat. x. cap. 2. Joannes Cassianus. Omnes Orientis Christianos die 6. Januarii in memoriam Dominici baptismatis solemni ritu benedicere flumen, quo regio ipsorum abluitur, narrat lib. 2. de Festis cap. 7. Thomassinus. Est ergo utriusque Ecclesiæ cum Latinæ, tum Græcæ, aliarumque universarum sensus unanimis baptizatum Dominum in Jordane VIII. idus Januarias.

21. Confirmatur ex Patribus I.

Hujus traditionis meminerunt etiam Patres. Nam Eusebius in Epistola ad Marinum apud Baronium ad annum Ch. XXXI. num. 18. ait constare *antiquissima traditione*, quod Christus baptizatus sit sexta die Januarii. Epistolæ Eusebianæ fragmentum posteritati traditum est à Christophorsono post Historiam Evagrii. S. Hieronymus in cap. I. Ezech. Tom. III. pag. 699. inquit: *Illud quoque intelligendum quod in tricesimo ætatis suæ anno Dominus ad baptisma venerit, in quarto mense, qui apud nos vocatur Januarius, & est in anni primus exordio.* S. Paulinus Nat. IX. in S. Felicem de Epiphaniorum die cecinit:

Qua Puerum stella duce mystica dona ferentes
Suppliciter videre Magi; seu qua magis illum
Jordanis trepidans lavit tingente Joanne
Sacrantem cunctis recreandis gentibus undas.

22. Dein ex Chronico Alexandrino 2.

Accedit Chronicon Alexandrinum, in quo Tom. XII. Bibl. PP. p. 927. legimus: *Christus verus Deus noster in Jordane tinctus est die sexto Januarii mensis, quemadmodum sine controversia eodem die Catholica & Apostolica Ecclesia in suo ipsius typo &* XII. *Apostolorum suorum diem festum Luminum, sive Epiphaniam Domini nostri Jesu Christi magni Dei & Salvatoris celebrare consuevit.* In Codice item Regio apud Coteler. Tom. I. PP. Apost. pag. 312. legitur: *Et cum esset annorum triginta, baptizatus est à Joanne 6. Januarii mensis, hora 7. diei.* Denique ipsi severiores Critici fatentur hac die Dominum baptizatum. Hyacinthus Serry Exercit. XLV. num. 5. ait: *In id consentiunt universi, ut die 5. aut 6. Januarii fuerit baptizatus, qua die etiam Ecclesia Catholica à primis sæculis Theophaniam solita est celebrare.* Tillemontius Not. XVI. in Jesum Christum ait certiorem esse diem baptismatis Christi, (quod & ipse alligat diei Januarii sextæ,) quàm diem Dominicæ Nativitatis. Ipse Basnagius, quamvis diem qua Christus baptizatus est affirmet prorsus incertam, mensem quod attinet, fatetur vero simile Januarium fuisse baptismo Dominico consecratum. De die nutat Basnagius, quoniam Clemens Alexandrinus lib. I. Stromatum de Basilidis sectatoribus inquit: *Dicunt autem eum esse quintumdecimum annum Tiberii, quintumdecimum mensis Tybi. Aliqui autem esse undecimum ejusdem mensis.* Incidit verò Tybi XV. in Januarii X. & Tybi XI. in Januarii VI. Addit Basnagius Hieronymum in cap. I. Ezech. alligare baptismum Domini quintæ Januarii, non sextæ diei. Objicit & Epiphanium, qui hæresi LI. num. 24. ait Christum baptizatum VI. *idus Novembris.* Sed hæc parum urgent. Sectatorum enim Basilidis nullam rationem habemus; & qui in ea secta baptismum Domini celebrabant die X. Januarii, ab aliorum consuetudine desciverant. Ex quo præterea aliqui assererent consecratum Dominico baptismate diem XI. Tybi, sive VI. Januarii traditionis nostræ colligi potest antiquitas. Hieronymus ait, *Quintam autem diem mensis adjungit,* (Ezechiel) *ut significet baptisma, in quo aperti sunt Christo cæli:* sed festivitates celebrantur à vespera præcedentis diei, consuetudine vetustissima. Epiphanius denique unus est, qui asseruit Jesum baptizatum die octava Novembris, ut etiam Tillemontius adnotavit præcitato loco, etsi ibidem male pro die VIII. Novembris scripserit VI. Sane unus Epiphanius non sufficit ad probandam Ecclesiæ universæ traditionem: erratque Bernardus Lamy, qui in apparatu Chronologico pag. 234. scribit: *Hac die octava Novembris Jesus baptizatus est juxta veterem traditionem ex S. Epiphanio.* Id legi in Panario Epiphanii, verum est; tenendum tanquam traditionem veterem, falsum prorsus, atque ementitum.

CAPUT

CAPUT VI.

De Christi post susceptum baptismum prædicatione.

SUMMARIUM.

1. & 2. Probatur Christi triennalis prædicatio.
3. 4. 5. Aliorum sententiæ refelluntur.
6. Usque ad 10. De vocatione, & nomenclatura Apostolorum.
10. Prædicatio Christi confirmata miraculis.
11. & seqq. Quid sentiendum de Epistola Abgari Edessenorum Toparcha.

1. Statuitur triennis Christi prædicatio.

TAMETSI nonnulli Patrum Christum uno tantum anno prædicasse existimaverint, ut Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. Philastrius hær. 106. & Gaudentius Tract. 3. de 1. Dominica Paschæ, & quidam alii; necnon fuerint, qui prædicationem Domini dixerint annis duobus completam, ut Apollinarius Laodicenus apud Hieronymum in cap. 9. Dan. & Cyrillus Alex. in Isaiæ 61. omnes tamen hujus ævi Chronologi tribus annis, ac totidem mensibus Dominum Jesum Evangelium annuntiasse fatentur; sive contendant baptizatum Dominum anno XII. Imperii *Augustalis* Tiberii, Ae. V. 26. ac passum anno Tiberii XV. Ae. V. 29. sive baptizatum hoc anno, crucifixum vero anno Tiberii XVIII. Ae. V. 32. sive denique baptizatum anno Tiberii XVI. Ae. V. 30. affixum cruci anno Tib. XIX. & Ae. V. 33. In unaquaque enim istarum sententiarum tres anni inter baptismum & mortem Christi interceserunt, ac præterea tres circiter menses, quibus baptismus antevertit Paschati Azymorum.

Et quidem juxta Augustinum lib. II. de Doct. Christ. cap. XXVIII. n. 42. quot annos Dominus in hac vita egerit post baptismum, ex textu ipso Evangelii animadverti potest, & *ne aliunde caligo dubitationis oriatur, de historia gentium collata cum Evangelio liquidius certiusque colligitur.* Ex Evangelio constat baptizatum Dominum cum esset *fere annorum triginta*; quod & nos *retinemus auctoritate Evangelica*, inquit ibidem S. Pater. Ex Gentilium historiis liquet Consulatum duorum Geminorum incidere in annum U. C. 782. Ae. V. 29. quo anno Christum affixum cruci demonstrabo capite sequenti, & absque ulla hæsitatione asserit idemmet Augustinus lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 54. Cum itaque demonstratum sit præced. cap. Christum baptizatum anno Ae. V. 26. die 6. Januarii, dum ageret annum tricesimum, idque sit consentaneum historiæ Evangelicæ; si passus est duobus Geminis Coss. quos ex Romanis historiis constat iniisse consulatum anno Ae. V. 29. apertissime ex Evangelio cum Romanorum Fastis collato sequitur Dominum tribus integris annis prædicâsse. II. Idem ex Evangelio potest confirmari, ubi invenimus baptismum inter, ac mortem Domini quatuor Paschata. Primum post miraculum in nuptiis Canæ patratum, de quo Paschate Joannis II. 13. *Et prope erat Pascha Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam.* Alterum Pascha est, de quo Joannis V. 1. *Post hæc erat dies festus Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam.* Tertium Pascha est, de quo idem Evangelista cap. VI. 4. *Erat autem proximum Pascha, dies festus Judæorum.* Quartum denique illud est, in cujus solemnitate impii Dominum crucifixerunt, Matth. XXVI. 17. & Joannis XVIII. 39. Ac de primo quidem, tertio, ac postremo Paschate nulla oriri potest dubitatio: diem tamen festum, de quo Joannis V. 1. fuisse Pentecostem tradiderunt nonnulli Patres, quibus subscribit D. Thomas in caput V. Joan. lect. 1. Sunt & qui putant fuisse festum Encæniorum. Sed fuisse Azymorum solemnitatem tenent in Commentariis h. l. Rupertus, Jansenius, Cornelius à Lapide, Pererius in Dan. Suarez disp. 30. de Vita Christi, sect. 3. Natalis Alex. in Synopsi 1. sæc. art. 4. Gravesonius differt. XV. §. 2. Cardin. Gotti de Christi gestis cap. 19. necnon Usserius ad annum P. I. 4744. Grotius in Joannem, & alii permulti. His ultro subscribimus, quia *dies festus* absolute denotat Pascha, etiamsi in Græco ubique non apponatur articulus, ut Marci XV. 6. & Lucæ XXIII. 17. Conferas Matth. XXVI. 5. & Joan. XII. 12. ac XIII. 29. Adde Joannem, ubi in aliis locis usurpat vocabulum *diei festi* ad aliam festivitatem commonstrandam præter Paschalem, adjicere proprium festivitatis nomen, ut *Scenopegiæ* cap. VII. 2. & *Encæniorum*, cap. X. 22. Præterea Irenæus lib. 2. adv. H. cap. 29. nunc 22. num. 3. scribit: *Secunda vice ascendit* (Jesus) *ad diem festum Paschæ in Hierosolymam, quando paralyticum curavit:*

2. Probatur 1.

Probatur 2.

quod

quod enarratur Jo. v. Deinde ex præcedenti cap. IV. Joan. vers. 35. cum esset Dominus in Samaria, ait: *Adhuc quatuor menses sunt, & messis venit*: postea adiit Galilæam; & cum ibi aliquamdiu esset commoratus, ascendit Jerosolymam *ad diem festum*: ad quem festum, nisi ad festum Paschatis, quo redeunte solent in Judæa segetes maturescere? Postremo Dominum Jesum quotannis in Azymorum solemnitate Jerosolymas ascendisse apparet ex sacra Evangeliorum historia. Itaque *festus dies*, in quo Joannis v. 1. Pascha erat: & quatuor Paschata baptismum inter, ac mortem Christi interfluxerunt. III. In sententia quoque D. Thomæ connumerantur quatuor hæc Paschata; nam inter baptismum, & nuptias in Cana Galilææ celebratas Doctor Angelicus Lect. 1. in cap. 2. Joan. censet annum solidum interfuisse, quod & asserunt Interpretum bene multi, ac noster Simon à Cassia in Evan. Hist. lib. v. capite 1. qui scribit eadem die, *revoluto anno*, à Domino primum signum patratum, qua die undis tinctus fuerat Jordanis. In hac autem sententia, si inter baptismum & prædicationis initia annus solidus interceserit, Pascha de quo Joan. II. 13. est à baptizato Domino secundum, non primum; ideoque in eadem opinione, etsi Joannis v. 1. de Paschate non fiat sermo, idem tamen annorum numerus computatur. At nos sententiæ præcedenti subscribimus; neque arbitramur Dominum Jesum in baptismate divina voce manifestatum, anno integro latitasse; præsertim quod ex cap. 1. Joannis vers. 35. colligitur paucis post baptismum diebus Andream ac Petrum secutos Dominum, ac paulo post in Cana Galilææ factas nuptias: ex Matthæi autem IV. 1. Marci 1. 12. & Lucæ IV. 1. liquet, Jesum statim post baptismum ductum in desertum à Spiritu, post jejunium vero, ac Satanæ tentationem profectum ad prædicandum in Galilæam. IV. Tribus annis Dominum prædicasse commonstrat Patrum traditio. Ignatius ad Trallianos, *Tribus annis*, inquit, *prædicavit Evangelium*: atque hunc locum insititium non esse ostendimus supra ex vetustissimo Cod. Vaticano, & ex Chronico Alexandrino: unde quæ non leguntur circa ætatem Christi in editione Vossiana, jure sunt restituta à Schelstrateno Tom. 1. Antiq. Eccl. pag. 58. & à Cotelerio Tom. II. Pat. Apost. pag. 68. Irenæus cit. loco pâg. 147. (quamquam adversus Gnosticos unum prædicationis annum Christo tribuentes asserat passum Dominum circa annum quinquagesimum ætatis suæ) idem tamen Dominicæ prædicationis spatium ad tres annos extendi ex Evangelica historia demonstrat. Hinc Pagius ad annum 32. num. V. contendit ea, quæ de anno passionis Christi scribit Irenæus, insititia esse & corrupta, quoniam si Irenæus fatetur Christum baptizatum anno tricesimo, & prædicationis tempore tria paschata peregisse, debuit consignare passionem Christi, non anno ipsius quinquagesimo, sed tricesimo tertio. Sed fallitur vir doctissimus, quoniam Irenæus tria Paschata non à baptismo enumerat, sed ab eo tempore, quo magistri munere fungi cœpit, spatio plurium annorum interjecto, ut evidenter probat Massuetus dissert. III. art. 6. num. 72. Verum, cum ex dictis constet tantum annorum intervallum inter baptismi, & prædicationis tempus minime intercessisse; haud obscure ex ipsomet Irenæo ætatem Domini, & maxime tempus, prædicationis inferimus. Tertullianus scribens lib. 1. adversus Marcionem cap. 15. Dominum revelatum *anno* XII. *Tiberii Cæsaris*, & contra Judæos cap. 8. passum anno Tib. XV. *Consulibus duobus Geminis*, sententiæ nostræ adstipulator est, ac patronus. Joannes Chrysostomus Tom. VI. pag. 509. in illud *Exiit edictum*, inquit: *Jesus Tiberio imperante, cum annorum triginta esset, suam apud discipulos divinitatem declaravit, ac per tres deinceps annos prædicavit.* Suffragatur Chrysostomo Leontius Byzantinus, cujus in libro de Sectis hæc sunt verba: *Annos natus* XXX. *baptizatus fuit, ac post baptismum prodigia facere cœpit, & Judæos docere, atque anno* XXXIII. *in crucem actus.* Theodoretus in Dan. Tom. 2. pag. 665. *Cum annos* (inquit) *circiter tres cum dimidio prædicasset Dominus, suosque discipulos doctrina & miraculis confirmasset, tunc passus est.* Ex his vero, aliisque apparet cur Beda hanc sententiam adeo certam putaverit, ut eam ad fidem pertinere arbitratus fuerit, scribens de Rat. temp. cap. 45. *Habet, ni fallor, Ecclesiæ fides Dominum in carne paulo plus quàm triginta tribus annis vixisse.* IV. Accedunt fere omnes Historici: inter quos Eusebius lib. 1. H. E. cap. 10. edit. Valesii pag. 17. inquit: *Servator, ac Dominus noster Jesus Christus anno ætatis circiter tricesimo* (est in Græco ἀρχόμενος ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, quæ verba denotant anni tricesimi initia) *ad Joannis lavacrum accessit, tuncque primum Evangelium prædicare instituit;* & paucis interjectis, *Universum prædicationis Dominicæ tempus non totos quatuor annos complecti manifestum est.* Eadem scribit Nicephorus

Probatur 3.

Probatur 4.

lib. 1. cap. 18. & cap. 29. Historici autem posteriores concordissime. Fatemur tamen Eusebii, ac Nicephori argumentum petitum ex serie Pontificum ab Anna ad Caipham, non esse firmissimum; quoniam Caiphas factus est Pontifex à Valerio Grato, qui ex Judæa discessit anno Tiberii XII. & idem Caiphas unà cum Anna, ex Lucæ III. 1. anno, quo Christus baptizatus est, erat Pontifex, sive per vices summi Sacerdotii munere fungeretur, sive Anna esset ex-Pontifex, ut contendit Henricus Valesius. Sane series Pontificum Annæ, Ismaelis Ben-Baphi, Eleazari filii Annæ, Simonis filii Camithi, & Caiphæ, quos Valerius Gratus substituit, ex Josepho lib. XVIII. Antiq. præcedit annos Dominicæ prædicationis, quæ proinde nequit ex ipsa serie Pontificum definiri, præsertim quod Caiphas Pontificatum obtinuit anno baptismatis Christi, & anno Passionis, ac fortassis toto tempore administrationis Pilati. V. Fulcitur denique assertum nostrum vetustissimis monumentis. Christum enim tribus annis prædicâsse, & quatuor celebrasse post baptismum Paschata, probat ex Evangelio Joannis Auctor Chronici Alexandrini: idem tradunt Evodius Apostolorum discipulus apud Nicephorum Callistum lib. II. cap. 3. & Euthymium Zygabenum in cap. 3. Joannis; Hippolytus Thebanus in libro de Cognat. Christi apud Canisium tomo III. Antiq. lect. & Schelstratium in Append. ad Opus Chronologicum: Auctor antiquissimi Ms. Codicis Florentini conscripti temporibus Honorii primi, cujus meminit Ant. Capellus, & Schelstratius d. loc. 1. pag. 57. in quo legitur ex traditione Apostolorum, *Christum Dominum mansisse in hac vita* XXXIII. *annos, & menses* III. Manuscriptum denique Regium, ac vetustissimum, de quo Cotelerius ad lib. v. Constit. Apostol. pag. 312. Firmissimis itaque argumentis Evangelica historia, traditione Patrum, Historicorum testimonio, & antiquorum fragmentorum fide corroboratis constat Dominum Jesum tricesimo anno baptizatum, atque post tres annos prædicationis exactos affixum cruci.

Probatur 5.

3. Objectio ex Irenæo, desumpta solvitur.

Ab hac sententia recedendum non est, vel ob Irenæum, qui lib. 2. cap. 22. num. 6. scribit passum Dominum, cum non multum à quinquagesimo anno abesset, ductus traditione *Seniorum*, à quibus acceperat Christum quadragenario majorem cæpisse prædicationem, necnon textu Joan. VIII. *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* I. Quia hæc traditio Apostolica non erat, cum neque ab Ignatio, neque ab Evodio, neque à Clemente, neque ab aliis Apostolorum discipulis profluxerit, sed vel à Papia, ut putat Feuardentius, vel ab alio quopiam ingenii pertenuis. II. Quia S. P. Augustinus lib. II. Doct. Ch. cap. 28. scribit, *Ignorantia Consulatus, quo natus est Dominus, & quo passus est, nonnullos coegit errare, ut putarent quadraginta sex annorum ætate passum esse Dominum.* Irenæi sententiam suppresso nomine abjiciens. Tertio quia Irenæus Gnosticos asserentes uno post baptismum anno Dominum prædicasse ita refellit, ut Christi ætatem ultra Tiberii Cæsaris Principatum protrahat. IV. Quia ibidem Irenæus num. 4. recte scribit baptizatum Dominum cum tricesimum annum ageret, & posteaquam vinum fecit ex aqua in Cana Galilææ, tria Paschata celebrasse: dempto itaque magno illo annorum spatio inter Christi lavacrum & prædicationis ministerium, ipsius Irenæi sententia à communi traditione parum, vel nihil discrepabit.

4. Quomodo intelligendum illud Judæorum *quinquaginta &c.*

Neque ad ætatem Christi definiendam plurimum valent ea Judæorum verba, *Quinquaginta annos nondum habes, &c.* Principio enim subscribendum est Lyrano planè ea verba explicanti, *Nondum vixisti unum Jubilæum*; aut Menochio similiter reddenti, *Ut te maxime provectum ætate facias, certe te facere non potes quinquagenarium.* Theophylactus in Evangelia pag. 690. inquit: *Hoc dicebant, existimantes Dominum ferme quinquaginta annorum esse; tametsi tunc triginta & tres tantum annos haberet*: sed post pauca, *Veruntamen dicunt quidam quinquagesimum annum ad honorem anni Jubilæi dictum.* Chrysostomus hom. 54. in Joan. edit. Commel. 779. legit *quadraginta*: in quem locum irrepsisse mendum putat Erasmus ductus præcitatis verbis Theophylacti: quod non assentior; cum Euthymius in Joannem pag. 364. edit. Parisiensis scribat: *Quædam autem exemplaria habent quadraginta.* Aliquo igitur hujus generis exemplari ad Vulgatam tamen, & meliorum Codicum fidem castigando, usus est Chrysostomus, cujus lectiones omnes conspirant.

5. Christus non uno tantùm anno prædicavit.

Eorum quoque opinio, qui Domini prædicationem ad unum contraxerunt annum, & fundata in vaticinio Isaiæ LXI. 2. *Ut prædicarem annum placabilem*

bilem Domino, nequit firmo talo consistere: eamque recensitis in Evangelio Joannis Paschatibus refutat cit. loco Irenæus tanquam Gnosticorum commentum, scribens num. 3. *Quoniam autem hæc Paschæ tempora non sunt unus annus, quomodo uno anno tantum Dominus prædicavit?* Ibidem ait Irenæus annum Domini acceptabilem esse *omne ab adventu ejus tempus usque ad consummationem, in quo ut fructus eos qui salvantur acquirit.* Potest insuper annus acceptabilis accipi non pro toto tempore Dominicæ prædicationis, sed pro anno redemptionis: unde Cyrillus Alex. lib. v. in Isaiam p. 859. ait: *Acceptus annus erat, quo pro nobis crucifixus est Christus.* Etsi vero Gnostici, quos exagitat Irenæus, annum duntaxat unum Christi prædicationis statuerint; Clemens tamen Alexandrinus, Philastrius, Gaudentius, & qui pariter coarctarunt Dominicæ doctrinæ ministerium, nequaquam id acceperunt à Gnosticis; sed in eam sententiam abierunt, quod non satis distinguerent inter imperium Tiberii Proconsulare, & Augusteum, atque illis aliunde persuasum foret Christum baptizatum an. Tiberii xv. & affixum Cruci Cos. Gemino, & Gemino: quorum primum habetur in Evangelio, alterum liquet ex Veterum traditione. Hinc recte de sententia S. Gaudentii in notis ad ejus Opera edita jussu doctissimi Cardinalis, Brixiensis Antistitis, & Apostolicæ Sedis Bibliothecarii Angeli Mariæ Quirini, pag. 249. scribit vir eruditus Paulus Galeardus, in eadem fuisse complures ex antiquis Patribus, præsertim qui mortem Christi anno xv. Imperii Tiberii Cæsaris, duobus Geminis Cos. consignarunt: quamquam in sententia quam propugnamus utrumque verum est, Dominum cruci suffixum anno xv. imperii Augustalis Tiberii, & in Consulatu Geminorum, ut complures veterum tradiderunt, & tribus annis prædicasse, ut demonstratum est modò.

II.

6. Vocat Christus Apostolos.

In Christi prædicatione venit priori loco recensenda vocatio Apostolorum: quorum nomina hoc ordine Matthæus cap. x. 2. 3. 4. *Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus, Jacobus Zebedæi, & Joannes frater ejus, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, Jacobus Alphæi, & Thaddæus, Simon Chananæus, & Judas Iscariotes, qui & tradidit eum.* Apostolorum Princeps *Simon* vulgari apud Hebræos vocabulo appellatus, & quo denotatur *vir obediens*, filius *Joannis*, Jo. xxi. 15. & *Jonæ* Matth. xvi. 17. quo nomine etiam *Columba* signatur, superinditum habet à Christo nomen *Petrus*, Matth. xvi. 18. sive *Cephas*, Joan. i. 42. eoquod ipse sit Ecclesiæ *petra, fundamentum, & caput.* Neque hæreticis denegantibus Romanorum Pontificum in Ecclesia primatum suffragantur illi Patres, qui ea verba Matth. xvi. 18. *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, aliquando ad Christum referunt, aliquando ad fidei confessionem; enimvero hi Patres minime negant Petrum quoque esse Ecclesiæ *petram*, & in Ecclesia tenuisse primatum; imo asserunt ideo primatum obtinuisse, quoniam in ejus persona Christi fides inconcussa debebat persistere, & ipse Petrus Christi, qui Ecclesiæ fundamentum est, & angularis lapis, vices gerebat. Quare optime S. P. Augustinus Tract. cxxiv. in Joan. num. 5. ait ædificatam Ecclesiam super *Petram*, quæ est Christus; & serm. lxxvi. aliàs 13. de Verbis Dom. num. 1. super *Petram*, quam Petrus confessus fuerat, ac demum lib. 1. Retract. cap. 21. num. 1. ait, ut lector eligat sententiam, quam putat probabiliorem, id est, an *Petra* ad Christum, an ad Petrum sit referenda. Verùm S. Pater litem omnem dirimit scribens eodem Tractatu cxxiv. quod si dicamus Ecclesiam ædificatam super *Petram*, quæ est Christus, claves datæ sunt Ecclesiæ, quatenus collatæ sunt Petro, qui ejusdem Ecclesiæ *propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam.* Quod Augustinus repetit citato serm. 76. num. 3. scribens: *Idem ergo Petrus à petra cognominatus beatus, Ecclesiæ figuram portans, Apostolatus principatum tenens, &c.* & lib. 1. Retract. loco citato non rejicit quod scripserat adversus Epistolam Donati, *quod in Petro, tanquam in petra fundata sit Ecclesia: qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait: Hoc ipsa petra Ecclesiæ canente, culpam diluit.* In Psalmum denique viii. num. 1. ait S. Pater Ecclesiæ Petrum *in figura gestasse personam, propter primatum quem in discipulis habuit.* Sive ergo dixeris Petrum ipsum esse *petram*, sive dici *petram* vel à Christo, qui petra est, vel à fidei firmitudine & confessione; semper Petrus habet in Ecclesia primatum, ad quem commonstrandum dictus est *Cephas*. Atque hac ratione facilius respondebis Novatoribus, quàm si cum Bellarmino lib. 1. de Rom. Pontif.

Quomodo Petrus sit Princeps Apostolorum.

Pontif. cap. 10. dixeris Augustinum ex ignorantia linguæ Hebrææ fuisse deceptum. Verùm de his alibi.

7. Nomenclatura aliorum Apostolorum.

Petro conjungitur Gentium Apostolus Paulus, quamvis post Christi ascensionem vocatus, Act. IX. 4. ex quo loco intelligimus proprium ipsius nomen fuisse *Saulum*. Hinc derivatum nomen *Pauli*, addita terminatione Græcorum more, & priori litera commutata, ut ex vocabulo Syro-hebraico fieret Græcis, Latinisque commune. Alii tamen derivatum putant à Proconsule Paulo. Penes Græcos *Paulus* idem sonat, ac *humilis & quietus*, à παυμαι; apud Latinos id, quod *pusillus*. Andreas frater Simonis Petri, & qui omnium primus secutus est Dominum, dicitur ἀπὸ τῆς ἀνδρὸς, idemque valet, ac, *fortis, virilis*. Jacobo & Joanni filiis Zebedæi, quem è Galilææ primoribus putat Turrianus contra Vergerum, nescio quo ductus argumento, superadditum Marci III. 17. nomen *Boanerges*, id est, *filii tonitrui*, Syro-hebraice, בני-רעם, *Banereem*, juxta Hieronymum. In Psalmo LXXX. 8. רעם *tonitruum*, nos legimus *tempestatem*, quidam vero *majestatem*, quod ut plurimum divina Majestas cum tonitru apparuerit, ut Exodi XIX. 18. Jacobus itaque & Joannes *Boanerges* dicti sunt, quasi ad eximiam eorum electionem præsignandam, quod seorsim à cæteris cum Petro Apostolorum principe assumpti fuerint testes Dominicæ transfigurationis; & unus primus omnium sanguinem pro Christo fuderit: alter Apostolis omnibus superstes testimonium diutissime perhibuerit veritati. *Philippus* Græcum nomen est satis notum, nisi repetendum velis ab פלאפי, quasi, *ore mirabilis*, ut censet Grotius in VI. Act. Fuit ille Andreæ, ac Petri concivis, hoc est, à Bethsaida, sita ad ripam maris Tiberiadis occiduam, in districtu tribus Zabulon, non, ut inquit ad annum 31. num. 70. Basnagius, *in tractu tribus Gad*. Et quidem ad tribum Zabulon Betsaidam pertinere docent in descriptione Terræ sanctæ Guilelmus Sanson Tom. 2. Op. S. Hieron. pag. 505. Christianus Adrichomius pag. 137. & in Tabulis Geographicis noster Lubin, Philippus de la Rue, M. de Fer, & alii; nec dubium est, quin Basnagius deceptus fuerit à Lightfootio locante Bethsaidam ultra Galilææ tractum. Quare imperite simul, ac temere idem Basnagius reprehendit Baronium scribentem ad annum 32. num. 7. ex tribu Zabulon fuisse prælaudatos Apostolos; cum Baronii sententia vera sit, ac tradita etiam à magno Palæstinæ incola Hieronymo in caput 9. Isaiæ Tom. III. pag. 83.

8. Iterum aliorum Apostolorum.

Bartholomæus videtur dictus πατρωνυμικῶς, quasi *Filius Ptolomæi*, unde non male Onuphrius noster, Rupertus, Jansenius, Serarius, necnon Grotius in caput Lucæ 24. opinantur Bartholomæum esse *Nathanaelem*, de quo Joan. I. 46. Matthæus appellatus quoque est *Levi*, Marci II. 14. & Lucæ IV. 27. an patronymice, an proprio nomine, incertum. Sunt qui contendunt *Levin* fuisse diversum à Matthæo, & fratrem Jacobi minoris, siquidem à Luca appellatur filius Alphæi, non tamen fuisse Apostolum: in qua sententia videtur fuisse Origenes disputans adversus Celsum. Thomas Joannis XX. 24. dicitur *Didymus*, id est, *geminus*; Hebræi namque gemellos appellant תאמים, *Thomim*: unde falluntur, qui censent eundem Apostolum fuisse binomium. Thaddæi nomen proprium fuit *Judas*, ideoque in Græco Matthæi textu legitur, ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος, *cognominatus Thaddæus*. Judam Jacobi appellat Lucas VI. 16. Thaddæus dictus est etiam Λεββαῖος, *Lebbæus*, quod Hieronymus interpretatur *corculum*. Romani *corculum* appellabant virum egregie cordatum, & prudentia conspicuum, ut P. Nasicam ex Cicerone lib. I. Tuscul. c. 9. Sunt qui Lebbæum derivant à לבי, quòd Hebræi eos, qui nomen habebant Judæ, vocarent ex Jacobi vaticinio *Leones*, Judas idem est, ac *laudator*, & *confessor*: eoque nomine duo inter Apostolos vocati sunt, *unus Domini sectator, alter insectator*, inquit Tract. LXXVI. in Joannem S. P. Augustinus. Simon dicitur Chananæus, non à terra Chanaam, sed à קנא, *æmulari*: appellatur enim *zelotes* apud Lucam VI. 15. quod nomen derivatum à *Chanâ* legitur etiam Exodi XX. 5.

9. Ex quo Judas proditor nomen traxerit, Iscariotes.

Apostolorum postremus fuit Judas *Iscariotes*, in cujus locum suffectum Matthiam legimus Act. I. 26. *Iscariotem* appellatum ab urbe *Carioth*, communis opinio est; quod *Iscariotes* idem Hebraice sonet ac vir, איש, *Isc*, קריות, *Kerjioth*. Hinc Serrius Exerc. 56. num. 7. inquit eos, qui hujus vocabuli originem repetunt à tribu *Issachar*, repugnantem habere Hieronymum, cum aliis Ecclesiæ Patribus: incertum tamen esse, an Judas fuerit ex *Carioth* in tribu *Juda*, de qua Josue XV. 25. an ex *Carioth* in tribu *Ephraim*, de qua Jeremias XLVIII.

41.

41. & Amos II. 2. Puto patriam Judæ fuisse *Scharioth*, aut *Ischarioth*, vicum quemdam tribus Ephraim, non *Carioth* urbem, cujus nomen sine aspiratione in priori syllaba scribitur: quæ est sententia Hieronymi in cap. XXVIII. tom. III. pag. 234. A *Scharioth* dicitur *Schariotes*, sive *Iscariotes* præposita Jod euphoniæ gratia: à *Carioth* dicendus potius erat *Cariotes*. Non probo autem dictum Judam *Iscariotem* ab איש, *Isc*, & קריות, *Carioth*: nam in textu Hebraico, & Syro legitur, סכריוטא, *Schariota*, imo & Origenes in III. Periarchon cap. 3. Judam appellat *Scariotem*: in Mss. etiam Hieronymi legitur cit. loco, *de vico ejusdem tribus Schariotb.* Cum itaque in ea voce סכריוטא, neque איש, neque קריות contineatur, imo diversæ omnino sint radicales literæ; dicendum cum Hieronymo vicum *Scharioth*, non urbem *Carioth*, proditoris fuisse patriam. Hac ratione facilius refutatur Lightfootius, qui putat Judam dici *Iscariotem* vel ab אסקורטיא, *cinctorio corario*, vel ab אסכרא, *strangulatione*, ob affinitatem horum vocabulorum cum סכריוטא. At primum nequit esse hominis distinctivum; alterum non competit Judæ dum viveret. Dicendum est ergo hunc vocari *Iscariotem* à vico *Scharioth*. Cæterum admissa literarum permutatione haud repugnat *Iscariotem* derivari à tribu *Issachar*, quasi idem sit, ac איש ישכר; sed nimia literarum variatio. Non rejicit tamen (quidquid scribat Serrius) hanc interpretationem Hieronymus; nam lib. I. in Matthæum Tom. IV. pag. 35. de Juda inquit: *Vel à vico, aut ab urbe, in qua ortus est, vel ex tribu Issachar vocabulum sumpsit: ut quodam vaticinio in condemnationem sui natus sit. Issachar enim interpretatur merces, ut significetur pretium proditoris.* Quidam derivat nomen *Iscariotis* ex איש, & סכר, *concludere in manu hostium*; ita, ut significet *supplantatorem*, ac *proditorem*. In Hebraicorum vocabulorum Interpretatione in Polyglottis Waltonianis ad calcem Tom. 6. *Iscariotes* interpretatur *vir occisionis & mortis*. Hæc tantum de nomine XII. Apostolorum.

III.

10. Christus suam prædicationem confirmavit

Prædicationem suam Christus confirmavit miraculis divina virtute patratis, quæ neque ab Evangelistis conficta, neque peracta naturali aut magica facultate diximus lib. I. cap. 7. XXII. 3, necnon XXV. 11. Unum duntaxat hoc in loco commemorabo maximum, & præclarissimum, quatriduani scilicet Lazari resurrectionem. I. Nequit miraculum istud in dubium revocari: Judæi enim complures, qui in Marthæ ac Mariæ domum convenerant, Joan. XI. 31. spectatores hujus prodigii fuere; ac *multi rei novitate, & miraculo victi crediderunt, alii vero livore impulsi occasionem inde sumpserunt patrandi ea, quæ invidis mos est, principibusque quod factum erat retulerunt*, inquit Cyrillus Alex. lib. VIII. in Joannem Tom. IV. pag. 691. & idem Evangelista citato cap. XI. 45. & 46. Testantur itaque signi magnitudinem non tantum Apostoli qui aderant, & Lazari piæ sorores; verum etiam conversi ad fidem Judæi, necnon invidi ac pervicaces, ita ut nullus prodigiosæ rei eventus possit ampliori testium auctoritate firmari. II. Fingi nequit Lazarum apparenter, & imaginatione quadam fuisse suscitatum: enimverò absente Domino idem Lazarus vitâ functus conditus fuerat tumulo; & dum Christus venit Bethaniam, ille *quatuor jam dies habebat in monumento*, Joan. XI. 17. Non ipse Christus amovit lapidem; sed Judæi, quibus ille ait vers. 39. *Tollite lapidem.* Curnam, quæso? Audire præstat eloquentissimum Joannem Chrysostomum hom. LXII. in Joan. pag. 374. *Ait ergo, tollite lapidem; quid tandem absens non idem jusserat, atque perfecerat? Quid non dimisso lapide suscitavit? Poterat enim, qui corpus mortuum voce movit, & corrupto animam inspiravit, multo magis lapidem movere: sed cur non fecit? Ut eos testes faceret miraculi, ne diceret quod & de cæco, Hic est, non est.* Postquam etiam prodiit Lazarus è monumento manibus, pedibusque ligatus, non solvit illum Jesus, sed circumstantibus inquit versu 44. *Solvite eum;* nempe, ut ait prælaudatus Chrysostomus hom. LXIII. pag. 331. *jussit solvi ut tangentes, & propius facti noscerent verè resurrexisse.* Postmodum etiam facta cœna, *Lazarus unus erat ex discumbentibus*, Joannis XII. 2. eòque confluxit turba multa, *ut Lazarum viderent*, ibid. versu 9. Præclare magnus Augustinus Tract. I. in Joannem num. 5. *Ne putarent homines phantasma esse factum, quia mortuus resurrexit, unus erat ex recumbentibus, vivebat, loquebatur, epulabatur: veritas ostendebatur, infidelitas Judæorum confundebatur.* Commonstrant itaque nullam hic interfuisse sensuum illusionem funeris apparatus, Judæorum conventus, lapis sepulchralis, mem-

miraculis Divina virtute patratis.

membrorum ligamenta, contrectatio manuum, commune epulum, perturbatio malignantium, atque confluentis multitudinis stupor, auditus, aspectus. III. Patratum hoc signum divina virtute, non autem in nomine Beelzebub, aut magico submissoque susurro, liquet ex oratione facta ad Patrem, ut circumstans populus crederet, & ex magna voce, qua clamavit, *Lazare veni foras*, Joan. XI. 43. quod consultò factum notat Cyrillus pag. 684. *ne amplius dicerent illum facere signa in Beelzebub*; ac Theophylactus pariter in Joann. pag. 727. *Ut ne adversarium Dei illum putarent, ut ne dicerent, Non est ex Deo*: quæ deprompta sunt ex Chrysostomo Hom. LXIV. in Joan. IV. Nulla virtute naturali excitari potest mortuus quatriduanus. Neque enim Lazarus affectus fuerat lipothymia, asphyxia, syncope, aut alio hujus generis morbo, quo extemplò sensuum facultatibus concidentibus, pulsuque plane abolito interdum viventes instar cadaverum jacent: quandoquidem Lazari legimus languorem, & præcedentem infirmitatem, Joan. XI. 1. ac subinde mortem versu 14. Præterea quamvis tali virium prostratione correpti aliquamdiu mortuis similes videantur; superveniente tamen apoplexia, juxta Schenckium, & Benivenium, ac juxta Paulum Zacchiam, cæterosque artis medicæ peritissimos, jacere possunt sensu omni penitus destituti tribus tantum diebus, sive spatio horarum LXXII. affecti autem forti syncope vix horis viginti quatuor: atque in his præterea exili aliqua respiratione, admoto ori speculo, minimo saltem circa carotides motu, aliisque experimentis dignosci potest an prostratus vitam agat, an decesserit. Hæc quoque experimenta necessaria non sunt, si ut in Lazaro, certa causa mortis præcessit; tum enim ægrotus è vivis exemptus deprehenditur ex corporis frigiditate, ac pondere, vocisque, pulsus, & respirationis defectu. At de his plura in magno Opere de Servorum Dei Beatificat. & Beatorum Canoniz. lib. IV. P. I. cap. 21. vir eruditione Summus, literarum cultu Eximius, dignitate ter Maximus, nobisque, & universæ Ecclesiæ in Pastorem Optimum ac Munificentissimum, hoc labente anno XVI. Kal. Septembris divinitus datus, BENEDICTUS XIV. Quantum ergo ad Lazarum attinet, & præcedens mortis causa, & quatriduana sepultura evidentissime comprobant verè illum fuisse mortuum, & ad vitam insigni miraculo revocatum; necnon jure an. 1316 Patavii igni damnata ossa Petri de Apono, quod inter cætera flagitia istud quoque patratum in Lazaro miraculum elevaret, ut scribit lib. IV. Sentent dist. XXXIX. art. 4. præclarus Instituti nostri Theologus Thomas ab Argentina, qui Patavii tum temporis commorabatur. Spondanus tamen ad annum 1316. num. 8. narrat sublato furtim cadavere combustam inanem Petri statuam. Haud rectè itaque ex Inscriptione Patavina opinantur nonnulli, Petrum Aponium *falso hæresis postulatum, & absolutum fuisse*, idque frustrà confirmant ex libro 1. classe 9. Bernardini Scardeonii, qui licet p. 201. scribat Petrum fuisse orthodoxum; inquit tamen, *Inquisitores id, quod præ manibus erat judicium prosecuti, uti ex propriis scriptis convictum, eum vel sic defunctum condemnarunt: præcipientes sub pœna anathematis Potestati, & præfectis Reipublicæ Patavinæ, ut ipsius cadaver effossum publicitus ureretur.* Deinde narrat sublatum Petri cadaver à Marieta quadam ejus concubernali, & incensam in medio foro illius statuam. Hinc liquet exscripsisse Spondanum. V. Ut ad Lazarum revertatur oratio; non solum è monumento surrexit, sed etiam *prodiit ligatus manus, & pedes institis*, Joan. XI. 44. In quem locum Patres aliud miraculum agnoverunt: unde scribit Chrysostomus hom. LXIII. in Joannem: *Prodire ligatum non minus admirandum videbatur, quam suscitari.* Augustinus Tract. XLIX. num. 24. *Quomodo processit ligatis manibus miraris, & non miraris quia surrexit quatriduanus? In utroque potentia Domini erat, non vires mortui.* Basilius pag. edit. Morelli 360. hom. de Grat. act. *Ligatus quoque ambulabat. Admirare miraculum in miraculo, Pedes institis habebat invinctos, nec interim à motu prohibebatur: aderat enim vis quædam superior remorantibus vinculis.* Theophylactus pag. 728. *Et miraculum erat verè vinctum moveri, conjunctum miraculo resurrectionis.* Euthymius denique in Joan. interprete Joanne Hentenio pag. 378, *O maximum, ac duplum miraculum! Non solum qui jam olebat resurrexit, sed etiam qui obvinctus erat, exivit à monumento.* VI. Adaugent postremò miraculi granditatem Lazari ante Domini pedes velata quamvis facie progressio, repentinus abscessus fœtoris atque putredinis, aliæque circumstantiæ, de quibus ornate tom. IV. pag 689. Cyrillus Alexandrinus: *Fœtentem mortuum post quartum à morte diem è sepulchro eduxit, vinctumque ac impeditum ambulare jussit:*

jussit: tuncque repente & mors aufugit, & mortuus à putredine liberatus cucurrit, abjecto omni ejus fœtore portis mortis elapsus, nihil vinculis suis vivere prohibitus. Et vultus quidem velamento videndi usu privatus, nullo tamen impedimento, quominus ad eum qui vocaverat curreret, retardatus agnoscens Domini vocem, &c. Ex quibus omnibus constat Lazari suscitationem ejusmodi esse, quæ sola possit confirmare veritatem Evangelicæ prædicationis.

IV.

11. Quid sentiendum de Epistola Abagari Edessenorum Toparchæ.

Fama virtutum ac miraculorum Christi extra Judæorum fines resonante, fertur ad eum epistolam dedisse Abagarus Edessenorum Toparcha, & vicissim Domini literas recepisse: quarum exemplum è Syriaco idiomate Græce redditum profert lib. 1. H. Ec. cap. 13. Eusebius. Spuriam utramque epistolam censent bene multi, Canus lib. XI. cap. 6. Dupinius initio Bibliothecæ, Nat. Alex. dissert. 3. sæc. 1. Gravesonius dissert. 13. de myst. & annis Christi, Cardinalis Gotti de libris Novi Testam. cap. 4. & de Gestis Ch. cap. 9. necnon ex Acatholicis Casaubonus Exercit. XXXIII. ad an. 31. Clericus ad annum XXIX. post Ascens. num. 13. Basnagius ad an. Ch. 29. ut mittam Cocum, Rivetum, Spanhemium, aliosque quamplurimos. Ducuntur autem his argumentis. I. Gelasius utramque Epistolam anno 494. declaravit *apocryphum*. II. Augustinus lib. 1. de Cons. Evan. cap. 7. Hieronymus in cap. 45. Ezech. & D. Thomas III. P. q. 42. art. 4. docent Salvatorem nihil scripsisse. III. Si revera Jesus Christus aliquam propria manu conscripsisset Epistolam, nonne illius meminissent historiæ Evangelicæ Conditores? IV. Ex quo saltem pervenit ad Ecclesiarum notitiam, eandem divinarum Scripturarum canoni inseruissent. V. Extant in Epistola Abagaro supposita, hæc verba: *Statui in animo meo unum esse è duobus, aut quia tu sis Deus, & descenderis de cœlo, ut hæc facias; aut quod filius Dei sis, qui hæc facis:* quæ si essent genuina, proculdubio ea usurpassent Orthodoxi Patres contra Arianos; maxime quod in Græco habetur, ὁ Θεὸς, & τοῦ Θεοῦ υἱὸς, cum articulo. VI. Hanc etiam loquendi rationem, qua exprimitur Deus κατ' ἐξοχὴν, in Ethnicum minime quadrat. VII. In Rescripto quoque ad Abagarum est sententia quædam deprompta ex Evangelio Joannis cap. XX. 29. nondum mandato literis, videlicet: *De me enim scriptum est, eos qui me vident non credituros in me, ut qui non vident credant, & vitam accipiant.* VIII. Abagaro credenti nequaquam piissimus Jesus beneficium distulisset sanitatis. IX. Cur præterea promittere missurum se Edessam post assumptionem ad Abagari sanandam ægritudinem aliquem discipulorum, dum poterat statim verbo, vel nutu sanitatem illi præstare? X. Thaddæus etiam dicitur ab Eusebio ex Actis Edessenis venisse ad Abagarum anno Edessenorum CCCCXXX. qui est primus Olympiadis CCII. cum Osdroëni uterentur Epocha Seleuci, annos supputantes ab anno 1. Olymp. CXVII. ut animadvertit Valesius in Notis ad Eusebium pag. 23. & Norisius Tom. III. pag. 516. Annus autem 1. Olym. CCII. annum XXXIII. Ae. V. quo passus est Christus, solido quadriennio præcedit.

12. Dicitur Apocrypha.

13. Propugnatur ut genuina.

Complures tamen utramque Epistolam Abagari ad Christum, & Christi ad Abagarum genuinam esse propugnant: ac præter cæteris Jacobus Gretserus de Imaginibus non manufactis cap. 3. Tillemontius not. VII. in S. Thomam Apostolum, Serrius Exercitat. 46. Honoratus Animadvers. Critic. lib. IV. dissert. 2. Gardeboschius de Scriptoribus Ecclesiasticis, & nuper vir Cl. Petrus Thomas Cacciari in notis ad Eusebium: ex Acatholicis autem Centuriatores cent. 1. lib. 1. cap. 2. Rich. Montacutius Tom. 1. Orig. Eccles. p. 2. num. 96. Guilelmus Cave initio Historiæ Eccl. Script. & in Spicilegio Joannes Ernestus Grabe, qui datâ operâ studet impugnare Alexandrum. Neque hi rationum præsidio destituuntur. Etenim eruit has literas ex Edessenis Archivis, & Græca lingua donavit primus historiæ Ecclesiasticæ Conditor Eusebius, quem os sibi sublini passum, temere affirmat Jo. Clericus. II. Monumenta Edessena laudat probatque lib. 1. in Matth. Tom. IV. pag. 35. Hieronymus; quamquam is ait missum ad Abagarum Osroenæ regem Thaddæum, sive Judam Jacobi, unum ex duodecim Apostolis; cum Eusebius scribat missum ad Abagarum Thaddæum quemdam unum ex septuaginta discipulis: quod eruditi existimant probabilius. III. Meminerunt prædictarum Epistolarum Historici omnes celebratissimi, Evagrius libro IV. cap. 27. pag. edit. Valesii 400. Procopius Rhetor lib. 2. Rerum Persic. apud Photium Cod. 63. pag. 75. Cedrenus lib. 2 Comp. hist. & alii. IV. Accedit S. Ephræm Syrus & Ecclesiæ Edessenæ Diaconus, qui in Opusculo inscripto *Testamentum Ephræm*, Tom.

III.

III. pag. 292. edit. Vatic. Epistolas ipsas commemorat. Ipsius vero Ephræmi testimonium, quoniam ille eruditione plurimum præstat, nec ignorare poterat Ecclesiæ suæ traditionem, minime est contemnendum. V. Earundem Epistolarum mentionem fecerunt viri alii percelebres, Darius Comes Epistola ad Augustinum 263. nunc 230. num. 5. Theodorus Studita Epistola ad Paschalem Romanum Pontificem, & S. Joannes Damasc. lib. IV. Fid. Orthodoxæ cap. 17. VI. Servatas has literas ad tempora usque Michaelis Paphlagonis, id est, ad annum 1035. tradunt Cedrenus, Zonaras, & Nicetas apud Serrium pag. 312. & Honoratum pag. 275. VII. Gregorius II. in Epistola ad Leonem Isauricum apud Baronium ad annum 726. & Tom. VII. Concil. Collect. Labbeanæ pag. 14. scribit: *Cum Jerosolymis ageret Christus, Abagarus, qui tum temporis dominabatur, & rex erat Urbis Edessenorum, cum Christi miracula inaudiisset, epistolam scripsit ad Christum, qui manu sua responsum, & sanctam gloriosamque faciem suam ad eum misit.* VIII. Tandem ad explodenda tanquam supposititia vetera monumenta idoneæ nequaquam sunt levissimæ conjecturæ; sed requiruntur testimonia Antiquorum, firmissimaque argumenta: istiusmodi autem non videntur ex Dupinio, Natali Alexandro, Basnagio, aliisque paulo supra deprompta, & innixa duntaxat negantibus ratiocinationibus, quorundam silentio, infirmisque momentis.

14. Fundamenta contraria solvuntur.

Qui ergo pro iisdem Epistolis pugnandum censet, poterit hæc adversariis reponere. Primum argumentum inane est, quoniam Gelasius recenset has Epistolas inter apocrypha, *apocryphum* appellans quod non est hagiographum, & in Evangelio conscriptum, non quod est confictum, atque suppositum, ut animadvertit Baronius ad annum XXXI. num. 6. Alterum facile diluitur. si dicamus Augustinum ac D. Thomam accipiendos de libris, qui res à Christo gestas enarrent; Hieronymum vero de opusculis, quæ in Ecclesiæ incunabulis ad Apostolica scripta labefactanda Simon, Cleobius, aliique hæretici evulgarunt, ut legitur lib VI. Constit. Apostolic. cap. 16. pag. 345. Id quod sequitur, facillimæ expeditionis est; multa enim fecit Jesus, quæ non sunt scripta in Evangelica historia, ut inquit Joannes cap. XXI. vers. ult. Ad proximum respondetur ea scripta inserta canoni, quæ spectant universorum fidelium eruditionem. Ad quintum respondent verba Abagari nullius esse efficaciæ ad Arianos revincendos, cum discrimen statuere videantur inter Deum summum, ac Filium. Quod è vestigio additur; nil probat; nam & potuit Ethnicus aliquod supremum Numen agnoscere, & fortasis emphatico articulo carebat Epistola Abagari Syrorum charactere conscripta. Septimam argumentationem refellunt negando Jesum in sua Epistola digitum intendere ad cap. Joannis XX. cum videatur potius respicere ad Vaticinium Isaiæ cap. V. 9. ac sæpenumero usus fuerit hujusmodi apophthegmatibus. Octavum, ac nonum diluunt hoc pacto: distulit Jesus impendere regulo sanitatis beneficium, ut ei prius impertiretur Evangelicæ fidei donum, neque è Judæa discessit, ne videretur deserere *oves domus Israel*; quibus nuntiandum erat verbum salutis, antequam Apostoli converterentur ad gentes. Argumentatio postrema nullatenus eos urget, qui tenent passum Dominum anno Tib. XV. Coss. duobus Geminis, & U. C. 782. iste quippe annus concurrit cum 1. Olymp. CCII. unde qui hanc sententiam propugnant, eandem Actis Edessenis confirmant, ut dicam infra. Habes in epitomen redactum quidquid de Epistolis Abagari ad Christum, & Christi ad Abagarum tradunt fusiori stylo prælaudati Scriptores: & quamvis illas non rejiciam, ut ex dictis arbitror manifestum, imitabor tamen Augustinum, qui Dario Comiti easdem Epistolas proponenti, respondet ep. 264. nunc 231. sed nullam de his epistolis mentionem facit, ratus, ut arbitror, parum interesse si habeantur tanquam genuinæ, vel rejiciantur inter apocrypha.

CAPUT

CAPUT VII.

Quo anno, ac die Salvator noster cruci suffixus sit.

SUMMARIUM.

1. Præliminaria ad propositionem.
2. Prima propositio multipliciter probatur.
3. & 4. Secunda propositio stabilitur.
5. & seqq. Objectiones solvuntur.

1. Status quæstionis.

AMPLISSIMAM, gravissimamque de tempore Dominicæ passionis quæstionem aggredimur, ex præmissis tamen dissertationibus nostris perspicue, ut opinamur, definiendam. Facta enim hypothesi, quod Christus à baptismate tribus annis, mensibusque nonnullis vitam ad passionem usque protraxerit, undis autem Jordanis tinctus fuerit Coss. Cornelio Lentulo Getulico, & C. Calvisio Sabino, id est, anno vulgari, juxta communiorem supputationem, XXVI. consequitur apertissime crucis patibulum subjisse, Coss. Rubellio Gemino, & C. Rufio Gemino, hoc est, V. Ae. anno XXIX. Neque falsa reputanda est hæc sententia, quod eam repudient Chronologorum recentiorum innumeri, atque ii omnes, qui vel fictitium censent Proconsulare imperium Tiberii, vel posterius, ac nos statuimus, Domini natale consignant, & quos in figendis superioribus Epochis laudavimus: cum adstipulentur nobis Ecclesiæ Patres antiquissimi, ac præclarissimi, necnon ex accuratis Chronologis Antonius Capellus in libro de Christi Cœna suprema, Godefridus Henschenius in App. ad Chronol. Pontif. Exercit. 1. Norisius in Cenotaph. Pis. dissert. 2. Tom. III. pag. 515. Antonius Pagius ad an. XXX. num. 3. & seq. Em. Scheleſtratenus dissert. 1. cap. 4. Gravesonius de Myst. & annis Christi dissert. 15. eximius Blanchinus in Prolegom. ad Anast. Tom. II. pag. X. & in Chron. Consulari pag. CLXX. ac ne singulos commemorem, cum aliis Acatholicis junioribus Joannes Clericus in Harmonia, & in Historia priorum Sæculorum ad annum Ch. XXIX. Imo non desunt, qui Patrum auctoritate coacti consignent passionem Domini in consulatu duorum Geminorum, quamquam illum biennio tantum ante vulgarem Aeram natum existimant, anno scilicet U. C. 752. Coss. C. Octav. Augusto XIII. & M. Plautio Silvano, aut anno præced. 751. Coss. Cn. Cornelio Lentulo, & Valerio Messala: quam sententiam propugnavit olim. Jo. Gerardus Vossius dissert. 2. de annis Christi num. III. ac nuper Honoratus à S. Maria Tom. III. pag. edit. Venetæ 32. Sed cum juxta Vossium Consulatus Geminorum concurrat in annum ætatis Christi XXXI. juxta Honoratum vero in XXX. neque ad tam exiguum tempus coarctari possit Domini prædicatio; ac præterea male hi de obitu Herodis, & de anno Christi natali ratiocinentur, prout liquido percipiet, qui præmissas lucubratiunculas nostras pervolutarit: nequeunt hi duo viam nobis sternere, quam inoffenso pede, & absque difficultate ingrediamur. Id vero iis, quibus chronologia arridet nostra, erit tanquam certissimum præsupponendum. In Chronologia autem præstantissimi viri Francisci Blanchini ad præcedentem annum Vulg. Ae. 28. consulatus Geminorum retrahitur, quod non absque prævalidis momentis factum est: tametsi nos consulto pervulgatas, probatasque Norisio, Pagio, aliisque Fastorum Tabulas secuti sumus, ne qui his utuntur, rhombi adinstar agitarentur: atque id pariter prænotamus, ne oscitantiæ nos damnet, qui adierit laudatum à nobis egregium ornatissimumque Scriptorem. At ne prologio quempiam exanimemus, accedendum ad theorema.

2. Propositio 1.

PROPOSITIO I. Christus crucem subiit anno U. C. 782. Coss. Rubellio Gemino, & C. Rufio Gemino, ætatis suæ anno XXXIII. imperii Augustei Tiberii Cæsaris XV. imperii autem Proconsularis XVIII. anno I. Olimpiadis CCII. Aeræ Vulg. XXIX. Correct. Jul. 74. Periodi Julianæ 4742.

Demonstratur.

Ac primum demonstratur ex præmissis Chronologicis thesibus. Christum enim, assentientibus iisdem recentioribus, qui mortem Domini protrahunt ad annum Ae. V. XXXIII. ætatis suæ XXXVII. & U. C. 786. natus est an. U. C. 749. anno 4. Olymp. CXCIII. Fatentur iidem Recentiores, & præcedenti cap. demonstratum est, post susceptum baptismum Dominum Jesum quatuor Paschata celebrasse: baptismate autem tinctum anno tricesimo ætatis suæ, Evangelica historia, Patres, & recta chronotaxis evin-

evincunt; quidquid moliantur adversarii, ut arenoso fundamento suam de morte Christi sententiam superstruere nitantur. Quid ergo? Addantur anno U. C. 749. anni xxx. compertum erit Dominum baptizatum anno U. 779. huic anno adjiciantur quatuor Paschata, ac tres anni Dominicæ prædicationis; inveniemus Jesum suffixum cruci an. U. C. 782. duobus Geminis consulibus. II. Prædixit Daniel occidendum Christum in medio hebdomadæ LXX. id est, anno ab hebdomadum exordio 486. Incipiunt autem hebdomadæ Danielis anno ante Ae. V. 457. & VII. Artax. Longimani, ut diximus lib. xxv. cap. 5. At si anno quadringentesimo quinquagesimo septimo ante Christianam Aeram addantur anni ejusdem æræ XXIX. resultabunt anni 486. Idem ergo annus Aeræ communis XXIX. est dimidium hebdomadæ LXX. in qua juxta Danielis vaticinium delenda erat iniquitas, Christo suorum livore in crucem sublato. III. Apertissimus character ad annum passionis Christi investigandum est Ecclipsis illa percelebris, quam recensent Matth. XXVII. 45. Marcus XV. 33. & Lucas XXIII. 44. De hac mentionem fecisse Phlegontem Hadriani Augusti libertum, eximiumque Chronologum scribunt Tertullianus in Apologetico adversus Gentes cap. 21. Origenes lib. 2. contra Celsum, Julius Africanus, qui floruit Heliogabali tempore, apud Georgium Syncellum pag. edit. Regiæ 322. Eusebius in Chronico ad annum Tib. XVIII. Orosius lib. VII. Hist. cap. 4. Nec de alia solis defectione potest Phlegon explicari, cum scribat illam fuisse *magnam, & excellentem inter omnes, quæ antea acciderant, evenisse autem hora sexta diei:* quæ omnia tenebris moriente Auctore ac Redemptore nostro factis super universam terram, conveniunt quammaxime. Verùm hinc inferunt passum Dominum anno vulg. Aeræ XXXIII. Usserius ad annum Per. Jul. 4746. Natalis Alex. dissert. II. I. sæc. q. 3. Possinus Epist. 1. ad Papebrochium, num. 13. & qui vel Usserianam Chronologiam sectantes putant passum Christum anno ætatis suæ XXXVII. vel hærentes adhuc Eusebianæ ad annum XVIII. *Augustalem* Tiberii referunt tricesimum tertium ætatis Christi: plauduntque sibi plurimum, quoniam apud Eusebium citato loco Phlegon scribit contigisse memoratam Eclipsim *quarto anno Olympiadis* 202. qui incidit in annum vulgarem tertium, ac tricesimum; si Olympiades, quæ à solstitio æstatis ducunt initium, cum anno sæculari supputentur. At Africanus, ex quo hæc exscripserat Eusebius, ait præcitatam ecclipsim à Phlegonte commemoratam incidisse *in annum Tiberii decimum sextum, & in annum 2. Olympiadis 202.* non solum apud Syncellum pag. 323. verum etiam apud Eusebium lib. VIII. Dem. Evangelicæ pag. 558. edit. Basileensis, & apud Hieronymum in cap. IX. Dan. Tom. III. pag. IIII. hoc tantum excepto, quod Hieronymus non annum Tiberii XVI. ponit, sed XV. nulla, ut liquet, contradictione, si anni Tiberii supputentur cum anno sæculari, non à sextili mense, & ab obitu Augusti. Igitur anno 2. Olymp. CCII. ex Africano, Eusebio, & Hieronymo Phlegon horrendam illam, ac mirabilem ecclipsim consignavit; quamvis Eusebius in Chronico chronotaxi insistens suæ scripserit *Olympiadis 202. annum quartum.* Adde modo Africanum antevertere communes Olympiades biennio, easque auspicari ab anno periodi Græco-Romanæ 4716. licèt Olympias communis incœperit anno ejusdem periodi 4718. ut inquit Schelstratius Tom. I. Antiq. Ecclesiæ pag. 73. demonstratque Pagius ad annum Ch. XXXII. num. 11. quod non animadvertentes illustres viri, Petavius, & Keplerus putarunt memoratam à Phlegonte eclipsim contigisse anno Christiano XXXI. concurrente cum 2. Olymp. 202. post solstitium æstatis, melius tamen tempora supputantes, quàm faciant rejicientes eclipsim illam in annum IV. Olymp. præcitatæ, imo in annum I. Olymp. 203. ut observarunt Schelstratenus & Gravesonius. Dele itaque biennium, quo Africanus anticipavit Aeram Olympiadum communem, & meridiana luce perspicuum erit mirabilem illam ecclipsim consignandam ex Phlegonte anno vulgari XXIX. Quid vero ingeniolum nostrum obruimus calculis arithmeticis, dum apud Hieronymum, qui testatur proferre se verba ipsa Africani, legimus annum Tiberii Cæsaris XV. apud Eusebium autem, & Georgium Syncellum annum Tiberii XVI. qui duo anni concurrunt cum anno Aeræ Christianæ XXIX.? Hoc itaque anno accidit magna illa defectio lucis, hoc anno naturæ Auctor mortem oppetiit. IV. Traditur expresse sententia nostra à Patribus: unde Alexander Natalis ad propriam opinionem firmandam præmittendum censuit, non posse annum passionis Christi certo colligi ex traditione, ut etiam affirmat Serrius Exercit. 56. falsò tamen, ut dicam infra.

In

In consulatu ergo duorum Geminorum passum Christum tradit Tertullianus lib. adversus Judæos cap. 8. scribens: *Quæ passio hujus exterminii intra tempora* LXX. *hebdomadarum perfecta est sub Tiberio Cæsare Coss. Rubellio Gemino, & Rufio Gemino, mense Martio, temporibus Paschæ, die* VIII. *Calendarum Aprilium, die prima Azymorum, qua Agnum ut occiderent ad vesperam à Moyse fuerat præceptum.* Eodem capite inquit Tertullianus: *Hujus* (Tiberii scilicet) *quintodecimo anno imperii passus est Christus, annos habens quasi* XXX. *cum pateretur*: ubi Hieronymus Tom. III. pag. 1116. legit, *annos habens quasi triginta tres*: quod consentaneum est iis, quæ scribit Tertullianus in I. adversus Marcionem, *Christum anno* XII. *Tiberii Cæs. revelatum.* Tertullianus ergo triplicem nobis notam ad tempus passionis dominicæ investigandum suppeditat, annum ætatis Christi XXXIII. annum principatus Tiberii XV. & Consulatum Gemini, & Gemini; omnesque hi characteres quadrant in annum vulgarem XXIX. Lactantius Firmianus lib. IV. Instit. cap. 10. ait: *Sub imperio Tiberii Cæsaris anno quintodecimo, id est, duobus Geminis Coss. ante diem septimam Calendarum Aprilium Judæi Christum cruci affixerunt.* Habent nonnulli Codices, *ante diem decimum*: sed *ante septimam* effert, quo utimur, pag. 115. atque ita legendum hoc in loco, & in libro de mortibus Persecutorum, consentiunt Betulejus, Blanchinus, & alii: utroque autem loco signari mortem Christi *in consulatu Geminorum*, nemo unus inficiabitur. Augustinus quoque lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 54. hæc habet: *Mortuus est ergo Christus duobus Geminis Coss. octavo Kalendas Aprilis.* Victorius etiam Aquitanus in Chronico Paschali scripto anno Domini 457. inquit: *Ex tempore Dominicæ Passionis diebus Kalendarum Januariarum, & nominibus Consulum, à duobus Geminis Rufo scilicet, & Rubellio, usque ad Consulatum Constantini, & Rufi, diligenti annotatione collectis, per* CCCC. & XXX. *annos cum lunis, atque temporibus, &c.* Ubi præter expressum consulatum duorum Geminorum, notanda est summa annorum 430. à Domini passione ad consulatum Constantini & Rufi, id est, ad annum Christi 457. à quo arithmetica numeratione comprehenso, si retrocedas per annos 430. pervenies ad annum communis Aeræ XXIX. Extat in eodem Victorii canone inobservata hactenus nota: in vetustissimo enim MS. S. Andreæ de Valle legitur: *Anno à passione Domini* CCCXL. *Lupicino, & Jovino Coss. Gratianus Imperator factus est*: quod vir doctissimus Lucas Holstenius propria manu signavit ad pag. 48. Bucheriani Codicis Angelicæ Bibliothecæ. Constat vero Gratianum à patre dictum Augustum Ambianis IX. Kal. Septemb. anno vulgari 367. à quo pariter connumerato si retrahamur per annos 340. sistendum erit in anno V. Ae. XXIX. Quid ergo requiritur manifestius, ut eodem anno consignemus Dominicæ Passionis Epocham? V. Alii quoque Patres, quos nobis Natalis Alex. opponit, ut evincat traditionem, hac in re non esse attendendam, singuli ex novæ Chronologiæ principiis sententiam confirmant nostram. *Anno quintodecimo Tiberii* passum Dominum scribunt Clem. Alex. Tertullianus, Gaudentius, aliique superius laudati. Annum quintumdecimum Tiberii adversantes nobis Chronologi non agnoscunt, nisi imperii Augustei. Iste vero XV. annus nonne concurrit, ante diem 19. Augusti, cum anno vulgari Dionysiano XXIX. Hi ergo Patres, quantum ad annum Passionis attinet, nobiscum consentiunt, quamvis universam Christi vitam triginta annis definiant; quod tamen, si de Tertulliano loquamur, concedendum non est adversariis. Martyr Ignatius, Chrysostomus, Leontius Byzantius, & Ven. Beda Christo XXXIII. annos tribuunt. At quando ex Virginali utero Redemptor in lucem prodiit? Haud negant novæ Chronologiæ defensores natum anno U. C. 749. Designato huic anno addamus, quæso, annos XXXIII. an non resultat annus U. 782. quo consulatum inierunt duo Gemini? Protrahit Irenæus mortem Domini ad annum fere quinquagesimum; at nonne baptizatum scribit anno ineunte *tricesimo*, nonne prædicationem *ad tres annos* coarctat? Tricesimum annum inchoasse Dominum anno U. 779. haud negat Natalis: de tempore peracti ministerii funem contentionis non ducit. Cur ergo nobis Irenæum objectat? Eusebius ipse, qui omnium primus ad annum Tiberii XVIII. & juxta correctionem Scaligeri XIX. protaxit Domini crucifixionem, scite animadvertens baptizatum Christum anno Tiberii XV. & vitam egisse annis XXXIII. si locasset natalem Christi in anno U. C. 749. uti locandum annuunt adversarii, nonne affirmasset baptizatum Dominum anno XV. imperii Proconsularis, qui est annus Christi *tricesimus*, & in cru-

crucem actum anno Ae. V. XXIX. qui est vitæ Christi XXXIII.? Sententia ergo nostra omnium Patrum traditione fulcitur, & quamquam illi ætatem Domini recensentes in diversam abeant opinionem, nullus eorum undequaque nobis opponitur. Inquiunt passum Jesum anno XV. Tiberii Cæsaris? His nos assentimur. Annis tribus à suscepto baptismate? Iis adhæremus. Anno tricesimo tertio ætatis suæ? Horum sententiam propugnamus. VI. Quoniam Eusebium nuper commemoravi, is sub finem libri I. H. Ec. loquens de Taddæo ad Edessenos profecto, *Acta*, inquit, *sunt hæc anno quadragesimo ac trecentesimo* : ita enim restituit Valesius ex vetustissimis exemplaribus, nec aliter habet interpretatio Ruffini nuper ab erudito Viro castigata ad Codices Vaticanos. Idemmet Eusebius ad annum I. Olymp. 117. inquit: *Ab hoc loco Edesseni sua tempora computant*; quod diximus supra demonstratum à Valesio, ac Norisio. Atqui ab anno I. Olymp. 117. dinumeratis annis CCCXL. pervenitur ad annum I. Olymp. 202. Igitur anno I. Olymp. CCII. peracta à Domino redemptione, Taddæus, si Eusebium recipiamus, adiit Edessam. Facilius idem comprobatur: Annus primus Olymp. 117. est annus U. C. 742. Adde annos Epochæ Edessenæ, sive aeræ Seleucidarum, 340. & consurget annus Urbis 782. ex ipsa Eusebii Pamphili chronologia. VII. A passione Christi ad expugnatas à Tito Jerosolymas fluxerunt anni 42. Clemens Alexandrinus lib. I. Strom. pag. 340. ait: *Ex quo verò passus est ad excidium Jerosolymæ sunt anni* 42. Origenes lib. 4. adversus Celsum: *Quadraginta enim duos annos puto ex quo crucifixerunt Jesum fuisse ad Jerosolymæ eversionem:* & S. Hieronymus in cap. I. Sophoniæ Tom. III. pag. 1656. *Post quadraginta & duos annos Dominicæ crucis circumdata est ab exercitu Jerusalem.* Quo præcise anno id evenerit, scribit Josephus lib. VI. de Bello cap. 10. aliàs 18. *Ita quidem capta est Hierosolyma secundo anno principatus Vespasiani, Gorpiæi* (Septembris) *mensis die octava.* Vespasianus renuntiatus est Imperator anno Ae. V. 69. Kal. Juliis. Ab anno itaque communis Aeræ 70. Vespasiani secundo, anni 42. retroflexi incidant necessum est in annum Christianum XXIX. ob crucem, mortemque Domini celeberrimum. VIII. Accedunt in sententiæ nostræ confirmationem veterum Historicorum, & Chronologorum notæ. Ac Severus quidem Sulpitius lib. 2. Historiarum ait, *A tempore crucifixi Domini usque ad Stiliconem sunt anni* 372. Incidit vero consulatus Stiliconis in annum V. Ae. quadringentesimum, à quo detractis annis 372. residui erunt anni 28. post annum vero XXVIII. duo Gemini Consules prodiere. In libro Julii Hilarionis de Hebdomadibus Danielis apud Schelstratium p. 103. enumerantur *à Consulatu Luculli anni 179. usque ad mortem Christi, & à morte Christi ad Consulatum Cæsarii & Attici anni* 369. Consulatum gessit Lucullus anno U. 603. si addas annos 179. resultabit annus U. C. 782. In eodem anno sistendum erit, si à Consulatu Cæsarii & Attici, inito anno Christi 397. ab Urbe condita 1151. per annos 369. retroagamur. Joannes Cuspinianus Comment in Consules Cassiodori profert indiculum quemdam vetustissimum, in quo legitur: GEMINO. ET. GEMINO. HIS. COSS. CHRISTUS. PASSUS. EST. additque perantiquum Catalogum Pontif. quod incipit: *Imperante Tiberio Cæsare passus est Dominus Jesus Christus duobus Geminis Coss.* VIII. *Kal. Aprilis.* Idem habetur in fastis Anonymi editis à Norisio ad calcem Operis de Epochis Syro-Macedonum. Haud aliter exhibent Fasti Idatiani editi à viro Clarissimo Jacobo Sirmondo. In Auctario denique Chronici Prosperi apud Labbeum Tom. I. Biblioth. MS. legitur: *Usitatior traditio habet D. N. decimo quinto anno Tiberii Cæsaris duobus Geminis Coss. crucifixum.* Plura addi possent; sed quis productis hactenus momentis non acquiescet?

PROPOSITIO II. Christus crucifixus est VIII. Kal. Aprilis. 3. Propositio 2. Demonstratur.

Id primo demonstratur Patrum traditione, Tertulliani, Lactantii, & Augustini, quorum verba producta sunt paulo supra. S. Pater idem repetit in IV. de Trinitate cap. 5. num. 9. scribens: *Octavo enim Kalendas Aprilis conceptus creditur, quo & passus:* eademque repetit lib. LXXXIII. Quæst. q. 56. Accedit Canon Paschalis Sancti Martyris Hippolyti Portuensis ab anno D. 222. marmoreæ tabulæ incisus, & in agro Verano repertus anno 1551. in quo legitur: H. KAL. ΑΠΡΕΙ ΠΑΘΟΣ ΧΣ. VIII. *Kal. Aprilis passio Christi.* Servatur etiamnum cum Hippolyti statua in Vaticana Bibliotheca: neque in tam vetusto & insigni monumento possumus vel traditionis novitatem suspicari, vel inscitiam Scriptoris, vel literarum depravationem. Idé tradere Ecclesiæ Magistros alios scribit Beda de rat. temp. cap.

cap. 28. & 45. Confirmatur deinde propoſitio vetuſtiſſimis Martyrologiis. Viginti MSS. in celebrioribus Europæ Bibliothecis ſe legiſſe affirmat Henſchenius, omniaque conſignare paſſionem Domini VIII. *Kal. Aprilis.* Inſigniora ſunt Anglo-Britannicum annorum mille, alterum ad uſum olim Reginæ Sueciæ exaratum ante annos 890. Conſimile Bibliothecæ Barberinianæ, Leodienſe, Corbejenſe, ac Bruxellenſe, quæ vide Tom. III. Martii Act. SS. Bollandi p. 540. in Propylæo Baertii, & Ianningi, in Martyrologio Florentinii p. 396. & apud Schelſtr. diſſert. 1. cap. 4. Conſentiunt ex editis Martyrologia Adonis, Uſuardi, Hieronymiana, & quod anno 1487. editum eſt Papiæ ad vetuſta monumenta emendatum ab inſtituti noſtri præclaro viro Bartholomæo de Palatiolo: cujus (ſicut etiam Bellini inter Theologos noſtrates eximii, & cujus Martyrologium laudant plurimum etiam Scriptores Galli, præſertim Launojus diſ. de commentitio Lazari in Provinciam appulſu, atque illud commendat parte 2. lib. IV. de Canoniz. SS. pag. 137. eruditiſſimus Auctor Proſper Cardinalis de Lambertinis, nunc BENEDICTUS XIV.) æquiſſimum eſt, nos hoc loco mentionem facere. Præterea comprobant ſententiam, quam propugnamus, Kalendaria antiquiſſima, Palatinum, Beneventanum, Atrebatenſe, de quibus legendus pag. 69. tom. 1. Antiq. Eccleſiæ Cl. Em. à Schelſtrate. Prætermittendus non eſt Catalogus Romanorum Pontif. quem tranſtulit, ut diximus, in Faſtos ſuos Jo. Cuſpinianus, & de quo vide Bucherium pag. 269. & Volumen 2. Anaſtaſii Biblioth. pag. VII. Corroborat hanc opinionem, quod ex ſententia Patrum diximus lib. XI. cap. 6. eadem die hominem fuiſſe conditum, ac redemptum, nec aliam eſſe diem illam præter XXV. Martii, ut legitur etiam in antiquo Carmine citato Tom. III. Sanct. ejusdem menſis pag. 541.

Salve feſta dies, quæ vulnera noſtra coerces:
Angelus eſt miſſus, eſt Chriſtus in cruce paſſus:
Eſt Adam factus, & eodem tempore lapſus.

4. Confirmatur. Cum inſuper ab hac communi ſententia tertiodecimo Eccleſiæ ſæculo receſſiſſet Rogerus Bachonus, aſſerens Chriſtum mortuum die 3. Aprilis, anno Ae. V. XXXIII. ductus calculis Aſtronomicis, rejectus eſt ab omnibus, ac ſuſpectus de errore habitus eſt, ut ex Wadingo refert ad annum 32. num. VIII. Antonius Pagius. Turbas excitaſſe plurimas etiam Toſtatum, dum ſedente Eugenio IV. Senis eandem Bachoni ſententiam inſtaurare conaretur, affirmat ibidem Pagius. Damnatam Toſtati aſſertionem nos quidem minime affirmamus, quamvis id aliqui conjecerint ex quodam MS. Cardinalis à Turrecremata, de quo MS. legendus Salmeron Tractatu Prolegomeno XXXVIII. Imo fatemur ab eo tempore ob editam à Toſtato apologiam, probatamque calculis Aſtronomorum, in eandem ſententiam complures deſcendiſſe. Sed iſtinc tamen inferimus, opinionem nobis contrariam fuiſſe incompertam veteribus, malè apud fideles audiiſſe, nec alio fulciri fundamento, quàm Aſtronomorum paulo poſt diſcutiendis obſervationibus. Tandem ſententia noſtra firmatur inſigni miraculo, & non ſemel Notariorum judiciariis actibus explorato, quod refert Pompejus Sarnelli Epiſcopus Vigilienſis Tom. III. Epiſt. Eccl. ep. 33. In urbe enim Andria ſervatur una ex Spinis coronæ Domini, nonnullis pretioſi Sanguinis conſperſa guttis, quæ dum concurrit Paraſceve, ac dies Paſſionis Dominicæ cum VIII. Kalendas Aprilis, conſpicientibus omnibus diſſluunt, totamque ſpinam cruentant: idque etiam thecæ hiſce verſibus inſculptum legitur:

En cuſpis de tot majoribus una Coronæ,
Qua diræ pupugere manus pia tempora JESU
Quando Paraſceve, & Martii vigeſima quinta
Concurrunt, veluti majores ore probarunt,
Tunc hæc (ob quam mirum!) tota cruenta videtur,
Quæ ſolet eſſe aliàs guttis aſperſa quibusdam.

Traditione ergo, ac tam mirabili ſigno tenendum eſt, non alia die paſſum Dominum, quàm viceſima quinta Martii.

BREVIS OBJECTORUM DISCUSSIO.

Quidquid opponunt adverſarii, nihil difficile tinnit, quod non ſit jam exploſum præcedentibus theorematibus, uno excepto argumento deprompto ex tabulis Aſtronomicis, ſive ex Bachono, Toſtato, & Paulo Burgenſi, ex quorum fontibus, ut inquit Gerardus Voſſius in diſſert. de temp. dom. paſſionis num. 8. juniores contendentes paſſum Chriſtum 5. Objectiones.

anno Aeræ V. XXXIII. & die 3. Aprilis, hortos suos irrigarunt: quare summatim argumentationes cæteras prosequar, istam vero paululum accuratiùs. Opponunt itaque I. nihil hac in re deferendum Patribus, quorum de ætate Christi sententia tam varia est, & perplexa. II. Augustinus in libro de Civit. Dei XVIII. cap. 54. ait annum à Passione Domini 365. expletum fuisse idibus Maji, Honorio, & Eutychiano Cos. id est, anno Ae. V. 398. quo ex numero si subtrahantur anni 365. residui erunt anni V. Ae. 33. III. Crucifixus est Christus in medio hebdomadis LXX. juxta Danielis oraculum, anno scilicet ab hebdomadarum exordio 487. Hebdomadæ autem Danielis initium ducunt ab anno XX. Artaxersis Longimani, ante Ae. V. 454. Ut ergo coalescat numerus annorum 487. adjiciendi erunt anni 33. æræ Dionysianæ. IV. Defectio lucis ad tres horas protracta, quæ temporis Dominicæ Passionis character est singularis, ex Phlegonte contigit *Olympiadis* 202. *anno quarto:* eoque tempore solare hoc deliquium præter naturæ ordinem etiam Sinas in monumentis rerum suarum annotasse imperante Quamvutio, inquiunt in Historia Sinensium Hadrianus Gressonius, & Huetius in demonst. Evang. prop. III. num. 8. V. Litteræ, quibus Pilatus à Senatu petiit Christi apotheosim, quas nos pag. 68. vindicavimus, conscriptæ dicuntur in Chronico Eusebiano anno U. C. 788. Ae. V. XXXV. ideoque paulo ante Dominus cruci fuerat affixus. VI. Petrus Apostolorum princeps martyrio coronatus est anno 34. post Christi mortem, Ae. V. 67. Ab anno autem 67. demptis annis 34. consurget annus passionis Domini, communisque aeræ tertius ac tricesimus.

6. Responsa.

Dixi in his nihil offendi difficultatis. Ad primum enim ex dictis constat omnes Patres aliquod sententiæ nostræ fulcimentum nobis suppeditare, sive asserant passum Christum anno Tiberii Cæsaris XV. sive consulatum Geminorum producant, sive designent annum suscepti baptismatis, ac tempus Dominicæ prædicationis, ipsumque Eusebium nobis consentire, dum affirmat Christum baptismate tinctum anno tricesimo, dum ait prædicasse tribus saltem annis, dum æram commemorat Edessenorum. Perperam ergo quidam discrepantes Patres nobis objiciunt; & unâ cum horum traditione, sacrosanctum Evangelium expresse designans tempus Dominici baptismatis, unde hæc thesis fluit perspicua consectione, inaudito olim, & commentitio sensu detorquent. Ad 2. dicimus Augustinum eo loci affirmare passum Christum *Cos. duobus Geminis:* quomodo ergo credidit mortuum *Sulpitio Galba, & Cornelio Sulla Consulibus?* Ait affixum cruci VIII. *Kal. Aprilis*: quomodo Aprilis *die tertia?* At dinumerat, inquiunt, ad Consulatum Honorii & Eutychiani annos à Christi morte 365. Percepistine mentem Augustini? Jactabant Pagani Christianam religionem nonnisi annis 365. duraturam. Stultissimum Paganorum mendacium S. P. hoc validissimo ratiocinio redarguit: Non eversa est Honorio Consule Religio Christiana: quin potius Carthagine *Gaudentius & Jovius comites Imperatoris Honorii quartodecimo Kal. Aprilis falsorum Deorum templa everterunt, & simulacra fregerunt:* & tamen superiori anno Cos. Eutychiano & Honorio, *trecenti sexaginta quinque anni reperiuntur impleti.* Firmissimum est Augustini argumentum, tametsi à morte Christi præteriissent anni 388. Connumeravit tamen 365. quia Pagani hunc terminum Christianæ religioni statuebant; aut si forte quidam alio anno mortem Domini consignarent, adhuc ratiocinatio in suo robore permaneret. At argumentum tertium, supputantibus nobis Danielis hebdomades ab anno VII. Artaxersis, ante Ae. Vulg. 457. nihil est aliud, quam cantilena, verborumque jactatio. Quarto satisfactum iri confidimus iis, quæ produximus in I. propositione num. 3. nam quæ afferuntur ex Sinensium historia, Gressonius Chronologiæ aptavit suæ; nec memorandum solis deliquium, quo vehementer Quamvutius Sinarum imperator dicitur fuisse commotus, consignavit anno Ae. V. XXXIII. sed XXXII. in quo plenilunium Nisan contigit feria prima, die 13. Aprilis, aut feria 2. die 14. ideoque adversarii nostri Astronomicis calculis decertantes nequeunt ad Sinensium annalium monumenta confugere. Ad 5. dicimus, si recipiantur Acta Pilati, iis quoque assertum nostrum stabiliri: quippe in iis narratur, Sejanum præfectum Tiberii suscipiendæ Christianæ religioni pervicaciter obstitisse. Videatur Orosius l. 7. cap. 4. At Sejanus à Tiberio interfectus est, *Memmio Regulo Consule*, ex Dione lib. 58. pag. 628. id est, anno vulgari 31. haud repugnantibus Tacito lib. v. Annal. & Suetonio in Tiberio cap. 65. ubi narrant contigisse Sejani necem in v. Consulatu Tiberii, hoc est, anno U. 784. vulg. æræ 31. ex quibus patet castigandum errorem eorum, qui vel referunt eædem

Sejani

Sejani cum Eusebio an. Ae. V. xxxv. vel consulatum Memmii Reguli suffecti Fulcinio Trio, dum Tiberius anno U. C. 784. consulatum v. agebat, deorsum trudunt. Ad 6. ad hunc respondeo modum. Tradunt Patres, præsertim Hieronymus de Script. Eccles. Petrum sub Nerone martyrio coronatum *anno* 37. *post Christi passionem*: quo Neronis anno, gravis est controversia. Ultimum ponit Hieronymus; Epiphanius hæresi xxvi. 6. duodecimum. Hinc in partes abeunt Historici, quibusdam referentibus Apostolorum Martyrium ad annum Ae. V. 65. aliis ad annum 66. aliis ad 67. nonnullis quoque ad 69. Non vacat in præsentia controversiam istam dirimere. Subscribamus interim Pagio Tom. 1. pag. 51. referenti Martyrium Apostolorum ad annum Ae. V. 65. In hunc annum incidit xxxvii. à passione Domini, & xii. Neronis, si eadem passio statuatur anno æræ V. xxix. Quod etiam salvatur, si dicas Petrum occubuisse proximo anno 66. & annis 37. post Christi passionem prorsus exactis, & si imperium Neronis auspiceris à die 13. Octobris anni Vulg. Ae. 54. atque ut inquit Lactantius in libro de mortibus Persecut. *anno à morte Christi* xxv. Omnia itaque argumenta hactenus producta non quatiunt sententiam nostram, sed recenti munimento suffulciunt.

7. Objicitur ulterius.

Verum discutiendum est perdifficile argumentum, quod sequitur: In die crucifixionis Dominicæ duo concurrere debent, Parasceve sabbati, sive feria vi. qua necatum Christum patet ex Joannis xix. 31. & plenilunium mensis Nisan incidens in eandem feriam sextam, cum feria quinta præcedenti ad vesperam, primo Azymorum die Christus cum Apostolis paschalem agnum comederit, quartadecima die mensis juxta præscriptum legis, Levit. xxiii. 5. At hæ notæ in nullum quadrant annum, nisi in Ae. V. xxxiii. & Christi 37. Tiberii xix. Enimvero juxta emendatissimas tabulas Astronomicas, anno V. Ae. 31. luna 15. mensis Nisan incidit in diem 26. Martii fer. 2. Anno proximo 32. in diem 13. Aprilis feria 1. vel in diem 14. feria 2. Anno 34. in diem 23. Martii feria 3. Anno duntaxat 33. incidit plenilunium in diem 3. Aprilis, sextam feriam, & sabbati Parasceven; ideoque hoc anno ac die consignari debet Passio Salvatoris. Ita Natalis Alex. Tom. 3. pag. 81.

8. Respondetur 1.

Huic verò argumento tres adhibemus responsiones, propositam spem habentes quod ad harum unam, vel alteram adversarii obmutescant, aut fateantur saltem non esse sententiam nostram adeo infirmam, quæ non valeat oppositæ contraniti. Ac responsio prior est ingenua insciticæ nostræ confessio, quod nihil prorsus de lunæ phasibus, & Astronomicis regulis edocti simus. Legimus tamen apud eos, qui in hoc studiorum genere plurimum fuerunt exercitati, minime esse idoneos Astronomorum calculos ad vetusta Judæorum Paschata investiganda, sive hi exacto cyclo non uterentur, sive ob non satis compertum astrorum motum mathematicæ tabulæ aliquando sint minus rectæ. De hac re legi poterunt in Eclogis Chronologicis Keplerus, Henschenius Exercit. 1. in Catalogum Rom. Pontificum, Petavius animadv. in Epiphan. ad hæresim li. Pagius ad annum 32. num. 8. & Schelstratius volum. 1. pag. 70. Revera Judæos anno Passionis Christi ante legitimum diem Paschale epulum celebrasse scribit citato loco S. Epiphan. num. 26. necnon Magnus Constantinus in Epistola ex Nicæna Synodo ad Ecclesias conscripta. Astronomicas tabulas emendatas à Metone primum, deinde à Calippo tradit idem Keplerus. Quas confecerat Ptolomæus princeps Astronomorum, opus fuit tempore Alphonsi Hispanorum Regis ad exactiorem calculum revocare. Alphonsinis subsecutæ sunt Prutenicæ exaratæ à Nicolao Copernico. Et hæ fortassis annorum decursu experientur fata cæterarum: insudant enim & nunc in iis castigandis viri laboris patientissimi. Quantum verò errent, qui Patrum documentis præferunt Astronomicas observationes, demonstrant quæ de Pachomio Aegyptio Monacho, & de aqua pro catechumenis baptizandis (quæ dum contra usum Ecclesiæ astronomici calculi servarentur, evanuit è sacro fonte) in libro de rat. temp. cap. 41. narrat Beda. Ob eam rem ait Henschenius *non videri viri sapientis*, propter calculos mathematicos recedere à Patrum sententia. Quod etsi fas esset sapientibus, mihi sane Astronomiæ penitus imperito non licet.

9. Respondetur 2.

Si huic non acquiescas responsioni, de Astronomicis calculis differam aliquantulum; & erit responsio altera. Concedo nullo ex annis in argumento citatis consignandam Christi passionem. Hanc refero ad Consulatum Geminorum, alligatum communi supputatione anno Dionysiano xxix. Nullam de hoc anno litem adversarii intentabunt circa feriam sextam; cum anno prædicto 29. litera Domi-

Dominicali B. signando dies 25. Martii fuerit Sabbati Parasceve: quod & probat argumentum Natalis, nam si anno 31. dies 26. Martii fuit feria 2. omni dubio procul anno 29. dies 25. ejusdem mensis incidit in feriam sextam. De luna tantum remanet inquirendum. Judæi non solum luna 14. mensis Nisan observabant, sed etiam æquinoctium vernum, caventes ne ante ipsum immolarent Pascha, ut probat Petavius Animad. in Epiph. pag. 169. necnon Vossius Tom. VI. pag. 85. testimoniis Anatolii, Agathobuli, Philonis, Epiphanii, & Eusebii: quæ brevitatis gratia prætermitto. Illis Herodes Jerosolyma expugnata servandam proposuit *Octaeteridem* Lunarem Romanorum, cum Hieronymus in Chronico scribat servasse illos *secundum Romanos lunarem cursum*. Hanc *Octaeteridem* tibi propono ex Eclogis Chronologicis Samuelis Petiti Tom. VIII. Thes. Antiq. Rom. pag. 386. quoniam perdifficile est ipsam eruere ex tabulis Kepleri ibidem à Petavio productis, & etiam à Vossio permutatis literis, ac numeris sit exscripta. Petitus ergo illam hoc diagrammate delineat.

OCTAETERIS ROMANORUM LUNARIS.

10. Computus Lunaris Romanorum.

Anni Periodi:	*Dies à quo incipiunt.*	*Lit. Dominicalis.*
I.	XVIII. Martii.	C B.
II. Embol.	VII. Martii.	A.
III.	XXVI. Martii.	G.
IV.	XV. Martii.	F.
V. Embol.	III. Martii.	E. D.
VI.	XXII. Martii.	C.
VII. Embol.	XI. Martii.	B.
VIII.	XXX. Martii.	A.

Expugnata fuit ab Herode Jerosolyma anno U. C. 717. quare Judæi hanc Octaeteridem ex eo tempore assumentes in usum, & in Periodo Romano-Judæa anno 1. in 2. *Octaeteridis* commutato, ut servarent æquinoctium Romano more, perverterunt lunares phases, atque hoc pacto constat cur lunam XIV. mensis Nisan è sede sua deturbarent: quod tradunt cum Epiphanio alii Patres, ab iis, qui hanc Octaeteridis regulam non observarunt, inscite, & perperam lacessiti. Demonstrat autem præcitatus clarissimus Mathematicus recepta à Judæis Romana *Octaeteride* necessariò servandam fuisse hanc aliam Romano-Judaicam, ne Pascha æquinoctium præcederet.

OCTAETERIS.

11. Computus Lunaris Romanorum & Judæorum.

Romana.		Judaica.	
Anni Per.	*Neomeniæ.*	*Anni Per.*	*Neomeniæ.*
II. Emb.	VII. Martii.	I.	VI. Aprilis.
III.	XXVI. Martii.	II.	XXVI. Martii.
IV.	XV. Martii.	III. Emb.	XV. Martii.
V. Embol.	III. Martii.	IV.	II. Aprilis.
VI.	XXII. Martii	V.	XXII. Martii.
VII. Emb.	XI. Martii.	VI. Emb.	XI. Martii.
VIII.	XXX. Martii.	VII.	XXX. Martii.
I.	XVIII. Martii.	VIII. Emb.	XVIII. Martii.

12. Ratio intercalandi Judæorum.

In hac *Octaeteride* diversa intercalandi Judæorum ratio orta est ex prædicta ratione, ne scilicet celebrarent Pascha nondum transacto æquinoctio. Hac *Octaeteride* adhibita ad investigandum Pascha Judaicum anni Dionysiani XXIX. id est, diviso XXIX. per 8. & addita unitate juxta arithmeticum canonem, ut resultet numerus 30. apparebit Neomeniam mensis Nisan incidisse in diem XI. Martii, & solemnitatem Azymorum, sive lunam XV. in feriam sextam, ac in diem Martii 25. quo pacto omnia, quæ traduntur veteres PP. conciliantur, Judæos scilicet tempore Christi non servasse phases lunares, & Dominum Jesum affixum cruci die Paschatis, in Parasceve sabbati, VIII. Kal. Aprilis, & Coss. duobus Geminis. Cum possimus tam facile omnia conciliare, cur hanc responsionem à viris doctissimis traditam, & à nobis, ni fallimur, dilucide expositam nihili faciemus?

13. Respondetur 3. Arithmeticis.

Si adhuc calculos arithmeticos urgeas, en tibi responsio tertia. Perce-

lebris

lebris Franciscus Blanchinus Opusc. IV. Tom. 2. Anastasii pag. X. contendit consulatum Geminorum esse retrahendum in annum Vulg. Ae. XXVIII. quoniam eclipsis prænuntia mortis Cæsaris Augusti, de qua Dio Cassius lib. *56.* nequit inveniri nisi in anno Ae. V. XIII. in quo si locemus Consules duos Sextos, necesse est, ut Gemini prodierint Coss. anno bissextili XXVIII. in hoc autem anno, inquit Blanchinus, ibi pag. XII. *rationes lunæ* XIV. *Paschalis ita sunt apertæ, ut qui tabulas hac de re tam veteres, quam recentes concinnarunt, inter se non dissentiant.* Fatentur siquidem omnes, lunam Paschalem incidisse eo anno in diem 25. Martii, feriam quintam, qua post cœnam Christus in horto incœpit passionem, postera die, feria sexta consummatam in cruce. Sanè Blanchini sententia eruditissimo Opere quamprimùm in lucem edendo invictissimè confirmatur. Hac ratione petitum ex Astronomorum calculis argumentum omnino labascit: quamvis nobis necessarium non videatur ob hoc unum pervertere communes fastos, & universam ætatem Christi ex Epochis supra firmatis extrudere: quod tamen si fiat, nihil erit repugnans Patribus, aliud non commemorantibus ad designandum annum diemque Domini emortualem, quàm annum Tiberii XV. Consulatum Geminorum, & VIII. Kal. Aprilis; quemadmodum & nos hacce Chronologica diatriba propugnavimus.

CAPUT ULTIMUM.

Continet quasdam notas in Dominicæ Passionis historiam.

1. De Christi oratione, & agonia.

DIE itaque Martii quinta ac vicesima, à vespere primo inchoata, postquam cum Apostolis celebravit postremum epulum, gratiis de more peractis, trajecit Redemptor torrentem Cedron, contulitque se in hortum Gethsemani, ita appellatum, quasi גיא־שמנים, *vallis pinguis*, quod ad pedes montis *Olivarum* situs esset, umbroso in loco, unde fluentis nomen à קדר, *nigresco.* Ubi eò perventum est, Petro & filiis Zebedæi comitantibus, nonnihil ab iisdem progressus, in genua concidens ter oravit ad Patrem, & vehementissime mortis subeundæ sensu commotus in vultum procidit; diffluxitque è corpore ejus sudor, *sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram,* cum illi apparuisset *Angelus de cælo confortans eum*, ut legimus Lucæ XXII. 43. 44. Male hunc locum insititium quidam dixere, quoniam defuit olim in exemplaribus quibusdam vetustis; male etiam negant aliqui sudorem Christi sanguine fuisse permixtum, putantes Evangelistam designare sudorem crassum, quales esse solent grumi sanguinis. Etenim Patres celebriores, & hunc locum agnoscunt, & illum interpretantur de sudore sanguineo. Primum S. Irenæus lib. III. adversus hæreses cap. 32. nunc 22. num. 2. contra denegantes in Christo verum corpus, *Nec lacrymasset*, inquit, *super Lazarum, nec sudasset globos sanguinis.* Præterea Epiphanius in Anchorato num. 31. ut ad literam ex Græco translatus est à Massuetio in notis ad Iren. pag. 219. inquit: *Sed & ploravit. In iis Lucæ exemplaribus, quæ interpolata non fuerunt, legitur: (eoque testimonio S. Irenæus in Opere contra hæreses ad eos refellendos utitur, qui Christum specie tenus apparuisse dicebant; catholici verò timore quodam inducti sententiam eam sustulerunt, illius neque finem, neque vim maximam intelligentes) Et in agonia constitutus sudavit, &c.* Hoc Epiphanii loco ex emendatissimis codicibus restituto, liquet errasse Hugonem Grotium, qui in Lucam Tom. 2. p. 441. ait Epiphanium loqui de fletu tantum, de quo Lucæ XIX. 41. nec locum apud Irenæum inveniri; necnon constat decipi Petavium, qui in Animadv. ad Epiph. pag. 369. indigitat Irenæi lib. I. cap. 17. Ubi nihil de sanguineo sudore. Ac præter hanc Irenæi, & Epiphanii collationem, Grotius hinc etiam revincitur, quod nullibi legatur è capite XIX. Lucæ versum 41. fuisse abrasum, quemadmodum interpolata fuere verba ejusdem Evangelistæ cap. XXII. 43. 44. Cum ergo Epiphanius & Irenæum laudet, & loquatur de exemplaribus Lucæ, & de loco, qui alicubi pia quorumdam insciția, ne hinc hæretici opponerent indiguisse Christum consolatione Angelorum, passus fuerat depravationem; manifestum est S. Epiphanium exiitimasse textum, de quo disserimus, autographum ac genuinum. Hilarius quoque lib. de Trinit. num. 40. pag. 061. scribit, *Angelum extitisse confortantem eum, quo assistente orare prolixius cæperit, ita ut*

guttis sanguinum corporis sudor effluueret. Chrysostomus item in hunc locum intendit, dum Hom. 84. in Matth. pag. 713. ait: *Et ad hæc sudor quidam, & labor animi apparuit, & ab angelo confirmatus fuit.* Hieronymus denique lib. 2. Dialogi adversus Pelagianos Tom. IV. pag. 521. scribit: *Salvator in passione ab angelo confortatur, & Critobulus meus non indiget auxilio Dei habens liberi arbitrii potestatem: & tam vehementer orabat, ut guttæ sanguinis prorumperent ex parte, quem totus erat in passione futurus.* S. Pater Augustinus in Psalm. CXL. num. 4. *Cum oraret globi sanguinis de toto corpore ejus destillabant, sicut scriptum est in Evangelio: Oravit Jesus intenta oratione, & sudavit sanguinem.* Igitur tam diserte Patres historiam sanguinei sudoris agnoscunt, atque explanant, ut revocari nequeat in dubium. Profecto evangelica verba ὡσεὶ θρόμβοι τοῦ αἵματος, *ut guttæ sanguinis*, non significant (ut quidam cum Euthymio contendunt) nudam comparationem; nec sunt capienda hyperbole quadam proverbiali, sed planissima significatione commonstrant sanguinem ita guttatim manasse, ut sanguinolentos grumos efficeret: imo ex quo sudoris materies adeo spissa fuerit, ut grumulis transmitteretur, sequitur rarefactis vasorum tunicis, cutisque meatibus, serosum & tenuem sanguinem profluxisse, qui vel deficiente sudoris materie, vel huic permixtus in grumulos coalesceret. Quomodo autem talia Christus expertus fuerit in assumpta humanitate, etsi fuerit quoque Deus summus, cum explicatum sit Lib. XXVI. à cap. 6. usque ad 10. rursus exponendum esse non arbitror.

II.

2. Prosecutio historiæ pretium 30. argenteorum.

In horto comprehensus Jesus à Romana cohorte, missisque à Judæorum Senatu apparitoribus, quos illuc adduxit proditor Iscariotes, arctaque vinctus custodia ad Annæ & Caiphæ ædes perductus est, ac tandem ad Romanum præsidem Pontium Pilatum, ubique ludibriis affectus, & declaratus à Judæorum confessu reus mortis. Proditor interim facti pœnitens retulit pretium execrandi facinoris, *triginta* scilicet *argenteos*, projectisque in templo, in desperationem actus laqueo sese necavit. Inquiritur, quanti triginta hi nummi penderent. Sunt, qui tribuunt singulis hujusmodi nummis unius *drachmæ* valorem, ita, ut Dominus venditus sit *Juliis* Romanis ejusdem plus, minus cum drachma ponderis, XXX. Quidam nummos istos *argenteos* putant fuisse *siclos*, sed an sacri, an profani fuerint, non dicunt; nec de pretio conveniunt, adeo, ut alii scribant XXX. *argenteos* idem esse, ac Romanos *Julios* 60. alii 150. Pro *argenteis* Baronius ad an. Ch. 34. Estius in cap. 26. Matth. necnon Camerarius *de Re nummaria* intelligunt nummos aureos, sive argenti libras, ita, ut pretium XXX. *argenteorum* ad summam 300. coronatorum accesserit; quod abunde sat erat ad emendum agrum figuli, à pretio sanguinis appellatum Jerosolymitana dialecto הקל־רמא, *Hacel-dama.* At mihi quidem de triginta *argenteis* sic statuendum, salvo meliori judicio, videtur. Fuit apud Hebræos argenteus *siclus*, dictus שִׁקֵּל־הַקֹּדֶשׁ, *Schechel hachedesc*, Siclus sanctuarii, quod ad ornatum, & structuram Templi impenderetur. Refert ex una parte floreſcentem virgam Aaron, ex altera thuris vasculum cum literis, vel Samaritico, vel Hebraico charactere cusis, שקל ישראל, *Siclus Israel.* Invenies hujus nummi sculptam figuram apud Villalpandum in Apparatu, Kircherum in *Turri* Babel, Waserum de Antiquis nummis Hebræorum, & nostrum Scacchum Myroth. II. cap. 4. Pendebat *Siclus* sacer viginti obolis, Exodi XXX. 13. Levit. XXVII. 25. & Num. III. 47. Pro *obolo* est in Hebræo גרה, *Gera*, vertitque Onkelos מעא *Meba. Gera*, sive *Meba*, est minutus nummulus habens tantum ponderis, quantum 16. grana hordei. *Siclus* ergo pendens 20. *geris*, tanti pendet, quanti hordei grana 320. id est, ut pendent viginti quatuor oboli Attici, sive drachmæ Atticæ quatuor, aut quatuor *Julii* Romani. Obolus enim Atticus octo habet χαλκᾶς, drachma verò sex obolos, ut ostendit lib. V. Atticarum lect. cap. 16. Joannes Meursius. Est itaque idem Hebræorum *Siclus*, & *Tetradrachmum Atticum*, sive, ut dicitur Matth. XVII. 23. *Stater.* His ex clarissimis Auctoribus, qui de re nummaria pertractarunt, depromptis accedit Hieronymus, qui in Ezech. cap. 4. Tom. III. pag. 722. inquit: *Siclus autem, id est, stater habet drachmas quatuor.* Assentiuntur Rabbini, scribente in 1. Samuelis Rab. Kimchi: *Siclus continet quatuor Susas: Susa est drachma Attica, sive denarius Romanus*, & Salom. Jarchi, *Siclus pendet quatuor*

3. Opinio Authoris.

quatuor drachmis. Et quamvis sunt, qui inter drachmam, ac denarium argenteum nonnihil ponant discriminis; certissimum est tamen, atque ex nummis ante Neronem cusis à viris doctissimis comprobatum, tam antiquum denarium, quam drachmam fuisse ejusdem ponderis, octavam scilicet unciæ partem, quod plurimi non attendentes differendo de re nummaria deprehenduntur errasse. At à *drachma*, si æqui sit ponderis, non esse discrepantem *Julium*, res est aperta. Poterit quisque id experiri si *siclum*, tetradrachmum Atticum, & *Julium* ponderet. Hunc noscunt omnes: *Sicli* notas attuli paulo supra; nummum vero Atticum dignosces ex *noctua*, Athenarum insigni, atque ex effigie *Palladis;* ac talem exhibet Hudsonus Operum Josephi Tom. 1. pag. 139. Hinc habes xxx. *argenteos*, si fuerunt *Sicli* sacri, idem habuisse pretium, ac 120. drachmæ, sive totidem denarii, quos *Julios* dicimus. Atque his emi poterat ager *figuli;* quem, sive dictum velis à terra inde effossa pro vasis fingendis, sive à testarum fragmentis in eum projectis, emptum non arbitror argenti libris triginta.

4. Alter Siclus apud Hebræos.

At fuit Hebræis *Siclus* alter communis, duplo minor sacro, ac pendens *geris*, sive obolis decem, id est, granis hordei 160. Atticis obolis 12. drachmis Atticis, aut denariis argenteis duobus, Semistatere, & nummo illo Atticorum, qui refert ex una parte vultum Thesei, ex altera *bovem*: unde intelligimus vetustum proverbium, *Bos in lingua*, de iis, qui pecunia corrupti mentiuntur, vel tacent. Procusus fuit communis *Siclus* pro tributis solvendis; nam sicli dimidium singulis impositum legimus Exodi xxx. 15. *Didrachmum* dicitur Matth. xvii. 22. & ibidem versu 26. *stater* iis datus est, qui accipiebant *didrachma*, pro Christo, & pro Petro: de qua re plura diximus agentes de Immunit. Clericorum lib. xx. cap. 17. Ex quo autem *stater* idem penderet, ac *tetradrachmum*, liquet nummum inventum in ore piscis non fuisse dimidium *sicli*, aut *didrachmum*, sed *siclum* sacrum, duplumque communis. Qui ergo putant *argenteos* Judæ persolutos fuisse profanos *siclos*, asserere debent venditum Dominum drachmis, denariis, sive *Juliis* Romanis sexaginta. Etsi autem complures in hanc sententiam descendant, verisimilius puto designari Matthæi xxvi. triginta *tetradrachma*, sive *siclos* drachmis quatuor pendentes: ubicunque enim in Scripturis nominantur argentei, *sicli* intelliguntur, ut Gen. xx. 16. 11. Regum xviii. & 11. Paralip. 1. 17. & quidem *sicli* pendentes viginti obolis; nam lxx. reddunt pro *siclis*, δίδραχμα; ac *didrachmum* Alexandrinum ejusdem est pretii, ac *tetradrachmum* Atticum. Deinde ipsum nomen *argentei* numisma aliquod significat, non ita ob materiam, sed ob singularem nummi speciem dictum antonomasticè. Præterea Matthæus xxvii. 9. de triginta *argenteis*, quibus venditus est Dominus, impletum ait vaticinium Jeremiæ, *Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati:* quod verbis consimilibus extat in Zacharia xi. 12. atque illud de Zacharia sumptum putat Hieronymus lib. iv. in Matthæum, inveniri tamen ait in apocrypho Jeremiæ volumine, quod sibi obtulerat Nazarenæ sectæ vir quidam. In Zacharia & nos vaticinium illud legimus; at quæ Jeremias non conscripsit in libro Canonico, sed vel prædixit ore, vel in fragmento aliquo reliquit scriptum, potuit id Zacharias suis vaticiniis inserere; neque Matthæus erasse dicendus est. Quod huc spectat, Zacharias *siclos* argenteos, sive pendentes quatuor drachmis expressit. Fuit ergo Iscariotes adeo avaritiæ mancipatus, ut 120. *Juliis* Romanis ad patrandum maximum, horrendissimumque flagitium potuerit impelli, ac tanti Dominum vendiderit, quanti æstimatur Exodi xxi. 32. caput servi.

III.

5. Numerus verberum in flagellatione Christi juxta aliquos.

Tam vili Dominus, & universorum Conditor venditus, traditusque manibus peccatorum, post quædam judicialia acta immanissime flagellis cæsus est, nudus omnino, & ad columnam alligatus. Numerum quidem verberum definire non ausim, quoniam diversa ratione hæc numerant S. Vincentius Ferrerius serm. de Parasceve, Joannes Eckius de Christi passione Art. 4. Consid. 4. Lodulphus de vita Christi p. 2. cap. 58. Lanspergius hom. 50. de Passione, & alii: sed opinionem quorundam asserentium Christi flagellationem non fuisse adeo diram atque cruentam, ut solet tradi, jure meritoque tanquam derogantem Dominicæ passionis atrocitati hoc in loco refellam.

I.	5000.
II.	5375.
III.	5475.
IV.	5460.
V.	6666.

6. Putant aliqui, Christum ab uno tantùm lictore fuisse flagellatum.

Sunt ergo qui affirmant Dominum Jesum ab uno duntaxat lictore flagellis cæsum; quoniam Romanorum jure unicus tantummodo verberandi ministerium obibat, juxta formulam illam Juris: *I lictor, alliga manus, caput obnubito, virgis cædito.* Addunt Pilatum indixisse, ut Christus cæderetur flagellis ad correctionem; nam Lucæ xxiii. 16. inquit Præ-

ſes: *Emendatum ergo illum dimittam.* Objiciunt & legem Deuteronomii xxv. 3. ut ſervaretur plagarum modus, ne quadragenarium numerum excederent; quam legem ætate quoque Chriſti ſervatam teſtis eſt Paulus 2. ad Corinth. xi. 24. ſcribens, *A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi:* ictus enim undequadraginta reis infligebantur, ne excederetur numerus Deuteronomii lege definitus. Addunt ad exaggerandam immanitatem ſupplicii nonnullos ſcripſiſſe cæſum Dominum catenis, virgisque ſpineis; cum flagella nodoſis tantum funiculis fuerint contexta.

7. Horum opinio refellitur.

Quantum hi halucinentur, commonſtrant qui accuratius de Chriſti flagellatione ſcripſerunt, Alphonſus Paleotus Bononienſis Archiepiſcopus in Hiſtoria de Jeſu Chriſti Stigmatibus ſacræ Sindoni impreſſis, cap. 5. pag. edit. Duaci 80. Daniel Mallonius in Elucidat. ejusdem Capitis pag. 84. Lipſius lib. 2. de Cruce cap. 3. Tom. 2. pag. 777. Jacobus Gretſerus lib. 1. de Cruce cap. 8. pag. 36. Conſulvus Durantus Not. in lib. 1. cap. 10. Revelat. S. Brigittæ pag. Rom. edit. 21. Jacobus poſius in Opere, quod Cardinali Petrocchino Auguſtinenſi nuncupavit, de Triumph. Crucis lib. 1. cap. 13. necnon Gerardus Voſſius in Harmonia Evangelica, Tom. vi. pag. 176. At ego hæc reponam. Affirmo 1. diſtinguendum fuſtuarium à flagellatione: fuſtibus enim cædebantur liberi, tenuisque fortunæ homines; nam Romani cives fuſtibus non ſubjiciebantur, ut liquet ex lege 28. *Capitalium.* D. de pœnis, Servi autem, non ſolum fuſtibus, ſed etiam flagellis cædebantur, ibidem lege 10. *In Servorum.* II. Aſſero flagella non fuiſſe funiculis tantum contexta, ſed quædam fuiſſe *flagra talaria*, talis ſcilicet inſertis confecta; quædam *pecuinis oſſibus catenata;* quædam *contortis tæniis, ac multinodis fimbriata;* quædam *loris taxillatis* compacta; quædam arte fabricata horribiliori; ut ex probatiſſimis Auctoribus demonſtrat citato loco Juſtus Lipſius. III. Dico in flagellatione ſervorum non hanc fuiſſe adhibitam conſuetudinem, ut ab uno lictore, vel certo verberum numero ſervi plecterentur; ſcribit enim Ulpianus lib. viii. de pœnis eo loci citatus à Lipſio, *miniſtrorum immanitate multos ſub hujusmodi flagellis interiiſſe.* Terentius in Adelphis ſcen. 1. Act. 2. inducit Aeſchinum ita alloquentem:

Usque ad necem operiere loris. Sannio. *Loris liber?*

Joſephus lib. vi. de Bello cap. v. num. 12. pag. 390. de Jeſu quodam filio Anani ruſtico homine, qui quadriennio ante Jeroſolymorum cladem inceſſanter clamabat, *Væ, Væ,* ſcribit: *Eum ad præſidem Romanum adducunt: apud quem ad oſſium usque denudationem laniatus, nec preces, nec lacrymas ullas effudit.* Complures denique Chriſti Martyres ſub flagellorum ictibus efflaſſe animam recte ſcribit lib. 1. de SS. Martyrum cruciatibus cap. 4. pag. 98. Antonius Gallonius. Vide & Tuinartium in Acta Hippolyti, ubi explicat pag. 146. verſus Aurelii Prudentii, hymno de Coronis xi.

Inde catenarum tractus, hinc loreæ flagra
Stridere, virgarum concrepitare fragor.

IV. Præterea affirmo *caſtigationem* flagris factam, non fuiſſe ſolam admonitionem, ut rei ſeſe honeſtius gererent; citato enim tit. de Pœnis habetur lex vii. Calliſtrati, *Veluti fuſtium admonitio, flagellorum caſtigatio, vinculorum verberatio:* unde apparet *caſtigationem* flagellorum fuiſſe pœnam *fuſtuario* acerbiorem. Pilatus etiam flagris Dominum ſubjecit, ut Judæorum livor miſerrimo ſpectaculo ſatiaretur, nec usque ad illius internecionem ſæviret: quod & HiſtoriæDominicæ paſſionis eſt conſentaneum, & his verbis traditur ab Auguſtino Tract. 116. in Joan. n. 1. *Hoc Pilatus non ob aliud feciſſe credendus eſt, niſi ut ejus injuriis Judæi ſatiati ſufficere ſibi exiſtimarent, & usque ad ejus mortem ſævire deſiſterent.* Nec veriſimilitudine caret, invidos morti Chriſti inhiantes, ac timentes ne ſententia judicis abſolveretur, pecunia ſanguinarios carnifices corrupiſſe, ut plagas infligerent aſperiores, ſceleſtos verò miniſtros annuiſſe, connivente ob cauſam prædictam Romano præſide, inſtigantibus Judæorum proceribus, ac Deo propter ſalutem peccatorum id permittente. Unde Hieronymus in cap. 37. Mat. Tom. iv. p. 136. inquit: *Traditus eſt Jeſus militibus verberandus; & illud ſacratiſſimum corpus, pectusque Dei capax flagella ſecuerunt. Hoc autem factum eſt, ut quia ſcriptum erat, Multa flagella peccatorum, illo flagellato nos à verberibus liberaremur.* V. Dicendum eſt inſuper flagellatum Jeſum dirè, irreverenter, immaniter, & tanquam humilem ſervulum. Id enim primo commonſtrat ipſum *flagellationis* nomen paulo ſupra explicatum: quod etiam innuit cæſum minime fuiſſe (ut cædebantur milites,

milites, & rei honestiores) vitibus, aut fustibus solis, quæ vestitis ut plurimum inferebantur; sed prorsus nudum, funiculis taxillatis, infixisque aculeis, aliisque acerbioribus flagris fœde laceratum. Flagellum quippe ita explicat Euthymius cap. 67. in Matth. 27. φραγέλλιον *verber erat è funiculis, aut loris contextum.* Theophylactus in cap. xv. Marci pag. 282. ait: *Flagellavit Dominum, hoc est cæcidit eum loris.* Nonnus in cap. 19. Joannis: *Horribili Christi corpus flagello rubefecit.* Prudent. in Enchiridio Tom. v. Bibl. PP.

Vinctus in his Dominus stetit ædibus, atque columnæ
Annexus tergum dedit, ut servile, flagellis.

Videatur & S. Brigittæ liber quartus Revelat. cap. 70. pag. 309. Illatum istiusmodi flagellis supplicium, futurum utique horrendissimum prænuntiatum fuerat Ps. xxi. 18. xxxiv. 15. lxxii. 14. Isaiæ liii. 2. 5. atque hæc vaticinia fuisse completa etiam ex notis sacræ Taurinensis Sindonis Chiffletius, & Mallonius demonstraverunt. VI. Non Judaico more, sed Romano flagellatus est Dominus, ideoque ex lege Deuteronomii colligi nequit numerus verberum. Lege enim Mosaica verberandus debebat prosterni. At Jesus ad columnam alligatus fuit: quæ etiamnum visitur Romæ in Templo S. Praxedis, huc translata, sedente Honorio III. anno 1223. à Joanne Cardinali Columna, ut narrant Panvinius noster in libro de septem Urbis Ecclesiis, Raphael Volaterranus lib. 2. Anthropologiæ, & citato loco Jacobus Bosius. Quare columna, de qua Hieronymus in Epitaphio Paulæ Tom. iv. pag 674. *Ostendebatur illi columna Ecclesiæ porticum sustinens infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur flagellatus*, non est quæ Romæ asservatur, neque hæc illius pars, ut complures scripserunt; sed columna altera, ad quam Salvator vinctus est post carnificum verbera cruore perfusus, quod etiam innuit, si probe intelligatur, Hieronymus. Nam quæ Romæ colitur, integra est, & trium duntaxat altitudine palmorum atque dodrantis, flagellationi quidem accomodatior, cum totum corpus ad eam revinctis manibus alligatum verberibus plagisque patuerit. Hunc morem servos flagellandi fuisse apud Romanos tradit Josephus Laurentius Lucensis de Tormentis cap. 7. Tom. vi. Thes. Antiq. Græc. idque ostendunt citato loco Lipsius, & Vossius ex Plauto in Bacchide Act. vi. scena 7.

Abducite hunc
Intro, atque adstringite ad columnam fortiter.

Apparet ex dictis quàm infirma sint argumenta initio hujus paragraphi collocata. Gratis enim dato, quod aliquando lictorum unus plagas infligeret, cum fustuarium pars erat extremi supplicii; fustigatio tamen ex Polybio lib. 6. & Sigonio de Antiq. Jure Rom. lib. 1. cap. 16. ac pariter castigatio, id est, verberatio servorum peragebatur ad nutum tribuni, vel præsidis, quandoque ab universis militibus, ita, ut complures verberum immanitate interierint, id asserente Ulpiano. Quod sequitur redolet grammaticalem inscitiam; *admonitio* enim, & *castigatio*, ubi de suppliciis agitur, non significant correctionem, sed plagas fustibus, flagrisque illatas; ut ostendimus ex lege Callistrati: & quod est in Luca παιδεύσας, *emendatum*, respondet Latino, *castigatum.* Quare dum ait Pilatus, *Emendatum ergo illum dimittam*, innuit dimissurum se Christum flagellis cæsum: quamquam varia tum animo versaret consilia, ac postea præter fas jusque pronuntiarit sententiam. Petitam ex lege Deuteronomii objectationem id retundit, quod Jesus flagris fuerit subjectus juxta Romanorum consuetudinem: unde recte Hieronymus in cap. 27. Matthæi: *Sciendum est Romanis eum legibus ministrasse.* Postremam facile diluimus, quoniam flagrorum diversa fuerunt genera, nec ea funiculis tantummodo texebantur, sed *servilia*, atque atrociora verbera funibus, virgis, loris, stimulis, & catenis quoque inferebantur, ut Levinus Torrentius commonstrat ad ea verba Horatii lib. 1. sat. 3. *horribili sectere flagello.* Sævitum præterea in servos nequam, hominesque viliores atrocissime, dum ad columnam Meniam verberabantur: de qua Cicero Divinat. in Verrem, & Asconius Pedianus, Carolus de Merouville, aliique in Ciceronem. 8. Respondetur objectis.

IV.

Flagellis addidere milites coronam spineam, coccineam chlamydem, & pro regali sceptro arundinem ad ludibrium augendum, & risum concitandum, *sive* hæc Pilatus *jusserit*, *sive permiserit*; inquit Augustinus Tract. cxvi. in Joan. num. 2. Invaluit opinio coronam illam è 9. Corona Spinea ex quibus Spinis.

marinis juncis fuisse contexam: quod asserunt Auctor Dialogi de Passione Domini inter Opera Anselmi, Suarez Tom. 2. in III. Partem disput. XXXV. 3. Durandus in Ration. lib. VI. cap. 77. Serrius Exercit. LII. num. 7. Gravesonius differt. XX. §. 2. nec repugnat Sandinus de Christo Domino cap. 15. Fulcitur hæc sententia duplici argumento; quorum unum petitur ex ipsis marinis juncis, habentibus aculeos oblongos, multoque spinis rubi, aut rhamni duriores: alterum promitur ex eadem corona Domini, quæ à sanctissimo Gallorum Rege Ludovico IX. ingenti redempta ære, summa nunc religione Parisiis colitur. Hinc Serrius pronuntiat ex tripode, spinas omnes, quæ variis in locis ad fidelium cultum asservantur, si ex rhamnis sint, aut dumis, vel sentibus, omnino habendas tanquam suppositas. Censeo nihilo tamen minus plexam coronam illam ex illo spinarum genere, quod appellant rubum, aut rhamnum, ut contendunt Baronius ad annum Christi XXXIV. num. 86. Daniel Mallonius cap. 12. Bosius lib. 1. cap. 14. Jacobus Gretserus lib. 1. de Cruce cap. 12. Lorinus in Psal. 57. Vossius quoque in Harmonia lib. 2. c. 5. necnon Natalis Alexander in Evangelium Matth. pag. 732. Movet autem me primum, quod Evangelistæ expresse ajunt textam coronam illam *ex spinis*, ἐξ ἀκανθῶν, Matth. XXVII. 29. Marci XV. 17. Joan. XIX. 2. A nullo autem scriptore, inquit Vossius, nomine ἀκανθῶν intelligitur ὀξύσχοινος, *acutus juncus*. Nullam deinde Versionem reperi habentem aliud vocabulum, quam *spinarum*: imò in Syriaca legimus *coronam rhamnorum*, in Polyglotis Waltonianis Tom. VI. pag. 46. Omnes pariter antiqui Patres coronam *spineam* appellant, Tertull. de Corona cap. 14. Chrysostomus hom. LXXXVIII. in Matth. Hieronymus Tom. 4. pag. 136. Augustinus citato loco, & alii. Afferunt præterea Patres coronæ spineæ symbolum: ac Tertullianus ibidem ait Domini tempora spinis *lancinata*, in figuram *delictorum quæ nobis protulit terra carnis*. Similia habet Isidorus lib. 1. epist. 95. Tom. VII. Bibl. PP. pag. 544. S. Pater Augustinus serm. IV. ex additis à Sirmondo, nunc XIX. num. 3. ait Dominum figuratum in ariete hærente vepribus, quem Abraham mactavit pro Isaac. Hieronymus verò in rhamno, quem dicit *sentium genus asperrimum aculeis, & flore gratissimum*, figuratam agnoscit duplam Christi virtutem; nam *justis floret ad ornatum, peccatoribus præbet spinas ad confringendum*. Videsis in Ps. 57. Tom. 2. pag. 268. Præterea Clem. Alex. lib. 2. Pedag. cap. 8. pag. 183. deserte docet universorum Dominum olim Moysi in rubo apparuisse, postea spinis coronatum instauratum *veteris descensus principium*: ibique contendit rubum fuisse ἀκανθώδες φυτὸν, *dumosam plantam*, ac Dominum coronatum ἐξ ἀκανθῶν, *ex dumis*. Argumenta denique in contrarium producta nullam vim habent: juncus enim marinus caret in fuste aculeis, ac tantum in oblongam spinam desinit illius acumen. Exhibet omnigenas junci acuti species Rembertus Dodonæus Pemptadis IV. lib. 5. num. 19. & alii, qui pertractarunt de plantis. Nec in Hierosolymorum districtu germinant ὀκσυσχοίνοι, ubi tamen berberum, rhamnorum, ac sentium copiosus proventus. Sacra ergo Corona Parisiis servata asperrimis rhamni sentibus plexa est, aculeis tamen marini junci parum absimilibus; nullus enim spinosus frutex frequentior eo rhamni genere, quod Arabes vocant *Albansegum*, nascitur in Hierosolymitano agro; ut libro 2. Observationum pag. 344. testatur ocularis inspector Petrus Bellonius Cenomanus. Quare vir eruditissimus Parisiensis, P. Hyacinthi Serry olim præceptor, & quem latere non poterat sacer Parisiorum thesaurus, Natalis Alexander in cap. XXVII. Matth. num. 12. scribit: *E spinis è rhamno acceptis, qui locis illis frequens, coronam ex illis plectentes imposuerunt eam super caput ejus, diadematis instar regii, in ludibrium simul ac supplicium*. Atque talis viri auctoritate Serrio, & Gravesonio abunde satisfactum esse arbitramur.

V.

10. Prosecutio historiæ.

Dimisso Barabba humani generis typum gerente (*Bar-abba* enim idem sonat, ac *filius Patris*) Christus ad crucem damnatus suppliciumque gestans suum, ad montem urbi Jerosolymæ proximum, cui nomen *Calvariæ*, trahitur crucifigendus. In occursum ejus venisse fertur pia mulier, lineoque, aut bombycino velo manantem è Jesu vultu sanguinem, sudoremque absterssisse, expressa divinitus in panniculo sacrati vultus imagine. Quod, ut alia plura pietatis, ac traditionis monumenta, post audacem hæreticorum hominum conatum, alii quoque critici tentarunt evertere. Scripsi autem pag. 75. à me absque ulla hæsitatione communem sententiam teneri, ubi præsertim agitur de opinione, quæ fidelium insedit animis, neque in-

con-

concussis monimentis obruitur; idque, dum pertractatur de Veronica (ita piam appellant mulierem) omnino servandum existimo. Neque idonea sunt, quæ virum cordatum nonnihil moveant, criticorum illorum objectamenta. Inquiunt neminem veterum Sudarii Veronicæ meminisse: altissimum hujus rei esse silentium non modò in Evangelio, verum etiam apud omnes Ecclesiæ Patres, & medii etiam ævi Scriptores: cadente duntaxat sæculo undecimo Marianum Scotum, auctorem lubricæ fidei, & eruditionis exiguæ, hanc primum omnium cudisse fabulam: ab illo quidem laudari Methodium quemdam, sed hunc non esse magnum Tyriorum Antistitem, in cujus scriptis minime ista narrantur; fuisse denique *Veronicæ* nomen tota retro antiquitate prorsus ignotum; nec aliud Græce hoc vocabulum *Veronica* sonare, quàm *vera Imago*. Hæc Exercit. LIII. num. 4. Hyacinthus Serry.

Fundamenta negantium historiam de sudario Veronicæ.

II. Refelluntur.

Ista tamen non videntur ad labefactandam piam traditionem idonea. Servatur enim in Bibliotheca Vaticana Sudarii Veronicæ Historia antiquissimis literis exarata. Ait quidem Serrius non eo titulo libellum auctoritatem obtinere, quod in Bibliotheca Vaticana servetur, quæ alibi ab ipsomet Baronio assimilatur sagenæ *ex omni genere piscium congreganti:* at de antiquitate & auctoritate Vaticani Codicis legendus erat Pamelius ad cap. XII. Apologetici Tertull. num. 184. ubi ait: *Ejus imaginis Romam sub Tiberio advectæ historiam graviter conscriptam, & antiquissimo charactere MS. totam perlegisse se mihi retulit clarissimus Theologus Thomas Stapletonus Anglus.* Perperam in Marianum Scotum scriptorem sui ævi præclarum insciticæ fraudisque notæ ingeruntur. Methodii Martyris extant nunc tantùm Convivium Virginum editum à Combefisio, & Poussino, & fragmenta quædam ex Epiphanio & Photio collecta: cætera, ut inquit Dupinius Volum. I. novæ Biblioth. perierunt. Frustra ergo conjicitur de *Sudario* nil scripsisse Methodium, qui in persecutione Diocletiani Martyr occubit. Nec movemur nos solius Mariani Scoti testimonio, sed Romanorum Pontificum erga Veronicæ velum antiqua ac singulari pietate. Ad illud enim custodiendum Joannes VII. construxit tessellati operis ἱερατεῖον, quod dictum est *S. Maria in Beronica.* Meminere Imaginis Salvatoris eodem in velo expressæ Innocentius III. Serm. in Dom. I. post Epiph. pag. 19. Honorius III. Alex. IV. & alii apud Chiffletium de Lineis Sepulch. cap. 34. Gretserum de Imaginibus non manufactis cap. 17. Mallonium cap. I. Augustinum Calcagninum de Imag. Edessena Obs. 27. Sandinum in Historia Familiæ sacræ, de Christo Domino cap. 19. Is tamen post Gretserum, ni fallor, labitur dum ait meminisse *Sudarii Veronicæ* Anastasium Bibliothecarium in vita Stephani II. qui Pontifex renuntiatus anno 752. ad opem divinam implorandam adversus nequissimum Longobardorum regem Aistulphum, indixit supplicationem, in qua nudis pedibus incedens gestavit sanctissimam Christi imaginem *non manufactam.* Scripsi pag. 74. confundi à viro doctissimo cum *Sudario Veronicæ* Imaginem SS. Salvatoris *Achiropitam* ad Sancta Sanctorum: quam gestasse Stephanum liquet ex eodem Apostasio pag. 198. novæ edit. ubi ait sanctissimum Papam gestasse sacram Imaginem *proprio humero* ad Ecclesiam S. Mariæ ad Præsepe, è Lateranensi scilicet Basilica, ubi ante *lætantiam* ad populum effusè lacrymantem peroraverat. Attendendus est cum locus, tum gestandi modus: sacra enim ad Sancta Sanctorum Imago in tabula picta est altitudinis palmorum VIII. latitudinis III. At de Stephani supplicatione, & gestata ab eodem Imagine Salvatoris Panvinius de VII. Urbis Eccl. pag. 191. Carolus Sigonius lib. III. de Regno Italiæ ad annum 753. Cæsar Rasponi de Basilica Lateranensi lib. IV. cap. 19. & Victorius in Explicat. *Nummi ærei* Musei sui p. I. cap. 12. Sudarium autem Veronicæ comprobant monumenta alia quamplura, ac vetusta Martyrologia, de quibus eo loci Gretserus, & ad IV. diem Februarii Bollandus. Commemoratur ibidem etiam Missa S. Veronicæ in Missali Ambrosiano typis impresso anno 1560. & in Augustano edito an. 1555. ubi extat *Sequentia:*

Salve sancta Facies
Nostri Redemptoris,
In qua nitet species
Divini splendoris,
Dataque Veronicæ
Ob signum amoris, &c.

Laudantur & monumenta Ecclesiæ Giennensis in Hispania, quæ pariter de *Sudario Veronicæ* gloriatur, fertur enim sanctæ mulieris Velum fuisse duplum, aut etiam triplum. Veronicam dictam ipsam imaginem putat quoque

Natalis

Natalis Alexander in Synopsi 1. Sæculi art. 5. num. 5. Accedit vir Cl. Joan. Mabillonius in Itinere Italico Literario ad an. 1685. num. 9. ubi ipsam imaginem dici *Veronicam* demonstrat Petri Mallii, Romani, Petri Diaconi, Augustini Patricii, aliorumque testimoniis. Verùm ait postmodum Mabillonius: *Si tamen Veronicæ nomen primum mulieri, & ab hac imagini tributum præfracte velint alii, per nos licet.* Sanè Hierosolymis diu permansisse S. Veronicæ domum scribit Adrichomius 2. p. descript. Jerusalem n. 44 pag. 154. At, inquiunt, nomen *Veronicæ* tota antiquitate ignotum fuit. Derivatum dicimus à *Berenice*: quod negare non audet Vossius scribens in Harmonia lib. 11. cap. 6. num. 8. *Veronicæ nomen corruptum* ex φερονίκη, *sive potius ex* Βερονίκη. Ac Tillemontius Not. XXXIII. in Jesum Christum: *Mais ce pourroit bien être le même nom, que celui de Berenice, assez commun en ce tems-là parmi les Iuifs.* Rectè Baronius *Berenicem* appellat ad annum XXXIV. num. 38. Simulacro tamen sanctæ mulieris in Vaticana Basilica sub Conditorium magnificentiùs extructum ab Urbano VIII. anno Jubilæi 1625. inscriptum legimus: S. VERONICA HIEROSOLYMITANA. Hactenus de *Sudario Veronicæ*.

VI.

12. Ex quo derivandum nomen montis Calvariæ.

Sequitur, ut quambreviſſime agamus de Domini crucifixione, de qua cum omnes Interpretes diligentiſſime pertractent, ſat erit, ſi perpauca ex accuratioribus delibemus. In diſquiſitionem veniunt locus, tempus, crux, & modus affixionis. Ad locum quod attinet, *Golgotha* Syriaco nomine appellatur, eliſa litera ex גלגלתא, *Golgoltha*, Hebraico גלגל *Gilgal*, caput, cranium, calvaria: unde Matth. XXVII. 33. *Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod eſt Calvariæ locus.* Quæritur, an *Calvariæ* nomen derivatum ſit ex eo, quod illic facinoroſis detruncaretur caput, vel quod ibidem ſepultum eſſet Adæ *cranium*: at quoniam hac de re diſſeruimus diſputantes de reſipiſcentia primi hominis lib. XII. cap. 14. eadem non ducimus repetenda. Eſt Golgotha *ad ſeptentrionalem plagam montis Sion*, ex Hieronymo de Locis Hebraicis Tom. II. pag. 45. proximus civitati, extra portam *Jebus*, ſive Judiciariam, petroſus, & mediocriter altus, ex Adrichomio in deſcriptione Jeruſalem num. 166. & 235.

13. Definitur hora Crucifixionis Chriſti.

De anno, ac die crucifixionis Dominicæ plura cap. præcedenti. Nonnihil difficultatis ingerit circa definiendam horam, quod ait Marcus XV. 25. *Erat hora tertia, & crucifixerunt eum*: nam Joannes XIX. 14. id factum narrat *Paraſceves hora quaſi ſexta.* Sunt qui putant in textum Marci mendum irrepſiſſe incuriâ Amanuenſium permutata numerali litera γ. in ϛ. quam ſententiam tradit Hieronymus Breviario in Pſalt. Tom. III. pag. 316. his verbis: *Error ſcriptorum fuit. in Marco hora ſexta ſcriptum fuit: ſed multi epiſemum Græcum ϛ, putaverunt eſſe γ: ſicut & ibi error fuit ſcriptorum, ut pro Aſaph, Iſaiam ſcriberent.* At de Commentariis Hieronymianis in Pſalmos legenda admonitio Joannis Martianæi eodem volumine pag. 118. Quidam ècontra cenſent falſatum textum Joannis: & quidem Petavius lib. XII. de doctrina temp. cap. 19. pag. 454. teſtatur Petrum Alexandrinum in Opuſculo inedito aſſerere quod in autographo Joannis Epheſi aſſervato ſcriptum erat, ὥρα ηὐ ὡσεὶ τρίτη, *Hora erat quaſi tertia.* Obſervat idem Petavius & Nonnum in Paraphraſi Joannis legiſſe *tertia*, quoniam de crucifixione pertractans inquit: Ην δὲ τιτανομένη τριτάτη θανατηφόρος ὥρη: quod Voſſius vertit, *Eratque protenſa tertia lætifera hora.* In eadem ſententia eſt Theophylactus in Joan. pag. 820. ſecus, ac ſcribat lib. II. de Locis cap. 18. eruditiſſimus Canus. Immutandam tamen potius Marci voculam Petavius, & Voſſius contendunt, tum quia tam multa, quæ à diluculo usque ad Chriſti ſuffixionem facta narrantur, peragi non potuerunt *triborio*, Pilato præſertim tergiverſante, ac moras nectente; tum etiam quia Evangeliſtæ conſentiunt lucem defeciſſe hora ſexta, cum Jeſus actus eſſet in crucem. At neque hæc ſententia nobis placet, cum absque exploratiſſima traditione, & contra vetuſtiſſimorum codicum auctoritatem non ſint ſacri codices temerandi: ſed juxta monitum Auguſtini lib. III. de Conſenſu Evangeliſtarum cap. 13. num. 43. *non ſententiam noſtram, ſed Evangelii veritatem* diligere debeamus. Præferendam itaque arbitror unam ex his ſententiis. Prima eſt, quam tradit ibidem S. Pater num. 42. Evangeliſtam Marcum accipiendum de crucifixione factâ Judæorum lingua, quando *hora tertia* cla-

clamaverunt, *Crucifige, crucifige eum*, ut percipiamus *magis fuisse Domini necatricem linguam Judæorum, quàm militum manus.* Idem docet Tract. CXVII. in Joan. num. 1. Augustini sententiam propugnat Innocent. III. lib. v. de Myst. Missæ cap. 9. pag. edit. Colon. 403. Altera responsio est, apud Hebræos fuisse celebriores ac notiores horas *tertiam*, *sextam*, & *nonam*; neque enim alia nomina horarum reperies, ubi statarum precationum fit mentio; ideoque dicitur factum *tertia*, aut *sexta* hora quidquid evenit inter illa precationum tempora; de qua sententia plura invenies non solum apud orthodoxos Interpretes, verum etiam apud Hugonem Grotium in caput 27. Matthæi. Addunt quidam, post Baronium ad annum XXXIV. num. 163. Evangelistas accepisse horas, non usitato more pro duodecima diei parte, sed quatenus hora una complectebatur *triborium*, sive quatenus nox in quatuor vigilias, & dies in quadripartitas horas dividebatur, adeo ut prima hora computanda sit usque ad ineuntem horam quartam; secunda usque ad ineuntem septimam; tertia usque ad initium decimæ; quarta usque ad primam noctis. Hoc pacto Christus condemnatus fuit *hora tertia*, paulo ante meridiem; & actus in crucem hora diei sexta, in ipso meridie; mortuus autem circa horam diei nonam, sive hora tertia pomeridiana: ad horologium autem Italum crucifixio contigit paulo ante horam decimam octavam, mors Redemptoris circa vicesimam primam. Atque ideo singulis sextis feriis eadem hora genua flectimus. Huic sententiæ lubens subscribo, primùm quia ita nulla erit inter Marcum & Joannem discrepantia; cum tertium *triborium* ad meridiem usque extendatur: deinde quia à Pilato sententiam prolatam *hora tertia* legimus etiam in Constitutionum Apost. lib. v. cap. 14. pag. 318. & in Epistola Ignatii ad Trallianos num. 9. crucifixum verò Dominum hora diei sexta utrobique asseritur, sicut in vetustis monumentis eo loci productis à Cotelerio.

14. Forma Crucis Christi, & tituli.

De Cruce nemo accuratius pertractavit Justo Lipsio, ex quo excripserunt plura Gretserus, Bosius, & alii. Multiplex crucis forma. Alia simplex, sive erectum, acutumque lignum, cui malefici infigebantur spinâ, vel dorso; aut etiam necabantur adacto per medium hominem stipite, qui per os emergeret. Altera erat crux decussata, in qua duo ligna directa inter se obliquabantur. Tertia proprie est furca, sive patibulum, constans stipite superius bifido: à cujus divisis, ac patentibus ramis derivari nomen *patibuli*, visum Salmasio in Epistola 2. ad Bartholinum, & Gerardo Vossio lib. II. Harmoniæ cap. 7. Quarta crux constat arrectario stipite, ac transverso in directum immisso; in qua cruce aliquando affigebantur damnati inversa suspensione, sublatis pedibus. Quinta est inducta à Constantino, ne in posterum improbi ad similitudinem Domini necarentur, hodie usitata, ac tribus compacta lignis, in qua rei non affiguntur clavis, sed reste strangulantur. Referunt itaque cruces unam ex Latinis literis, I. X. Y. T. ⊥ aut Græcanicam, Π. Indubitatum est crucem Domini constasse duobus lignis, arrectario ac transverso, non decussatam, sed rectis compactam angulis: num verò *titulus* appensus esset stipiti arrectario, sive, ut inquit Tertullianus, *staticulo* aliquantulum eminentiori, vel diverso ligno ad verticem crucis defixo, omninò me latet. *Titulus* tabella erat cerussata; *causam* quoque dixerunt, aut *album*; fortassis quod gypso esset dealbata, ut facilius literæ atramento inscriptæ conspicerentur. *Titulus* Dominicæ crucis, superior saltem pars Latinis inscripta literis asservatur Romæ in Basilica S. Crucis *in Jerusalem*, ubi postquam diù muro lateritio clausus latuerat, sedente Innocentio VIII. anno Domini 1492. forte fortuna repertus est. Vide Panvinium de VII. urbis Eccl. pag. 217.

15. Crucifixio Christi ex Præsagio David.

Cruci affigendum Dominum prænuntiaverat David Ps. XXI. 17. his verbis: *Foderunt manus meas & pedes meos.* De hoc loco gravis est inter nos, & Judæos controversia; nam Hebræi pro *foderunt*, כארי, *Charù*, legunt, כארי *Chaari*, *sicut Leo*; atque hanc lectionem propugnant etiam Hæreticorum permulti, audacter Vulgatam nostram deprimentes; quamvis hoc in loco germanam lectionem nostram fateantur Sixtinus Amama in Antibarbo, Munsterus & Clarius Volum. III. Criticorum Sacrorum, Frischmuth in dissert. de Messiæ man. & pedum transf. & hæreticorum alii. Vindicarunt egregiè hunc locum Lorinus in Psal. pag. 380. Huetius in Demonstrat. Evangelica Prop. IX. cap. 127. Galatinus de Arcanis Cath. veritatis, VIII. 17. aliique benè multi: quorum hæc sunt argumenta. I. Hieronymus Hebraicæ linguæ peritissimus, aliique Veteres rediderе,

didere, *Foderunt*. II. Similiter LXX. verterunt, ὤρυξαν χεῖράς μου, καὶ πόδας, *Foderunt manus meas, & pedes*. III. Idem habent Versiones Aethiopica, Syriaca, & Arabica, Tom. III. Polygl. pag. 116. IV. Testantur Isaac Levita apud Huetium, & R. Jacob Ben Chaiim in Masora magna, in quibusdam Exemplaribus correctis scriptum in textu, *Charù*. V. Manifestum est literam א aliquando esse *servilem*, & in dictione locari per *epenthesin*; si autem *radicalis* non sit, nequaquam subsistit lectio, *sicut leo*. Duo hic addimus singularia: ac primum, quod Felix Pratensis nostri Ordinis in suo Psalterio pag. 13. 2. jurejurando testatur vidisse se quemdam librum magnæ apud Judæos auctoritatis habentem כרו, *foderunt*, & Cabbalistas altiora speculantes fateri, ubi legitur, כארי, *Chaari*, literam א esse *servilem*, ac positam, ut idem in hac voce resultet numerus, ac est in literis nominis tetragrammaton, יהוה. Alterum est, quod Felicis Pratensis testimonium confirmat. Doctissimus Martianæus in notis ad Tom. I. Hieronymi pag. 850. laudat Hebraicum Codicem Colbertinum, qui antiquam & propheticam vocem *Charù* retinet; & nullo puncto appositò literæ א, ipsaque literâ obelo confixâ, apertissime commonstrat eandem esse *servilem*. Atque his præcitatum Psalmi textum extra omnem controversiam, & perspicuum esse contendimus. Nam quod Judæi objiciunt à suis moribus abhorrere suffixionem noxiorum, id miserrimum subterfugium est; cum ipsi tradiderint Jesum extremo supplicio plectendum Romano Præsidi, tunc in Palæstina capitalia judicia exercenti.

16. Ex quo ligno crux Christi.

Romano itaque more, & quidem clavis, Dominus suffixus est cruci. Ex quo ligno crucem fabricatam existimamus? Non desunt qui scribant ex quatuor lignorum generibus; & est in Glossa ad primam Clementinam de summa Trinitate expressa hæc sententia versu: *Ligna crucis sunt Palma, Cedrus, Cypressus, Oliva.* At unius generis lignum fuisse, & quidem ex quercu, arbore apud Palæstinos crebra & frequenti, contendunt Justus Lipsius lib. III. de Cruce cap. 13. Noster Angelus Rocca in dissertat. de SS. Crucis particula, Serry Exercit. 54. num. 1. Joseph Laurentius Lucensis in disquisitione ad Lælium Altogradium cap. 7. Gravesonius dissert. XX. & alii complures. Ducuntur verò his argumentis. I. In crucifigendo roboris, vel quercus usum esse, colligitur ex Silio lib. I. ubi ait, *Quem postquam diro suspensum robore vidit.* II. Crux facta est de ligno aliquo obvio ac prompto, qualis profecto est quercus, ob duritiem quoque fixioni aptissima. III. In typum hujus transfixionis Deus sub quercu fœdus iniit cum Abraham, Gen. XVII. 18. sub quercu Jacob idola defodit, Gen. XXXV. 4. sub quercu etiam Josue fœdus percussit, Jos. XXIV. 26. Demum sacratissimi Ligni frusta, quæ etiamnum extant, speciem ligni quercus præseferunt. Hæc tamen à me nequeunt extorquere assensum, firmum saltem, ac certum. Non primum argumentum; nam Silius *dirum robur* appellat crucem, ut Ennius, Catullus, Maro navim solent appellare *alnum, pinum, abietem*, usurpata specie lignorum pro genere. Non secundum; nam deceptum Lipsium, & quercum in Judæa rarissimam esse liquet ex libro 2. Observationum Petri Bellonii pag. 331. & 344. Non tertium; etenim in typis non requiritur omnimoda similitudo; ac præterea non subter quercum, sed subter terebinthum Jacob infodit idola; defixioni etiam, & cruci, quæ de Abraham, Jacob, & Josue dicta sunt, non undequaque conveniunt. Non quartum denique; nam lignorum frusta, præsertim Palæstinæ arboris, ac tot annorum intervallo immutata colore, atque attrita, non adeo facile dignoscuntur. Me itaque fugit, cujus generis sit sacratissimum Lignum: aliorumque nec probo, nec refello sententiam.

17. Quot, & quibus partibus constiterit Christi crux,

In eadem sum hæsitatione circa lignum ὑποπόδιον, *suppedaneum*. Legi quæ de hoc ligno scribunt Feuardentius, & Ernestus Grabe in Irenæum lib. 2. cap. 42. nunc 24. Gretserus lib. 1. cap. 24. Raynaudus in Metamorphosi Latronis cap. 3. num. 1. Honoratus lib. V. Animadvers. dissert. 4. necnon Salmasius de Cruce pag. 362. Vossius libro II. Harm. cap. 7. num. 2. Nicolaus Fullerus lib. IV. Miscellaneorum sacrorum cap. 12. Qui *suppedaneum* adstruunt, his momentis ducuntur. I. Irenæus citato loco num. 4. scribit: *Et ipse habitus Crucis fines habet quinque, duos in longitudine, & duos in latitudine, & unum in medio, in quo requiescit, qui clavis affigitur.* II. Antiquior Irenæo Justinus in Dialogo cum Tryphone pag. 318. agnoscit in cruce *lignum in medio impactum, in quo cruciarii vehuntur, ac insident.* Innocent. III. serm. 1. de uno Martyre pag. 171. inquit: *Fuerunt in cruce Domini ligna quatuor,*

quatuor, stipes erectus, lignum transversum, truncus suppositus, & titulus superpositus. Gregorius Turonensis de Gloria Martyrum cap. 6. ait: *In stipite erecto foramen factum manifestum est. Pes quoque parvæ tabulæ in hoc foramine inseritur: super hanc verò tabulam, tanquam stantis hominis sacræ affixæ sunt plantæ.* III. Laudari solet pro hac sententia Tertullianus lib. III. contra Marcionem cap. 18. & adversus Judæos cap. 10. IV. Traditionem hanc confirmant vetustæ imagines, (inquit Honoratus) de quibus Lipsius in Tract. de Cruce, & Cornelius Curtius in libro de Clavis Dominicis.

18. Opinio Gregorii.

Verùm, ut fatear, ambigua hæc sunt, excepto solius Gregorii Turonensis testimonio. At Gregorius cum obierit paulo ante annum sexcentesimum, nequit solus certissimam traditionem constituere. Justinus enim, Irenæus, Tertullianus, an de suppedaneo intelligendi sint, an de mediano ligno prominenti, cui suffixus quodammodo insideret, est valde incertum. Sanè lignum in medio impactum, lignum in quo cruciarii insident, atque, ut loquitur Tertullianus, *sedilis excessus*, sive, *unicornis in medio stipite palus*, denotare potius videntur medianum stipitis arrectarii lignum, quam *hypopodion*. Non tamen Salmasio, ac Vossio tantum defero, ut ipsis omnino assentiar. Nam Justini verba, ἐφ' ᾧ ἐποχοῦνται *cui insident*, reddere Possumus cum viro docto, *cui insistunt*, Tertullianum verò de ipso palo arrectario, cui accesserit suppedaneum, commode possumus interpretari. Innocentii III. verba de *trunco* basi crucis appositio, vel de *trunco*, cui rectus crucis stipes immissus fuerit, possunt faciliùs exponi: nam *truncus* proprie non est suppedanea tabella, sed pars arboris major, unde rami enascuntur. Imagines crucis apud Lipsium omnes, una excepta, carent suppedaneo; & idem Lipsius lib. 2. c. 10. suppedaneum potius rejicit, quàm adstruat, scribens non fuisse *fabricam crucis tam delicatam & accuratam*, ac truncum, de quo Innocentius, fuisse obliquum crucis sustentaculum, non minutam tabellam, cui pedes insisterent. Nec *suppedaneum* habent antiquæ imagines apud nostrum Curtium delineatæ, si unam, vel alteram excipias; & falsus est Honoratus. Argumenta itaque ab hoc auctore, & à Gretsero primum, pro suppedaneo crucis producta, nullius sunt roboris. Quare in dubitationem magis trahor, sed tamen Gregorii Turonensis sententiam temerè non oppugno.

19. Quot clavis Christus crucifixus?

Ex vetustis Crucifixi imaginibus, de quibus erudite pertractat Curtius, potius infertur, non tribus, sed quatuor clavis Dominum Jesum suffixum, quam sententiam video probatam Bosio lib. 1. cap. 15. Justo Fontanini de Corona Ferrea cap. 1. & præclarissimis Scriptoribus ab eo laudatis, & quibus addendus noster Angelus Rocca in præcit. dissert. cap. 4. Serry Exercit. 54. num. 3. Gravesonius dissert. 20. §. 2. & Sandinus cap. 15. Prima itaque ratio pro hac sententia petitur ex prælaudatis Crucifixi *iconibus*: referunt enim Jesum quatuor suffixum clavis, ac pedibus disjunctis, cruribusque divaricatis Imago sanctissimi Crucifixi Lucæ asservata; quæ colitur Siroli in Piceno: *Iconissmus* Romæ in Sacrario Apostolico servatus, & quem anno 450. misit Leoni Magno Juvenalis Jerosolymitanus Episcopus: altera Crucifixi imago, quam Carolo Magno fertur attulisse cælestis Angelus: & argentea, quam idem Carolus dono dedit Basilicæ S. Petri: item quæ colitur in Conventu nostro Burgensi, aliæque complures. II. Eundem clavorum numerum exhibet aureus nummus, de quo Curtius pag. 119. asservatus in Hannonia in Monasterio Lætiensi. III. Quatuor clavos connumerant Innocentius III. serm. 1. de uno Mart. Gregorius Turonensis lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 6. Lucas Tudensis lib. 2. adversus Albigenses cap. 11. Tom. XXV. Bibliothecæ Patrum. IV. Idem clavorum numerus eruitur ex Revelationibus S. Brigittæ lib. 2. cap. 10. in quem locum legendus Consalvus Durantus. V. Serrius & Vossius eundem Clavorum numerum stabiliunt ex quo Rufinus lib. 1. H. Ec. cap. 8. de Helena Constantini matre scripserit, *Clavos quoque, quibus corpus Dominicum fuerat affixum, portat ad filium: ex quibus ille frænos composuit, quibus uteretur ad bellum: & ex aliis galeam fertur armasse.* Theodoretus pariter lib. 1. cap. 18. pag. 48. edit. Valesii ait: *Clavorum partem galeæ imperatoris inseruit: partem vero fræno equi illius admiscuit.* At Ambrosius in Orat. de obitu Theodosii num. 47. inquit: *De uno clavo frænos fieri præcepit, de altero diadema intexuit.* VI. Producuntur verba Plauti in Mostellaria Act. 11. scena 1. *Affigantur bis pedes, bis brachia:* sed videtur sensus esse, ut servulus ad majorem cautionem bis affigeretur, id est, binis

clavis in utraque manu, & pedibus: quod vidit Lipsius lib. 2. cap. 9. & in Plautum Taubmannus. Adde pro libitu affixos reos clavis tribus, aut quatuor, jure Romano, ut legimus Tom. VI. Thes. Antiq. Græcarum pag. 3691. Nil ergo ex Plauto concludas. Clavi Dominici 25. variis in locis servantur: quidam tamen veris consimiles, horumque contactu, aut scobe aliqua consecrati, quidam forte ex iis, quibus confixi sunt Martyres mystica Christi membra, ut ait Baronius ad annum 326. n. 54.

20. Christus suffixus cruci occidentem spectavit.

Suffixum cruci Redemptorem spectasse Occidentem, tradunt Germanus in Theoria rerum Ecclesiastic. Damascenus lib. IV. cap. 13. & alii apud Gretserum lib. 1. de Cruce cap. 27. & Vossium lib. II. Harm. cap. 7. num. 36. Hinc mos veterum orandi Orientem versus, ut legimus lib. 2. Const. Apost. pag. 264. quam consuetudinem propter hæresim Manichæorum corpus inflectentes versus nascentem Solem ab ipsis adoratum, carpit S. P. Augustinus disp. 1. contra Fortunatum, num. 3. & lib. XIV. contra Faustum cap. 11. nec non Magnus Leo Serm. VII. de Christi nat. cap. 4. De Crucifixo spectante Occidentem inquit Sedulius lib. IV. aliàs V.

Occiduo sacræ lambuntur sidere Plantæ,
Arcton Dextra tenet, medium Læva erigit axem.

VII.

21. Crucifixores non fuerunt Bruttii.

Cætera, quæ spectant ad redemptionem peractam, speciali disquisitione non indigent. Scimus quæ de crucifixoribus Domini ætate nostra disputata sunt, aut potius recocta, nec deesse qui immane illud munus attribuerint Bruttiis, incolis scilicet extremi tractus Italiæ, quem Geographi appellant Calabriam; Bruttiorum enim fines ad Tyrrhenum mare Laiis amnis, ad mare Siculum, sive Tarentinum sinum, Sybaris fluvius. Derivata hæc siniſtra opinio ex fragmento Catonis apud Gellium lib. X. cap. 3. *Decemviros Brutiani verberavere:* in quem locum scribit idem Gellius, Bruttios ex quo defciverant ad Annibalem, ignominiæ causa è militum albo dispunctos, ac Magistratibus in provincias euntibus deinceps vice servorum ministrasse, quos erant jussi, vincientes ac verberantes. At arenoso fundamento innititur illata Bruttiis calumnia. Primo enim gratis concessis quæ scribit Gellius, non sequitur Bruttios duntaxat objisse lictorum, ac lorariorum munera, ut ad annum Christi XXXIV. num. 84. animadvertit eximius Annalium Auctor. Accedit post prælium ad Cannas commissum defeciſſe ad Annibalem non solum Bruttios, verum etiam Atellanos, Calatinos, Samnites, Lucanos, Locros, Cisalbinos, aliosque Italiæ populos fama ingentis victoriæ permotos, ut liquet ex Tito Livio in fine libri XXII. & annotatum est in Scholiis Ascensianis ad Gellium pag. 71. Rediisse postea Bruttios in pristinum apud Romanos honorem, & in eos deductam Latinam coloniam, scribit idem Livius lib. XXXIV. num. 52. Præterea Brutianos, de quibus Catonianum fragmentum, alios esse à Bruttiis demonstrat in erudita de hoc argumento dissertatione num. 12. & 13. vir Cl. Petrus Polidorus. Nunquam Brutianos aureo florente sæculo dictos Calabros, evincit vir doctissimus Tullii, Livii, Plinii, aliorumque testimoniis. Adde Græcos, Dionysium Afrum, Stephanum, Diodorum, Strabonem: de quibus Cluverius lib. IV. Italiæ Antiquæ cap. 15. Ad hæc non lictores tantùm, sed & legionarios milites, necnon Tribunos noxiis extremum supplicium intulisse, ante ipsum Polidorum demonstraverat luculenter lib. 1. de Cruce cap. 25. Jacobus Gretserus. Ex Evangelio insuper perspicuum est, crucifixum Dominum à militibus, Joannis XIX. 2. 23. 24. 32. 34. Eadem est sententia Patrum. Tertullianum de Corona Milit. cap. 11. produxerat loco citato Baronius. Alios Patres laudat Polidorus num. 47. præcit. dissertationis, & in Prolegomenis ad Barrium Thomas Aceti. Tandem ex quo milites diviserint Christi vestimenta in quatuor partes, & *unicuique militi* obtigerit pars una, Joan. XIX. 23. sequitur quatuor milites fuisse Domini crucifixores: *Unde apparet quatuor fuisse milites, qui in eo crucifigendo Præsidi paruerunt*, inquit S. P. Augustinus Tract. CXVIII. in Joan. num. 2. Judæi quatuor palliorum angulis assuebant vitas hyacinthinas, Num. XV. 38. & Deut. XXII. 12. Hinc fortasse discissæ Christi vestes supernæ. Nam interior inconsutilis, utrimque concluſa uni militum sorte obvenit. De hac

hac Euthymius in cap. 27. Matthæi pag. 117. scribit: *Hanc verò tunicam è traditione Patrum accepimus opus fuisse Dei Matris, à superioribus partibus contextam, veluti sunt apud nos capitis, aut pedum hyemalia operimenta.* Ex his constat perperam in Bruttios unius Auli-Gellii auctoritate conflari calumniam. Adeat, qui plura desiderat, Perrimezzium, Polisichium, Sandinum, Acetium, Polidorum.

22. De tenebris in morte Christi.

De tenebris moriente Christo factis *super universam terram*, satis superiori capite; ubi ostendimus de his locutum Phlegontem, uti etiam lib. 2. de Mundi creatione testatur Philoponus. Halucinantur ergo, qui putant à Phlegonte notari aliam eclipsim ab ea, quæ describitur in Evangeliis: errant etiam, qui *per universam terram* putant signari Judæam, ducti Origenis expositione, ut Erasmus in cap. 27. Matthæi, Vossius in Harmonia lib. 2. cap. 10. ac nuper Serry Exerc. 57. Sed refutantur à Melchiore Cano lib. XI. cap. 2. Huetio Demonstrat. Evang. prop. III. num. 8. Schelstratio dissert. 1. cap. 4. num. 10. Tillemontio Not. XXXV. in Jesum Christum, Natali Alex. in Evang. ab aliis. Et quidem oppositum argumentum de silentio Scriptorum eliditur Phlegontis auctoritate. Adde harum tenebrarum meminisse Thallum Gentilem apud Julium Africanum, ut vidit etiam Grotius in Matthæum: relatas in Ethnicorum Archivis, asserunt Tertullianus cap. 21. Apologetici, & Lucianus Martyr Antiochenus apud Ruf. lib. IX. Hist. Eusebii, cap. 6. Hieronymus in Matth. cap. 27. ait eos, qui scripserunt contra Evangelia, suspicari Evangelistas ob imperitiam malè interpretatos deliquium solis, *quod certis statutisque temporibus solet accidere:* id verò Sanctus Doctor refellit, ex quo nunquam naturalis solis defectus contingat in plenilunio, nec breves ac ferrugineæ fuerint illæ tenebræ, sed ad trium horarum spatium protractæ. Eadem tradit S. P. Augustinus epist. 80. ad Hesychium, nunc 199. num. 34. Concludendum itaque cum Theophylacto in Evangelia pag. 176. *Erant autem* (tenebræ) *in toto mundo, non in parte mundi: ut monstretur quod lugeat in passione Conditoris creatura, Judæi quoque petentes signum de cælo nunc videant solem obtenebrari.*

23. De verbis Christi in cruce.

Verba Christi è cruce pendentis, & clamantis ad Patrem, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* vindicata fuerunt pag. 91. hujus voluminis adversus blasphemiam hæreticorum, asserentium Dominum Jesum cum desperatione luctatum. Adscripsi ibidem sententiam adeo absurdam Joanni Fero: cujus tamen Commentaria majori otio pervolutans adinveni orthodoxa; in editione tamen Romana recognita, atque expurgata: an antiquior editio conspurcata sit fœdo Calvini errore, me latet. Certe Ferum acriter reprehendit Franciscus Lucas Brugensis in Matthæum pag. 535. necnon Vossius Tom. VI. pag. 202. Forsitan Commentarios docti, facundique viri quidam hæreticorum depravaverat. Qua lingua ea verba Christus protulerit, non satis compertum est. Prolata Hebraice, & quemadmodum ea scripserat Psalmo XXI. regius Vates, tenent Erasmus in Matthæum, Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei c. 16. Estius in loca difficiliora. Pronuntiata Syriace censent hæresi 69. Epiphanius, Brugensis loco citato, & Lorinus in Psalmos pag. 365. His subscribo, quoniam priores voces, *Eli, Eli, lamma*, sunt Hebræis, Syrisque communes; imo priorem Marcus effert, *Eloi, Eloi*, quod propiùs accedit ad dialectum Syriacam. At *Sabacthani* vox Syrorum est, non Hebræorum, qui dicunt, עֻזַּבְתָּנִי *bbazauthani.* Ait Bellarminus scriptum priori modo causa pronuntiationis: at cum uterque Evangelista, Matthæus, & Marcus in hac voce conveniant, qui tamen discrepant in priori; quod Bellarminus ait, omnibus non probatur. Sunt qui observarunt, nunquam Græcos reddidisse, σ. pro ע, neque χθ pro בת. Cum ergo in Evangelio habeatur σαβάχθανι, *Sabacthani*, non videtur Jesum pronuntiasse Hebraice, עֻזַּבְתָּנִי *bbazauthani*, sed usum fuisse lingua Syriaca, sive potius permixta, aut Hebræa corrupta, qualis per id temporis obtinebat.

Postquam ergo hæc, aliaque nonnulla verba Redemptor noster protulerat, commendata piissima Matre discipulo, repromisso cœlorum regno latroni, & consummatis omnibus, quæ de eo scripta erant, *inclinato capite tradidit spiritum.* Hoc habet omnium redemptio complementum, hanc arrham fidelium expectatio, hunc

scopum amantium gemitus, hanc lucubratiuncula nostra coronidem. Optabat Paulinus in Epist. XII. ad Severum pag. 151. ut sanctissimi Crucifixi Imagini, in templis collocatæ, & aureo diademate redimitæ hi versus inscriberentur:

Cerne coronatam Domini super atria Christi
Stare Crucem, duro spondentem celsa labori
Præmia: tolle crucem, qui vis auferre coronam.

Explicit Liber undetrigesimus.

QUIN-

QUINTI VOLUMINIS PROPOSITIONES.

I. ADveniſſe prænuntiatum in lege Meſſiam liquet ex vaticinio Jacob, Gen. XLIX. 4

II. Fruſtra illud excutitur contortis, perverſisque commentationibus Rabbinorum. 9

III. Non juvant Hebræos variæ de ipſomet vaticinio Catholicorum ſententiæ. 13

IV. Refellitur quoque pervicacia Hebræorum oraculo Danielis cap. IX. 15

V. Artaxerſes, cujus Epocha ad percipiendas Danielis hebdomades plurimum deſervit, regno potitus eſt anno 464. ante Aeram Dionyſianam. 22

VI. Haud recte conſignatur annus ejusdem Artaxerſis viceſimus anno ante memoratam Aeram 453. ibid.

VII. Neque ab anno illo viceſimo, ſed à ſeptimo prædefinitæ à Daniele hebdomades initium ducunt. 23

VIII. Nihil ſuffragatur Hebræis falſata Rabbinorum ſuorum Chronologia. 27

IX. Accedit ad eorum confutationem promiſſio Prophetæ ſimilis Moyſi, Deuteronomii XVIII. 29

X. Item ſomnium Nabuchodonoſoris à Daniele explicatum: 31

XI. Necnon quæ de Bethlehem inquit cap. V. Michæas. 32

XII. Et Aggæus de gloria ſecundi Templi. ibid.

XIII. Meſſias verò Prophetarum ore promiſſus eſt JESUS NAZARENUS. 35

XIV. De ipſo Jeſu Nazareno perhibuit teſtimonium lib. XVIII. Antiquitatum Joſephus, autographum utique, ac genuinum. 38

XV. Hujus teſtimonii ſtilus undequaque phraſi Flavianæ conformis eſt. 40

XVI. Etiam Pagani ad credendum in Chriſtum, niſi ſponte clauderent oculos, invictis argumentis pertraherentur. 41

XVII. De illius Apotheoſi egit apud Senatum Tiberius, quamvis mancipatus idolorum ſuperſtitioni. 44

XVIII. Inania prorſus ſunt, quæ Gentiles objectant adverſus Dominicam Incarnationem. 47

XIX. Venit Chriſtus ad redimendum humanum genus, nequaquam venturus, ſi Adam in originali juſtitia perſeveraſſet. 50

XX. Ex Virgine absque virili ſemine conceptus eſt. 54

XXI. Nullius ſunt ponderis argumenta, quæ adverſus perpetuam Deiparæ Virginitatem audacter, & ſacrilegè proferebat Helvidius. 57

XXII. Divinum Verbum veram, & corpoream aſſumpſit carnem, 59

XXIII. Eamque non aliunde traxit, quàm ex illibato Mariæ Virginis utero. 61

XXIV. In Chriſti Genealogia à Matthæo, & Luca Evangeliſtis deſcripta nulla invenitur oppoſitio. 65

XXV. Neque inde eruitur parentes Virginis non fuiſſe proprio nomine appellatos Joachimum & Annam. 67

XXVI. Hebræi non abraſerunt ex libro Geneſis generationem Cainanis. 69

XXVII. Et tamen idem *Cainan* in Evangelio Lucæ non eſt mendoſe inſitus, nec per errorem intruſus. 70

XXVIII. Aſſumpta ex Virgine Chriſti caro non fuit ante paſſionem expers naturalium corporum affectionum. 73

XXIX. In eam ſententiam propendemus, quæ aſſerit Chriſti faciem neque fuiſſe inſigniter venuſtam, neque deformem. 74

XXX. Nulla paſſio accidit Salvatori reluctanti, & invito. 76

XXXI. Sed non caruit tamen ea paſſione, quæ vero dolore affecerit ipſius animum. 77

XXXII. Sanctus Hilarius Pictavienſis, ut Chriſto tribuit verum corpus ex Mariæ Virginis carne formatum, 79

XXXIII. Ita non denegavit Redemptori noſtro veriſſimi doloris ſenſum. 80

XXXIV. Non corpus tantummodo, ſed & animam humanam divinum Verbum aſſumpſit, 84

XXXV.

XXXV. Et quidem mente, sive intelligendi facultate non destitutam. 85
XXXVI. Christi intellectus non tantum divina scientia, verùm etiam infusâ, & creatâ fuit cumulate exornatus. 86
XXXVII. Habuit & scientiam experimentalem, & acquisitam. 87
XXXVIII. Fuit in eodem Christo adhuc viatore scientia Beatorum, viditque perspicuè in hac mortali vita divinitatem. ibid.
XXXIX. At non habuit, in quantum homo, scientiam infinitam & comprehensivam. 88
XL. Duæ quoque admittendæ sunt in Christo Domino voluntates: 93
XLI. Quæ adversus Macarium, Pyrrhum, cæterosque Monothelitas appellari debent duæ voluntates *naturales*. 95
XLII. Non debet in Christo propugnari una duntaxat operatio. ibid.
XLIII. Honorius I. Romanus Pontifex in suis ad Sergium Epistolis nequaquam Monothelitis adhæsit; 99
XLIV. Nec ullatenus attendendum est quidquid adversus eundem Honorium vel ex Actis Sextæ Synodi, vel aliunde deprom.-tur. 101
XLV. Beatissima Christi anima iis perfectionibus, quæ ad voluntatem solent referri, cumulatissimè prædita, fuit exornata quolibet genere sanctitatis. 107
XLVI. Nullam habuit, nec potuit habere peccati maculam; 109
XLVII. Tametsi perfectissimâ arbitrii libertate polleret. 111
XLVIII. Unionem utriusque naturæ substantialem, atque *hypostaticam* revera negavit impiissimus hæresiarcha Nestorius. 115
XLIX. Quidquid is temerè effutierit; admittenda est in Christo una duntaxat Persona: 119
L. Et glorioſissima Virgo verè, ac propriè Θεοτόκος, id est, Deipara est appellanda. 123
LI. Divus Cyrillus invictissimus insectator Nestorii immeritò insimulatus fuit hæresis Apollinarii, 127
LII. Singuli enim Anathematismi ejusdem Cyrilli doctrinam continent orthodoxam. 131
LIII. Joannes Antiochenus, & cæteri Orientales, qui prælaudatos Anathematismos aliquando repudiarunt, nunquam probaverunt Nestorii, aut Pelagii nefaria dogmata, 135
LIV. De Theodoreto tamen certum proferri nequit judicium, nisi tempora, ejusque scripta sedulò distinguantur. 137
LV. Tria Capitula à V. Synodo jure meritoque fuerunt proscripta. 142
LVI. Refellitur cum Nestoriana hæresis Eutychetis: duæ enim sunt in Christo post adunationem naturæ, distinctæ invicem, atque impermixtæ, eadem licèt hypostasi subsistentes. 154
LVII. Fungum habuit pro cerebro Avitus Academicus, dum in homilia quadam *Clementis XI.* Pontificis Maximi visus sibi est subodorare Eutychiani dogmatis pravitatem. 159
LVIII. *Hypostaticam* unionem non esse *entitatem* quamdam ab extremis, ut inquiunt, distinctam rectè asserunt Scholasticorum complures. 161
LIX. Consentiunt autem omnes eandem unionem substantialem esse, omnium maximam, & indissolubilem. 163
LX. Illam nec sancti Patres, nec beatissima Virgo, imo nec ipse Redemptor, potuerunt (quantum ad *substantiam* attinet) promereri. 164
LXI. Quæstionem scholasticam, an eandem naturam, quam Filius assumpsit, potuissent etiam assumere Spiritus sanctus, ac Pater, 166
LXII. Ac alteram, num una Persona assumere queat naturas duas, 167
LXIII. Necnon quæ à nonnullis agitatur de natura irrationali, utpote parvi momenti, brevi juxta communiorem sententiam resolvimus. ibid.
LXIV. At paulo accuratius pertractamus de iis, quæ unionem hypostaticam consequuntur, ac primùm in Christo Domino propugnamus communicationem idiomatum; 170
LXV. Minimè tamen admittenda est permutatio vocabulorum inter unam, & alteram Christi naturam: 171
LXVI. Refutantur propterea *Ubiquistæ*, autumantes in humanam Christi naturam fuisse transfusam omnipræsentiam. 173
LXVII. Deinde refellitur error Felicis & Elipandi, qui affirmaverunt Christum esse Filium Dei adoptivum in sensu Nestoriano; 178
LXVIII. Nequit enim Christus appellari Filius adscititius, aut adoptivus, etiam *secundum humanitatem*. 181
LXIX. Et nihilominus Christus Jesus rectissime dicitur ab Apostolo *prædestinatus Dei Filius*. 188
LXX. Cur verò appellari nequeat filius Spiritus sancti, ratio producitur manifesta. 191
LXXI. Etsi contradictionem non implicet Christum dici aliquo pacto Dei servum, 193
LXXII. Nec repugnet ipsum appellari, ratione assumptæ *humanitatis*, creaturam; 196
LXXIII. Congruum tamen magis est ab iis, & consimilibus enuntiationibus abstinere. 197

LXXIV. Uti possumus pertractantes de unione *hypostatica*, compositionis vocabulo, dummodo à nobis Nestorii, & Eutychetis phrases cautè vitentur. 199
LXXV. Hæc enuntiatio, *Unus è Trinitate passus est carne*, est Catholica & orthodoxa. 201
LXXVI. Monachi Scythæ hujus propositionis assertores, quamvis tumultuose, ac turbulenter se gesserint, ab hæresi tamen Eutychiana fuerunt immunes. 203
LXXVII. Disputantes præterea, quantum huc spectat, de Christi Sacerdotio, asserimus *Melchisedech* non esse Angelum, neque Virtutem quamdam cœlestem, neque Spiritum sanctum, neque ipsummet Filium Dei. 206
LXXVIII. An fuerit autem Sem filius Noe, an Chananæus genere, incertum: videtur nobis hoc postremum esse probabilius. 208
LXXIX. Christus itaque est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, quoniam in hujus Sacerdotis oblatione præfiguratum fuit sacratissimum Eucharistiæ sacrificium 210
LXXX. Rex etiam fuit Dominus Jesus Christus, habens regni tam spiritualis, quàm temporalis plenissimam potestatem. 218
LXXXI. Caput item omnium Prædestinatorum, universorumque supremus Judex. 221
LXXXII. Insuper de satisfactione & merito Christi differentes, præmittimus potuisse Deum *absolutè* reparare perditos homines absque Christi morte, & liberali condonatione. 224
LXXXIII. Facta tamen hypothesi, quod Deus decreverit complendam hominum redemptionem reparata injuria sibi per culpam illata, & soluto pretio captivitatis, necessariam fuisse Christi satisfactionem. 226
LXXXIV. Ostendimus unde hac in parte profluxerit perniciosissimus error Socinianorum. ibid.
LXXXV. Adversus pestiferam istorum hæresim affirmamus Christum Jesum revera esse humani Generis Redemptorem: 229
LXXXVI. Hanc redemptionem peractam soluto pretio, non prædicatione sola, aut exemplo: ibid.
LXXXVII. Idcirco Christum mortem pertulisse, ut nos erueret à peccato, dæmonisque captivitate: 230
LXXXVIII. Perferendo mortem peccatorum nostrorum luisse pœnas: 232
LXXXIX. Fuisse affixum cruci pro peccatis nostris hostiam & sacrificium: 234
XC. Nos per hanc eandem hostiam Deo reconciliatos fuisse: 237
XCI. In hac reconciliatione veram adinveniri peccatorum expiationem: 238
XCII. Deum noluisse peccata nobis dimittere, non exhibita divinæ justitiæ satisfactione: 241
XCIII. Id esse quammaxime decens, Deoque dignissimum: 242
XCIV. Non fuisse injustum, quòd Christus subierit pro nobis Crucis patibulum. 244
XCV. Dogma istud Catholicum, quod contra Socinianos defendimus, corroboratur Patrum traditione perpetua. 246
XCVI. Nullius sunt momenti ad ipsum dogma labefactandum quælibet Socinianorum sophismata. 249
XCVII. Exhibita à Christo satisfactio nedum æquivalens fuit, verum etiam superabundans. 266
CVIII. Interfuerunt in eadem satisfactione conditiones omnes, quæ requiruntur ad exactas justitiæ leges. 269
XCIX. Non poterat Deo condignè satisfacere creatura rationalis obstricta peccato. 275
C. Imo nec creatura quælibet *pura*, quantumvis gratiâ, meritoque exornata. 276
CI. Pertinet ad universos homines Christi redemptio. 279
CII. Qui asseruit ab hoc universali beneficio alienas esse mulieres, delirus fuit, ac insanus. 281
CIII. Erravit ex opposito Origenes autumans Christum esse redemptorem dæmonum etiam ac damnatorum. 285
CIV. Apostolorum Princeps non ait Dominum descendisse ad Inferos, ut inde impios & incredulos liberaret. 287
CV. Merita Christi infiniti sunt pretii. 291
CVI. Quælibet ipsius oratio *absoluta* exaudita fuit à Patre. 293
CVII. Competit ei peculiari modo titulus Mediatoris. 294
CVIII. Est autem Mediator, *ut Deus, & homo*; in quantum opera redemptionis prodierunt ex humana natura, & habuerunt à persona Verbi pretium, valorem, ac dignitatem. 295
CIX. Etiamnum sedens à dextris Dei piissimus Jesus orat, & interpellat pro nobis; atque officium Mediatoris exercet. 296
CX. Ut nonnulla denique proferamus ad historiam peractæ reparationis spectantia, certum est Herodem, quo in Palæstina regnante natus est Jesus, non fuisse Judæum genere, sed *allophylum*. 98
CXI. Probabilior nobis videtur eorum sententia, qui illum existimant Idumæum, quàm eorum, qui faciunt Ascalonitam. 299

CXII. Duplex Herodiana Epocha distinguenda est, quarum prima figenda est in anno U. C. 714. Coss. Domitio Calvino II. & Asinio Pollione, 301
CXIII. Altera in anno, quo expugnata fuit Jerosolyma, ab U. C. ut arbitramur probabilius, 717. Coss. Agrippa & Gallo. 302
CXIV. Obiit autem Herodes ante solemnitatem Azymorum, anno à condita U. 751. Coss. Lentulo, ac Messalino. 303
CXV. Quod Recentiores definiunt, Herodem decessisse anno Urbis 750. labente Novembri, nobis penitus non probatur. 304
CXVI. Cum itaque Christus natus sit in diebus Herodis regis, contigit salutifera Nativitas ante præcitatum Urbis annum 751. ac sententia quidem nostra, anno 749. Coss. Augusto XII. & Sulla. 309
XVII. Natale tamen Christi Dionysianum solido quadriennio post veram Nativitatem locandum est; & initium Aeræ vulgaris consignandum anno U. C. 754. C. Cæs. Aug. F. & L. Aem. Paulo Consulibus. ibid.
CXVIII. Salvator Mundi, ut Romana tenet Ecclesia, natus est VIII. Kalendas Januarias. 313
CXIX. Perperam submorosi Critici risu excipiunt, quæ de brutis ad præsepe Domini accubantibus plebs Christiana sibimet persuadet. 317
CXX. Idem judicium ferendum est de Magis Christi Domini adoratoribus: quos Toparchas, & reges fuisse probabilitate non caret. 319
CXXI. Adorarunt Magi puerum Jesum latriæ cultu, non civili duntaxat, qualem Orientis populi Regibus præbent suis. 322
CXXII. Domus Nazaretana Christi Incarnatione atque habitatione percelebris, anno 1294. sedente, ut refert Angelita, Bonifacio VIII. sive potius paucis diebus antequam Cælestinus V. proficisceretur in solitudinem, è Tarsatica in Lauretanum agrum divinitus transvecta est. 324
CXXIII. Cum Dominus sit baptizatus & crucifixus imperante Tiberio, atque ad tempus peractæ Redemptionis definiendum figenda sit Epocha Tiberiana; dicimus ipsum Tiberium adeptum fuisse imperium Proconsulare anno U. C. 765. Coss. Cæsare, & Capitone. 327
CXXIV. Jesus igitur ad baptismum venit vertente anno XV. imperii Tiberii Cæsaris, Urbis Conditæ 779. ætatis suæ ineunte trigesimo. 329
CXXV. Baptizatus est VIII. Idus Januarias. 334
CXXVI. Inter Christi baptismum, ejusque passionem tres anni, ac tres fere menses interceserunt. 336
CXXVII. Elegit interim Apostolos, & Evangelium nuntiavit. 339
CXXVIII. Petrus appellatus est *Cephas* propter Ecclesiæ primatum. ibid.
CXXIX. Aliorum Apostolorum nomina explicantur. 340
CXXX. Proditoris Judæ patria non fuit urbs *Carioth*, sed *Scharioth* oppidum tribus Ephraim. ibid.
CXXXI. Confirmavit Dominus prædicationem suam miraculis divina virtute patratis, inter quæ eximium, maximumque fuit Lazari suscitatio. 341
CXXXII. Epistola, quam ad Christum scripsisse fertur Abagarus Edessenorum Toparcha, & altera, qua ad eundem Abagarum dicitur Dominus dedisse responsum, quamvis non sint exploratissimæ auctoritatis, tanquam genuinæ possunt magna probabilitate defendi. 343
CXXXIII. Subiit Dominus Crucis patibulum anno Vulgar. Aeræ XXIX. Consulibus duobus Geminis. 345
CXXXIV. Die autem mensis Martii quinta ac vicesima. 348
CXXXV. Ab hac sententia, Patrum testimoniis, & annorum Christi supputationibus corroborata, nequaquam debemus recedere ob lunæ phases, aut calculos astronomorum. 350
CXXXVI. Prima acerbissimæ Christi passionis actio evenit in Horto Gethsemanis, ubi factum in agonia sudasse grumos sanguinis, verissima historia est, non assuta Evangelio Lucæ narratio. 353
CXXXVII. Ibidem à Romana cohorte, missisque à Judæorum Senatu apparitoribus comprehensus est, ductore, ac proditore Juda, qui Deum, ac Magistrum suum vendidit triginta siclis argenteis, id est, 120. drachmis. 354
CXXXVIII. Tam vili venditus Dominus, post quædam judicialia acta immanissimè flagellis cæsus est, non quadraginta tantum ad correctionem verberibus, sed innumeris, iisque atrocissimis ad Judæorum livorem, & odium satiandum. 355
CXXXIX. Coronatus deinde ad ludibrium augendum spineo diademate, non è marinis juncis plexo, sed è sentibus rhamni. 357
CXL. Proficiscenti ad Golgotham abstersisse vultum sanguine, ac sudore manantem piam Jerosolymitanam mulierem, & expressam in ejus Velo Redemptoris imaginem, non est excogitatum à Mariano Scoto commentum. 359
CXLI. Non discrepant circa horam Dominicæ Crucifixionis Marcus, & Joannes Evangelistæ. 360
CXLII. Crux Domini arrectario, transversoque lignis fabricata est. 361

CXLIII.

CXLIII. Ipſi cruci affigendum Dominum prænuntiaverat Pſ. xxi. regius Vates. ibid.
CXLIV. Non eſt planè certum ſanctiſſimæ Crucis lignum fuiſſe ex robore, aut quercu; etſi in hanc ſententiam deſcenderint Recentiorum quamplurimi. 362
CXLV. In eadem hæſitatione ſumus circa lignum Crucis ſuppedaneum. ibid.
CXLVI. Valdè eſt probabile, non tamen prorſus compertum, Cruci Redemptorem noſtrum ſuffixum fuiſſe quatuor clavis. 363
CXLVII. Fertur Dominus Jeſus dum penderet è Cruce, ad Occidentem ſpectaſſe. 364
CXLVIII. Ludunt operam, qui unius A. Gellii teſtimonio probare nituntur Domini crucifixiores fuiſſe Bruttios. *ibid.*
CXLIX. Moriente Domino tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, non ſuper ſolam Judæorum regionem. 365
CL. Poſtrema Chriſti verba linguâ, quæ tunc temporis obtinebat, fuere prolata. *ibid.*

INDEX

RERUM, ET MATERIARUM,

IN

QUINTO HOC LIBRO CONTENTARUM.

NB. *Primus numerus sub Lit.* P. *Denotat paginam. Alter sub Lit.* N. *Significat Numerum Marginalem.*

A.

Aaron: an Christus non sit potiùs Sacerdos secundùm Ordinem Aaron, quàm Melchisedech? p. 215. n. 7. 8. 9. & 10. ex figura illius Sacrificii probatur, quòd Christus in cœlo non immoletur. p. 234. num. 6.

Abaelardus negat peccatum Originale, & Redemptionis necessitatem. p. 226. n. 10. unde Christum passum affirmat, ut nobis exemplum relinqueret. *ibid.* refutatur. p. 249. n. 1. tot. cap. V. & p. 272. n. 1. tot. cap. VII.

Abagarus: an scripserit Epistolam ad Christum, & ab hoc responsum tulerit? p. 343. n. 11. & seq.

Abel: cur Christus non sit Sacerdos secundùm Ordinem Abel? p. 210. n. 12. an Abel sit salutem consecutus sine satisfactione Christi? p. 257. n. 13. & 14.

Abrahamus: ob communicationem Idiomatum Christus dicitur Abrahamo antiquior. p. 170. n. 2. & seq. an Melchisedech fuerit dignior Abrahamo? p. 209. n. 8. & 9. ad p. 212. n. 15. Aries pro Isaac ab Abrahamo immolatus figurabat Christum pro peccatoribus Oblatum. p. 256. n. 12. & spinis coronatum. p. 357. n. 9. quomodo viderit diem Christi? *ibid.* quomodo intelligendum illud? *quinquaginta annos necdum habes, & Abraham vidisti.* p. 338 n. 4.

Absconditus: fœmina *abscondita* designat in Scriptura Virginem. p. 54. n. 2. & seq.

Acceptio: quomodo Socinus, & quomodo Christianus explicent illud? *Personarum acceptio non est apud eum.* p. 272. n. 1.

Acephalus: unde hi hæretici hoc nomen acceperint? p. 141. n. 1. rebellarunt contra Episcopum Alexandrinum. *ibid.*

Acœmeta: Monachi acœmetæ negantes Christum esse unum de Trinitate tanquam Nestoriani sunt damnati. p. 202. n. 8.

Acta insignia Pilati in laudem Christi data, sunt argumentum efficax Religionis nostræ. p. 44. n. 7. hæc acta sunt genuina. *ibid.* & seq. propter hæc acta petiit Tiberius Christi Apotheosin. *ibid.* Critici id negantes refutantur. *ibid.*

Actio Christi nulla, sive agat assumpta forma, sive Divina, sejungenda est à communione Personæ, & sic omnis actio Christi est infinita. p. 269. n. 8.

Adam: an Christus venisset, si Adam non peccâsset? p. 49. n. 1. tot. cap. XII. an Adam ex natura sua fuerit doloribus, & morti obnoxius? p. 78. n. 9.

Adeps: Crematio adipis figurabat dilectionem Christi erga nos. p. 234. n. 6.

Adimpleo: quomodo intelligendum illud? *adimpleo ea, quæ desunt passioni Christi in carne mea.* p. 268. n. 7.

Admiratio quomodo in Christo fuerit? p. 89. n. 11.

Adolescens: in qua ætate quis vocetur adolescens? p. 307. n. 22.

Adopti-

Adoptivus: an Christus possit dici filius Dei adoptivus? p. 177. n. 1. & seq. saltem secundùm humanitatem? p. 181. n. 11. & seq. quis sit filius adoptivus; p. 183. n. 14. an Nathan sit filius Davidis adoptivus, vel naturalis ex Bersabee uxore Uriæ? p. 217. n. 12. & 13.

Adoratio Magorum fuit religiosa, & indicavit Divinitatem Christi. p. 322. n. 13. 14. & 15.

Adultus: cur non salvetur nisi volens? p. 249. n. 1. & seq.

Æneus: vid. *Serpens.*

Æra: quot annis ante æram vulgarem Christi inceperit Regnum Persarum? p. 21. n. 1. & seq. æra Vulgaris Dionysiana incepit anno U. C. 754. p. 308. n. 1. & 2. æra Diocletiana incepit anno Christi. 284. p. 309. n. 3. & seq. æra Martyrum Alexandrinorum incepit annô Christi 284. *ibid.* Ecclesia utitur in Martyrologio Romano æra Vulgari Dionysiana. p. 312. n. 8. & 9.

Æternitas tribuitur Christo contra Socinianos, & Ebionæos. p. 197. n. 12.

Æther: plures dicunt, corpus Christi esse formatum de cælo, æthere, sideribus, p. 54. n. 1. vid. *Corpus.* refutantur. p. 76. n. 1. & seq.

Æthiops: cur tres Magi dicantur Æthiopes? p. 321. n. 10.

Aggæus: quòd Messias jam advenerit, probatur ex Aggæo Propheta. p. 32. n. 10.

Agnoita sive Corrupticola denegat Christo scientiam. p. 86. n. 1.

Agnus: cur Christus dicatur Agnus? p. 246. n. 1. & seq.

Agonia: textus S. Lucæ, quòd Christus in Agonia sit confortatus ab Angelo, est Genuinus. p. 353. n. 1.

Alexander nequit compari Christo. p. 47. n. 1. & 2.

Alexandria: æra Martyrum Alexandrinorum incepit annô Christi. p. 284. p. 309. n. 3. & seq.

Altare: vid. *Eucharistia.*

Amor: vid. *Charitas.*

Anastasius negat cum Nestorio B. Virginem posse dici Deiparam. p. 114. n. 1. & seq. impugnatur. p. 123. n. 1. & seq.

Anathema: vid. *Excommunicatio.*

Anathematismus: explicantur duodecim Anathematismi â S. Cyrillo contra Nestorium conscripti. p. 131. n. 12. & seq. capitulum Theodoreti hos impugnans ut Nestorianum rejectum est. p. 141. n. 1. & seq.

Ancyranus: vid. *Marcellus.*

S. Andreas: quid significet hoc nomen? p. 340. n. 7.

Andreas Osiander: vid. *Osiander.*

Angelus: quomodo Christo apparuerit Angelus confortans? p. 90. n. 15. & seq. Origenes, & Didymus dixerunt Melchisedech esse Angelum. p. 206. n. 1. refutantur *ibid.* & seq. Christus est caput hominum, & Angelorum p. 220. n. 7. & 8. an gratia, gloria, & perseverantia Angelorum sit ex Merito Christi? p. 221. n. 9. & 10. an nec Angelus potuisset Deo satisfacere pro peccato? p. 276. n. 3. Angeli boni erant irati ob peccatum nostrum, sunt autem pacificati per mortem Christi. p. 286. n. 14. 15. & 16. Origenes putabat, Christum etiam pro Angelis, & astris mortuum, ac ideò pœnas inferni non esse perpetuas. p. 285. n. 12. & seq. an idem docuerint S. Hieronymus, & Tertullianus? *ibid.* Christus non assumpsit naturam Angeli, ut dæmones liberaret, nec assumet. p. 285. n. 13. Domus Nazarethana verè fuit è Syria translata Angelorum ministerio Terfactum, inde in agrum Picentinum, nunc Lauretum. p. 324. n. 16. & seq. textus S. Lucæ dicentis, Angelum confortasse in agonia constitutum Christum, est genuinus. p. 353. n. 1.

Anima: Christus assumpsit animam humanam. p. 84. n. 1. hanc ei plures denegant substituentes pro anima Divinitatem. *ibid.* & seq. Apollinaristæ admisêre in Christo animam sensitivam, mente, & ratione privatam. *ibid.* secundùm Philosophos recentiores sola anima rationalis potest sentire. p. 85. n. 5. probatur animam Christi habuisse mentem & intellectum. p. 85. n. 6. & seq. anima Christi præter scientiam increatam habuit scientiam infusam creatam. p. 86. n. 1. & seq. acquisitam, & experimentalem. p. 87. n. 4. Beatificam. p. 87. n. 5. ac p. 90. n. 15. & seq. non autem comprehensivam. p. 88. n. 6. & seq. quomodo in anima Christi simul esse potuerit scientia Beatifica, & summa tristitia? p. 90. n. 15. & seq. qui in Christo astruit Carnem sine anima, aut solam animam sensitivam concedit, Monothelita est. p. 92. n. 1. & seq. quomodo Christus pro nobis animam suam posuerit, & quomodo nos pro fratribus debeamus animam ponere? p. 253. n. 7. & 8

Animal: in veteri lege animalia mactabantur locò peccatorum. p. 256. n. 12. figurabatur Christus pro nobis crucifigendus, & moriturus. *ibid.*

S. Anna: in quo sensu possit dici avia Dei? p. 126. n. 12. & 13. an Beatissimæ Virginis Parentes fuerint Joachim & Anna? p. 67. n. 5. & seq. unde habeat ortum. p. 68. num. 7.

Annuntiatio B. Virginis contigit 25. Martii. p. 33. n. 2. ac p. 345. n. 2. ac p. 348. n. 3. die eodem Christus est mortuus. *ibid.*

Antiochenus Joannes: vid. *Joannes.*

Antiochus: de Antiocho Epiphane non potest intelligi prophetia Danielis. p. 19. n. 15. & 16.

Antipsychus: Soldurii apud Gallos, & Decii apud Romanos vocantur *Antipsychus*: quia se pro aliis morti tradunt. p. 229. n. 2.

Appellejanus docuit, corpus Christi esse formatum de cælo, æthere, sideribus. p. 54. n. 1. v. *corpus* refutatur. p. 76. n. 1. & seq.

Aphthartodocita: hi hæretici progressi sunt â Juliano Halicarnasseo, & Gaino. p. 72. n. 1. docuerunt Christum assumpsisse corpus incorruptibile. p. 72. n. 1. in suum errorem induxerunt plures etiam Hierarchas primarios, & Monachos. *ibid.* imò & ipsum Imperatorem Justinianum, qui postea omnes Episcopos vi ad sibi consentiendum cogere voluit. *ibid.* refutantur. p. 76. n. 1. & seq. dicunt passionem Christi factam per miraculum. *ibid.*

Apollinarista negat Christum habuisse animam humanam. p. 84. n. 1. & seq. asserit vicem animæ gessisse Divinitatem. *ibid.* tandem Christo tribuit animam sensitivam mente, & ratione carentem. *ibid.* refutatur *ibid.* & seq. est annumerandus Monothelitis. p. 92. n. 1. sentit cum Nestorio in materia unionis hypostaticæ. p. 118. n. 9. & 10. S. Cyrillus ob Capitula quædam â Nestorio habetur ùt Apollinarista, aut Arianus. p. 115. n. 2. sed defenditur ab hac noxa. p. 128. n. 3. & seq. Eutyches cum Apollinaristis docuit, carnem Christi ita esse Divinitate absorptam, ut non nisi corpus phantasticum haberet, & Divinitas fuerit cruci affixa. p. 153. n. 1. & 2. uterque refutatur. p. 154. n. 3. & seq.

Apollonius nequit comparari Christo. p. 47. n. 1. & 2.

Apostolus: Divinum est opus, quôd per Apostolos, homines rudes, & plebejos Evangelium sit prædicatum. p. 41. n. 1. & seq. in quo sensu verbum dici possit Apostolus. & Sacerdos? p. 134. n. 22. Christus est auctor reconciliationis soluto pretio, Apostoli autem per prædicationis officium. p. 254. n. 9. & 10. de vocatione Apostolorum. p. 339. n. 6. quid significent hæc nomina *Simon Petrus*? *ibid.* cur idem dictus sit Cephas? *ibid.* an Petrus, vel Christus, vel fides sit Petra? *ibid.* quid significet nomen Paulus? p. 340. n. 7. quid significet nomen Andreas? *ibid.* quid Jacobus, & Joannes filii Zebedæi? cur dicti Bonanerges? *ibid.* quid Philippus? unde ortum traxerit? *ibid.* quid Bartholomæus? an idem sit ac Nathanaël. p. 340. n. 8. quid Matthæus, qui & Levi dicitur? *ibid.* quid Thomas, qui & Didymus appellatur? cur dicatur geminus? *ibid.* quid Judas Thaddæus? cur dictus etiam Lebbæus? *ibid.* quid Simon Chanæus? *ibid.* cur Judas proditor vocetur Iscariotes? an natus sit in vico Scharioth, vel in urbe Carioth? p. 340. n. 9.

Apotheosis: Tiberius ob acta in laudem Christi â Pilato data petiit illius apotheosin. p. 44. n. 7. Critici hoc negantes refutantur. *ibid.* & seq.

Aqua: vid. *Mutatio.* petra, unde fluxerunt aquæ, figurabat Christi latus apertum. p. 255. n. 11. & 12.

Arabia: an tres Magi fuerint ex Arabia? p. 321. n. 10.

Arbitrium: ad libertatem requiritur indifferentia arbitrii. p. 114. n. 25.

Arca: an Corvus rediêrit in Arcam? p. 10. n. 7. & 8. Arca Noë Christi incarnationem, mortem, & resurrectionem figurabat. p. 255. n. 11. & 12. item Ecclesiam. *ibid.*

Archelaus Rex quô annô in exilium sit pulsus? p. 303. n. 14. & seq.

Argenteus: quanti pretii erant triginta argentei Sicli, quibus venditus est Christus? p. 354. n. 2. 3. & 4.

Argentum: in quo sensu dicamur *empti sine argento*? p. 251. n. 3. & 4.

Arianus negat, Christum habuisse animam humanam, sed hujus vicem gessisse Divinitatem. p. 84. n. 1. & seq. negat de Christo sapientiam. p. 86. n. 1. Arianus negat, Verbum, & Spiritum S. scire judicii diem. p. 90. n. 14. est annumerandus Monothelitis. p. 92. n. 1. denegat Christo Divinitatem. p. 132. n. 16. S. Cyrillus ob capitula quædam â Nestorio habetur ùt Apollinarista, & Arianus. p. 115. n. 2. sed defenditur ab hac noxa. p. 128. n. 3. & seq. Oratio Christi demonstrat ejus Divinitatem, non aliquam subjectionem, ùt putant Ariani. p. 293. n. 8.

Aries pro Isaac ab Abrahamo immolatus figurabat Christum pro peccatoribus immolandum. p. 256. n. 12. ac spinis coronandum. p. 357. n. 9.

Arphaxad: nomen Cainan est aliud â nomine Arphaxad, & Sale. p. 72. n. 8.

Artaxerses: statuitur Epocha Regni Artaxersis. p. 21. n. 1. seq. hebdomadæ Danielis incepêre ab anno septimo Artaxersis. p. 23. n. 5.

Asinus: an in Christi præsepio verè fuerint Bos, & Asinus? p. 318. n. 2. 3. 4. & 5.

Asphyxia: vid. *Morbus.*

Astra: Origenes putabat, Christum etiam pro astris mortuum. p. 285. n. 12. an idem docuerint S. Hieronymus, & Tertullianus? *ibid.* & seq.

Astronomicus: probatur ex calculis astronomicis, Christum esse mortuum die 25. Martii. p. 351. n. 7. & seq.

S. Augu-

S. Augustinus: quomodo exponat priorem Epistolam S. Petri. cap. III. vid. 18. 19. 20. p. 287. n. 17. huic contradicit Bellarminus. p. 288. n. 18. sed non potest expositio S. Augustini aliqua censura notari. p. 288. n. 19. eam sequuntur plures Doctores. *ibid.* ac ulterius laudatur. *ibid.* & seq.

Augustinus de Roma defenditur. p. 88. num. 7.

Avia Dei an dici possit S. Anna. p. 126. n. 12. & 13.

Avitus immeritò arguit Clementem XI. in sua Homilia hæresis Eutychianæ. p. 159. n. 1. & seq.

B.

Babylonicus: an tempore Captivitatis Babylonicæ defecerit Sceptrum de domo Juda? p. 4. n. 1. ac p. 11 n. 9. & 10.

Baptismus: cur infans salvetur per Baptismum, etsi non possit habere actum voluntatis propriæ? p. 249. n. 1. & seq. an Baptismus sit pro viris tantùm institutus? p. 282. n. 7. 8. & 9. quo ætatis anno Christus Baptismum receperit? p. 329. n. 6. & seq. Christus à Joanne Baptismum recepit die 6. Januarii. p. 334. n. 20. 21. & 22. inter Baptismum Christi, & mortem intercedebant quatuor Paschata. p. 336. n. 1. & 2.

Baptizo: ob communicationem Idiomatum Christus dicitur Baptizatus, & Baptizans. p. 170. n. 2.

Bardesanista docuit corpus Christi esse formatum de Cœlo, æthere, sideribus. p. 54. n 1. vid. *Corpus*, refutatur. p. 76. n. 1. & seq.

Barrabbas humani generis typum gessit. p. 358. n. 10.

S. Bartholomæus: quid significet hoc nomen? & an idem sit ac Nathanaël? p. 340. n. 8.

Basilides docuit, Corpus Christi esse formatum de cœlo, syderibus, æthere. p. 54. n. 1. vid. *Corpus*. refutatur. p. 76. n. 1. & seq.

Beatus: an Christus ut viator habuerit scientiam Beatorum? p. 87. n. 5. ac p. 90. n. 15. & seq. an cum hac stare potuerit summa tristitia in eodem Christo? *ibid.* vid. *Sanctus*.

Bellarminus: vid. *S. Augustinus*.

Bersabea: vid. *Urias*.

Boanerges: cur filii Zebedæi Joannes & Jacobus vocati Boanerges? p. 340. n. 7.

Bos: an in Christi præsepio verè fuerint bos & asinus? p. 318. n. 2. 3. 4. & 5.

Bruttius: an incolæ Calabriæ Bruttii dicti fuerint crucifixores Domini? p. 364. n. 21.

C.

Cædes Hypatiæ non potest imputari S. Cyrillo. p. 127. n. 1. & 2.

Cælum: plures docuerunt, Christi corpus de cœlo, æthere, sideribus esse formatum. p. 54. n. 1. vid. *Corpus*. refutantur. p. 76. n. 1. & seq. quomodo intelligendum illud, *filius Hominis, qui est in cælo*? p. 119. n. 11. quomodo Christus ascenderit in cœlum, ut impleret omnia corporaliter? p. 176. n. 15. & 16. Christus in cœlo non immolatur, ut putant Polonî fratres. p. 234. n. 6. hoc probatur ex figura Sacrificii Aaronis. *ibid.* solvuntur objectiones. p. 249. n. 1. tot. cap. V. & p. 272. n. 1. tot. cap. VII.

Cæremonialia nequeunt intelligi per chirographum. p. 238. n. 8.

Cæsarea quo anno condita? p. 306. n. 20. & 21.

Cainan: an in Genealogia Christi à D. Luca descripta nomen Cainan sit superfluum, vel sit omissum in libro Geneseos? p. 69. n. 1. & seq. nomen Cainan est aliud à nomine Arphaxad, & Sale. p. 72. n. 8.

Caiphas: quomodo intelligendum illud? *expedit vobis, ut unus moriatur homo prò populo*? p. 230. n. 4.

Calabria: an incolæ Calabriæ Bruttii dicti fuerint crucifixores Domini? p. 364. num. 21.

Calamitas: si Christus satisfecit, cur patimur mortem, & hujus vitæ Calamitates? p. 262. n. 17. & 18.

Calix: quomodo exaudita sit oratio illa: *Pater mi! si possibile est, transeat à me calix iste*? p. 293. n. 10.

Calvaria: de monte Calvariæ, seu Golgotha. p. 360. n. 12.

Calvinus: hujus asseclæ docent, Christum tantùm mortuum esse pro electis ante mundi constitutionem. p. 279. n. 1. & seq. refutantur. *ibid.* tribuit Mediatoris Officium humanæ, & divinæ naturæ. p. 294. n. 13. sententia Authoris. p. 295. n. 15.

Capitulum: S. Cyrillus ob capitula quædam à Nestorio habetur ut Apollinarista, aut Arianus. p. 115. n. 2. sed defenditur ab hac noxa. p. 128 n. 3. & seq. cur capitula S. Cyrilli rejecerit Joannes Antiochenus? p. 136. n. 3 an tria capitula Theodoreti contra S. Cyrilli anathematismos, Ibæ, & Theodori Mopsuesteni rectè ut Nestoriana fuerint proscripta? p. 141. n. 1. & seq. adversus hæc capitula edictum

edidit Justinianus Imp. *ibid.* & quidem ex instinctu Origenistarum Authore Theodoro Cappadoce. *ibid.* quid dicendum de *Judicato* â Vigilio Papa edito contra tria capitula? p. 141. n. 2. & seq. alia adhuc notanda de his capitulis afferuntur, *ibid.*

Captivitas: an tempore captivitatis Babylonicæ defecerit Sceptrum de Juda? p. 4. n. 1. ac p. 11. n. 9. & 10. Christus nos verè redemit â captivitate dæmonis. p. 229. n. 2. & seq. ideò enim mortem pertulit. p. 230. n. 4. voluit Christus hominem â captivitate dæmonis liberare non potentia, sed justitia p. 242. n. 3. solvuntur sophismata Socini negantis, Christum, pro nobis satisfeciſſe. p. 249. n. 1. tot. cap. V. & p. 272. n. 1. tot. cap. VII. an verbum *Redimo* nil aliud significet, quàm sine soluto pretio liberare â captivitate? p. 251. n. 3. & 4. Christus nos liberando è captivitate dæmonis non debuit manere hujus captivus, sed cum hoc in morte sua captivam duxit captivitatem. p. 253. n. 7. & 8.

Caput: Christus est caput hominum, & Angelorum. p. 220. n. 7. quid requiratur, ut quis sit caput cæterorum? *ibid.* & n. 8. cur mulier debeat velare caput? p. 282. n. 7. 8. & 9.

Carcer: quomodo intelligendum illud? *in quo & iis, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit: qui increduli fuerant aliquando, cùm fabricaretur Arca Noë.* quomodo S. Augustinus hunc locum exponat? p. 287. n. 17. & 18. ei contradicit Bellarminus. p. 288. n. 18. expositio S. Augustini non potest aliqua censura notari. p. 288. n. 19. eam sequuntur plures Doctores. *ibid.* ac ulterius laudatur. *ibid.* & seq.

Carioth: an Judas proditor natus sit in urbe Carioth? p. 340. n. 9.

Caro Christi non est de cœlo delapsa, sed ex B. Virgine procreata. p. 59. n. 1. tot. cap. II. quidam docuerunt, Christum assumpsisse carnem incorruptibilem. p. 72. n. 1. an eadem fuerit doloribus subdita? p. 76. n. 1. & seq. S. Hilarius tribuit Christo verum corpus nostro consubstantiale, & ex Mariæ carne susceptum. p. 79. n. 1. & seq. ac passionis capax. p. 80. n. 6. & seq. qui in Christo asserit carnem sine anima, Monothelita est. p. 92. n. 1. Eutyches cum Apollinario docuit, carnem Christi ita Divinitate esse absorptam ut non nisi corpus phantasticum haberet, & ipsa Divinitas fuerit crucifixa. p. 153. n. 1. & 2. uterque refutatur. p. 154. n. 3. & seq. cur verbum *facio* in textu *aquam vinum factam* significet mutationem substantiæ, & cur non in textu *verbum caro factum est*? p. 155. n. 6. & seq. an verbum per substantiæ mutationem factum sit caro, sicut panis, fit corpus Christi? p. 155. n. 6. & seq. quomodo intelligendum illud? *adimpleo ea, quæ desunt Passioni Christi, in carne mea.* p. 268. n. 7. quomodo â Christo omnia sint instaurata, reconciliata, ac pacificata, *sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt*? p. 286. n. 14. & 15.

Carolus M. quando cæperit regnare? p. 178. n. 2.

Carpocrates purissimæ Matri denegat integritatem. p. 54. n. 1. refutatur. p. 54. n. 2. & seq.

Catholicus: quomodo Catholici Doctores interpretentur Vaticinium Jacob? p. 4. n. 1. & seq. tot. cap. I. II. & III. quomodo Socinus, & quomodo Catholicus explicent illud? *Personarum acceptio non est apud eum.* p. 272. n. 1.

Celsus impugnavit Genealogiam Christi. p. 65. n. 1.

Census: quid dicendum de censu acto tempore Nativitatis Christi? p. 310. n. 4. & 5. an indictus â Saturnino, vel Cyrino? *ibid.*

Cephas: cur S. Petrus vocetur Cephas? p. 339. n. 6.

Cerintbus B. Virgini denegat integritatem. p. 54. n. 1. refutatur. p. 54. n. 2. & seq. negans Christum fuisse unam personam damnatur. p. 120. n. 13.

Chanandus: an Melchisedech sit Chananæus? p. 208. n. 5. & 6. quid significet nomen S. Simonis Chananæi? p. 340. n. 8.

Charitas quæ in Christo fuerit? p. 108. n. 7. an hæc fuerit causa, cur Christus peccare non potuerit? p. 110. n. 14. an Christus Deum necessariò charitate prosecutus sit, & tamen mereri potuerit? p. 114. n. 25. & 26. Charitas Christi figurabatur per crematione adipis. p. 234. n. 6. ut Christi Passio consequatur suum effectum, debet applicari per fidem, charitatem, fidei Sacramenta, & bona opera. p. 257. n. 13. & 14. an per solam charitatem perfectam sine satisfactione Christi Deo reddatur omne, quod peccatum abstulit? p. 277. n. 5. & 6.

Chirographus: in reconciliatione â peccatis sumus expiati, delecto per passionem Christi peccatorum nostrorum chirographo. p. 238. n. 8. ut adeò Christus per suam mortem non declarârit solùm peccata demissa, sed verè satisfecerit. *ibid.* quid per chirographum intelligat Socinus? p. 238. n. 8. non Deus, sed Christus delevit chirographum. *ibid.* solvuntur objectio-

ctiones Socini. p. 249. n. 1. tot. cap. v. & p. 272. n. 1. tot. cap. VII.

Christianus: vid. *Catholicus.*

Christi corpus plures putârunt formatum de Cælo, æthere, sideribus. p. 54. n. 1. contrarium ostenditur. p. 59. n. 1. tot. cap. II. alii tribuunt Christo corpus phantasticum non solidum de Virgine, umbratile, non verum. p. 54. n. 1. Christus est crucifixus, non Simon Cyrenæus, non Judas apostata, non diabolus. p. 63. n. 8. & 9. quomodo Christus, si verum Corpus habuit, sit factus in similitudinem hominum? p. 61. n. 5. & 6. an Christus negârit, Beatissimam Virginem esse Matrem suam. p. 64. n. 10. & 11. de Genealogia Christi vide *Genealogia*, quidam docuerunt, Christum assumpsisse corpus incorruptibile. p. 72. n. 1. & seq. an assumpserit corruptibile, vel incorruptibile? p. 73. n. 3. & 4. Christi corpus habuit vera membra. p. 73. n. 5. de venustate, & forma corporis Christi. p. 74. n. 6. & seq. an Christi corpus fuerit verè doloribus subjectum? p. 76. n. 1. & seq. an ejus passio fuerit opus miraculosum? *ibid.* Christus potest dici dupliciter passus. p. 76. n. 4. S. Hilarius tribuit Christo verum Corpus nostro consubstantiale, & ex Mariæ Carne susceptum. p. 79. n. 1. & seq. & passionis Capax. p. 80. n. 6. & seq.

Christi Nativitatis Tempus. Herodes Rex, sub cujus Regimine natus est Christus, quo anno cœperit Regnare? p. 301. n. 9. & seq. quando mortuus? q. 303 n. 13. & seq. quot annis vixerit? p. 307. n 22. variæ sententiæ Doctorum de tempore, & anno Nativitatis Christi. p. 308. n. 1. 2. Christus natus est anno U. C. 749. *ibid.* æra Vulgaris Dioynisiana incepit anno U. C. 754. *ibid.* æra Diocletiana incepit annô Christi 284. p. 309. n. 3. & seq. æra Martyrum Alexandrinorum incepit annô Christi 284. *ibid.* quid dicendum de censu acto tempore Nativitatis Christi? p. 310. n. 4. & 5. an indictus sit â Saturnino vel Cyrino? *ibid.* quid dicendum de descriptione Universi orbis tempore Nativitatis facta? p. 311. n. 6. & 7. an facta â quirino? *ibid.* quid dicendum de sententia, quam de anno Nativitatis Domini tenet Ecclesia in Martyrologio Romano? p. 312. n. 8. & 9. quando inceperint fasti consulares? p. 312. n. 10. quo die & mense Christus sit natus? p. 313. n. 1. & seq. dies Natalis Christi, & Epiphaniæ distinquuntur. *ibid.* an Homilia S. Chrysostomi de Nativitate Christi sit spuria? *ibid.* si Christus natus est hyberno tempore, quomodo Pastores vigilare poterant nocturno tempore? p. 316. n. 7. Christus natus completis novem mensibus. p. 316. n. 8. quæ acta sint post Nativitatem Christi? p. 317. n. 1. & seq. ex qua materia fuerit præsepe Christi? & an in eo verè fuerint bos, & Asinus? p. 318. n. 2. 3. 4. & 5. an tres Magi, qui Christum adorabant, fuerint Reges? p. 319. n. 6. & seq. vid. *Magi*, contra Judæos probatur, Christum accepisse Damasci spolia, & Regum obsequia. p. 321. n. 9. probatur contra Socinianos, adorationem Magorum fuisse Religiosam, & indicâsse Divinitatem Christi. p. 322. n. 13. 14. & 15. tres Magi Christum Deum contestati sunt muneribus suis. *ibid.* quo anno ætatis suæ â Joanne Christus receperit baptismum, & inchoaverit prædicationem? p. 327. n. 1. & seq. ac p. 329. n. 6. & seq. Christus â Joanne Baptizatus est 6. die Januarii. p. 334. n. 20. 21. & 22. Christus prædicationis Officium gessit tribus annis, & tot mensibus. p. 336. n. 1. & seq. inter Baptismum Christi & mortem intercedebant quatuor Paschata. p. 336. n. 1. & 2. quomodo intelligendum illud? *quinquaginta annos necdum habes, & Abraham &c. ibid.* & seq. de vocatione Apostolorum â Christo facta. p. 339. n. 6. vid. *Apostolus.* an Christus vel Petrus, vel fides dicatur Petra? *ibid.* Christus suam Prædicationem confirmavit miraculis Divina virtute patratis. p. 341. n. 10. resuscitatio Lazari nequit in dubium vocari. *ibid.* cur Christus jusserit in ejus suscitatione tolli lapidem? p. 341. n. 10. in suscitatione aliud miraculum fecit Christus, quòd ligatus ambularit. *ibid.* an Petrus de Apono ipsemet, vel ejus statua sit combusta ob negatam Lazari suscitationem? *ibid.* an Abagarus scripserit Epistolam ad Christum, & ab hoc responsum tulerit? p. 343. n. 11. & seq. quo annô Christus passionem subierit, ac pro nobis crucifixus mortem sustinuerit? p. 345. n. 1. Daniel prædixit Occidendum Christum in medio hebdomadæ LXX. *ibid.* quando hæ incipiant? *ibid.* de Eclipsi, quæ facta est in morte Christi, quando contigerit? p. 345. n. 2. quo anno imperii Tiberii mortuus sit Christus? *ibid.* quo anno post Christi mortem Jerosolyma sit expugnata? *ibid.* Christus Crucifixus est VIII. Kal. Aprilis. p. 345. n. 2. & p. 348. n. 3. & seq.

Christi patientis Historia: Hortus oliveti cur dicatur Gethsemani? p. 353. n. 1. sudor Christi fuit sanquineus. *ibid.* textus S. Lucæ dicentis Angelum confortasse in agonia constitutum Christum est genuinus. *ibid.* quanti pretii erant triginta argentei sicli? p. 354. n. 2. 3. & 4. numerus verberum in flagellatione Christi qua-

lis fuerit? p. 355. n. 5. an facta sit flagellatio ab uno lictore? p. 355. n. 6. an solùm fuerint triginta novem verbera? *ibid.* flagellatio fuit pœna acerbior, quàm erat fustuarium. p. 356. n. 7. fustuario plectebantut liberi homines, ac pauperes: non autem Romani cives: servi autem flagellis. *ibid.* quæ forma flagellorum? *ibid.* in flagellatione Servorum non erat præscriptus certus verberum numerus. *ibid.* Christus flagellatus est more Romanorum, non Judæorum. *ibid.* an corona Christi erat ex marinis juncis? p. 357. n. 9. vel ex rubo, aut rhamno? *ibid.* Coronatio Christi fuit figurata in ariete hærente vepribus, & ab Abrahamo imolato. *ibid.* Barabbas humani generis typum gessit. p. 358. n. 10. quid dicendum de Sudario Veronicæ? p. 358. n. 10. & 11. de monte Calvariæ, seu Golgatha. p. 360. n. 12. quomodo conciliandus S. Marcus cum S. Joanne, quorum prior scribit, Christum crucifixum hora tertia, alter hora sexta? p. 360. n. de forma crucis Christi, & tituli. p. 361. n. 14. 13. an benè legatur? *foderunt manus meas, & pedes meos.* p. 361. n. 15. ex quo ligno fuerit crux Christi? an ex quercu? p. 362. n. 16. an crux Christi habuerit suppedaneum, cui corpus quasi insidebat? p. 362. n. 17. 18. quot clavis Christus fuerit ligno crucis affixus? p. 363. n. 19. Christus cruci affixus respiciebat occidentem. p. 364. n. 20. an Brutii, qui sunt incolæ colabriæ, fuerint crucifixores Christi? p. 364. n. 21. de vestimentis Domini. *ibid.* tenebræ factæ sunt in morte Christi super universam terram, & non solùm in aliqua parte terræ. p. 365. n. 22. de verbis Christi, in qua linqua ea protulerit? p. 365. n. 22.

Christi satisfactio, & Redemptio despicitur ab hæreticis: quorum aliqui solùm prædestinatos esse redemptos putant, alii existimant omnino neminem. p. 223. n. 1. Incarnatio Christi est determinata, ut pro nobis satisfaceret, & nos redimeret. p. 224. n. 1. potuisset Deus nos relinquere in perditione nostra. p. 224. n. 2. vel non petere satisfactionem secundùm rigorem Justitiæ. *ibid.* an Deus potuisset omnino culpam condonare absque morte Christi? p. 224. n. 3. an Deus fuisset injustus, si sine pœna condonâsset nostra peccata? p. 225. n. 4. & 5. Christus pro peccatis nostris satisfecit. p. 226. n. 7. Pagani docent, non dari secundam Personam, quæ pro nostra salute passa esset, sed peccata, quæ Superis non nocent, condonari â Deo. p. 226. n. 8. Sociniani negant Christum potuisse condignè satisfacere pro peccatis, quia eum purum hominem putant. *ibid.* Pagani, Ebionitæ, & Pelagiani negant peccatum originale, & Redemptionis necessitatem. p. 226. n. 10. unde Christum passum affirmat, ut nobis exemplum relinqueret. *ibid.* his consentit Abaelardus cum Socino. *ibid.* qui ultimus docet, nullam Dei justitiam postulare, ut peccata puniantur, Christum dici Servatorem, quia nobis salutis viam annuntiavit, non tamen satisfeciisse pro peccatis, nec functum esse ante mortem munere Sacerdotis: sed Deum condonare peccata, nec potuisse Christum innocentem mortis supplicio affici pro sceleratis sine summa injustitia. p. 227. n. 11. quid de Christo Redemptore senserint Crelluis, Grotius, & Vossius. p. 228. n. 13. Socinus refutatur decem propositionibus, in quibus demonstratur, Christum verè pro nobis satisfeciisse. p. 228. n. 1. & seq. Christus revera humanum genus redemit. p. 229. n. 2. hæc redemptio non fuit facta exemplo, & prædicatione. p. 229. n. 3. sed verè lytrum intervenit. *ibid.* & ideò Christi sumus. *ibid.* ac p. 230. n. 4 Christus eo fine, ut nos â peccato, & dæmonis captivitate redimeret, mortem pertulit. p. 230. n. 4. quomodo intelligendum illud? *expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo.* p. 230. n. 4. Christus pro impiis mortuus est. *ibid.* Christus per mortem suam peccatorum nostrorum pœnas luit. p. 232. n. 5. quomodo intelligendum illud? *verè languores nostros* &c. *ibid.* & illud? *eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit. ibid.* quomodo Christus pro nobis sit factus *maledictum*? p. 232. n. 5. quomodo Christus abstulerit, deleverit, & exhauserit peccata? *ibid.* Christus factus est Sacrificium pro peccato. *ibid.* & hoc in ligno Crucis fuit Deo sponte oblatum. p. 234. n. 6. hoc Sacrificium est profiguratum in Sacrificiis, victimis, & hostiis veteris legis. *ibid.* an Sacrificia veteris testamenti delebant per se peccata? *ibid.* Christus fuit simul Sacrificium, & Sacerdos. *ibid.* Dilectio Christi erga nos signatur per crematione adipis. p. 234. n. 6. Christus fuit Sacerdos per sacrificium, quod ut homo obtulit Patri in ligno crucis. *ibid.* ac p. 256. n. 12. quodnam discrimen inter Christum Sacerdotem, & reliquos Sacerdotes? *ibid.* Christus in cœlo non Sacrificatur, ut putant Poloni fratres. *ibid.* hoc probatur ex figura, oblationis Aaronicæ. *ibid.* per Sacrificium Christi reconciliati sumus Deo. p. 237. n. 7. quomodo gratis simus reconciliati Deo, cùm Christus pretium obtulerit? *ibid.* ac p. 255. n. 10. in reconciliatione â Chri-

â Christo facta â peccatis sumus expiati, deleto per passionem Christi peccatorum nostrorum chirographo. p. 238. n. 8. ut adeò Christus per mortem suam non declarârit solùm peccata dimissa, sed verè satisfecerit. *ibid.* non Deus, sed Christus delevit Chirographum. *ibid.* cur reconciliatio tribuatur morti Christi? & cur non ejus miraculis, aut resurrectioni? *ibid.* noluit Deus in hominum reparatione peccata dimittere non exhibita Divinæ justitiæ satisfactione. p. 241. n. 2. sed intuitu meritorum Christi, & satisfactionis ejus salvi facti sumus. *ibid.* Christus omnium peccatorum pœnas, non verò culpas suscepit. *ibid.* quomodo intelligendum illud? *quæ non rapui, tunc exsolvebam. ibid.* in morte Christi eminebant misericordia, & justitia. p. 242. n. 3. ac p. 260. n. 15. & 16. item apparuit turpitudo peccati. *ibid.* quas homo alias utilitates hauriat ex passione Christi? *ibid.* voluit Christus diabolum vincere non potentiâ, sed justitiâ. *ibid.* an Deus habuerit Dominium, & jus absolutum in vitam, & corpus Christi quà hominis? *ibid.* Christus sponte mortem, & crucem subiit. *ibid.* est sponsor, & vos, cui volenti peccata nostra sunt imputata, *ibid.* an sponsor possit puniri pro reo tam in pecunia, quàm corpore? *ibid.* Christus propter passionem, & mortem suam gloriâ, & honore est coronatus. *ibid.* contra Socinianos probatur, Christum esse Redemptorem nostrum, qui pro nobis, & peccatis nostris passus, & mortuus est, ac Sacerdos fuit. p. 246. n. 1. & seq. tot. cap. IV. cur dicatur Agnus? *ibid.* an Christus vocetur Salvator, quia nobis annuntiavit salutis viam? p. 227. n. 11. ac p. 249. n. 1. aut quia Sanguine suo confirmavit veritatem? aut quia per mortem suam nobis exemplum præbuit? aut quia per resurrectionem nos in fide firmavit? aut quia vitam æternam nobis præbet? aut quia pro nobis satisfecit, & pretium solvit? *ibid.* & seq. solvuntur sophismata Socini negantis, Christum pro nobis satisfeciſſe. p. 249. n. 1. tot. cap. V. & p. 272. n. 1. tot. cap. VII. cur non omnes homines salvi fiant, cùm tamen Christus omnes redemerit? p. 249. n. 2. in quo sensu sanguis Christi dicatur sanguis fœderis? p. 249. n. 1. & seq. Christus est propriè Redemptor, qui nos sanguine suo Redemit, & pro peccatis nostris satisfecit. p. 251. n. 3. & 4. in quo sensu Christus dicatur vendere peccatores sine pretio? *ibid.* in quo sensu dicamur redempti â Christo sine argento? *ibid.* qualiter Christus peccata nostra portaverit? p. 252. n. 5. & 6. an hircus emissarius fuerit typus Christi? *ibid.* ritus in hirci emissarii ejectione observati qui fuerint? *ibid.* Christus est mortuus pro peccatoribus, id est, locò peccatorum, ut hi eriperentur â perditione. p. 253. n 7. & 8. quomodo Christus pro nobis *animam suam* posuerit, & quomodo nos debeamus pro fratribus animas ponere? *ibid.* Christus nos liberando è captivitate non debuit manere captivus, sed captivam duxit in morte sua captivitatem. *ibid.* explicantur verba Christi: *Hoc est corpus meum, quòd pro vobis datur. ibid.* Reconciliatio nostra principaliter sanguine, & non vitæ Christi tribuenda est. p. 254. n. 9. & 10. quomodo intelligendum illud? *si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus per mortem filii ejus, multò magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius. ibid.* an Deo reconciliati simus â Christo per solam non imputationem peccati? *ibid.* Christus reconciliationis est auctor soluto pretio, Apostoli autem per officium prædicationis. *ibid.* serpens Æneus figurabat Christum in cruce exaltatum. p. 255. n. 11. & 12. petra, unde fluxerunt aquæ, latus Christi apertum. *ibid.* Arca Noë Christi incarnationem, mortem, resurrectionem, & Ecclesiam. *ibid.* Aries pro Isaac ab Abrahamo immolatus figurabat Christum pro peccatoribus offerendum. *ibid.* quomodo Abraham viderit diem Christi? *ibid.* Christus jam ante mortem declaratus est filius Dei à Patre. p. 256. n. 12. quomodo intelligendum illud: *si ergò* (Christus) *esset super terram, non esset Sacerdos?* p. 256. n. 12. an satisfactio Christi hactenus explicata repugnet misericordiæ Dei? p. 257. n. 13. & 14. an Abel, Noë sint salutem consecuti sine Christi satisfactione? *ibid.* an Deus olim condonarit peccata sine ulla satisfactione, dumodo peccator doluerit de iis? *ibid.* sine meritis Christi non possemus pœnitentiam agere. p. 257. n. 13. & 14. quomodo Deus peccata condonet? *ibid.* quale emolumentum accreverit Deò per satisfactionem Christi? *ibid.* propter satisfactionem Christi non sunt supervacanea bona opera nostra. *ibid.* ut Passio Christi consequatur suum effectum, debet applicari per fidem, charitatem, fidei Sacramenta, & bona Opera. p. 257. n. 13. & 14. fuit Justitiæ conveniens, quòd Christus innocens mortis supplicio afficeretur pro peccatoribus, & ei peccata nostra imputentur. p. 227. n. 11. ac p. 244. n. 4. item p. 260. n. 15. & 16. an Deus ante adventum Christi jam fuerit nobiscum re-

conciliatus? p. 262. n. 17. & 18. resurrectio Christi fuit necessaria ad fidei confirmationem. *ibid.* quomodo mors & mortis stimulus (id est peccatum) sit â Christo devictum? p. 262. n. 17. & 18. si Christus satisfecit, cur patimur mortem, & calamitates hujus vitæ? quomodo Christus satisfacere potuerit, cùm ipsemet sub lege fuerit? *ibid.* an satisfactio fuerit finita, vel infinita? p. 264. n. 19. ac p. 265. n. 1. tot. cap. VI. an ex stricta justitia, & ad juris apices? p. 265. n. 1. & seq. tot. cap. VI. quid requiratur ad satisfactionem rigorosam? *ibid.* Satisfactio Christi nedum æquivalens est, verùm etiam superabundans. p. 266. n. 3. & seq. cur Christus solùm semel se in Sacrificium obtulerit, & mortuus sit? p. 266. n. 3. an satisfactio Christi fuerit infinita propter unionem hypostaticam? p. 267. n. 5. quomodo intelligendum illud? *adimpleo ea, quæ desunt passioni Christi in carne mea.* p. 268. n. 7. nulla actio Christi, sive agat assumpta forma, sive Divina, sejungenda est â communione Personæ & sic omnis actio Christi erit infinita. p. 269. n. 8. quomodo incarnatio verbi sit opus Trinitatis totius, & quomodo Redemptio opus Christi? p. 269. n. 10. Christus ùt homo tenebatur quidem ad obedientiam Patri cœlesti, sed non tenebatur præcepto mortis. p. 269. n. 9. nisi ùt fidejussor, Sponsor, Vas, & obses. *ibid.* Christus est mittens; & Missus. p. 271. n. 14. quomodo Socinus, & quomodo Christiani explicent illud? *Personarum acceptio non est apud eum.* p. 272. n. 1. mors hominis Dei majori pretio æstimanda est, quàm sempiternum damnatorum supplicium. p. 273. n. 2. quæ adaugeant Passionem Christi? p. 273. n. 3. cur Christus mortem acerbissimam perpessus sit, cùm unica guttula pretiosi sanguinis fuisset sufficiens lytrum nostræ Redemptionis? p. 274. n. 4. Christus quidem ùt homo satisfecit, sed natura humana, in qua passus est, erat hypostaticè unita verbo. p. 274. n. 5. cur satisfactio sit infinita ex eo, quia facta â Deo, & cur non ex eadem ratione mundi productio, & alia opera Dei? p. 274. n. 5. quomodo Christus utpote Deus potuerit sibi ipsi satisfacere? p. 275. n. 6. an loco Christi potuisset creatura pura satisfacere Deo pro peccato? p. 224. n. 2. & p. 275. n. 1. & seq. vid. *Creatura.* Christus pro omnibus passus, & mortuus est, ac pro omnibus satisfecit. p. 279. n. 1. Calviniani, Janseniani, Prædestinatiani, & Gothescalcus docuerunt, Christum tantùm pro Electis ante mundi constitutionem mortuum esse, *ibid.* refutantur. *ibid.* & seq. etsi Christus omnes redemerit, multi tamen mortis, & Redemptionis beneficium non recipiunt. p. 280. n. 2. Christus pro Prædestinatis non solùm mortuus est, sed etiam iis applicat mortis suæ fructum. p. 280. n. 3. an â Christo etiam fœminæ sint Redemptæ? p. 281. n. 4. negat Horatius Plata. *ibid.* affirmativa sententia propugnatur. *ibid.* & seq. fœmina æquè homo est ac vir: an etiam ad imaginem Dei creata? *ibid.* n. 5. & seq. non est destituta ratione. *ibid.* nec pietate aut eloquentia. *ibid.* probatur exemplis. *ibid.* an Baptismus tantùm pro viris â Christo sit institutus? p. 282. n. 7. 8. & 9. cur velare debeat caput? *ibid.* fœmina potest peccare. p. 284. n. 9. Christus etiam fœminis beneficia contulit. *ibid.* & seq. cur noluerit tangi â fœmina? *ibid.* an Christus redemerit dæmones, & damnatos? p. 285. n. 12. & seq. Origenes putabat, Christum etiam pro Angelis, & astris mortuum, ac pro iis satisfeciisse. *ibid.* ac ideò inferni pœnas non esse perpetuas. *ibid.* an idem docuerint S. Hieronymus, & Tertullianus? *ibid.* sempiterna sunt dæmonum, & damnatorum supplicia. p. 285. n. 13. Christus non assumpsit naturam Angeli, ut dæmones liberaret: nec assumet. *ibid.* quomodo intelligendum illud? omnia â Christo esse instaurata, reconciliata, ac pacificata, *quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* p. 286. n. 14. & 15. quando Christus dicitur Redemptor mundi, intelligitur Redemptor hominum, non dæmonum. *ibid.* nec obest, quòd dæmon dicatur Princeps mundi. *ibid.* an Christus descenderit ad inferos, ut inde erueret incredulos, & impios sine pœnitentia defunctos? p. 287. n. 17. Angeli boni erant irati ob peccatum hominum, sed sunt cum hominibus reconciliati per mortem Christi. p. 286. n. 14. 15. & 16. Christus fuit capax meriti. p. 290. n. 1. meruit â primo suæ conceptionis momento. p. 291. n. 2. in Christo fuit indifferentia libertatis, non autem suspensionis. *ibid.* merita Christi sunt pretii infiniti. p. 291. n. 3. 4. & 5. quæ Christus meruerit, & quibus? p. 292. n. 6. Christus oravit, & cur? p. 292. n. 7. Oratio Christi demonstrat ejus Divinitatem, non aliquam subjectionem, ùt putant Ariani. p. 293. n. 8. omnis Oratio Christi est exaudita â Patre. p. 293. n. 9. quomodo exaudita sit Oratio illa: *Pater mi! si possibile est, transeat â me calix iste?* p. 293. n. 10. an mortis tristitia potuerit perturbare mentem Christi? *ibid.* pro quibus Christus oraverit verbis illis: *Pater dimitte illis:*

illis: non enim sciunt, quod faciunt: & an sit exauditus? p. 294. n. 11. Christus mediator est peculiari quodam titulo ad differentiam Sanctorum. p. 294. n. 12. & 15. an sit mediator secundùm Divinam, vel humanam naturam, aut utramque simul? p. 294. n. 13. Andreas Osiander Lutheranus Divinæ tantum naturæ, Stancarus humanæ solùm tribuit Mediatoris Officium, Calvinus utrique. *ibid.* Christus non est Mediator, prout est homo â persona verbi præcisus. p. 295. n. 14. nihilominus si attenduntur opera, per quæ Christus partes Mediatoris implevit, mediator est in quantum homo. p. 295. n. 15. itaque mediator est natura humana hypostaticè unita verbo. *ibid.* an Christus â Dextris Dei sedens etiamnum sit Mediator, & oret Patrem pro nobis? p. 296. n. 16.

Christus assumpsit animam humanam. p. 84. n. 1. & seq. hanc denegârunt Christo Apollinaristæ, Ariani, Eunomiani, & Laodicænus. *ibid.* hi astruunt, animæ vicem gessisse Divinitatem. *ibid.* Apollinaristæ admisêre in Christo animam sensitivam, sed mente ac ratione humana privatam. *ibid.* refutantur. p. 85. n. 6. & seq. Christus præter scientiam increatam habuit creatam, & infusam. p. 86. n. 1. & seq. acquisitam, & experimentalem. p. 87. n. 4. Beatificam. p. 87. n. 5. ac p. 90. n. 15. & seq. Christus ut homo non habuit scientiam comprehensivam. p. 88. n. 6. & seq. quomodo Christus profecerit scientia? p. 88. n. 8. & seq. quomodo fuerit in Christo admiratio, & lacrymæ? p. 89. n. 11. quomodo ignoraverit peccata? p. 89. n. 12. quomodo nesciat peccatores? *ibid.* an ignoraverit Judicii diem? p. 90. n. 14. quomodo in Christo stet summa tristitia cum visione Beatifica? p. 90. n. 15. & seq. quomodo apparuerit Angelus confortans eum? *ibid.* in quo sensu dixerit: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? ibid.* quomodo in morte ab humana Christi natura recesserit Divinitas? p. 91. n. 18.

Christus Dominus duas habuit voluntates. p. 92. n. 1. & seq. Monothelitæ admittunt in Christo duas naturas, sed unam voluntatem, & operationem. p. 92. n. 1. narratur auctor, & initium Hæresis Monotheliſmi. p. 92. n. 2. & seq. qui asserit unam in Christo naturam, vel cum Divinitate carnem sine anima, vel animam sensitivam, sed mente ac ratione destitutam, Monothelitis assentitur. p. 92. n. 1. in Christo etiam duæ fuerunt operationes. p. 93. n. 5. & seq. an humanitas Christi sit instrumentum Divinitatis? p. 96. n. 16. vid. *Monothelita.* duæ voluntates in Christo sunt duæ *naturales*, & non una *personalis*, nec una *Gnome*, nec una *habitudine.* p. 93. n. 5. ac p. 95. n. 11. duas voluntates, ac operationes in Christo non negat Honorius I. Papa. p. 98. n. 1. & seq. Christus vocatus est Nazaræus, id est, Sanctus ob Spiritum S. inhabitantem. p. 107. n. 1. in qualibet Creatura sanctitas debet dici creata, & accidentalis. p. 107. n. 2. quid præstet Sanctitas? *ibid.* an hæc in Christo fuerit accidentalis, ac creata, vel substantialis, & increata? p. 107. n. 2. ac seq. vel utraque simul? *ibid.* quæ virtutes fuerint in Christo: an temperantia, continentia, charitas, fides, spes? p. 108. n. 7. Christus nullum commisit peccatum. p. 109. n. 8. & seq. an committere potuisset? *ibid.* cur repugnet, Christum dici peccatorem, & non repugnet, dici pauperem mortuum? p. 109. n. 9. an impeccantia Christi proveniat è Carentia concupiscentiæ vel fomitis? an ab unione hypostatica, an â visione Dei? p. 109. n. 10. an ab amore? p. 110. n. 14. in quo consistebat libertas humanæ voluntatis Christi? p. 110. n. 14. quomodo libertas Christi possit stare cum impeccantia? p. 111. n. 15. & seq. an Christus habuerit â Deo Patre præceptum moriendi? *ibid.* quomodo stante præcepto liberè sit mortuus? *ibid.* quid requiratur ad libertatem? p. 111. n. 16. ad eandem non spectat, posse peccare. *ibid.* ad libertatem sufficit indifferentia medii secundùm se abstrahendo â Decreto, aut præcepto. p. 111. n. 17. ad libertatem requiritur indifferentia arbitrii. p. 114. n. 25. an Christus Deum necessariò diligebat? p. 114. n. 25. & 26. & tamen mereri potuerit? *ibid.*

Christo unionem hypostaticam denegat Nestorius. p. 115. n. 4. & seq. in Christo unica est admittenda persona. p. 119. n. 11. & seq. sectæ contrariæ Nestorii, Gnosticorum, Valentini, Ebionis, ac Cerinthi damnantur. p. 120 n. 13. quomodo intelligendum illud: *Filius hominis, qui est in Cœlo?* p. 119. n. 11. in quo sensu Christi humanitas comparetur templo, tabernaculo, ac indumento? p. 121. n. 14. & 15. in quo sensu Christus dicatur *Deifer?* p. 121. n. 16. & 17. ac p. 132. n. 17. in quo sensu assumpserit hominem? p. 121. n. 16. & 17. an humanitas Christi sit perfecta sine propria subsistentia? p. 122. n. 18. & 19. B. Virgo ritè vocatur *Deipara.* p. 123. n. 1. & seq. B. Virgo revera genuit Deum, & in utero suo formatum edidit. *ibid.* an Christus dici possit nepos Joachimi, & Annæ? p. 126. n. 12. & 13. nil contrà hujus incarnationem erroneum scripsit S. Cyrillus. p. 127. n. 1. &

& seq. Divinitatem Christo denegant Arius, & Eunomius. p. 132. n. 16. S. Cyrillus docuit, Christum patrâsse miracula virtute propria, non aliena Spiritûs S. p. 134. n. 21. Deum verbum, & Christum distinctos dixit Theodorus Mopsuestenus damnatus â Synodo quinta. p. 142. n. 5. Capitulum Ibæ negans Christum esse Deum hominem ex virgine, ut nestorianum â Synodo quinta rejicitur. p. 141. n. 1. & seq. Eutyches docuit, in Christo duas naturas post unionem ita confundi, ut in unam transeant. p. 153. n. 1. & 2. idem cum Apollinario voluit, Christi carnem ita esse Divinitate absorptam, ut non nisi corpus phantasticum haberet, & ipsa Divinitas sit crucifixa. *ibid.* probatur, in Christo fuisse duas naturas distinctas etiam post unionem non permixtas, sed in eadem Persona existentes, & non separatim. p. 154. n. 3. & seq. cur verbum facio in textu: *aquam vinum factam*: significet mutationem substantiæ, & cur non in textu: *verbum caro factum est*? p. 155. n. 6. & seq. an verbum per substantiæ mutationem factum sit caro, sicut panis fit corpus Christi? *ibid.* quòd in resurrectione Christi forma Servi sit reversa in formam Dei, non est dogma Eutychianum. p. 159. n. 1. & seq. an humanitas Christi promereri potuerit unionem hypostaticam? p. 164. n. 7. ac p. 190. n. 4. & quomodo promeruerit? *ibid.* & seq. in quo sensu Christus sit oleum lætitiæ? p. 166. n. 13. cur Christus non redemerit dæmones? p. 168. n. 17.

Christo ob unionem hypostaticam convenit communicatio Idiomatum. p. 169. n. 1. qui hanc denegant Christo, sunt Nestoriani, & qui eam adstruunt inter utramque naturam Eutychiani *ibid.* Ubiquitarii, & Lutherani immensitatem & omnipotentiam Christi humanitati tribuentes conveniunt cum Eutychianis. *ibid.* communicatio in Christo respectu Personæ admitti debet. p. 170. n. 2. & seq. ob hanc dicitur Christus Deus, mundi Conditor, omnipotens, crucifixus, mortuus, Baptizatus, Baptizans, sanctificatus, sanctificans. *ibid.* per eam Christus cum Patre unus est, & Patre minor est. *ibid.* ob eandem est genitus ante Luciferum, antiquior Abrahamo. *ibid.* non datur Communicatio Idiomatum inter unam, & alteram naturam Christi. p. 171. n. 5. 6. & 7. sic non possum dicere humanitas Christi est immensa. *ibid.* duodecim regulæ observandæ in Communicatione idiomatum. p. 172. n. 7. humanitas Christi non est ubique. p. 173. n. 8. & seq. non est eadem omnipotens. *ibid.* quomodo Christus sedeat ad dexteram Patris? *ibid.* quomodo Christus ascenderit in cœlum, ut impleret omnia corporaliter. *ibid.* quomodo maneat nobiscum usque in consumationem sæculi? *ibid.* an Christus possit dici filius Dei adoptivus? p. 177. n. 1. & seq. duas in Christo admiserunt Personas felix Episcopus, & Elipandus. *ibid.* an Christus possit dici filius Dei adoptivus secundùm humanitatem? p. 181. n. 19. & seq. an verò naturalis? *ibid.* quot in Christo sint filiationes? p. 187. n. 27. in quo sensu Christus dicatur prædestinatus Dei filius? p. 188. n. 1. & seq. ad quæ munera sit prædestinatus? p. 190. n. 4. cur Christus dicatur natus de Spiritu S. & cur non filius illius? p. 191. n. 1. & seq. an Christus possit dici Dei Servus? p. 193. n. 1. & seq. certè non potest dici Servus peccati. *ibid.* an Christus possit dici creatura? p. 196. n. 10. an possit dici homo Dominicus, aut Deifer? p. 197. n. 11. & seq. Christus non dicatur Servus Dei, creatura, homo Dominicus, aut Deifer. p. 197. n. 11. & seq. an hæc propositio sit usurpanda: *Christus incœpit esse*? p. 197. n. 12. Christo tribuitur æternitas contra Socinianos, & Ebionæos. *ibid.* an Christus possit dici compositus? p. 199. n. 14. & seq. natura Divina nequit esse pars Personæ, quæ est Christus. p. 199. n. 15. cur hæc propositio: *duæ naturæ, Divinitas, & Humanitas est unus Christus*: sit damnata? p. 199. n. 16. Monachi Acæmetæ negantes Christum esse unum de Trinitate tanquam Nestoriani sunt damnati. p. 202. n. 8. Melchisedech non est virtus Christo Superior. p. 206. n. 1. & seq. an Melchisedech sit ipse Christus? p. 209. n. 8. & 9. Christus est Sacerdos secundùm Ordinem Melchisedech. p. 210. n. 11. & seq. Melchisedech offerens panem & vinum erat typus Christi instituentis Eucharistiæ Sacramentum. *ibid.* cur Christus non sit Sacerdos secundùm Ordinem Abel, Noë, aut Moysis? p. 210. n. 12. solvuntur objectiones hæreticorum. p. 213. n. 1. tot. cap. VIII. an Christus non sit potiùs Sacerdos secundùm Ordinem Aaron, quàm Melchisedech? p. 215. n. 7. 8. 9. & 10. Christus non potest dici Sacerdos Leviticus. p. 217. n. 11. Suidas in hoc fabulam, non historiam narrat. *ibid.* probatur, quòd Christus fuerit ex Semine David, & ex tribu Juda. *ibid.* nam quòd legerit in Synagoga, & ejecerit è templo ementes, & vendentes, non probat eum fuisse ex tribu Levi. *ibid.* in Davide, qui reprobato Saule constitutus est Rex, præfiguratum est Regnum Christi. p. 218. n. 1. Christus est

est Rex. *ibid.* & seq. an habuerit Regnum Spirituale, & temporale ? p. 218. n. 2. & seq. regnum temporale Christo denegant Lutherani. *ibid.* Christus est caput hominum, & Angelorum. p. 220. n. 7. quid requiratur, ut quis sit caput cæterorum? *ibid.* & n. 8. an gratia, gloria, & perseverantia Angelorum sit ex merito Christi? p. 221. n. 9. & 10. Christus est Judex. p. 222. n. 11.

Christus. Messias in lege promissus, quòd venerit, demonstratur ex vaticinio Jacob. p. 4. n. 1. tot. cap. I. II. & III. usque ad hujus adventum non defecit Dux de femore. p. 7. n. 4. cur Christus non dederit signum manifestum sui adventûs. p. 13. n. 20. ex prophetia Danielis probatur jam advenisse Christum. p. 15. n. 1. tot. cap. IV. V. & VI. quot annis ante aëram vulgarem Christi incœperit Regnum Persarum? p. 21. n. 1. & seq. Christus quo annô sit mortuus? p. 23. n. 5. Christus fuit prænuntiatus â Moyse in Deutronomio. p. 29. n. 1. ante Christum non potest Moysi alius Propheta comparari. p. 30. n. 3. ulterius probatur adventus Christi ex Daniele. p. 31. n. 6. ex Michæa. p. 32. n. 9. ex Aggæo *ibid.* n. 10.

Christus est verus Messias lege promissus. p. 34. n. 1. tot. cap. VIII. ante cujus templi eversionem venerit Christus Messias? p. 32. n. 10. & seq. error Judæorum de Christo Messia. p. 34. n. 1. quæ signa veri Messiæ Christi? p. 35. n. 3. & 4. solvuntur objectiones Judæorum negantium Christum esse verum Messiam. p. 35. n. 5. & seq. propter iniquitates hominum non est dilatus adventus Messiæ. p. 37. n. 9. Miracula vera â Christo patrata probantur. *ibid.* n. 10. 11. & 12. Christi, & Moysis Miracula comparantur ad invicem. *ibid.* testimonium flavii Josephi de Christo est verè autographum. p. 37. n. 1. tot. cap. IX. quibus argumentis Gentiles sint pertrahendi, ut credant in Christum? p. 41. n. 1. tot. cap. X. quòd Christus advenerit, probatur variis argumentis. *ibid.*

Christus: acta insignia in laudem Christi dedit Pilatus. p. 44. n. 7. hæc acta sunt genuina. *ibid.* & seq. propter hæc acta Tiberius petiit Christi Apotheosin. *ibid.* critici hæc negantes refutantur. *ibid.* solvuntur objectiones contra Christum â Paganis factæ. p. 47. n. 1. tot. cap. XI. Julianus Apostata comparavit Christum Socrati, Lycurgo, Alexandro, Vespasiano, Apollonio, Simoni Samaritæ, & Mahumeti. p. 47. n. 1. & 2. an Christus venisset, si Adam non peccâsset? p. 49. n. 1. tot. cap. XII.

Christus: cur tam serò venerit? p. 52. n. 11. in quo sensu S. Joseph sit Pater Christi Domini? p. 59. n. 16. an Christus habuerit fratres, qui essent filii B. Josephi; sed ex alia conjuge, quàm B. Virgine? p. p. 58. n. 15. an S. Jacobus sit frater Christi Domini? *ibid.* de Christi incarnatione in utero intemeratæ Virginis peracta. p. 54. n. 1. tot. cap. I. Helvidius docuit, B. Virginem alios ex semine Joseph post Christum peperisse filios. *ibid.* sed hoc rejicitur. p. 57. n. 14. & seq. in quo sensu Christus sit *Primogenitus?* p. 57. n. 16. & p. 185. n. 18. ac 19. Judæi negant Christum nasciturum ex puella nesciente virum. p. 54. n. 1. refutantur. p. 54. n. 2. & seq. ac p. 58. n 15.

S. Chrysostomus: an Homilia. S. Chrysostomi de Nativitate Christi sit spuria? p. 313. n. 1. & 2.

Civis: vid. *Romanus.*

Clavus: quot Clavis Christus fuerit ligno crucis affixus? p. 363. n. 19.

Clemens XI. dicendô, quod in resurrectione Domini forma Servi sit reversa in formam Dei, non incidit in errorem Eutychetis. p. 159. n. 1. & seq.

Communicatio Idiomatum datur in Christo. p. 169. n. 1. vid. *Idioma.*

Compositus: an Christus possit dici compositus, & unio hypostatica compositio? p. 199. n. 14. & seq.

Concilium: an â Concilio generali possit damnari Papa? p. 98. n. 1. & seq. an concilium sit supra Papam? *ibid.* an concilium possit errare errore facti? *ibid.* quid dicendum de sententia excommunicationis lata in Honorium I. Papam â concilio? p. 98. n. 2. & seq. quid dicendum de concilio Chalcedonensi? p. 141. n. 1. in hoc damnatus est Nestorius, cum Eutychete, Theodoretus verò denuo in suam sedem institutus. p. 153. n. 1. & 2. Theodosius Imp. urgente Eutychete convocavit concilium prædatorium Ephesinum, in quo S. Flavianus ob accepta vulnera obiit. p. 153. n. 1. & 2.

Concremation: vid. *Crematio.*

Concupiscentia: an in Christo impotentia peccandi proveniebat â carentia concupiscentiæ? p. 109 n. 10.

Condonatio: reparatio hominis non fuit condonatio, sed actus Judicii, & justitiæ. p. 241. n. 2. & seq.

Condono: an Deus olim condonârit peccata sine ulla satisfactione? p. 257. n. 13. & 14. quomodo Deus peccata condonet? *ibid.* an Deus peccâsset contra justitiam, si sine pœna condonâsset peccata nostra? p. 225. n. 4. & 5.

Conſtitutum: vid. *Vigilius.*
Conſulares: quando incæperint faſti conſulares? p. 312. n. 10.
Continentia: quomodo hæc virtus fuerit in Chriſto? p. 108. n. 7.
Contritio: an olim hæc ſola ſine meritis Chriſti ſufficiens fuerit ad delenda peccata? p. 257. n. 13. & 14 ſine meritis Chriſti non poteſt concipi *ibid.* an per contritionem ſolam ſine ſatisfactione Chriſti Deo reddatur omne, quod peccatum abſtulit? p. 277. n. 5. & 6. homo per contritionem non meretur remiſſionem peccatorum meritô de condigno. p. 278. n. 6.
Corona: an ſpinea corona Chriſti fuerit ex marinis juncis? p. 357. n. 9. vel ex rubo, aut rhamno? *ibid.* coronatio Chriſti fuit figurata in ariete in vepribus hærente, & ab Abrahamo immolato, *ibid.*
Corpus: plures dicunt corpus Chriſti eſſe formatum de Cælo, æthere, ſyderibus, p 54. n. 1. Simonis Magi diſcipuli Menander, & Saturninus tribuunt Chriſto corpus phantaſticum, & umbratile, non ſolidum de virgine, ac verum. *ibid.* refutantur. p. 59. n. 1. tot. cap. II. quomodo Chriſtus, ſi verum corpus habuit, ſit factus in ſimilitudinem hominum? p. 61. n. 5. quidam docuerunt, Chriſtum aſſumpſiſſe corpus incorruptibile. p. 72. n. 1. an aſſumpſerit corpus corruptibile, vel incorruptibile? p. 73. n. 3. & 4. Chriſti corpus habuit vera membra p. 73. n. 5. de forma, & venuſtate corporis Chriſti. p. 74. n. 6. & ſeq. an Corpus Chriſti fuerit doloribus ſubjectum? p. 76. n. 1. & ſeq. an Adami corpus ex natura ſua fuerit doloribus ſubjectum? p. 78. n. 9. S. Hilarius tribuit Chriſto verum corpus noſtro conſubſtantiale, & ex Mariæ Carne ſuſceptum. p. 79. n. 1. & ſeq. paſſionis capax. p. 80. n. 6. & ſeq. Eutyches cum Apollinario docuit, carnem Chriſti fuiſſe Divinitate ita abſorptam, ut non niſi corpus phantaſticum haberet, & ipſa Divinitas fuerit crucifixa. p. 153. n. 1. & 2. uterque refutatur. p. 154. n. 3. & ſeq. an Verbum per ſubſtantiæ mutationem factum ſit Caro, ſicut panis Corpus Chriſti. p. 155. n. 6. & ſeq. an Deus habuerit jus, & Dominium abſolutum in corpus, & Vitam Chriſti qua hominis? p. 244. n. 4. an Sponſor poſſit puniri in pecunia, & corpore pro reo? *ibid.* explicantur verba Chriſti: *hoc eſt corpus meum*, quod pro vobis datur. p. 253. n. 7. & 8.
Corruptibilis: an Chriſtus aſſumpſerit corpus corruptibile, vel incorruptibile? p. 73. n. 3. & 4.
Corrupticola denegat Chriſto ſcientiam, p. 86. n. 1.
Corruptio duplex datur. p. 73. n. 2.
Corvus: an redierit in arcam? p. 10. n. 7. & 8.
Creatura: an Chriſtus poſſit dici Creatura? p. 196. n. 10. Chriſtus non dicatur Creatura. p. 197. n. 12. an creatura pura potuiſſet Deo pro peccatis ſatisfacere? p. 224. n. 2. ac p. 275. n. 1. & ſeq. creatura rationalis obſtricta peccato nequit vel pro ſe, vel pro aliis condigne Deo ſatisfacere. p. 275. n. 2. nulla creatura, etſi gratia, & meritis exornata poteſt exhibere Deo pro mortali peccato coæqualem ſatisfactionem p. 276. n. 3. quomodo intelligendum illud? *frater non redimit, redimet homo, ibid.* an nec Angelus ſatisfacere potuiſſet? *ibid.* an nec homo, ſi â Deo eſſet conſtitutus caput morale hominum? p. 277. n. 5. & 6. an per ſolam contritionem, aut charitatem perfectam ſine ſatisfactione Chriſti Deo reddatur â Creatura omne id, quod peccato oblatum? *ibid.* an Creatura pura poſſit Deo ſatisfacere ad juris apices pro peccato veniali? p. 278. n. 6. creaturarum Sanctitas non eſt niſi creata, & accidentalis. p. 107. n. 2.
Crellius quid ſenſerit de Chriſto Redemptore? p. 228. n. 13. & tot. cap. II. ſeq. quos effectus tribuat Divinæ juſtitiæ? p. 240. num. 1.
Crematio adipis figurabat dilectionem Chriſti erga nos. p. 234. n. 6.
Crucifixor: an incolæ calabriæ Brutii dicti fuerint crucifixores Chriſti? p. 364. n. 21.
Crucifixus eſt Chriſtus, non Simon Cyrenæus, non Judas, non diabolus. p. 63. n. 8. & 9. ac p. 76. n. 1. & ſeq. Eutyches cum Apollinario docuit, carnem Chriſti ita eſſe Divinitate abſorptam, ut non niſi corpus phantaſticum haberet, & ipſa Divinitas fuerit crucifixa. p. 153. n. 1. & 2. uterque refutatur. p. 154. n. 3. & ſeq. idem docuit Petrus fullo. p. 200. n. 2. an idem docuerint Monachi Scythici? *ibid.* ac n. 3. quid dicendum de propoſitione: *unus de Trinitate crucifixus eſt?* p. 200. n. 2. & ſeq. cur triſagio non poſſit addi? *qui crucifixus eſt pro nobis.* p. 202. n. 11. vid. *Crux*: vel *lignum.*
Crux: Chriſtus factus eſt Sacrificium in ligno Crucis Deo ſponte oblatum pro peccato. p. 232. n. 5. & p. 234. n. 6. vid. *lignum.*
Culpa: Chriſtus omnium peccatorum pœnas, non verò culpas ſuſcepit. p. 241. num. 2.
S. Cyrillus ob capitula quædam â Neſtorio habetur ut Apollinariſta, aut Arianus. p. 115. n. 2. hic ſummoperè ſe appoſuit Neſtorio. p. 127. n. 1. Cædes Hypatiæ non poteſt imputari S. Cyrillo. p. 127. n. 1. & 2.

& 2. nec movit seditionem in Orestem. *ibid.* non fuit Apollinarista. p. 128. n. 3. & seq. nec Arianus. *ibid.* sed in omnibus veritatem Catholicam propugnavit. *ibid.* de Adversariis S. Cyrilli. p. 130. n. 6. & seq. ea, quæ scripsit contra Hunc Theodoretus, damnata sunt â Synodo quinta. p. 130. n. 9. explicantur duodecim anathematismi ab ipso contra Nestorium scripti. p 131. n. 12. & seq. S. Cyrillus docuit, Christum patrâsse miracula virtute propria non aliena Spiritûs S. p. 134. n. 21. in quo sensu verbum vocaverit Apostolum, & Sacerdotem? p. 134. n. 22. Joannes Antiochenus, & Orientales impugnantes Cyrillum non propugnaverunt hæresim Pelagianam, aut Nestorianam. p. 135. n. 1. & seq. cur Joannes Antiochenus restiterit S. Cyrillo, & hujus capitula reprobârit, ac irritârit depositionem Nestorii. p. 136. n. 3. an Theodoretus se opponens S. Cyrillo adhæserit Nestorio, ac hujus dogmata tradiderit? p. 137. n. 6. & seq. Theodoretus tamen resipuit, & adiit partes S. Cyrilli. p. 148. n. 8. capitulum Theodoreti contra S. Cyrilli anathematismos editum & Nestorianum proscriptum est. p. 141. n. 1. & seq.

Cyrinus: an census tempore Nativitatis Christi indictus sit â Cyrino? p. 310. n. 4. & 5. an ab ipso eodem tempore facta descriptio orbis universi? p. 311. n. 6. & 7.

Cyrus: Danielis prophetia loquitur de Messia, & non de Cyro Monarchiæ Persarum fundatore. p. 18. n. 11. & 12. cur dicatur unctus? *ibid.*

Cyrus Alexandrinus fuit Monothelita. p. 92. n. 2. & seq.

D.

Dæmon: quæ notæ, quòd miraculum non sit factum ope Dæmonis? p. 37. n. 12. non hic, sed Christus est Crucifixus. p. 63. n. 8. & 9. ac p. 76. n. 1. & seq. cur Christus non redemit dæmones? p. 168. n. 17. probatur decem propositionibus, quod Christus verè nos redemerit pretio sui sanquinis â captivitate dæmonis. p. 229. n. 2. & seq. ideò enim & mortem pertulit. p. 230. n. 4. voluit Christus dæmonem vincere non potentiâ, sed justitiâ. p. 242. n. 3. solvuntur objectiones contrariæ. p. 249. n. 1. tot. Cap. V. & p. 272. n. 1. tot. Cap. VII. Christus nos liberando è captivitate Dæmonis non debuit manere hujus captivus, sed cum hoc in morte sua captivam duxit captivitatem. p. 253. n. 7. & 8. an Christus redemerit damnatos, & dæmones? p. 285. n. 12. & seq. origenes putabat, Christum etiam pro Angelis, & astris mortuum, ac pro iis satisfeciisse. *ibid.* ac ideò negabat, pœnas inferni esse perpetuas. *ibid.* an idem docuerit S. Hieronymus? aut Tertullianus? *ibid.* sempiterna sunt dæmonum, & damnatorum supplicia. p. 285. n. 13. Christus non assumpsit naturam Angeli, ut dæmones liberaret: nec assumet. *ibid.* quomodo intelligendum illud? omnia esse â Christo reconciliata, *sive quæ in terris sive quæ in Cælis sunt.* p. 286. n. 14 & 15. quando Christus dicitur Redemptor mundi, intelligitur Redemptor hominum, non dæmonum. *ibid.* cur dæmon dicatur Princeps mundi? *ibid.* an Christus descenderit ad inferos, ut inde erueret incredulos, & impios? p. 287. n. 17.

Damascus: contra Judæos probatur, Christum accepisse Damasci spolia, & Regum obsequia. p. 321. n. 9.

Damnatus: mors Hominis Dei majori pretio æstimanda est, quàm sempiternum damnatorum supplicium. p. 273. n. 2. vid. *dæmon.*

Daniel ex prophetia Danielis probatur jam venisse Messiam. p. 15. n. 1. tot. cap. IV. V. & VI. quomodo numerandæ Hebdomadæ? *ibid.* in hac prophetia non discrepat textus latinus ab hebraico. p. 16. n. 3. hujus hebdomadæ initium sumunt ab anno septimo Artaxersis longimani. p. 23. n. 5. probatur ulteriùs adventus Christi ex Daniele. p. 31. n. 6. & seq. Daniel prædixit occidendum Christum in medio hebdomadæ LXX. p. 345. n. 1. quando hæ incipiant? *ibid.*

David: Dux Synedrii fuit semper ex progenie David. p. 7. n. 6. Christus fuit ex semine David. p. 217. n. 11. an ex eo prodierint duo stipites, Regius scilicet per Salomonem, & Sacerdotalis per Nathan? p. 217. n. 12. an Nathan sit filius David natura, vel adoptione. *ibid.* & n. 13. in Davide, qui reprobato Saule constitutus est Rex, præfiguratum est regnum Christi. p. 218. n. 1.

Decius: Soldurii apud Gallos, Decii apud Romanos se morti tradunt pro aliis: unde vocantur Antipsychi. p. 229. n. 2.

Decretum: ad libertatem sufficit indifferentia medii secundùm se abstrahendo â decreto, aut præcepto. p. 111. n. 17.

Definitio: an Papa possit errare in definitione *facti dogmatici*? p. 98. n. 1. & seq.

Defunctus: vid. *mortuus.*

Deifer: in quo sensu Christus dicatur *Deifer*? p. 121. n. 16. & 17. ac p. 132. n. 17. non usurpetur hoc vocabulum. p. 197. n. 11. & seq.

Deipara: an B. Virgo benè vocetur *Deipara*? p. 100. n. 9 hoc negat Neſtorius cum Anaſtaſio. p. 114. n. 1 & ſeq. impugnatur. p. 123. n. 1. & ſeq. B. Virgo revera Deum genuit, atque in utero ſuo formatum edidit. *ibid.*

Deovirilis: an in Chriſto ſit una operatio *theandrica*, id eſt *Deovirilis*? p. 93. n. 5. & ſeq.

Deſcriptio: quid dicendum de deſcriptione univerſi orbis facta tempore Nativitatis Chriſti? p. 311. n. 6. & 7. an facta â Cyrino? *ibid.*

Deſpero: Chriſtum in cruce deſperâſſe, blasphemat Joannes ferus Moguntinus. p. 90. n. 16.

Deus: an ob viſionem Dei Beatificam Chriſtus peccare non potuerit? p. 109. n. 10. an Chriſtus â Deo Patre habuerit præceptum moriendi? p. 111. n. 15. & ſeq. quomodo Chriſtus ſtante præcepto liberè ſit mortuus? *ibid.* an Chriſtus Deum neceſſariò diligebat, & tamen mereri potuerit? p. 114. n. 25. & 26. B. Virgo revera Deum genuit, & in utero ſuo formatum edidit. p. 123. n. 1. & ſeq. ac p 179. n. 5. & ſeq. an S. Anna poſſit dici avia Dei? p. 126. n. 12. & 13. Deum verbum, & Chriſtum diſtinctos dixit Theodorus Mopſueſtenus damnatus â Synodo quinta. p. 142. n. 5. Capitulum Ibæ negans Deum Verbum factum eſſe hominem ex Virgine ut Neſtorianum à Synodo quinta rejicitur. p. 141. n. 1. & ſeq. quòd in reſurrectione forma ſervi ſit reverſa in formam Dei, non eſt dogma Eutychianum. p. 159. n. 1. & ſeq. ob communicationem Idiomatum Filius Dei dicitur crucifixus, & filius hominis deſcendiſſe de Cælo. p. 170. n. 2. ob eandem benè dicitur: Deus acquiſivit Eccleſiam ſanquine ſuo, eſt crucifixus, mottuus. *ibid.* an Chriſtus poſſit dici filius Dei adoptivus? p. 177. n. 1. & ſeq. ſaltem ſecundum humanitatem? p. 181. n. 11. & ſeq. an verò naturalis? *ibid.* in quo ſenſu Chriſtus dicatur prædeſtinatus Dei filius? p. 188. n. 1. & ſeq an Chriſtus poſſit dici Dei Servus? p. 193. n. 1. & ſeq. non dicatur Chriſtus Servus Dei. p. 197. n. 11. & ſeq. non Chriſtum, ſed Deum eſſe crucifixum, docuerunt Arius, Apollinarius, Eutyches, & Petrus fullo. p. 200. n. 2. potuiſſet Deus nos relinquere in perditione noſtra. p. 224. n. 2. vel non petere ſatisfactionem ſecundùm rigorem Juſtitiæ. *ibid.* an Deus potuiſſet omninò culpam condonare ſine morte Chriſti? p. 224. n. 3. an Deus fuiſſet injuſtus, ſi ſine pœna noſtra condonâſſet peccata? p. 225. n. 4. & 5. Pagani docent, non dari ſecundam Perſonam, quæ pro noſtra ſalute paſſa eſt, ſed Deum condonare peccata, quæ Superis non nocent. p. 226. n. 8. Sociniani negant Chriſtum eſſe Deum, unde aſſerunt, eum non potuiſſe condignè ſatisfacere. *ibid.* Socinus docet, nullam Dei juſtitiam poſtulare, ut peccata puniantur, Chriſtum dici Servatorem, quia nobis ſalutis viam annuntiavit, non tamen ſatisfeciſſe pro peccatis, nec functum eſſe ante mortem munere Sacerdotis, ſed Deum condonare peccata, cùm Chriſtus ſine ſumma injuſtitia nequeat pro ſceleratis mortis ſupplicio affici. p. 227. n. 11. refutatur decem propoſitionibus. p. 228. n. 1. & ſeq. Chriſtus ſe ipſum Deo Patri obtulit Sacrificium pro peccato in ara crucis. p. 232. n. 5. & p. 234. n. 6. hoc Sacrificium fuit præſignatum in victimis veteris legis. pag. 234. n. 6. Chriſtus fuit ſacerdos per Sacrificium, quod ùt homo Deo obtulit in cruce. pag. 234. num. 6. quodnam diſcrimen inter Chriſtum Sacerdotem, & alios Sacerdotes? *ibid.* Chriſtus in cælo Deo non ſacrificatur, ùt putant Poloni fratres. *ibid.* hoc probatur ex figura Sacrificii Aaronici. *ibid.* per Sacrificium in cruce peractum reconciliati ſumus Deo. p. 237. n. 7. quomodo ſimus gratis reconciliati Deo, cum Chriſtus dederit pretium magnum? *ibid.* ac p. 255. n. 10. non Deus, ſed Chriſtus delevit chirographum peccatorum. p. 238. n. 8. noluit Deus in hominum reparatione peccata dimittere non exhibita Divinæ juſtitiæ ſatisfactione p. 241. n. 2. ſed intuitu meritorum Chriſti, & ſatisfactionis ejus ſalvi facti ſunt. *ibid.* decebat quàm maximè, ut ob peccata noſtra Deo fieret condigna ſatisfactio. p 242. n. 3. an juſtitia vindex ſit propriè in Deo, ac hujus attributum? *ibid.* ac p. 240. n. 1. Deus neceſſariò peccatores odio habet, ſed non neceſſariò punit. p. 242. n. 3. an Deus habuerit Dominium, & jus abſolutum in corpus, & vitam Chriſti quà hominis? p. 244. n. 4. ſolvuntur ſophismata Socini negantis Chriſtum pro nobis ſatisfeciſſe pretio ſanquinis. p. 249. n. 1. tot. cap. V. & p. 272. n. 1. tot. cap. VII. in quo ſenſu Deus dicatur vendere iniquos ſine pretio? p. 351. n. 3. & 4. an Deo reconciliati ſimus per ſolam non imputationem peccati? p. 254. n. 9. & 10. Chriſtus jam ante mortem declaratus eſt filius Dei à Patre. p. 256. n. 12. an ſatisfactio Chriſti obſcuret miſericordiam Dei? p. 257. n. 13. & 14. an Deus olim condonârit peccata ſine ulla ſatisfactione? p. 257. n. 13. & 14. quomodo Deus peccata condonet? *ibid.* quale emolumentum accreve-

creverit Deo per satisfactionem Christi? *ibid.* an Deus ante adventum Christi iam fuerit nobiscum reconciliatus? pag. 262. n. 17. & 18. quomodo Socinus, & quomodo Christianus explicent illud? *Personarum acceptio non est apud eum.* p. 272. n. 1. mors hominis Dei majori pretio æstimanda est, quàm sempiternum damnatorum supplicium. p. 273. n. 2. cur satisfactio Christi sit infinita ex eo, quia facta â Deo, & cur non ex eadem ratione productio mundi, & alia opera Dei sint infinita? p. 274. n. 5. quomodo Christus utpote Deus potuerit sibi ipsi satisfacere? p. 275. n. 6. an creatura pura potuisset Deo satisfacere pro peccato? p. 224. n. 2. ac p. 275. n. 1. & seq. creatura rationalis obstricta peccato nequit vel pro se, vel pro aliis condignè satisfacere Deo. p. 275. n. 2. nulla creatura etsi gratia, & meritis exornata potest exhibere Deo pro mortali peccato coæqualem satisfactionem. p. 276. n. 3. quomodo intelligendum illud? *Frater non redimit, redimet homo. ibid.* an nec Angelus satisfacere potuisset pro peccato? p. 276. n. 3. an nec homo, si â Deo constitueretur caput morale hominum? p. 277. n. 5. & 6. an per solam contritionem, aut charitatem perfectam sine satisfactione Christi Deo reddatur omne id, quod peccato ablatum? p. 227. n. 5. & 6. an creatura pura possit Deo satisfacere ad juris apices pro peccato veniali? p. 278. n. 6. tres Magi Christum Deum contestati sunt muneribus suis. p. 322. n. 13. 14. & 15.

Didymus dixit, Melchisedech esse Angelum. p. 206. n. 1. refutatur. *ibid.* & seq.

Didymus: cur S. Thomas vocetur Didymus? p. 340. n. 8.

Dies: an Christus ignoraverit Judicii diem? p. 90 n. 14. quomodo Abraham viderit diem Christi? p. 256. n. 12.

Diligo: vid. *Charitas.*

Dimitto: pro quibus Christus oraverit verbis illis: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quod faciunt.* & an sit exauditus? p. 294. n. 11.

Diocletianus: vid. *Aëra.*

Dionysius: vid. *Aëra.*

Diptycha Ecclesiæ Mopsuestenæ sunt genuina. p. 147. n. 16. & 17.

Divinitas: hæc in Christo non potuit pati, benè verò humanitas ipsius. p. 76. n. 1. & seq. Christus habuit veram animam humanam, ita, ut non hujus vicem gesserit Divinitas. p. 84. n. 1. & seq. an Christus ut viator viderit Divinitatem? p. 87. n. 5. ac p. 90. n. 15. & seq. an in Christo possit simul esse visio Divinitatis, & summa tristitia? p. 90. n. 15. & seq. quômodo ab humana Christi natura in morte recesserit Divinitas? p. 91. n. 18. qui credit Divinitatem verbi, & negat carnem rationalem Christi, Monothelita est. p. 92. n. 1. & seq. an humanitas Christi sit solùm instrumentum Divinitatis? p. 96. n. 16. hanc Christo denegant Arius, & Eunomius. p. 132. n. 16. Eutyches cum Apollinario docet, Christi carnem ita esse Divinitate absorptam, ut non nisi corpus phantasticum haberet, & Divinitas ipsa sit crucifixa. p. 153. n. 1. & 2. uterque refutatur. p. 154. n. 3. & seq. Christi Divinitati an conveniant ea per communicationem Idiomatum, quæ dicuntur de humanitate. p. 169. n. 1. vid. *Idioma.* divinitas nequit esse pars suppositi Christi. p. 199. n. 15. cur hæc propositio Joannis Hus, & Witcleti *Divinitas & humanitas est unus Christus* sit damnata? p. 199. n. 16. Oratio Christi demonstrat ejus Divinitatem, non aliquam subjectionem, ut putant Ariani. p. 293. n. 8. probatur contra Socinianos, adorationem Magorum fuisse religiosam, & indicâsse Christi Divinitatem. p. 322. n. 13. 14. & 15.

Doctor: quomodo Doctores Catholici interpretentur vaticinium Jacob? p. 4. n. 1. & seq. tot. cap. I. II. & III.

Dogmaticus: vid. *Definitio.*

Dolor: an Christi corpus fuerit doloribus subjectum? p. 76. n. 1. & seq. an Adami corpus fuerit doloribus subjectum ex natura sua? p. 78. n. 9. quid tenuerit S. Hilarius? p. 80. n. 6. & seq. secundùm Philosophos recentiores sola anima rationalis potest sentire. p. 85. n. 5. an in Christo simul fuerit gaudium & dolor? p. 90. n. 15. & seq.

Dominicus homo an Christus dici possit vel debeat? p. 197. n. 11. & seq.

Dominium: an Deus habuerit Dominium absolutum in corpus, & vitam Christi quà hominis? p. 244. n. 4.

Domus Nazarethana verè fuit è Syria translata Angelorum ministerio terfactum, inde in agrum Picentinum, nunc Lauretum. p. 324. n. 16. & seq.

Dormio: cur Christus dixerit de mortuis filia Principis, & Lazaro? *Puella non est mortua, sed dormit. amicus noster dormit.* p. 284. n. 11.

Dorotheus negat B. Virginem dicendam esse *Deiparam.* p. 114. n. 1. & seq.

Dux: quis in vaticinio Jacob fuerit *Dux de femore*? p. 6. n. 5. hic præfuit Synedrio. *ibid.* qualem habuerit auctoritatem? p. 7. n. 6. hic non defecit nisi sub Adventum

Messiæ. p. 7. n. 7. & seq. usque ad cap. IV.

E.

Ebion B. Virgini denegat Virginitatem. p. 54. n. 1. & seq. refutatur p. 54. n. 2. & seq. denegat Christo scientiam Divinam, refutatur. p. 86. n. 1. refutatur ut Monothelita. p. 92. n. 1. ac p. 120. n. 13. contra hunc Christo tribuitur æternitas. p. 197. n. 12. negat peccatum Originale, & Redemptionis necessitatem. p. 226. n. 10. unde Christum passum affirmat, ut nobis exemplum relinqueret. *ibid.* solvuntur objectiones. p. 249. n. 1. tot. cap. V. & p. 272 n. 1. tot. cap. VII.

Ecclesia: an Ecclesia possit mortuum anathemati subjicere? p. 148. n. 18. & seq. Arca Noë figurabat Ecclesiam. p. 255. n. 11. & 12. quid dicendum de sententia quam de anno Nativitatis Christi tenet Ecclesia in Martyrologio Romano? p. 312. n. 8. & 9. an Christus, vel Petrus, vel Ecclesia vocetur Petra? p. 339. n. 6.

Ecclesiasticus: de Magistratu Ecclesiastico Judæorum. p. 6 n. 5.

Eclipsis: quid de ea dicendum, quæ evenerat ante mortem Herodis? p. 303. n. 13. & seq. quando evenerit eclipsis, quæ facta est in morte Domini? p. 345. n. 2.

Electus: an Christus tantùm pro electis mortuus sit? p. 279. n. 1. & seq. Christus pro electis non tantùm mortuus est, sed etiam iis applicat mortis suæ fructum. p. 280. n. 3.

Eliakim: an nomina Heli, Joachim, & Eliakim sit solùm unum nomen? p. 68. n. 6.

Elias vera fecit miracula. p. 37. n. 12.

Elipandus an dixerit, Christum esse filium Dei adoptivum in sensu Nestorii negando unionem hypostaticam? p. 177. n. 1. & seq. & admittendo duas Personas? *ibid.*

S Elisabetha an fuerit, & qualiter cognata B. Virginis? p. 217. n. 13. ex quali tribu fuerit? *ibid.*

Emissarius: vid. *Hircus.*

Emo: pretio sanguinis Christi empti sumus, & ideò non juris nostri, sed Domini. p. 229. n. 3. ac p. 246. n. 1. & seq. solvuntur objectiones. p. 249. n. 1. & seq. ac p. 272. n. 1. & seq. in quo sensu dicamur empti sine argento? p. 251. n. 3. & 4.

Ephesinus: vid. *Concilium.*

Epiphania: dies natalis Christi, & Epiphaniæ distinguuntur. p. 313. n. 1. & seq.

Epistola: an Abagarus scripserit Epistolam ad Christum, & ab hoc responsum tulerit? p. 343. n. 11. & seq.

Epocha Regni Artaxersis statuitur. p. 21. n. 1. & seq. Epocha Herodiana. vid. *Herodes.* Epocha Tyberii Cæsaris definitur. p. 327. n. 1. & seq.

Erro: an Papa possit errare in definitione facti dogmatici? p. 98. n. 1. & seq. an concilium possit errare errore facti? *ibid.*

Evangelium non est scriptum sub Regimine Pilati. p. 46. n. 11. primum scripsit S. Matthæus, & quando? *ibid.*

Eucharistia: Melchisedech offerens panem, & vinum erat typus Christi instituentis Eucharistiæ Sacramentum. p. 210. n. 11. & seq. solvuntur objectiones hæreticorum. p. 213. n. 1. tot. cap. VIII.

Eunomianus negat, Christum habuisse animam humanam, sed hujus vicem gessisse putat Divinitatem. p. 84. n. 1. & seq.

Eunomius Christo Divinitatem denegat. p. 132. n. 16.

Eutyches: quo anno hujus hæresis eruperit? p. 153. n. 1. vita illius describitur. p. 153. n. 1. & 2. docuit, in Christo duas naturas post unionem ita confundi, ut in unam transeant. *ibid.* voluit cum Apollinario, carnem Christi fuisse Divinitate absorptam ita, ut habuerit non nisi corpus phantasticum, & ipsa Divinitas sit affixa cruci. *ibid.* fuit damnatus à S. Leone Papa. *ibid.* ipsius monitu à Theodosio Imp. convocatum est concilium, quod vocatur Synodus Prædatoria, ac Latrocinium. p. 153. n. 2. in eo S. Flavianus vulneribus affectus brevi mortuus est. *ibid.* in Concilio Chalcedonensi cum Nestorio est damnatus. *ibid.* Theodoretus vero Eutychetem anathematizans in suam sedem est restitutus. *ibid.* probatur, in Christo duas esse naturas etiam post unionem distinctas, non permixtas: non separatim, sed in eadem persona ac hypostasi subsistentes. p. 154. n. 3. & seq. cur verbum *facio* in textu *aquam vinum factam: uxorem Lot factam columnam salis &c.* significet mutationem naturæ: & cur non in textu *verbum caro factum est.* p. 155. n. 6. & seq. an verbum per substantiæ mutationem factum sit caro, sicut panis fit corpus Christi. *ibid.* Homilia Clementis XI. quòd in resurrectione Dominica forma Servi sit reversa in formam Dei, non est imbuta hæresi Eutychetis. p. 159. n. 1. & seq. adstruit communicationem idiomatum inter utramque naturam Christi. p. 169. n. 1. refutatur. p. 171. n. 5. & seq. an Petrus fullo, & Monachi Scythici fuerint imbuti hæresi Eutychetis. p. 200. n. 1. & seq.

Eutychianus negans in Christo duplicem operationem est annumerandus monothelitis. p. 92. n. 1. Monachi Scythæ non erant Eutychiani. p. 203. n. 12. 13. & 14. cur ergo ex urbe expulsi. *ibid.*

Excommunicatio: quid dicendum de sententia excommunicationis à Synodo VI. lata in Honorium I. Papam. p. 98. n. 2. & seq. an hæc possit ferri in defunctum. p. 148. n. 18. & seq.

Exemplum: Redemptio nostra non est facta prædicatione & exemplo. p. 229. n. 3. ac p. 249. n. 1. & seq. ac p. 274. n. 1. & seq.

F.

Facio: cur verbum *facio* in textu *aquam vinum factam*: *uxorem Lot factam columnam salis &c.* significet mutationem, naturæ, & cur non in textu: *Verbum caro factum est?* p. 155. n. 6. & seq.

Factum: an Papa possit errare in definitione facti dogmatici. p. 98. n. 1. & seq. an Synodus possit errare errore facti. *ibid.*

Fœmina: an etiam à Christo redempta. p. 281. n. 4. negat Horatius Plata. *ibid.* affirmativa sententia propugnatur. *ibid.* & seq. fœmina æquè homo est, ac vir: an etiam ad imaginem Dei creata. *ibid.* n. 5. & seq. non est destituta ratione. *ibid.* nec pietate, aut eloquentia, quod exemplis probatur. *ibid.* an Baptismus tantùm pro viris à Christo sit institutus? p. 282. n. 7. 8. & 9. cur velare debeat caput? *ibid.* potest peccare. p. 284. n. 9. Christus etiam fœminis beneficia contulit. *ibid.* & seq. cur noluerit tangi à fœmina? *ibid.*

Fastus: quando incœperint Fasti consulares? p. 312. n. 10.

Faustinus Socinus: vid. *Socinianus.*

Felix Episcopus an dixerit Christum filium Dei adoptivum in sensu Nestorii negando unionem hypostaticam? p. 177. n. 1. & seq. hæresis feliciana sæpiùs damnata est. p. 178. n. 2. admisit duas in Christo Personas. *ibid.*

Femur: quis intelligatur in vaticinio Jacob *per ducem de femore*? p. 6. n. 5. hic præfuit Synedrio. *ibid.* & non defecit nisi sub adventum Messiæ. p. 7. n. 7. & seq. usque ad cap. IV.

Ferus Joannes Moguntinus Blasphemat, Christum in cruce desperâsse. pag. 90. n. 16.

Fidejussor: Christus ùt homo tenebatur quidem obedire Patri cœlesti, sed non tenebatur præcepto mortis. p. 269. n. 9. nisi ùt fidejussor, Sponsor, Vas, & Obses. *ibid.*

Fides: quibus argumentis Gentiles ad Christianam fidem sint pertrahendi? p. 41. n. 1. tot. cap. X. probatur diversimodè, quòd fides Catholica sit vera. *ibid.* an hanc receperit Pilatus? p. 45. n. 8. solvuntur Gentilium objectiones contra fidem Catholicam. p. 47. n. 1. tot. cap. XI. an hæc virtus fuerit in Christo? p. 108. n. 7. nil contrarium fidei Incarnationis docuit S. Cyrillus. p. 127. n. 1. & seq. quid dicendum de professione fidei Zenonis? p. 202. n. 10. & 11. an Christus dicatur Salvator, quia per resurrectionem suam nos in fide confortavit? p. 249. n. 1. & seq. ut Passio Christi consequatur suum effectum, debet applicari per fidem, charitatem, fidei Sacramenta, & bona opera. p. 257. n. 13. & 14. resurrectio Christi fuit necessaria ad fidei confirmationem. p. 262. n. 17. & 18. an Christus, an Petrus, an fides vocetur Petra? p. 339. n. 6.

Filiatio: quot in Christo dentur filiationes? p. 187. n. 27. quid requiratur ad filiationem? p. 191. n. 1. & seq.

Filius: quomodo intelligendum illud: *filius hominis, qui est in cœlo*? p. 119. n. 11. an etiam Pater, & Spiritus S. eandem potuissent assumere carnem, ùt fecit filius, & tamen unus dici homo? p. 166. n. 14. cur filius; & non alia Persona naturam induerit nostram? p. 167. n. 17. per communicationem idiomatum benè dicitur filius Dei est crucifixus, filius hominis descendit de cœlo. p. 170. n. 2. & seq. an Christus possit dici filius Dei adoptivus? p. 177. n. 1. & seq. saltem secundùm humanitatem? p. 181. n. 11. & seq. quis sit filius adoptivus? p. 183. n. 14. an Christus sit filius Dei naturalis? *ibid.* in quo sensu Christus dicatur prædestinatus Dei filius? p. 188. n. 1. & seq. cur Christus dicatur natus de Spiritu S. & cur non filius illius? p. 191. n. 1. & seq. quid requiratur, ut quis dicatur filius alterius? *ibid.* Christus jam ante mortem declaratus est à Patre filius Dei. p. 256. n. 12. an Zaleucus Locrensis sit laudandus, quòd, dum filio utrumque oculum eruere deberet, sibi unum, filio alterum effoderit? p. 260. n. 15. & 16.

Finitus: vid. *Infinitus.*

Flagellatio: numerus verberum in flagellatione Christi qualis fuerit? p. 355. n. 5. an flagellatio sit facta ab uno lictore? p. 355. n. 6. an solùm fuerint triginta novem verbera? *ibid.* flagellatio fuit pœna acerbior, quàm erat fustuarium. p. 356. n. 7. fustuario plectebantur homines liberi,

beri, & pauperes, non verò Romani cives: servi autem flagellis. *ibid.* quæ forma flagellorum. *ibid.* in flagellatione servorum non erat præscriptus certus verberum numerus. *ibid.* Christus flagellatus est more Romanorum, non Judæorum. *ibid.*

S. Flavianus impugnans Eutychetem in Latrocinio Ephesino ob vulnerum acceptorum atrocitatem obiit. p. 153. n. 1. & 2.

Flavius: testimonium flavii Josephi de Messia est autographum. p. 37. n. 1. tot. cap. IX.

Fodio: an benè legatur? *foderunt manus meas, & pedes meos.* p. 361. n. 15.

Fœdus: in quo sensu sanguis Christi dicatur sanguis fœderis. pag. 249. num. 1. & seq.

Fomes: an in Christo impotentia peccandi proveniebat â carentia fomitis peccati. p. 109. n. 10.

Forma & venustas corporis Christi qualis fuerit. p. 74. n. 6. & seq. quòd in resurrectione Domini forma Servi sit reversa in formam Dei, non est dogma Eutychianum. p. 159. n. 1. & seq. forma habet varias significationes *ibid.*

Frater: quomodo Christus pro nobis animam suam posuerit, & quomodo nos pro fratribus debeamus animas ponere. p. 253. n. 7. & 8. quomodo intelligendum illud? *Frater non redimit, redimet homo.* p. 276. n. 3. quotupliciter quis dici possit frater alterius. p. 58. n. 15. an Christus habuerit fratres, qui essent filii Josephi ex alia uxore, quàm B. Virgine generati. *ibid.* an Jacobus sit frater Christi Domini. *ibid.*

Fratres Poloni: Christus in cœlo non immolatur, ut putant Poloni fratres. p. 234. n. 6. ac p. 256. n. 12. hoc probatur ex figura Sacrificii Aaronis. *ibid.* item ex Patribus. p. 246. n. 1. & seq. solvuntur objectiones. p. 249. n. 1. & seq. ac p. 272. n. 1. & seq.

Fullo Petrus asseruit *Deum esse crucifixum*, unde & trisagio addidit: *qui crucifixus est pro nobis.* p. 200 n. 2. ejus vita describitur. *ibid.*

Fustuarium: flagellatio fuit pœna acerbior, quàm erat fustuarium. p. 356. n. 7. fustuario plectebantur homines liberi, & pauperes, non verò Romani cives: servi autem flagellis. *ibid.*

G.

Gainus: vid. *Aphtbartodocita.*

Gallus: Soldurii apud Gallos: Decii apud Romanos se morti tradunt pro aliis: propterea vocantur Antipsychus? p. 229. num. 2.

Gaudium: an in Christo simul fuerit gaudium & dolor? p. 90. n. 15. & seq.

Geminus: cur S. Thomas vocetur Geminus? p. 340. n. 8.

Genealogia â S. Matthæo de Christo conscripta est verum opus illius. p. 61. n. 4. hanc impugnârunt Manichæi, Porphyrius, Celsus, Julianus Apostata. p. 65. n. 1. & seq. quomodo S. Matthæus dicat Josephi Patrem esse Jacobum, cùm S. Lucas adducat Heli? p. 66. n. 1. & seq. an B. Virginis Parentes fuerint Joachim, & Anna? p. 67. n. 5. & seq. unde ortum traxerit Joachim? *ibid.* B. Virgo, & S. Joseph erant sanguine propinqui, ex una tribu. *ibid.* an nomina *Heli*, *Joachim*, & *Eliakim* sit solùm unum nomen? p. 68. n. 6. unde Ortum habeat Anna? p. 68. n. 7. an in genealogia Christi â D. Luca descripta nomen Cainan sit superfluum, vel sit omissum in libro Geneseos? p. 69. n. 1. & seq. nomen Cainan est aliud â nomine Arphaxad, & sole. p. 72. n. 8. cur Melchisedech dicatur sine Patre, sine Matre, sine Genalogia? p. 26. n. 3. & seq.

Gentilis: quibus argumentis ad credendum in Christum sit pertrahendus? p. 41. n. 1. tot. cap. X. solvuntur ejus objectiones contra fidem catholicam. p. 47. n. 1. tot. cap. XI.

Gethsemani: Hortus Oliveti cur dicatur Gethsemani? p. 353. n. 1.

Gloria: an gratia, gloria, & perseverantia Angelorum sit ex merito Christi? p. 221. n. 9. & 10.

Gnome: duæ voluntates in Christo non est una dicenda *personalis*, nec una *gnome*, nec una *habitudine*, sed duæ *naturales.* p. 93. n. 5. ac p. 95. n. 11.

Gnosticus denegabat Christo sapientiam, & scientiam. p. 86. n. 1. distinxit Christum â Jesu. p. 120. n. 13.

Golgotha: de monte Calvariæ, seu Golgotha. p. 360. n. 12.

Gothescbalcus docuit, Christum tantùm pro electis ante mundi constitutionem esse mortuum. p. 279. n. 1. refutatur. *ibid.* & seq.

Græcus: Græci olim diem natalem Christi & Epiphaniæ non distinquebant. p. 314. n. 2. & 4.

Gratia habitualis Christo non contulit secundarium effectum scilicet adoptionem. p. 187. n. 27. an gratia, gloria, & perseverantia Angelorum sit ex merito Christi? p. 221. n. 9. & 10. nulla creatura etsi gratia, & meritis exornata potest exhibere Deo pro mortali peccato coæqualem satisfactionem. p. 276. n. 3. meritum

de

de condigno provenit ex gratia habituali, & non ab opere in se spectato. p. 278. num. 6.

Gratis: quomodo gratis simus reconciliati Deo, cùm Christus pretium obtulerit? p. 237. n. 7. ac p. 255. n. 10. an sententia, quæ negat Deum gratis condonare peccata, repugnet, & obscuret misericordiam Dei? p. 257. n. 13. & 14.

Grotius quid senserit de Christo Redemptore? p. 228. n. 13. & tot. cap. II. seq.

H.

Habitualis: vid. *Gratia*.

Habitudo: non est in Christo una voluntas *habitudine*, sed duæ *naturales*. p. 93. n. 5. ac p. 95. n. 11.

Hæreditas: ob hanc non licuit viro uxorem sumere ex alia tribu, quàm sua. p. 217. n. 13.

Hæresis: an Papa possit in hæresin incidere, & damnari à Concilio generali? p. 98. n. 1. & seq.

Hæreticus: Hæretici Melchisedeciani putant, Melchisedech esse virtutem Christo superiorem. p. 206. n. 1. & seq. horum hæreticorum quis sit auctor? *ibid.* refutantur. *ibid.* Christi Redemptionem despiciunt, ac variè impugnant. p. 223. n. 1. vid. *Christi satisfactio*.

Halma significat in Scriptura Virginem. p. 54. n. 2. & seq.

Hasmonæus: an imperium tenentibus Hasmonæis defecerit Septrum de domo Juda? pag. 4. num. 1. an sint prognati ex tribu Juda? *ibid.* vel tribu Levi? *ibid.*

Hebdomada: quomodo sint numerandæ hebdomadæ in prophetia Danielis? pag. 15. n. 1. & seq. demonstratur hebdomadarum Danielis initium, & finis. p. 21. n. 1. tot. cap. V. & VI. Daniel prædixit occidendum Christum in medio hebdomadæ LXX. p. 345. n. 1. quando hæ incipiant? *ibid.*

Hebræus: quomodo Hebræi interpretentur vaticinium Jacob? p. 4. n. 1. an nomen Judæ possit extendi ad universam gentem hebræorum? *ibid.* habuerunt duos Magistratus Ecclesiasticum, & politicum. p. 6. n. 5. in Vaticinio Jacob vox *virga* non significat Hebræorum afflictationem, & tyrannorum super eos potestatem, sed authoritatem regiam. p. 5. n 3. & p. 9. n. 1. & 2. hebræorum Commenta solvuntur allata contra vaticinium Jacob. p. 9. n. 1. tot. cap. II. an adhuc duret aliquod regnum ipsorum? p. 12. n. 17. & 18. contra hos probatur ex Vaticinio Danielis jam advenisse Messiam. p. 15. n. 1. & seq. tot. cap. IV. textus hebræorum in prophetia Danielis non discrepat à latino. p. 16. n. 3. sæpiùs, sed irrito conatu tentârunt reædificare templum. p. 18. n. 9. eorum Chronologia in numerandis hebdomadis Danielis refutatur. p. 27. n. 1. tot. cap. VI. contra hebræos probatur advenisse Christum ex Deutronomio. p. 29. n. 1. & seq. ex Daniele. p. 31. n. 6. & seq. ex Michæa. p. 32. n. 9. ex Aggæo. p. 32. n. 10. & seq. quid dicendum de templis hebræorum? *ibid.* ante cujus templi eversionem Messias venerit? *ibid.* error Judæorum de Messia. p. 34. n. 1. solvuntur eorum objectiones, quòd Christus non sit verus Messias. p. 35. n. 5. & seq. contra hos probatur, adventum Messiæ non esse dilatum ob peccata hominum. p. 37. n. 9. item, Christum vera patrâsse miracula. p. 37. n. 10. 11. & 12. eorum error de nomine Jesu rejicitur. *ibid.* testimonium flavii Josephi Hebræi de Christo est autographum. pag. 37. n. 1. tot. cap. IX. probatur contra hos, quòd Christus ex Virgine sine virili semine natus sit. p. 54. n. 2. & seq. ac pag. 58. n. 15. contra Hebræos probatur, Christum accepisse Damasci spolia, & Regum obsequia. pag. 321. n. 9. computus lunaris Romanorum, & Hebræorum. p. 352. n. 10. 11. & 12. Christus flagellatus est more Romanorum, non Hebræorum. pag. 356. n. 7.

Heli: an hic, vel Jacob, vel uterque sit Pater S. Josephi? p. 66. n. 1. & seq. an nomina *Heli*, *Joachim*, & *Eliakim* sit solùm unum nomen? p. 68. n. 6

Helvidius docuit, quòd B. Virgo post Christum ex semine Joseph alios peperetit filios. p. 54. n. 1. refutatur. p. 57. n. 14. & seq.

Heraclius favebat Monothelitis. p. 92. n. 2. & seq.

Herodes Rex, sub cujus regimine natus est Jesus, non fuit Judæus, sed alienigena. p. 298. n. 1. & 2. an fuerit Ascalonita? an verò Idumæus? p. 298. n. 1. 2. & seq. objectiones, quòd Herodes fuerit Judæus, solvuntur. p. 300. n. 7. & 8. Epocha Herodiana duplex est distinquenda: prima, quo anno sit salutatus Rex: altera, quo anno Regnum consecutus? p. 301. n. 9. & seq. quo anno ab eo sit capta Jerosolyma? pag. 302. n. 11. & 12. quando mortuus? p. 303. n. 13. & seq. de eclipsi ante mortem ipsius facta. *ibid.* quot annis Herodes vixerit? p. 307. n. 22. an Sceptrum de domo Juda defecerit tempore Herodis? p. 4. n. 1. tot. cap. I. II. & III.

Hierarcha: etiam primarii Hierarchæ crediderunt, Christum assumpsisse corpus incorruptibile. p. 72. n. 1. vid. *Hierax*.

Hierax aut Hierarcha credidit Melchisedech esse Spiritum S. p. 206. n. 1. refutatur. *ibid.* & seq.

S. Hieronymus: an docuerit cum Origene, Christum etiam pro Angelis, & Astris mortuum? p. 285. n. 12. & seq.

Hilarius Pictavienſis tribuit Christo verum corpus nostro consubstantiale, & ex Mariæ carne susceptum. p. 79. n. 1. & seq. item doloribus, ac passioni subjectum. p. 80. n. 6. & seq.

Hircus Emissarius an fuerit typus Christi? p. 252. n. 5. & 6. qui ritus in ejus ejectione fuerint observati? *ibid.*

Holocaustum: vid. *Sacrificium*.

Homilia: an homilia S. Chrysostomi de nativitate Christi sit spuria? pag. 313. n. 1. & 2.

Homilia Clementis XI. quòd in resurrectione Domini forma servi sit reversa in formam Dei, non est Eutychiana. p. 159. n. 1. & seq.

Homo: an reparatio hominum fuerit causa incarnationis. p. 49. n. 1. tot. cap. XII. Christus ùt homo habuit scientiam Beatorum. p. 87. n. 5. ac p. 90. n. 15. & seq. non autem comprehensivam. p. 88. n. 6. & seq. quomodo intelligendum sit illud: *filius hominis, qui est in cælo*? p. 119. n. 11. in quo sensu Christus assumpserit hominem? p. 121. n. 16. & 17. Capitulum Ibæ negans Deum Verbum factum esse hominem ex Virgine ut Nestorianum rejicitur. p. 141. n. 1. & seq. an omnes tres Personæ S. S. Trinitatis potuissent assumere naturam unam? p. 166. n. 14. & an in hoc casu adhuc unus homo dici posset? *ibid.* an eadem Persona Divina potuisset assumere naturas duas, & tamen dici unus homo? p. 167. n. 15. per communicationem idiomatum benè dicitur filius hominis descendit de cælo. pag. 170. n. 2. & seq. an Christus possit dici homo Dominicus, aut Deifer? p. 197. n. 11. & seq. Christus est caput hominum, & Angelorum. p. 220. n. 7. & 8. Socciniani negant, Christum potuisse condigne satisfacere, quia eum purum hominem putant. p. 226. n. 8. Christus revera hominum genus redemit. pag. 229. num. 2. Christus fuit Sacerdos per Sacrificium, quod ùt homo Deo obtulit in ligno crucis. pag. 234. num. 6. ac pag. 256. n. 12. noluit Deus in hominum reparatione peccata dimittere non exhibita Divinæ justitiæ satisfactione. pag. 241. num. 2. sed intuitu meritorum Christi, & satisfactionis ejus salvi facti sunt. *ibid.* reparatio hominis non fuit condonatio, sed actus Judicii, & justitiæ. *ibid.* quas homo utilitates hauriat ex passione Christi? p. 242. n. 3. voluit Christus hominem â dæmonis tyrannide liberare non potentia, sed justitia. p. 242. n. 3. homo innocens nequit salva justitia puniri pro alio nocente. p. 244. n. 4. an nec Christus salva justitia potuerit mortis supplicio affici pro peccatoribus? *ibid.* & p. 227. n. 11. an Deus habuerit jus, & Dominium absolutum in corpus, & vitam Christi quà hominis? pag. 244. n. 4. an aliquando licita occisio hominis innocentis? pag. 244. n. 4. vel alia punitio publicæ salutis causâ facta? *ibid.* solvuntur sophismata Socini negantis Christum pro nobis hominibus verè satisfeciſſe Sanquinis pretiô. p. 249. n. 1. tot. cap. V. & p. 272. n. 1. tot. cap. VII. cur non omnes homines salvi facti sint, cùm Christus pro omnibus mortuus sit? p. 249. n. 1. & seq. ac p. 280. n. 2. cur homo adultus non salvetur nisi volens? *ibid.* Christus ùt homo tenebatur quidem ad obedientiam Patri cælesti, sed non tenebatur præcepto mortis. pag. 269. n. 9. nisi ut fidejussor, vas, Sponsor, & Obses. *ibid.* mors hominis Dei majori pretio æstimanda est, quàm sempiternum damnatorum supplicium. pag. 273. n. 2. Christus quidem ùt homo satisfecit, sed natura humana, in qua passus est, erat hypostaticè unita Verbo. p. 274. n. 5. quomodo intelligendum illud: *frater non redimit, redimet homo*. pag. 276. n. 3. an homo potuisset satisfacere Deo pro peccato, si â Deo esset constitutus caput morale hominum? p. 277. n. 5. & 6. Christus pro omnibus hominibus mortuus est. p. 279. n. 1. & seq. quando Christus dicitur Redemptor mundi, intelligitur Redemptor hominum, non dæmonum, etsi dæmon dicatur Princeps mundi. p. 286. n. 14. & 15. Angeli boni erant irati hominibus propter peccatum, sed sunt reconciliati per mortem Christi. p. 286. n. 14. 15. & 16. Christus non est Mediator, prout est homo â Persona Verbi præcisus. pag. 295. num. 14. nihilominùs si attenduntur opera, per quæ Christus partes Mediatoris implevit, Mediator est in quantum homo. pag. 295. num. 15.

Homousion: hæc vox pro diversitate potest recipi, & rejici. p. 100. n. 9.

Honorius I. an adhæserit Monothelitis? p. 98. n. 1. & seq. quid dicendum de sententia excommunicationis in Honorium I. lata â Synodo VI? p. 98. n. 2. & seq.

Hora: qua hora crucifixus sit Dominus? p. 360. n. 13.
Horatius Plata negat fœminam â Christo redemptam. p. 281. n. 4.
Hortus oliveti cur dicatur Gethsemani? p. 353. n. 1.
Hostia: vid. *Sacrificium*.
Humanitas: an humanitas Christi sit solùm instrumentum Divinitatis? pag. 96. n. 16. in quo sensu hæc comparetur templo, tabernaculo, indumento? p. 121. n. 14. & 15. an Humanitas Christi sine propria subsistentia sit perfecta? p. 122. n. 18. & 19. an Humanitas Christi promereri potuerit unionem Hypostaticam? pag. 164. n. 7. ac p. 190. n. 4. & quomodo promeruerit? *ibid.* & seq. an de humanitate Verbi possint per communicationem idiomatum dici ea, quæ dicuntur de Divinitate illius? p. 169. n. 1. & seq. vid. *idioma*. humanitas Christi non est ubique p. 173. n. 8. & seq. nec omnipotens. *ibid.* an Christus possit dici filius Dei adoptivus secundùm humanitatem? p. 181. n. 11. & seq. cur hæc propositio: *duæ naturæ, Divinitas, & humanitas est unus Christus*: sit damnata? p. 199. n. 16.
Hus Joannes: cur hæc ipsius propositio: *duæ naturæ Divinitas, & humanitas est unus Christus*: sit damnata? pag. 199. num. 6.
Hyems: si Christus natus est in hyeme, quomodo Pastores sub dio vigilare potuerint? p. 316. n. 7.
Hypatia: hujus cædes non potest imputari S. Cyrillo. p. 127. n. 1. & 2.
Hypostaticus: vid. *unio*.

I.

S. *Jacobus*: an sit frater Christi Domini? p. 58. n. 15. B. Virgo non Noverca, sed Matertera erat S. Jacobi. p. 58. n. 15. quid significet nomen S. Jacobi filii Zebedæi? & cur dicatur Boanerges? p. 340. num. 7.
Jacob: ex Vaticinio Jacob demonstratur, venisse Messiam in lege promissum. p. 4. n. 1. tot. cap. I. II. & III.
Jacob: an hic, vel Heli, vel uterque sit Pater Josephi? p. 66. n. 1. & seq.
Jansenianus docet, Christum tantùm pro Electis ante mundi constitutionem esse mortuum. pag. 279. n. 1. refutatur. *ibid.* & seq.
Jansenius nititur probare, Papam posse errare in definitionibus facti dogmatici. p. 99. n. 1. & seq.
Japhet: an Sem, vel Japhet sit nata major Noë? p. 208. n. 5.
Ibas: Capitulum illius negans Deum verbum factum esse hominem ex Virgine ut Nestorianum à Synodo quinta rejicitur. p. 141. n. 1. & seq. alia notanda de eo, præcipuè an capitulum, seu Epistola sit opus illius. p. 150. n. 25. & seq.
Idioma: in Christo datur communicatio idiomatum. p. 169. n. 1. quid sit hæc communicatio? *ibid.* qui hanc denegant Christo, sunt Nestoriani, & qui eam adstruunt inter utramque naturam Eutychiani. *ibid.* Ubiquitarii immensitatem, & omnipotentiam Christi humanitati tribuentes conveniunt cum Eutychianis. *ibid.* idem faciunt Lutherani. *ibid.* hæc communicatio in Christo respectu Personæ admitti debet. pag. 170. num. 2. & seq. ob hanc dicitur Christus Deus, mundi conditor, omnipotens, crucifixus, mortuus. *ibid.* per eandem dicitur Baptizatus, & Baptizans: sanctificatus, & sanctificans. *ibid.* per illam filius Dei est crucifixus, & filius hominis descendit de Cælo: item Christus cum Patre unus est, ac minor est Patre. *ibid.* ob eam Christus dicitur Genitus ante Luciferum, antiquior Abrahamo: vicissim Deum acquisivisse Ecclesiam sanquine suo, esse crucifixum, mortuum. *ibid.* communicatio idiomatum in abstracto, seu inter naturam unam & alteram non datur. p. 171. n. 5. 6. & 7. unde non bene dicitur humanitas est immensa. *ibid.* duodecim regulæ observandæ in communicatione idiomatum. p. 172. n. 7. humanitas Christi non est ubique. p. 173. n. 8. & seq.
Jebus: vid. *Jerosolyma*.
Jerosolyma primitus vocabatur Salem, postea Jebus, demum Jerosolyma. p. 208. n. 5. & 6. quantum distet à Nazareth? p. 317. n. 1. quando expugnata? p. 345. n. n. 2. quo anno ab Herode sit capta? p. 302. n. 11. & 12.
JESUS Nazarenus est verus Messias lege promissus. p. 34. n. 1. tot. cap. VIII. vid. *Christus*. error & fabula de nomine Jesu â Judæis excogitata rejicitur. p. 37. n. 12. est indistinctus à Christo. p. 120. n. 13.
Ignoro: quomodo Christus ignoraverit peccata? p. 89. n. 12. quomodo nesciat peccatores? *ibid.* quomodo ignorârit Judicii diem? p. 90. n. 14.
Immensitas humanitati Christi tribuitur ab Ubiquitariis. p. 169. n. 1. refutantur. p. 173. n. 8. & seq.
Impeccantia in Christo unde proveniebat? p. 109 n. 10. quomodo hæc possit stare cum libertate? p. 111. n. 15. & seq.
Impius: vid. *peccator*.
Imputatio: an â Christo simus reconciliati

Dèo per ſolam non imputationem peccati? p. 254. n. 9. & 10.

Incarnatio poteſt evinci ex rationibus Catholicis, non autem poteſt demonſtrari. p. 47. n. 1. variæ objectiones contra Incarnationem allatæ ſolvuntur. p. 48. n. 3. & ſeq an Cauſa incarnationis fuerit peccatum Adæ, ac reparatio Generis humani? p. 49. n. 1. tot. cap. XII. incarnatio cur tam ſerò facta? p. 52. n. 11. de incarnatione in Utero intemeratæ virginis peracta. pag. 54 n. 1. tot. cap. I. & II. nil contrarium fidei docuit S. Cyrillus pag. 127. n. 1. & ſeq an hanc Sancti Patres potuerint mereri? pag. 164. n. 7. an B. Virgo? an humanitas Chriſti? *ibid.* & quomodo promeruerint? *ibid.* & ſeq. an etiam Pater, & Spiritus S. potuiſſent incarnatione aſſumere naturam unam? p. 166. n. 14. & tamen adhuc dici unus homo? *ibid.* quid dicendum de ea propoſitione? *unus è Trinitate eſt incarnatus.* p. 200. n. 1. & ſeq. cur triſagio non poſſit addi? *qui incarnatus eſt pro nobis.* p. 202. n. 11. Incarnatio Chriſti eſt determinata, ut pro nobis ſatisfaceret, & nos redimeret. p. 224. n. 1. ſolvuntur objectiones. p. 249. n. 1. & ſeq. ac pag. 272. n. 1. & ſeq. arca Noë Chriſti incarnationem, mortem, & reſurrectionem figurabat. p. 255. n. 11. & 12. quomodo incarnatio verbi ſit opus totius Trinitatis. & quomodo Redemptio opus Chriſti? p. 269. n. 10. vid. *Chriſtus.*

Incarnatus: quid dicendum de propoſitione: *unus de Trinitate eſt incarnatus?* p. 200. n. 1. & ſeq

Incorruptibilis: quidam docuerunt, quòd Chriſtus de virgine ſumpſerit carnem incorruptibilem. p. 72. n. 1. an aſſumpſerit corpus corruptibile, vel incorruptibile; p. 73. n. 3. & 4.

Incrèdulus: an Chriſtus deſcenderit ad inferos, ut inde redimeret incredulos, & impios. p. 287. n. 17. quomodo intelligendum illud? *in quo & iis, qui in carcere erant, ſpiritibus vivens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, cùm fabricaretur arca.* p. 287. n. 17. & ſeq. vid. *Carcer.*

Indifferentia: ad libertatem ſufficit indifferentia medii ſecundùm ſe abſtrahendo â Decreto, aut præcepto. p. 111. n. 17. ad libertatem requiritur indifferentia arbitrii. p. 114. n. 25. in Chriſto fuit indifferentia Libertatis, non autem ſuſpenſionis. pag. 291. n. 2.

Indumentum: in quo ſenſu humanitas Chriſti comparetur indumento? pag. 121. n. 14. & 15.

Infans cur ſalvetur per Baptismum ſine actu voluntatis propriæ ſuſceptum? p. 249. n. 1. & ſeq.

Inferi: an Chriſtus deſcenderit ad inferos, ut inde redimeret incredulos, & peccatores ſine pœnitentia defunctos? p. 287. n. 17.

Infernus: mors Hominis Dei majori pretio æſtimanda eſt, quàm ſempiternum damnatorum in inferno ſupplicium. p. 273. n. 2. Origenes putabat pœnas inferni non eſſe perpetuas. p. 285. n. 12. refutatur. p. 285. n. 13.

Infinitus: an ſatisfactio Chriſti fuerit finita, vel infinita? p. 264. n. 19. ac p. 265. n. 1. tot. cap. VI. an ſatisfactio Chriſti fuerit infinita propter unionem hypoſtaticam? pag. 267. n. 5. quomodo intelligendum? *adimpleo ea, quæ deſunt paſſioni Chriſti in carne mea.* p. 268. n. 7. nulla actio Chriſti ſive agat aſſumpta forma, ſive Divina, ſejungenda eſt â Communione Perſonæ, & ſic omnis actio Chriſti erit infinita. p. 269. num. 8. cur ſatisfactio Chriſti ſit infinita, ex eo, quia facta â Deo, & cur non ex eadem ratione productio mundi, & alia opera Dei ſint infinita? pag. 274. n. 5. an malitia peccati ſit infinita? p. 276. n. 3. an non ſit diſcrimen inter peccatum mortale, & veniale, aut inter plura peccata mortalia, ſi malitia deſumitur ex infinita dignitate Perſonæ offenſæ? p. 277. n. 5. & 6. merita Chriſti ſunt pretii infiniti. p. 291. n. 3. 4. & 5.

Infirmitas: ſi Chriſtus pro nobis ſatisfecit, cur patimur mortem, & hujus vitæ infirmitates? p. 262. n. 17. & 18.

Inimicus: quomodo intelligendum illud: *ſi enim cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus per mortem filii ejus, multò magis reconciliati ſalvi erimus in vita ipſius.* pag. 254. n. 9. & 10.

Iniquitas: vid. *peccatum.*

Iniquus: vid. *Peccator.*

Injuria realis, & Perſonalis quid ſit? pag. 278. n. 6.

Injuſtus: vid. *Juſtitia.*

Innocens: homo innoceus ſalva juſtitia non poteſt puniri pro alio nocente. p. 244. n. 4. an Chriſtus potuerit mortis ſupplicio affici pro peccaroribus ſalva juſtitia? *ibid.* & p. 227. n. 11. ac p. 260. n. 15. & 16. an aliquando licitum innocentem occidere? p. 244. n. 4. vel punire cauſâ utilitatis publicæ? *ibid.* ſolvuntur objectiones. p. 249. n. 1. & ſeq.

Inſtauro: quomodo per Chriſtum omnia ſint inſtaurata in Cælo, & in terra? pag. 286. n. 14. & 15.

Inſula: cur tres Magi dicantur Reges Thar-ſis, & Inſulæ? p. 321. n. 10.

Intelle-

Intellectus: Verbum assumpsit mentem, & intellectum. p. 85. n. 6. & seq.
Joachim: an Parentes B. Virginis fuerint Joachim, & Anna? p. 67. n. 5. & seq. unde ortum trahat? *ibid.* an nomina *Heli* *Joachim*, & *Eliabim* sit solùm unum nomen? p. 68. n. 6. an S. Joachim possit dici Avus Dei? p. 126. n. 12. & 13.
S. Joannes: quid significet nomen S. Joannis filii Zebedæi? & cur dicatur Boanerges? p. 340. n. 7. quomodo conciliandus S. Marcus cum S. Joanne, quorum prior scribit, Christum crucifixum horâ tertiâ, alter horâ sextâ? p. 360. n. 13.
Joannes Antiochenus an revera hæresin probaverit Nestorianam? p. 115. n. 3. hic cum Orientalibus impugnans S. Cyrillum non defendit hæresim Pelagii, aut Nestorii. p. 135. n. 1. & seq. cur se opposuerit S. Cyrillo? p. 136. n. 3. aliâ notanda de eo. p. 147. n. 14. & seq.
Joannes Ferus: vid. *Ferus*.
Joannes Hus: vid. *Hus*.
S. Joannes Præcursor natus est VIII Kal. Julias. p. 313. n. 2. Ejus Pater Zacharias fuit Pontifex p. 315. n. 6. quo anno inceperit ministerium suum? p. 327. n. 1. & seq. quo anno Baptizârit Christum? *ibid.* ac p. 329. n. 6. & seq. Christus â Joanne Baptizatus est 6. die Januarii. p. 334. n. 20. 21. & 22.
S. Josephus an coluerit perpetuam Virginitatem? p. 58. n. 15. in quo sensu sit Pater Christi Domini? p. 59. n. 16. an S. Joseph habuerit filios præter Christum? p. 58. n. 15. ac p. 54. n. 2. & seq. an hujus Pater fuerit Jacob: vel Heli: vel uterque? p. 66. n. 1. & seq. B. Virgo, & S. Joseph erant sanguine propinqui ex una tribu. p. 67. n. 5. & seq.
Josephus: testimonium flavii Josephi de Christo est autographum. p. 37. n. tot. cap. IX.
Irrationalis natura an potuisset â verbo assumi? p. 167. n. 16.
Isaac: Arias pro Isaac ab Abrahamo immolatus figurabat Christum pro peccatoribus oblatum. p. 256. n. 12.
Isaias: ostenditur, quòd prophetia Isaiæ *Ecce virgo concipiet* non possit aliter exponi, quàm de B. Virgine. p. 54. n. 2. & seq.
Judæus vid. *Hebræus*.
Judaicus. vid. *Nugæ*.
Judas: quando sceptrum de domo Juda defecerit? p. 4. n. 1. & seq. tot. cap. I. II. & III. an Hasmonæi sint ex tribu Juda? *ibid.* tribus Levi, & Juda sunt conjunctæ. p. 4. n. 1. an Machabæi sint ex tribu Juda? p. 4. n. 1. an nomen Judæ possit extendi ad omnes Hebræos? *ibid.* ex tribu Judæ unus præfuit Synedrio. p. 6. n. 5. an tribus Juda actu defecerit? p. 8. n. 8. & p. 9. n. 3. ac p. 12. n. 17. & 18. an Machabæi sint de tribu Juda? p. 13. n. 1. & seq. probatur, quòd Christus fuerit de tribu Juda? p. 217. n. 11. & non ex tribu Levi. *ibid.*
Judas Iscariotes non hic, sed Christus est crucifixus. p. 63. n. 8. & 9. ac p. 76. n. 1. & seq. cur vocetur Iscariotes? p. 340. n. 9. quanti pretii erant triginta argentei sicli? p. 354. n. 2. 3. & 4.
S. Judas Thadæus quid significet hoc nomen? p. 340. n. 8. cur dicatur Lebbæus? *ibid.*
Judex est Christus. p. 222. n. 11.
Judicatum: vid. *Vigilius*.
Judicium: an Christus ignoraverit Judicii diem? p. 90. n. 14. redemptio hominis non fuit condonatio, sed verus actus Judicii? p. 241. n. 2. solvuntur objectiones. p. 249. n. 1. & seq. ac p. 272. n. 1. & seq.
Julia Augusti filia, quo anno in exilium deportata? p. 303. n. 14.
Julianus Apostata comparavit Christum Socrati, Lycurgo, Alexandro, Vespasiano, Apollonio, Simoni Samaritæ, & Machumeti. p. 47. n. 1. & 2. impugnavit Genealogiam Christi. p. 65. n. 1.
Julianus Halicarnassæus. vid. *Aphthartodocita*.
Jus: an Deus habuerit Dominum, & jus absolutum in corpus, & vitam Christi quà hominis? p. 244. n. 4. an Satisfactio Christi fuerit rigorosa, & secundùm juris apices. p. 265. n. 1. tot. cap. VI. an creatura possit satisfacere Deo pro peccato mortali, aut veniali ad juris apices. p. 224. n. 2. & p. 275. n. 1. tot cap VIII.
Justinianus: Imperator credidit, Christum habuisse corpus incorruptibile. p. 72. n. 1. voluit in hanc sententiam omnes compellere Episcopos. *ibid.* edidit edictum contra tria capitula. p. 141. n. 1. alia inter hunc, & Vigilium Papam agitata examinantur. pag. 141. n. 2. & seq.
Justitia: potuisset Deus non petere satisfactionem â nobis ob peccata secundùm rigorem justitiæ. p. 224. n. 2. an Deus peccâsset contra justitiam, si sine pœna condonâsset peccata nostra. p. 225. n. 4. & 5. Socinus docet, nullam Dei justitiam postulare, ut peccata puniantur. p. 227. n. 11. decem propositionibus demonstratur, quòd non sit contra justitiam, Christum pro nobis esse passum. p. 228. n. 1. seq. an in Deo sit justitia vindex peccatorum, & constans voluntas puniendi peccatores. p. 240. n. 1. ac p. 242. n. 3. quos effectus Divinæ justitiæ tribuat Crellius. *ibid.*

ibid. noluit Deus in hominum reparatione peccata dimittere non exhibita Divinæ justitiæ satisfactione, sed intuitu meritorum Christi, & satisfactionis ejus salvi facti sumus. p. 241. n. 2. Redemptio hominis non fuit condonatio, sed actus veræ justitiæ. *ibid.* decebat quàm maximè, ut ob peccata nostra Divinæ justitiæ condigna fieret satisfactio. p. 242. n. 3. in passione Christi eminebant Justitia, & misericordia. *ibid.* ac p. 260. n. 15. & 16. voluit Christus hominem â dæmonis tyrannide liberare non potentiâ, sed justitiâ. *ibid.* fuit justitiæ conveniens, quòd Christus innocens subierit crucis supplicium, & ei peccata nostra imputentur. p. 244. n. 4. ac p. 227. n. 11. item p. 260 n. 15. & 16. solvuntur sophismata Socini. p. 249. n. 1. tot. cap. V. & p. 272. n. 1. tot. cap. VII. probatur Christum satisfeciſſe secundùm justitiam. *ibid.* an secundùm rigorem justitiæ, & juris apices. p. 265. n. 1. tot. cap. VI. quid requiratur ad justitiam rigorosam? pag. 265. num. 1. an creatura possit satisfacere Deo pro peccato mortali aut veniali ex justitia rigorosa p. 224. n. 2 & p. 275. n. 1. tot. cap. VIII.

Justus: an justi veteris testamenti salutem sint consecuti sine satisfactione Christi. p. 257. n. 13. & 14.

L.

Lacrymæ quomodo in Christo fuerint. p. 89. n. 11.

Lanquor: quomodo intelligendum illud? *verè lanquores nostros* &c. p. 232. n. 5.

Laodicænus negat Christum habuisse animam humanam. p. 84. n. 1. & seq. asserit vicem animæ egisse Divinitatem. *ibid.*

Latinus: textus latinus in prophetia Danielis non discrepat ab hebraico. p. 16. n. 3.

Latrocinium Ephesinum: vid. *Eutyches.*

Latus: petra, unde fluxerunt aquæ, figurabat latus Christi apertum. p. 255. n. 11. & 12.

Lauretum: Domus Nazarethana verè fuit è Syria translata Angelorum ministerio Terfactum: inde in agrum Picentinum, nunc Lauretum. p. 324. n. 16. & seq.

Lazarus: quomodo intelligendum illud? *Lazarus amicus noster dormit.* cùm fuerit mortuus. p. 284. n. 11. ejus resuscitatio nequit in dubium vocari. p. 341. n. 10. cur Christus jusserit in ejus suscitatione tolli lapidem? *ibid.* præter suscitationem aliud miraculum fecit Dominus, quòd ligatus ambulârit. *ibid.* an Petrus de Apono ipsemet, vel ipsius statua sit combusta ob negatam Lazari suscitationem? *ibid.*

Lebbæus: cur S. Judas Thaddæus vocetur Lebbæus? p. 340. n. 8.

S. Leo Papa damnavit Eutychetem. p. 153. n. 1. & 2.

Levi: an Hasmonæi sint ex tribu Juda, vel Levi? p. 4. n. 1. tribus Juda, & Levi sunt conjunctæ. *ibid.* Princeps Sacerdotum ex tribu Levi præfuit Synagogæ p. 6. n. 5. ex eo, quòd Christus legerit in Synagoga, & ejecerit è templo ementes, & vendentes, non probatur, Christum fuisse ex tribu Levi. p. 217. n. 11. an Urias fuerit ex tribu Levi? p. 217. n. 12. & 13.

Levi: cur S. Matthæus dicatur etiam Levi? p. 340. n. 8.

Leviticus: Christus non fuit Sacerdos Leviticus. p. 217. n. 11. Suidas contrarium asserens texit fabulam. *ibid.*

Lex: in victimis veteris legis fuit præsignatum Sacrificium, quod Christus obtulit Deo Patri. p. 234. n. 6. an Sacrificia veteris legis per se delebant peccata? *ibid.* lex vetus nequit intelligi per chirographum. p. 238. n. 8. Sacrificia veteris legis substituebantur pro peccatoribus, ita, ut animalia loco horum mactarentur. p. 256. n. 12. quòd advenerit Messias in lege promissus, demonstratur ex Vaticinio Jacob. p. 4. n. 1. tot. cap. I. II. & III. idem probatur ex prophetia Danielis. p. 15. n. 1. tot. cap. IV. V. & VI. Jesus Nazarenus est verus Messias lege promissus. p. 34. n. 1. tot. cap. VIII. quomodo Christus satisfacere potuerit, cùm ipsemet sub lege fuerit? p. 262. n. 17. & 18.

Liber homo non flagellatione, sed fustuario puniebatur. p. 356. n. 7.

Libero: an verbum *redimo* nil aliud significet, quàm aliquem sine pretio è captivitate liberare? p. 251. n. 3. & 4.

Libertas: in quo consistebat libertas humanæ voluntatis Christi? p. 110. n. 14. quomodo hæc possit stare cum impeccantia? p. 111. n. 15. & seq. quid requiratur ad libertatem? p. 111. n. 16. ad eandem non spectat posse peccare? *ibid.* ad libertatem sufficit indifferentia medii secundùm se abstrahendo â Decreto, aut præcepto. p. 111. n. 17. ad eandem requiritur indifferentia libertatis, non autem suspensionis. p. 291. n. 2.

Lignum: quomodo intelligendum illud? *maledictus omnis, qui pendet in ligno.* p. 232. n. 5. quomodo Christus pro nobis sit factus *maledictum*? *ibid.* Christus factus est Sacrificium in ligno Crucis Deo sponte Oblatum pro peccato. *ibid.* & p. 234. n. 6. hoc Sacrificium est præsignatum in hostiis veteris legis. p. 234. n. 6. Christus fuit Sacerdos per Sacrificium, quod

quod ut homo in ligno crucis obtulit, *ibid.* ac p. 256. n. 12. quodnam discrimen inter Christum Sacerdotem, & alios Sacerdotes? p. 234. n. 6. Christus in Cœlo non sacrificatur: ùt putant Poloni fratres, *ibid.* hoc probatur ex figura Sacrificii Aaronis, *ibid.* per Sacrificium in ligno crucis peractum reconciliati sumus Deo. p. 237. n. 7. vid. *mors.* non fuit injustum, Christum innocentem pro peccatoribus subire lignum crucis. p. 244. n. 4. & p. 227. n. 11. ac p. 260. n. 15. & 16. Christus sponte lignum crucis subiit. p. 244. n. 4. solvuntur sophismata Socini. p. 249. n. 1. tot. cap. V & p. 272. n. 1. tot. cap. VII. ostenditur, quòd Christus verè pro peccatis satisfecerit Sanguinis pretio. *ibid.* Serpens Æneus figurabat Christum in ligno crucis exaltatum. p. 256. n. 12. quo die, & anno Christus sit affixus ligno crucis? p. 345. n. 1. tot. cap. VII. quomodo conciliandus S. Marcus cum S. Joanne, quorum prior scribit, Christum ligno crucis affixum horâ tertiâ, alter horâ sextâ? p. 360. n. 13. de forma crucis Christi, & tituli. p. 361. n. 14. ex quo ligno fuerit crux Christi? an ex quercu? p. 362. n. 16. an crucis lignum habuerit suppedaneum, cui corpus quasi insidebat? p 362. n. 17. & 18. quot clavis Christus fuerit ligno crucis affixus? p. 363. n. 19. Christus ligno crucis affixus respiciebat occidentem. p. 364. n. 20.

Lingua: de verbis Christi Domini in Cruce: in qua lingua ea Christus protulerit? p. 365. n. 23.

Lipothymia: vid. *Morbus.*

Locrenſis Zaleucus an sit laudandus, quòd, dum filio utrumque oculum eruere deberet, sibi unum, filio alterum effoderit? p. 260. n. 15. & 16.

Loth: an uxor Loth verè sit mutata in substantiam salis, & an adhuc stet illa statua, ac quamdiu stabit? p. 157. n. 9.

S. Lucas: an Genealogia conscripta â Matthæo discrepet ab ea, quam fecit S. Lucas? p. 65. n. 1. & seq. quomodo S. Matthæus dicat Josephi Patrem esse Jacobum, cùm S. Lucas adducat Heli? p. 66. n. 1. & seq. an in Genealogia Christi â D. Luca descripta nomen Cainan sit superfluum, vel sit omissum in Libro Geneseos? p. 69. n. 1. & seq. textus S Lucæ dicentis, quòd Christus ab Angelo in Agonia sit confortatus, est genuinus. p. 353. n. 1.

Lunaris Computus Romanorum, & Judæorum. p. 352. n. 10. 11. & 12.

Lutheranus docet, humanitatem Christi fuisse immensam, ac omnipotentem. p. 169. n. 1. refutatur. 173. n. 8. & seq. negat, Christum habuisse regnum temporale. p. 218. n. 1. & seq.

Lycurgus nequit comparari Christo. p. 47. n. 1. & 2.

Lytrum intervenit in opere Redemptionis nostræ. p. 219. n. 3. solvuntur objectiones. p. 249. n. 1. & seq. & p. 272. n. 1. & seq.

M.

Macarius an fuerit Monothelita? p. 102. n. 12.

Macedonianus negat, Verbum & Spiritum S. scire Judicii diem. p. 90. n. 14.

Machabæus: an hi sint de tribu Juda? p. 4. n. 1. tempore Machabæorum synedrion magnam habuit auctoritatem. p. 6. n. 5. an fuerint de tribu Juda? p. 13. n. 1. & seq.

Machomet: hic nequit comparari Christo. p. 47. n. 1. & 2. ejus errores enarrantur. *ibid.* item p. 49. n. 8. & 9. docuit, non Christum, sed Judam Iscariotem fuisse crucifixum. p. 63. n. 8. & 9. refutatur. p. 76. n. 1. & seq.

Magdeburgenſis nititur probare Papam posse in hæresim incidere, & damnari â Concilio Generali. p. 98. n. 1. & seq.

Magi: unde dicantur Magi, qui Christum venerant adorare? p. 319. n 6. an fuerint Reges? *ibid.* & seq. an fuerint ex Arabia: qualitérque dicantur Æthiopes, Reges Tharsis, & Insulæ: Reges Arabum & Saba? p. 321. n. 10. probatur contra Socinianos, adorationem Magorum fuisse Religiosam, ac indicantem Divinitatem Christi. p. 322. n. 13. tres Magi Christum Deum testati sunt muneribus suis. *ibid.* & seq.

Magiſtratus: duos habuerunt Judæi Ecclesiasticum, & politicum. p. 6. n. 5.

Magus: vid. *Simon.*

Maledictum: quomodo intelligendum illud? *Maledictus omnis, qui pendet in ligno.* p. 232. n. 5. vid. *nugæ.* quomodo Christus pro nobis sit factus *maledictum. ibid.*

Malitia peccati an sit finita, vel infinita? p. 276. n 3. an malitia peccati venialis sit æquè gravis & infinita, ac est malitia peccati mortalis? p. 277. n. 5. & 6.

Manichæus asseruit, Christum non habuisse corpus verum, sed phantasticum. p. 59. n. 1. & seq. refutatur. p. 76. n. 1. & seq. impugnavit genealogiam Christi. p. 65. n. 1. dixit, Spiritum S. esse passum. p. 202. n. 1.

Manus: an benè legatur? *foderunt manus meas, & pedes meos.* p. 361. n. 15.

Marcellus Ancyranus negat, unionem hypoſtaticam fore perpetuam. p. 163. n. 5.
Marcio docuit, corpus Chriſti eſſe formatum de cœlo, æthere, ſideribus. p. 54. n. 1. vid. *Corpus*. refutatur. p. 76. n. 1. & ſeq.
S. Marcus: quomodo conciliandus S. Marcus cum S. Joanne, quorum prior ſcribit, Chriſtum Crucifixum horâ tertiâ, alter horâ ſexta? p. 360. n. 13.
S. *MARIA*: vid. *Virgo*.
Marinus tribuit Chriſto corpus phantaſticum. p. 76. n. 1. refutatur. *ibid.* & ſeq.
Martyr: aëra Martyrum Alexandrinorum incepit annô Chriſti. 284. p. 309. n. 3. & ſeq.
Martyrologium: quid dicendum de ſententia, quam de tempore Nativitatis Chriſti tenet Eccleſia in Martyrologio Romano? p. 312. n. 8. & 9.
Mater: cur Melchiſedech dicatur ſine Patre, ſine Matre, ſine Genealogia? p. 206. n. 3. & ſeq.
S. Matthæus primum ſcripſit Evangelium, & quando? pag. 46. n. 11. Genealogia Chriſti eſt ab ipſo ſcripta. p. 61. n. 4. quomodo hujus Genealogia diſcrepet â Genealogia â Luca conſcripta? p. 65. n. 1. & ſeq. quomodo S. Matthæus dicat, Joſephi Patrem eſſe Jacobum, cùm S. Lucas adducat Heli? p. 66. n. 1. & ſeq. quid ſignificet hoc nomen? p. 340. n. 8. cur dicatur Levi? *ibid.*
Mediator: Chriſtus Mediator eſt peculiari quodam titulo ad differentiam Sanctorum. p. 294. n. 12. & 15. an ſit Mediator ſecundùm Divinam, vel humanam naturam, aut utramque ſimul? p. 294. n. 13. Andreas Oſiander Lutheranus Divinæ tantùm naturæ, Stancarus humanæ ſolùm tribuit Mediatoris officium, Calvinus utrique. *ibid.* Chriſtus non eſt Mediator, prout eſt homo â Perſona verbi præciſus. p. 295. n. 14. nihilominùs ſi attenduntur opera, per quæ Chriſtus partes Mediatoris implevit, Mediator eſt in quantum homo. p. 295. n. 15. itaque Mediator eſt natura humana hypoſtaticè unita verbo. *ibid.* an Chriſtus â Dextris Dei ſedens etiamnum ſit Mediator, & oret Patrem pro nobis? p. 296. n. 16. Chriſtus in cruce noſter Mediator factus eſt. pag. 237. num. 7.
Medium: ad libertatem ſufficit indifferentia medii ſecundùm ſe abſtrahendo â Decreto, aut præcepto. p. 111. n. 17.
Melchiſedech: hunc putant hæretici Melchiſedeciani eſſe virtutem Chriſto ſuperiorem. p. 206. n. 1. an horum hæreticorum fuerit Author Theodorus Argentarius? aut Theodotus, aut Theodotiani? *ibid.* Hierax, aut Hierarcha putabat Melchiſedech eſſe Spiritum S. *ibid.* Origenes, & Didymus dixerunt Angelum. *ibid.* alii putant Melchiſedech non eſſe nomen proprium, ſed appellativum. *ibid.* quis fuerit ſecundùm aliorum opinionem? p. 206. n. 2. non fuit Angelus, nec virtus cœleſtis, nec Spiritus Sanctus. p. 206. n. 3. fuit homo. *ibid.* cur dicatur ſine Patre, ſine Matre, ſine Genealogia? *ibid.* & ſeq. Melchiſedech eſt nomen proprium, & non appellativum. *ibid.* an fuerit Sem filius Noë? p. 208. n. 5. an Sem, vel Japhet fuerit natu major Noë? *ibid.* vel an fuerit Chananæus? *ibid.* & n. 6. an fuerit ipſe filius Dei? p. 209. n. 8. & 9. Chriſtus eſt Sacerdos ſecundùm Ordinem Melchiſedech. p. 210. n. 11. & ſeq. Melchiſedech offerens panem & vinum erat typus Chriſti inſtituentis Euchariſtiæ Sacramentum. *ibid.* ſolvuntur objectiones hæreticorum. p. 213. n. 1. tot. cap. VIII. cur Chriſtus non ſit Sacerdos ſecundùm Ordinem Abel, Noë, aut Moyſis? p. 210. n. 12. an Melchiſedech fuerit dignior Abrahamo? p. 209. n. 8. & 9. ac p. 212. n. 15. an Chriſtus non ſit potiùs Sacerdos ſecundùm Ordinem Aaron, quàm Melchiſedech? p. 215. n. 7. 8. 9. & 10.
Melchiſedecianus: vid. *Melchiſedech*.
Membrum: Chriſti corpus habuit vera membra. p. 73. n. 5.
Menander tribuit Chriſto corpus phantaſticum, & umbratile. p. 54. n. 1. vid. *Corpus*. refutatur. p. 76. n. 1. & ſeq.
Mens: Chriſtus habuit animam humanam, non ſenſitivam mente & ratione carentem. p. 84. n. 1. & ſeq. ac p. 92. n. 1.
Menſis: vid. *Nativitas*.
Mereor: an Chriſtus Deum neceſſariò dilexerit, & tamen mereri potuerit? p. 114. n. 25. & 26.
Meritum: an, & quomodo incarnatio cadat ſub meritum? p. 164. n. 7. & ſeq. intuitu meritorum Chriſti, & ſatisfactionis ejus ſalvi facti ſumus. p. 241. n. 2. ſolvuntur objectiones. p. 249. n. 1. & ſeq. ac p. 272. n. 1. & ſeq. vid. *ſatisfactio*. meritum de condigno provenit ex gratia habituali, & non ex opere in ſe ſpectato. p. 278. n. 6. Peccator per contritionem non meretur remiſſionem peccatorum merito de condigno. *ibid.* vid. *gratia*. Chriſtus fuit capax meriti. p. 290. n. 1. meruit â primo ſuæ conceptionis momento. p. 291. n. 2. in Chriſto fuit indifferentia libertatis, non autem ſuſpenſionis. *ibid.* merita Chriſti ſunt pretii infiniti. p. 291. n. 3. 4. & ſ. quæ, & quibus Chriſtus meruit? p. 292. n. 6.

Messias in lege promissus quòd advenerit, probatur ex vaticinio Jacob. p. 4. n. 1. tot. cap. I. II. & III. usque ad adventum Messiæ non defecit Dux de femore. p. 7. n. 7. id ipsum probatur ex prophetia Danielis. p. 15. n. 1. tot. cap. IV. V. & VI. Messias fuit prænuntiatus â Moyse in Deutronomio. p. 29. n. 1. ante Messiam non potest alius Propheta Moysi comparari. p. 30. n. 3. ulteriùs probatur advenisse Messiam ex Daniele. p. 31. n. 6. ex Michæa. p. 32. n. 9. ex Aggæo. p. 32. n. 10. Jesus Nazarenus est Verus Messias lege promissus. p. 34. n. 1. tot. cap. VIII. ante cujus templi eversionem venerit Messias? p. 32. num. 10. & seq. error Judæorum de Messia. p. 34. n. 1. quæ signa veri Messiæ? p. 35. n. 3. & 4. solvuntur objectiones Judæorum negantium, Christum esse verum Messiam. p. 35. n. 5. & seq. propter peccata populi non est dilatus adventus Messiæ. p. 37. n. 9. miracula vera â Christo patrata probantur. *ibid.* n. 10. 11. & 12. miracula Christi, & Moysis ad invicem comparantur. *ibid.* testimonium flavii Josephi de Christo est Autographum. p. 37. n. 1. tot. cap. IX. quibus Argumentis Gentiles sint pertrahendi, ut credant in Messiam? p. 41. n. 1. tot. cap. X. quòd Messias advenerit, probatur variis rationibus. *ibid.* solvuntur objectiones contra Messiam â Paganis allatæ. p. 47. n. 1. tot. cap. XI. Julianus Apostata comparavit Messiam Socrati, Lycurgo, Alexandro, Vespasiano, Apollonio, Simoni Samaritæ, & Machumeti. p. 47. n. 1. & 2. an Messias veniisset, si Adam non peccasset? p. 49. n. 1. tot. cap. XII. Messias cur tam serò venerit? p. 52. n. 11. vide. *Verbum.* negant Judæi, Messiam nasciturum ex puella nesciente virum. p. 54. n. 1. refutantur. p. 54. n. 2. & seq. ac p. 58. n. 15.

Michæas: probatur ex Propheta Michæa, jam advenisse Messiam. p. 32. n. 9.

Miraculum: cur redemptio nostra adjudicetur morti Christi, & cur non resurrectioni, aut miraculis ipsius? n. 238. n. 8. â Christo vera esse patrata miracula probatur. p. 37. n. 10. 11. & 12. miracula Christi & Moysis ad invicem comparantur. *ibid.* Moyses, & Elias vera patrârunt miracula. *ibid.* quæ notæ verorum miraculorum? *ibid.* ac p. 43. n. 4. sunt signa veræ Religionis. *ibid.* an Christi passio sit miraculum? p. 76. n. 1. & seq. Christus patravit miracula virtute propria, non alienâ Spiritûs. S. p. 134. n. 21. cur nostra redemptio non tribuatur miraculis Christi? p. 238. n. 8. & p. 249. n. 1. & seq. Christus suam prædicationem confirmavit miraculis Divina virtute patratis. p. 341. n. 10.

Miseria: vid. *Calamitas.*

Misericordia: Christus in morte sua misericordiam, & justitiam nobis exhibuit. pag. 242. n. 3. ac p. 260. n. 15. & 16. an satisfactio Christi obscuret misericordiam Dei? p. 257. n. 13. & 14.

Mitto: Christus est mittens, & missus. p. 271. n. 14.

Mixtio naturarum in Christo non datur. p. 154. n. 3. & seq.

Moguntinus ferus: vid. *ferus.*

Monachus: plures crediderunt, Christum assumpsisse corpus incorruptibile. p. 72. n. 1. quid senserint Monachi Scythæ de propositione: *unus de Trinitate passus, ac mortuus est*? p. 200. n. 1. & seq. an hi fuerint addicti hæresi Eutychianæ? *ibid.* Monachi Acœmetæ negantes Christum esse unum de Trinitate tanquam Nestoriani sunt damnati p. 202. n. 8. cur Monachi Scythæ ex Urbe ejecti? p. 203. n. 12. 13. & 14. an ut Eutychiani? *ibid.* an ut Nestoriani? *ibid.*

Monothelita: quænam horum hæresis? p. 92. n. 1. admittunt duas naturas in Christo, sed solùm unam voluntatem, & unam operationem. *ibid.* de horum ortu, & progressu. p. 92. n. 2. & seq. his favebat Heraclius, Sergius Constantinopolitanus, & Cyrus Alexandrinus. *ibid.* quid de Pyrrho dicendum? p. 92. n. 4. quinam adhuc alii fautores? *ibid.* contra hos probatur, Christum habuisse duas voluntates. p. 93. n. 5. & seq. an in Christo sit solùm una operatio *Theandrica*, id est, *Deovirilis*? p. 93. n. 5. duæ voluntates in Christo non est una dicenda *personalis*, non una *gnome*, non una *habitudine*, sed duæ *naturales*. p. 93. n. 5. ac p. 95. n. 11. an humanitas Christi sit dicenda instrumentum Divinitatis? p. 96. n. 16. an Honorius I. adhæserit Monothelitis? p. 98. n. 1. & seq. an Macarius fuerit Monothelita? p. 102. n. 12.

Mons: de monte Calvariæ, seu Golgotha. p. 360. n. 12.

Mopsuastena Ecclesia de hujus Diptychis. p. 137. n. 15. & 17.

Mopsuestenus Theodorus: vid. *Theodorus.*

Morbus: Laborantes morbo lipothymiæ, asphyxiæ, & Syncopes quanto tempore possint vivere, quin dent signum vitæ? p. 341. n. 10. vid. *infirmitas.*

Morior: quomodo intelligendum illud? *expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo.* p. 230. n. 4.

Mors: an Christus, & Adamus fuerint naturaliter doloribus, & morti subjecti? p. 76. n. 1. & seq. quomodo in morte ab humana Christi natura recesserit Divinitas? p. 91. n. 18. an Christus â Deo Patre habuerit

buerit præceptum mortem ſubeundi? p. 111. num. 15. & ſeq. quomodo Chriſtus ſtante præcepto liberè mortem acceptaverit? *ibid.* an Deus potuiſſet condonare culpam omnino ſine morte Chriſti? p. 224. n. 3. an fuerit ſumma injuſtitia, quòd Chriſtus innocens pro peccatoribus mortis ſupplicio fuerit affectus? p. 227. n. 11. ac p. 244. n. 4 item p. 260. n. 15. & 16. Soldurii apud Gallos: Decii apud Romanos ſe morti tradunt pro aliis, unde vocantur Antipſychi. p. 229. n. 2. Chriſtus eo fine, ut â peccato, & dæmonis captivitate nos redimeret, mortem pertulit. p. 230. n. 4. Chriſtus per mortem ſuam peccatorum noſtrorum pœnas luit. p. 232. n. 5. Chriſtus per mortem ſuam non declaravit ſolùm peccata dimiſſa, ſed verè ipſe ſatisfecit pro illis. p. 238. n. 8. cur reconciliatio tribuatur morti Chriſti? & cur non ejus miraculis, aut reſurrectioni? *ibid.* Chriſtus in morte ſua nobis exhibuit miſericordiam, & juſtitiam. p. 242. n. 3. ac p. 260. n. 15. & 16. ac oſtendit peccati turpitudinem. *ibid.* quas homo alias hauriat utilitates ex morte Chriſti? *ibid.* an aliquando licitum, innocentem morte afficere? p. 244. n. 4. an licitum, obſidem morte afficere? *ibid.* Chriſtus ſponte mortem, & crucem ſubiit. *ibid* Chriſtus propter mortem ſuam gloria, & honore eſt coronatus. p. 244. n. 4. probatur ex Patribus contra Socinum, quòd Chriſtus pro nobis, & peccatis noſtris mortem ſubierit. p. 246. n. 1. & ſeq. tot. cap. IV. an Chriſtus dicatur Salvator, quia nobis per mortem ſuam exemplum præbuit? p. 249. n. 1. & ſeq. ſolvuntur ſophismata Socini negantis Chriſtum pro nobis ſatisfeciſſe ſoluto pretio. p. 249. n. 1. tot cap. V. & p. 272. n. 1. tot. cap. VII. Chriſtus nos liberando è captivitate dæmonis non debuit manere hujus captivus, ſed cum hoc in morte ſua captivam duxit captivitatem. p. 253. n. 7. & 8. quomodo intelligendum illud? *Si enim, cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus per mortem filii ejus, multò magis reconciliati ſalvi erimus in vita ipſius.* p. 254. n. 9. & 10. Arca Noë Chriſti incarnationem, mortem, & reſurrectionem figurabat. p. 255. n. 11. & 12. Chriſtus jam ante mortem declaratus eſt â Patre filius Dei. *ibid.* quomodo mors, & mortis ſtimulus (id eſt peccatum) â Chriſto ſit devictum? p. 262. n. 17. & 18. ſi Chriſtus ſatisfecit, cur patimur mortem, & calamitates hujus vitæ? *ibid* cur Chriſtus ſolùm ſemel mortem ſubierit? p. 266. n. 3. Chriſtus ùt homo tenebatur quidem ad obedientiam Patri cæleſti, ſed non tenebatur præcepto mortis, niſi ut fidejuſſor, Sponſor, & obſes. p. 269. n. 9. mors hominis Dei majori pretio æſtimanda eſt, quàm ſempiternum damnatorum ſupplicium. p. 273. n. 2. quænam mortem Chriſti reddebant acerbiorem? pag. 273. n. 3. cur Chriſtus mortem acerbiſſimam perpeſſus ſit, cùm unica guttula pretioſi ſanquinis ſufficiens fuiſſet pro Redemptione noſtra? p. 274. n. 4. Chriſtus pro omnibus hominibus mortem pertulit, & non pro electis tantùm. pag. 279. n. 1. & ſeq. etſi Chriſtus omnes redemerit, multi tamen mortis, & Redemptionis beneficium non recipiunt. p. 280. n. 2. Chriſtus pro prædeſtinatis non ſolùm mortem pertulit, ſed etiam iis applicat mortis ſuæ fructum. p. 280. n. 3. an Chriſtus etiam pro fœminis mortem ſuſtinuerit? p. 281. n. 4. vid. *fœmina* an pro dæmonibus, & damnatis? p. 285. n. 12. & ſeq. vid. *Dæmon.* Angeli boni erant irati ob peccatum hominum, ſunt autem cum hominibus reconciliati per mortem Chriſti, p. 286. n. 14. 15. ac 16. Origenes putabat, Chriſtum etiam pro Angelis, & aſtris mortem pertuliſſe, & ideo pœnas inferni non eſſe perpetuas. p. 285. n. 12. & ſeq. an idem docuerint S. Hieronymus, & Tertullianus? *ibid.* an mortis triſtitia potuerit perturbare mentem Chriſti? p. 293. n. 10. inter Baptismum Chriſti, & mortem intercedebant quatuor Paſchata. p. 336. n. 1. & 2. quo die & anno mors Chriſti contigerit? p. 345. n. 1. tot. cap. VII. quando evenerit Eclipſis, quæ facta eſt in morte Domini? p. 345. n. 2. quo anno poſt Chriſti mortem Jeroſolyma ſit expugnata? p. 345. n. 2. in morte Chriſti tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, & non tantùm in mundi parte aliqua p. 365. n. 22.

Mortuus quô anno ſit Chriſtus? p. 23. n. 5. cur Chriſtus poſſit dici mortuus, & cur non peccator? p. 169. n. 9. an ab Eccleſia, vel Papa poſſit mortuus anathematizari? p. 148. n. 18. & ſeq. quid dicendum de ea propoſitione: *unus ex Trinitate mortuus eſt?* p. 200. n. 1. & ſeq. cur Triſagio non poſſit addi? *qui mortuus eſt pro nobis.* p. 202. n. 11. vid. *mors* cur non omnes ſalvi fiant, cùm Chriſtus pro omnibus mortuus ſit? pag. 249. n. 1. & ſeq. Chriſtus eſt mortuus pro peccatoribus, id eſt loco peccatorum. pag. 253. n. 7. & 8.

Moyſes quomodo ordinârit duos Magiſtratus Hebræorum Eccleſiaſticum, & politicum? pag. 6. n. 5. non huic, ſed Meſſiæ competit titulus *Silo.* p. 11. n. 11. & 12. Chriſtus â Moyſe fuit prænuntiatus in Deutronomio. p. 29. n. 1. & ſeq. ante Chriſtum

non

non potest alius Propheta Moysi comparari. p. 30. n. 3. miracula Christi, & Moysis ad invicem comparantur. p. 37. n. 10. Moyses vera patravit miracula, *ibid.* n. 12. cur Christus non sit Sacerdos secundùm ordinem Moysis. p. 210. n. 12. lex Moysis nequit intelligi per Chirographum. pag. 235 n. 8.

Mulier: hæc vox in Scriptura est indifferens ad significandam virginem, & non virginem. p. 57. n. 12. & 13. vid. *fœmina.*

Mundus: cur satisfactio Christi sit infinita ex eo, quia facta à Deo, & cur non ex eadem ratione productio mundi, & alia opera Dei sint infinita? p. 274. n. 5. an Christus tantùm pro Electis ante mundi constitutionem mortuus sit? p. 279. n. 1. & seq. quando Christus dicitur Redemptor mundi, intelligitur Redemptor hominum, non dæmonum. p. 286. n. 14. & 15. nec obest, quòd dæmon dicatur Princeps mundi. *ibid.* in morte Christi tenebræ factæ sunt super universam terram, & non tantùm in aliqua mundi parte. pag. 365. n. 22.

Mutatio: cur verbum *facio* in textu *aquam vinum factam: uxorem Loth factam columnam salis &c.* significet mutationem, & cur non in textu: *Verbum caro factum est?* p. 155. n. 6. & seq. an verbum per substantiæ mutationem factum sit Caro, sicut panis fit corpus Christi? *ibid.*

N.

Nathan: an ex Davide prodierint Duo stipites, Regius scilicet per Salomonem, & Sacerdotalis per Nathan? p. 217. n. 12. an Nathan sit filius David natus ex Bersabea uxore Uriæ? an solùm per adoptionem? *ibid.* & n. 13.

Nathanaël: an idem sit ac S. Bartholomæus? p. 340. n. 8.

Nativitas Christi: variæ Doctorum opiniones de tempore, & anno Nativitatis Christi. p. 308. n. 1. 2. Christus natus est anno V. C. 749. *ibid.* quid dicendum de censu acto tempore Nativitatis Christi? pag. 310. n. 4. & 5. an indictus sit à Saturnino vel Cyrino? *ibid.* quid dicendum de descriptione universi orbis facta tempore Nativitatis Christi? p. 311. n. 6. & 7. an facta à Quirino? *ibid.* quid dicendum de sententia, quam de anno Nativitatis Christi tenet Ecclesia in Martyrologio Romano? p. 312. n. 8. & 9. quo die, & Mense Christus sit natus? p. 313. n. 1. & seq. dies natalis Christi, & Epiphaniæ distinguuntur. *ibid.* an Homilia S. Chrysostomi de Nativitate Christi sit spuria? *ibid.* dies natalis S. Joannis Præcursoris est VIII. Kalend. Julias. *ibid.* si Christus natus est hyberno tempore, quomodo Pastores vigilare potuerint sub dio? p. 316. n. 7. Christus natus est completis novem mensibus. p. 316 n. 8. quæ acta sint post nativitatem Christi? p 317. n. 1. & seq.

Natura: an natura humana Christi Verbo unita naturaliter potuerit pati? p. 76. n. 1. & seq. an natura Adami potuerit corruptionem ex se, vel solùm in pœnam peccati? p. 78. n. 9. quomodo ab humana Christi natura in morte recesserit Divinitas? p. 91. n. 18. Monothelitæ admittunt in Christo duas naturas, sed tantum voluntatem, & unam operationem. p. 92. n. 1. & seq. Nestorius negat, duas in Christo naturas esse conjunctas in unitatem Personæ. p. 115. n. 4. & seq. quid requiratur ad naturam? p. 122. n. 18. & 19. duas in Christo naturas agnovit S. Cyrillus. p. 127. n. 1. & seq. Eutyches docuit in Christo duas naturas post unionem ita confundi, ut in unam transeant. p. 153. n. 1. & 2. probatur in Christo dari duas naturas distinctas, etiam post unionem non permixtas. p. 154. n. 3. & seq. an unio hypostatica sit facta in natura, an in Persona? pag. 163. n. 6. an omnes Personæ S. S. Trinitatis potuissent assumere naturam unam? p. 166. n. 14. & an in hoc casu adhuc unus homo dici posset? *ibid.* an eadem Persona Divina potuisset duas assumere naturas, & tamen dici unus homo? p. 167. n. 15. an Verbum potuisset assumere naturam irrationalem? p. 167. n. 16. cur Filius, & non alia Persona naturam induerit nostram? p. 167. n. 17. an de natura Divina Christi ob communicationem Idiomatum possint dici ea, quæ dicuntur de natura humana? p. 169. n. 1. & seq. vid. *Idioma.* natura Divina nequit esse pars Personæ, quæ est Christus. p. 199. n. 15. cur hæc propositio: *duæ naturæ Divinitas & humanitas est unus Christus*: sit damnata? p. 199. n. 16. quando dicitur: *Unus de Trinitate*: vox *unus* non naturam Divinam, sed Personam significat. p. 202. n. 9. Christus quidem ut homo satisfecit, sed natura humana, in qua passus est, erat hypostaticè unita Verbo. pag. 274. n. 5. Christus non assumpsit naturam Angeli, ut dæmones liberaret, nec assumet. pag. 285. n. 13. an Christus sit Mediator secundùm humanam, aut Divinam Naturam, aut utramque? p. 294. n. 13. Andreas Osiander Lutheranus Divinæ tantùm naturæ: Stancarus humanæ solùm tribuit Mediatoris officium: Calvinus utrique. *ibid.* sententia Auctoris. p. 295. n. 15.

Naturalis: non est in Christo una voluntas, sed duæ naturales. p. 93. n. 5. ac p. 95. n. 11.
Nazaræus, id est Sanctus cur dictus sit Christus? p. 107. n. 1.
Nazareth: quantum distet à monte Thabor, & quantum ab urbe Jerosolyma? p. 317. n. 1. Domus Nazarethana verè fuit è Syria translata Angelorum ministerio Terfactum: indè in agrum Picentinum, nunc Lauretum. p. 324. n. 16. & seq.
Nepos: an Christus possit dici Nepos Joachimi, & Annæ? p. 126. n. 12. & 13.
Nescio: vid. *Ignoro.*
Nestorianus: quo in sensu dixerint *unum de Trinitate passum, ac mortuum*? p. 200. n. 1. & seq. Monachi Acœmetæ negantes Christum esse unum de Trinitate tanquam Nestoriani sunt damnati. p. 202. n. 8. an Monachi Scythæ fuerint Nestoriani? p. 203. n. 12. 13. & 14.
Nestorius duas in Christo agnovit personas. p. 99. n. 6. hujus vita narratur. p. 114. n. 1. & seq. negat B. Virginem posse dici *Deiparam. ibid.* denegat Christo unionem hypostaticam. p. 115. n. 4. & seq. erravit in hoc sicut Paulus Samosatensis. *ibid.* sentit cum Apollinario in materia unionis hypostaticæ. p. 118. n. 9 & 10. in Christo contra Nestorium unica est admittenda Persona. p. 119. n. 11. & seq. contra eum probatur, B. Virginem rectè dici *Deiparam.* p. 123. n. 1. & seq. S. Cyrillus ob capitula quædam à Nestorio habetur ùt Apollinarista, & Arianus, pag 115. n. 2. Nestorio summoperè restitit S. Cyrillus. p. 127. n. 1. explicantur duodecim Anathematismi à S. Cyrillo contra Nestorium editi. p 131. n. 12. & seq. Joannes Antiochenus, & orientales impugnantes S. Cyrillum non propugnarunt hæresim Pelagianam, aut Nestorianam. p. 135. n. 1. & seq. cur Joannes Antiochenus restiterit S. Cyrillo, ac irritaverit depositionem Nestorii. p. 136. n. 3. an Theodoretus se opponens S. Cyrillo adhæserit Nestorio, ac hujus dogmata tradiderit? p. 137. n. 6. & seq. hujus Magister erat Theodorus Mopsuestenus. pag. 141. n. 1. an tria capitula Theodoreti contra S. Cyrilli anathematismos, Ibæ, & Theodori Mopsuesteni rectè ùt Nestoriana fuerint proscripta? p. 141. n. 1. & seq. denegat Christo communicationem idomatum. p. 169. n. 1. refutatur. p. 170. n. 2. & seq. an felix Episcopus, & Elipandus dixerint Christum esse filium Dei adoptivum in sensu Nestorii negando unionem hypostaticam? pag. 177. n. 1 & seq & admittendo duas personas? *ibid.* Nestorius vocavit Christum *Dominicum, Deiferum*? p. 198. n. 13.
Noë: an Melchisedech erat Sem, qui fuit filius Noë? p. 208. n. 5. an hujus natu Major fuerit Sem vel Japhet? *ibid.* cur Christus non sit Sacerdos secundùm Ordinem Noë. p. 210. n. 12. Arca Noë Christi incarnationem, mortem, & resurrectionem figurabat. p. 255. n. 11. & 12. item Ecclesiam. *ibid.* an sit salutem consecutus sine satisfactione Christi? p. 257. n. 13. & 14. quomodo intelligendum illud? *in quo & iis, qui in carcere erant, spiritibus vivens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, cùm fabricaretur arca.* p. 287. n. 17. & seq. vid. *Carcer.*
Novatores nituntur probare, Papam posse in hæresim incidere, & damnari à Concilio generali. p. 98. n. 1. & seq.
Nugæ Judaicæ ac maledicta seu tria capitula an fuerint rectè, ùt Nestoriana damnata? p. 141. n. 1. & seq.

O.

Obedientia: Christus ùt homo tenebatur quidem ad obedientiam Patri Cælesti, sed non tenebatur præcepto mortis. pag. 269. n. 9. nisi ut fidejussor, Sponsor, vas, & obses. *ibid.*
Oblatio: vid. *Sacrificium.*
Obses: an possit occidi ab hoste? p. 244. n. 4. an Christus potuerit occidi, quia fuit obses? p. 269. n. 9.
Occidens: Christus cruci affixus respiciebat occidentem. p. 364. n. 20.
Occisio: an aliquando licita occisio innocentis? p. 244. n. 4. an licita occisio obsidis? *ibid.*
Octaeteris Romanorum, & Judæorùm Lunaris. p. 352. n. 10. 11. & 12.
Oculus: an Zaleucus Locrensis sit laudandus, quòd, dum filio utrumque oculum eruere deberet, sibi unum? filio alterum effoderit? p. 260. n. 15. & 16.
Odor: quid significet Sacrificium *in odorem bonæ fragrantiæ*? p. 234. n. 6.
Oleum lætitiæ in quo sensu sit Christus? p. 166. n. 13.
Olivetum: cur hortus oliveti dicatur Gethsemani? p. 353. n. 1.
Omnipotentia ab Ubiquitariis tribuitur humanitati Christi. p. 169. n. 1. refutantur. p. 173. n. 8. & seq.
Onias summus Sacerdos: an in eo tanquam in typo Christi hebdomadæ Danielis sint litteraliter completæ? pag. 20. num. 19. & 20.
Operatio: in Christo duæ dantur operationes Divina, & humana. p. 92. n. 1. & seq. Monothelitæ admittunt duas naturas in Christo, sed solùm unam voluntatem, & operationem. *ibid.* in Christo non datur

tur operatio una *Theandrica*, id est *Deovirilis*. p. 93. n. 5. & seq. Honorius I. Papa non negavit in Christo duas voluntates, ac operationes. p. 98. n. 1. & seq.

Opus: propter satisfactionem Christi non sunt supervacanea nostra bona opera. p. 257. n. 13. & 14. ut Passio Christi consequatur suum effectum, debet applicari per fidem, charitatem, fidei Sacramenta, & bona Opera. *ibid.* meritum de condigno provenit ex gratia habituali, non ex opere in se spectato. p. 278. n. 6.

Oraculum: vid. *Vaticinium*.

Oratio: Christus oravit ad Patrem, & cur? p. 292. n. 7. Oratio Christi demonstrat ejus Divinitatem, non aliquam subjectionem, ut putant Ariani. p. 293. n. 8. omnis Oratio est exaudita â Patre. p. 293. n. 9. quomodo exaudita sit oratio illa: *Pater mi! si possibile est, transeat à me calix iste?* p. 293. n. 10. an mortis tristitia potuerit perturbare mentem Christi? *ibid.* pro quibus Christus oraverit verbis illis: *Pater: dimitte illis: quia nesciunt, quid faciunt*: & an sit exauditus? p. 294. n. 11. an Christus etiamnum in cœlo oret Patrem pro nobis? p. 296. n. 16.

Orbis: quid dicendum de descriptione universi Orbis tempore Nativitatis Christi facta? p. 311. n. 6. & 7. an facta â Cyrino? *ibid.*

Orestes: S. Cyrillus non movit seditionem in Orestem. p. 127. n. 1. & 2.

Orientales cum Joanne Antiocheno impugnantes S. Cyrillum non propugnaverunt hæresin Pelagii, aut Nestorii. p. 135. n. 1. & seq.

Origenista: horum instinctu contra tria capitula Justinianus Imp. edictum fecit. p. 141. n. 1. negant unionem hypostaticam perpetuò duraturam. p. 163. n. 5. putant, Melchisedech esse Angelum. p. 206. n. 1. refutantur. *ibid.* & seq. docuerunt, Christum etiam pro Angelis, & astris mortuum p. 285. n. 12. refutantur. *ibid.* & seq. an idem docuerint S. Hieronymus, & Tertullianus? p. 285. n. 12. & seq.

Originale peccatum, & Redemptionis necessitatem negant Pagani, Ebionitæ, & Pelagiani. p. 226. n. 10. unde Christum passum affirmant, ut nobis exemplum relinqueret. *ibid.* idem docent Abaelardus & Socinus. *ibid.* refutantur. p. 249. n. 1. & seq. ac p. 272. n. 1. & seq.

Osiander Andreas Lutheranus Divinæ tantùm naturæ tribuit Mediatoris officium. p. 294. n. 13. sententia auctoris. p. 295. num. 15.

P.

Pacificeo: quomodo per Christum omnia sint pacificata in cœlo, & in terra? p. 286. n. 14. & 15. vid. *reconciliatio*.

Paganus quibus argumentis sit pertrahendus, ut credat in Christum? p. 41. n. 1. tot. cap. X. solvuntur ejus objectiones contra fidem catholicam. p. 47. n. 1. tot. cap. XI. Pagani docent, non dari secundam Personam, quæ passa esset pro salute nostra, sed peccata â Deo condonari, quia hæc Deo non nocent. p. 226. n. 8. negant peccatum Originale, & Redemptionis necessitatem. p. 226. n. 10. unde Christum passum affirmant, ut nobis relinqueret exemplum. *ibid.* solvuntur objectiones. p. 249. n. 1. tot. cap. V. & p. 272. n. 1. tot. cap. VII.

Panis: vid. *Mutatio*. aut *Eucharistia*.

Papa: an possit in hæresin incidere, & damnari â Concilio Generali? p. 98. n. 1. & seq. an Concilium sit supra Papam? p. 98. n. 1. & seq. an possit Papa errare in definitione *facti dogmatici*? *ibid.* quid dicendum de sententia excommunicationis â Synodo VI. lata in Honorium Papam? p. 98. n. 2. & seq. an â Papa possit anathematizari defunctus? p. 148. n. 18. & seq. an Papa possit sententiam mutare? p. 145. n. 10.

Parens: an B. Virginis Parentes fuerint Joachim & Anna? p. 67. n. 5. & seq.

Pascha: inter Baptismum Christi, & mortem intercedebant quatuor Paschata. p. 336. n. 1. & 2.

Passio: an Christi corpus fuerit passioni obnoxium? p. 76. n. 1. & seq. an Christi passio sit opus miraculosum? *ibid.* quomodo passio distinquatur â propassione? p. 76. n. 4 Christi passio potest dupliciter considerari. p. 76. n. 4. quòd Christus habuerit corpus passionis capax, docet S. Hilarius. p. 80. n. 6. & seq. secundùm Philosophos recentiores sola anima rationalis potest pati. p. 85. n. 5. an Deus sine injustitia posset condonare peccatum, ita, ut passio non fuisset necessaria? p. 225. n. 4 & 5. vid. *Christi satisfactio*. victimæ veteris legis præfigurabant effectum Passionis Christi. p. 234. n. 6. in passione Christi eminebat justitia, & misericordia p. 242. n. 3. ac p. 260. n. 15. & 16. ac apparuit peccati turpitudo. *ibid.* quas homo alias utilitates hauriat ex passione Christi? *ibid.* Christus propter passionem suam gloria, & honore est Coronatus. p. 244. n. 4. probatur contra Socinum, quòd Christus per passionem suam pro peccatis satisfecerit. p. 246. n. 1. & seq. tot. cap.

IV. solvúntur Socini sophismata. p. 249. n. 1. tot. cap. V. & p. 272. n. 1. tot. cap. VII. cur non omnes salvi fiant homines, cùm Christus pro omnibus passionem subièrit? p. 249 n. 1. & seq. Christus non vocatur Salvator ex eo, quòd per passionem suam nobis exemplum præbuerit. p. 249. n. 1. & seq. ac p. 272. n. 1. & seq. ut passio Chrìsti consequatur suum effectum, debet applicari per fidem, charitatem, fidei Sacramenta, & bona opera. p. 257. n. 13. & 14. quomodo intelligendum illud? *adimpleo ea, quæ desunt Passioni Christi, in carne mea.* p. 268. n. 7. quænam adaugeant Passionem Christi? p. 273. n. 3. vid *mors.* quo die, & anno Passio Christi sit peracta? p. 345. n. 1. tot. cap. VII.

Passus: an benè dicatur: *unus est è Trinitate passus est*? p. 200. n. 1. & seq cur trisagio non possit addi? *qui passus est pro nobis?* p. 202. n. 11. vid. *Christi Satisfactio:* vel *Passio*: aut *mors.*

Pastor: si Christus natus est hyberno tempore, quomodo Pastores sub dio vigilare potuerint? p. 316. n. 7.

Pater: an Christus â Deo Patre habuerit præceptum moriendi? p. 111. n. 15. & seq. quomodo stante præcepto Christus liberè sit mortuus? *ibid.* an etiam Pater potuisset eandem assumere carnem, ut fecit filius, & tamen unus dici homo? p. 166. n. 14. cur filius, & non Pater factus sit homo? p. 67. n. 17. ob communicationem Idiomatum dicitur, *ego & Pater unum sumus, Pater major me est.* p. 170. n. 2. & seq. quomodo Christus sedeat ad dexteram Patris? *ibid* cur Melchisedech dicatur sine Patre, sine Matre, sine Genealogia? p. 206. n. 3. & seq. vid *Deus.* an Pater Zaleucus Locrensis sit laudandus, qui, dum filio utrumque oculum eruere deberet, sibi unum, alterum filio effodit? p. 260 n. 15. & 16. Christus quidem tenebatur ad obedientiam Patri, ut homo erat, non tamen tenebatur præcepto mortis, nisi ut vas. p. 269. n. 9. Christus oravit ad Patrem, & cur? p. 292. n. 7. Oratio Christi demonstrat ejus Divinitatem, non aliquam subjectionem, ùt putant Ariani. p. 293. n. 8. omnis oratio Christi est exaudita â Patre. p. 293 n. 9. quomodo exaudita sit oratio illa: *Pater mi, si possibile est, transeat â me calix iste*? p. 293. n. 10. an mortis tristitia ita perturbare potuerit mentem Christi, ut oraret ad Patrem? *ibid.* pro quibus Christus oraverit verbis illis: *Pater dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.* & an sit exauditus? p. 294. n. 11. an Christus etiamnum in cœlo sit Mediator, & oret pro nobis Patrem. p. 296. n. 16.

Patres an mereri potuerint incarnationem. p. 164. n. 7. & quomodo promeruerint. *ibid.* & seq. an sint salutem consecuti sine satisfactione Christi. p. 257. n. 13 & 14.

S. Paulus: quid significet hoc nomen. p. 340. n 7.

Paulus Samosatensis impugnat cum Nestorio incarnationem Dominicam. p. 115. n. 4. & seq.

Peccator: cur Christus dicatur mortuus, & non possit dici peccator. p. 109. n. 9. an fuerit summa injustitia, quòd Christus innocens pro peccatoribus mortis supplicio sit affectus. p. 227. n. 11. ac p. 244. n. 4. item p. 260. n. 15. & 16. Christus pro impiis, & peccatoribus mortuus est. p 230. n. 4. an in Deo sit justitia vindex peccatorum, & constans voluntas puniendi peccatores. p. 240. n. 1. ac p. 242. n. 3. Deus necessariò peccatores odio habet, sed non necessariò punit. p. 242. n. 3. solvuntur sophismata Socini negantis Christum pro nobis satisfeciisse. p. 249. n. 1. tot. cap. V & p 272. n. 1. tot. cap. VII. in quo sensu Christus dicatur peccatores vendere sine pretio. p. 251. n 3. & 4. Christus est mortuus pro peccatoribus, id est locò peccatorum. p. 253. n. 7. & 8. Sacrificia veteris legis substituebantur pro peccatoribus ita, ut animalia locò horum mactarentur. p. 256. n. 12. Aries pro Isaac ab Abrahamo immolatus figurabat Christum pro peccatoribus oblatum. *ibid* an Deus olim condonarit peccata sine ulla satisfactione Christi, dumodo peccator doluerit de iis. p. 257. n. 13. & 14. Peccator per contritionem non meretur remissionem peccatorum merito de condigno. p. 278. n. 6. an Christus descenderit ad inferos, ut inde redimeret incredulos, & peccatores sine pœnitentia defunctos. p. 287. n. 17.

Peccatum: propter peccata hominum non est dilatus adventus Messiæ. p. 37. n. 9. an peccatum. Adæ sit causa incarnationis. p. 49. n. 1. tot. cap. XII. quomodo Christus ignorârit peccata? p. 89. n 12. quomodo nesciat peccatores? *ibid.* Christus nullum commisit peccatum. p. 109. n. 8. & seq. an committere potuisset? *ibid.* cur repugnet, Christum dici peccatorem, cùm non repugnet dici pauperem, mortuum? p. 109. n. 9. unde proveniebat in Christo impotentia peccatum committendi? p. 109. n 10. quomodo hæc impotentia possit stare cum libertate? p. 111. n. 15. ad libertatem non requiritur, posse peccatum committere? p. 111. n. 16. Christus nequit dici Servus peccati. p. 193. n. 2. de satisfactione â Christo pro nobis persoluta. p. 224. n. 2. vid. *Christi satisfactio.*

Ori-

Originale peccatum, & Redemptionis neceſſitatem negant Pagani, Ebionitæ, & Pelagiani. p. 226. n. 10. unde Chriſtum paſſum affirmant, ut nobis exemplum relinqueret. *ibid.* idem docent Abaelardus, & Socinus. *ibid.* Chriſtus eo fine, ut nos â peccato, & dæmonis captivitate redimeret, mortem pertulit. p. 230. n. 4. Chriſtus per mortem ſuam peccatorum noſtrorum pœnas luit. p. 232. n. 5. quomodo intelligendum illud? eum *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* p. 232. n. 5. per peccatum Scriptura ſubintelligit Sacrificium, quod pro peccato offertur. *ibid.* quomodo Chriſtus abſtulerit, & deleverit, atque exhauſerit peccata? p. 232. n. 5. Chriſtus factus eſt Sacrificium in ligno crucis Deo ſponte oblatum pro peccato. *ibid.* & p. 234. n. 6. hoc Sacrificium eſt præſignatum in victimis veteris legis. p. 234. n. 6. an Sacrificia veteris legis delebant per ſe peccata? *ibid.* Chriſtus fuit Sacerdos per Sacrificium, quod ùt homo Deo obtulit pro peccato in ligno crucis. *ibid.* quodnam diſcrimen inter Chriſtum Sacerdotem, & alios Sacerdotes? p. 234. n. 6. Chriſtus in cœlo non immolatur, ùt putant Poloni fratres. *ibid.* hoc probatur ex figura Sacrificii Aaronici. *ibid.* in reconciliatione â Chriſto facta â peccatis ſumus expiati, deleto per paſſionem Chriſti peccatorum noſtrorum chirographo. p. 238. n. 8. ut adeò Chriſtus per mortem ſuam non declarârit tantùm peccata dimiſſa, ſed ipſe verè pro illis ſatisfecerit. *ibid.* an in Deo ſit juſtitia vindex peccatorum, & conſtans voluntas puniendi peccatores? p. 240. n. 1. ac p. 242. n. 3. noluit Deus in hominum reparatione peccata dimittere, non exhibita Divinæ juſtitiæ ſatisfactione. p. 241. n. 2. ſed intuitu meritorum Chriſti, & ſatisfactionis ejus ſalvi facti ſunt. *ibid.* Chriſtus omnium peccatorum pœnas, non verò culpas ſuſcepit. *ibid.* decebat quàm maxime, ut ob peccata noſtra Divinæ juſtitiæ fieret ſatisfactio condigna. p. 242. n. 3. in morte Chriſti apparuit turpitudo peccati. *ibid.* non fuit injuſtum, Chriſto peccata noſtra imputari. p. 244. n. 4. & p. 227. n. 11. ac p. 260. n. 15. & 16. probatur ex Patribus contra Socinum, quòd Chriſtus pro peccatis ſatisfecerit. p. 246. n. 1. & ſeq. tot. cap. IV. ſolvuntur Socini ſophiſmata. p. 249. n. 1. tot. cap V. ac p. 272. n. 1. tot. cap. VII. Chriſtus eſt propriè Redemptor, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit oblato ſanguinis pretio. *ibid.* & p. 251. n. 3. & 4. Chriſtus peccata noſtra portavit, ea per ſatisfactionem delendo. p. 252. n. 5. & 6. an Deo ſimus reconciliati â Chriſto per ſolam non imputationem peccati? p. 254. n. 9. & 10. an Deus olim condonarit peccata ſine ulla ſatisfactione, dumodo peccator doluerit de iis? p. 257. n. 13. & 14. ſine meritis Chriſti non poſſumus pœnitentiam agere de peccatis. *ibid.* quomodo mors, & mortis aculeus (id eſt) peccatum ſit â Chriſto devictum? p. 262. n. 17. & 18. an malitia peccati ſit finita, vel infinita? p. 276. n. 3. an creatura pura potuiſſet Deo ſatisfacere pro peccato? p. 214. n. 2. ac p. 275. n. 1. & ſeq. creatura rationalis obſtricta peccato nequit vel pro ſe, vel pro aliis condigne ſatisfacere Deo. p. 275. n. 2. nulla creatura, etſi gratia, & meritis exornata poteſt exhibere Deo pro mortali peccato coæqualem ſatisfactionem. p. 276. n. 3. quomodo intelligendum illud? *frater non redimit, redimet homo. ibid.* an nec Angelus ſatisfacere potuiſſet pro peccato? p. 276. n. 3. an nec homo, ſi â Deo eſſet conſtitutus caput morale hominum? p. 277. n. 5. & 6. an per ſolam contritionem, aut charitatem perfectam ſine ſatisfactione Chriſti Deo reddatur omne id, quod peccato oblatum? *ibid.* an non ſit diſcrimen inter peccatum veniale, & mortale, aut inter peccata plura mortalia, ſi gravitas peccati â dignitate Perſonæ offenſæ deſumatur? p. 277. n. 5. & 6. quænam in peccato mortali ſint attendenda? p. 278. n. 6. peccator per contritionem remiſſionem peccatorum non meretur merito de condigno. *ibid.* an creatura pura poſſit Deo ad juris apices ſatisfacere pro peccato veniali? p. 278. n. 6. Angeli boni propter peccatum irati nobis ſunt reconciliati per mortem Chriſti. p. 286. n. 14. 15. & 16.

Pecunia: an Sponſor poſſit puniri pro reo in pecunia, & corpore? p. 244. n. 4.

Pelagius: Joannes Antiochenus, & Orientales impugnantes S. Cyrillum non probaverunt hæreſim Pelagii aut Neſtorii. p. 135. n. 1. & ſeq. negat Originale peccatum, & Redemptionis neceſſitatem. p. 226. n. 10. unde Chriſtum paſſum eſſe ait, ut nobis relinqueret exemplum. *ibid.* refutatur. p. 249. n. 1. & ſeq. ac p. 272. n. 1. & ſeq.

Perſa: quot annis ante aëram vulgarem Chriſti inceperit Regnum Perſarum? p. 21. n. 1. & ſeq.

Perſecutio: eſt ſignum veræ fidei, quòd in perſecutionibus augmentum ſumpſerit. p. 42. n. 3.

Perſeverantia: an gratia, gloria, & perſeverantia Angelorum ſit ex merito Chriſti? p. 221. n. 9. & 10.

Persona: duas in Christo Personas admittit Nestorius. p. 115. n. 4. & seq. oppugnatur. p. 119. n. 11. & seq. ac p. 127. n. 1. & seq Eutyches solùm unam admittit naturam ex duabus per unionem hypostaticam commixtam. p. 153. n. 1. & 2. refutatur demonstrando, duas naturas in eadem Persona etiam post unionem manere distinctas. p. 154. n. 3. & seq. an unio hypostatica sit facta in natura, vel in Persona? p. 163. n. 6. an omnes tres Personæ S. S. S. Trinitatis potuissent assumere naturam unam? p. 166. n. 14. & an in hoc casu adhuc unus homo dici posset? p. 166. n. 14. an eadem Persona Divina potuisset assumere naturas duas, & tamen dici unus homo? p. 167. n. 15. cur filius, & non alia Persona naturam induerit nostram? p. 167. n. 15. cur filius, & non alia Persona naturam induerit nostram? p. 167. n. 17. communicatio Idiomatum in Christo respectu Personæ admitti debet. p. 170. n. 2. & seq Felix, & Elipandus dixerunt Christum esse filium Dei adoptivum in sensu Nestorii negando unionem hypostaticam, & admittendo duas Personas. p. 177. n. 1. & seq. natura Divina nequit esse pars personæ, quæ est Christus p. 199. n. 15. quando dicitur: *unus de Trinitate*: vox *unus* non naturam, sed Personam significat. p. 202. n. 9. Pagani docent, non dari secundam Personam, quæ passa esset pro salute nostra, sed peccata, utpote quæ Deo non nocent, condonari â Deo. p. 216. n. 8. nulla actio Christi, sive agat assumpta forma, sive Divina, sejungenda est â communione Personæ, & sic omnis actio Christi erit infinita. p. 269. n. 8. quomodo Socinus, & quomodo Christianus explicent illud? *Personarum acceptio non est apud eum.* p. 272. n. 1. Christus non est Mediator, prout est homo â Persona verbi præcisus. p. 295. n. 14.

Personalis: vid. *Voluntas.*

Pes: an benè legatur? *foderunt manus meas, & pedes meos.* p. 361. n. 15.

Petra: an Christus, vel Petrus, vel fides vocetur Petra? p. 339. n. 6. unde fluxerunt aquæ, figurabat latus Christi apertum. p. 255. n. 11. & 12.

S. Petrus: quomodo intelligendus in priori Epistola cap. III. vid. § 19. & 20. *in quo & iis, qui in carcere erant, spiritibus vivens prædicavit &c.* vid. *S. Augustinus.* quid significent hæc nomina *Simon Petrus*? p. 339. n. 6. cur idem dicatur Cephas? *ibid.* an Petrus, vel Christus, vel Ecclesia sit Petra? *ibid.* quando fuerit occisus? p. 350. n. 6.

Petrus de Apono: an ipse vel ipsius statua sit combusta ob negatam Lazari suscitationem? p. 341. n. 10.

Petrus Fullo. vid. *Fullo.*

Phantasticus: corpus Christi non fuit phantasticum. p. 59. n. 1. & seq. ac p. 76. n. 1. & seq. item p. 153. n. 1. & seq.

S. Philippus: quid significet hoc nomen? & unde ortum traxerit? p. 340. n. 7.

Philosophus: secundùm recentiores sola anima rationalis potest pati. p. 85. n. 5.

Pilatus: hujus acta de Christo sunt argumentum efficax Religionis nostræ. p. 44. n. 7. probatur hæc acta esse genuina. *ibid.* & seq. propter hæc acta Tiberius petiit Christi apotheosin. Critici hæc negantes refutantur. *ibid.* an susceperit fidem catholicam? *ibid.* n. 8. fuit privatus administratione Judææ. p. 46. n. 11. sub ipso nullum est scriptum Evangelium. *ibid.*

Plata Horatius negat fœminam â Christo Redemptam. p. 281. n. 4.

Pœna: Christus per mortem suam peccatorum nostrorum pœnas luit. p. 232. n. 5. an in Deo sit justitia vindex peccatorum, & horum pœnas exposcens? p. 240. n. 1. Christus omnium peccatorum pœnas, non verò culpas susceperit. p. 241. n. 2. solvuntur sophismata Socini. p. 249. n. 1. & seq ac p. 272. n. 1. & seq. ostenditur Christum verè satisfeciisse pro nobis pretio sanguinis. *ibid.* vid. *Infernus.*

Pœnitentia: sine meritis Christi non possumus pœnitentiam agere. p. 257. n. 13. & 14.

Politicus: de regno politico Judæorum. p. 6. n. 5.

Poloni Fratres: vid. *Fratres.*

Populus: quomodo intelligendum illud? *expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo.* p. 130. n. 4.

Porphyrius impugnavit genealogiam Christi. p. 65. n. 1.

Præceptum: an Christus â Deo Patre habuerit præceptum moriendi? p. 111. n. 15. & seq. quomodo Christus stante præcepto liberè sit mortuus? *ibid.* ad libertatem sufficit indifferentia medii secundùm se abstrahendo â Decreto, aut præcepto. p. 111. n. 17.

Prædestinatianus docet, Christum tantùm pro Electis ante mundi constitutionem esse mortuum. p. 279. n. 1. refutatur. *ibid.* & seq.

Prædestinatus: in quo sensu Christus dicatur prædestinatus Dei filius? p. 188. n. 1. & seq. ad quæ munera Christus sit prædestinatus? p. 190. n. 4. Christus pro prædestinatis non tantùm mortuus est, sed etiam iis applicat mortis suæ fructum. p. 280. n. 3.

Prædicatio: Redemptio noſtra non eſt facta prædicatione & exemplo. p. 229. n. 3. ac p. 249. n. 1. & ſeq. ac p. 272. n. 1. & ſeq. Chriſtus reconciliationis eſt auctor ſoluto pretio, Apoſtoli autem per officium prædicationis. p. 254. n. 9. & 10. quo ætatis anno Chriſtus Prædicationis Officium ſuſceperit? p. 329. n. 6. & ſeq. Chriſtus Prædicationis officium geſſit tribus annis, & totidem menſibus. p. 336. n. 1. & ſeq. Chriſtus ſuam prædicationem confirmavit miraculis Divina virtute patratis. p. 341. n. 10.

Prædico: quomodo intelligendum illud? *in quo & iis, qui in carcere erant, ſpiritibus vivens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, cùm fabricaretur arca.* p. 287. n. 17. & ſeq. vid. *Carcer.*

Præſepe: ex qua materia fuerit? & an ibi verè fuerint bos & aſinus? p. 318. n. 2. 3. 4. & 5.

Pretium: decem propoſitionibus demonſtratur, Chriſtum verè dediſſe ſalutis noſtræ pretium. p. 228. n. 1. & ſeq. & ideò Chriſti ſumus. *ibid.* ac p. 230. n. 4. ſi Chriſtus pretium obtulit, cur dicimur gratis redempti? p. 237. n. 7. ac p. 246. n. 1. & ſeq. ſolvuntur Socini negantis, Chriſtum ſolviſſe pretium pro nobis, ſophismata. p. 249. n. 1. tot. cap. V. ac p. 272. n. 1. tot. cap. VII. an verbum *Redimo* nil aliud ſignificet, quàm ſine ſoluto pretio à captivitate liberare? p. 251. n. 3. & 4. in quo ſenſu Deus dicatur vendere peccatores ſine pretio? p. 251. n. 3. & 4. Chriſtus eſt reconciliationis Author ſoluto pretio, Apoſtoli autem per officium prædicationis. p. 254. n. 9. & 10. mors hominis Dei majori pretio æſtimanda eſt, quàm ſempiternum damnatorum ſupplicium. pag. 273. n. 2. merita Chriſti ſunt pretii infiniti. p. 291. n. 3. 4. & 5.

Primogenitus in quo ſenſu ſit Chriſtus. pag. 57. n. 16. ac p. 185. n. 18. & 19.

Princeps: vid. *Dux.* in quo ſenſu dæmon dicatur Princeps mundi? p. 286. num. 14. & 15.

Profeſſio: quid dicendum de profeſſione fidei Zenonis? p. 202. n. 10. & 11.

Propaſſio quomodo diſtinquatur à paſſione? p. 76. n. 4. & ſeq.

Prophetia: vid. *Vaticinium.*

Propitiatio noſtra in cruce Chriſtus factus eſt. p. 237. n. 7.

Pyrrhus fuit Monothelita. p. 92. num. 2. & ſeq.

Q.

Quercus: an lignum crucis Chriſti fuerit ex quercu? p. 362. n. 16.

Quirinus: vip. *Cyrinus.*

R.

Rapio: quomodo intelligendum illud? *qua non rapui, tunc exſolvebam.* pag 241. num. 2.

Ratio: Chriſtus habuit animam humanam, & non ſenſitivam mente, & ratione carentem. p. 84. n. 1. & ſeq. refutatur. p. 85. n. 6 & ſeq, ac p. 92. n. 1.

Rationalis: vid. *anima.*

Reconcilio: per Sacrificium crucis reconciliati ſumus Deo. p. 237. n. 7. quomodo gratis reconciliati ſimus, cùm Chriſtus pretium obtulerit? p. 237. n. 7. & pag. 255. n. 10. in reconciliatione à Chriſto facta à peccatis ſumus expiati, deleto per paſſionem Chriſti peccatorum noſtrorum chirographo. p. 238. n. 8. ut adeò Chriſtus per mortem ſuam non declarârit ſolum peccata dimiſſa, ſed verè ipſe pro illis ſatisfecerit. pag. 238. n. 8. cur reconciliatio tribuatur morti Chriſti? & cur non ejus miraculis, aut reſurrectioni? *ibid.* ſatisfit objectionibus. pag. 249. num. 1. & ſeq. ac pag. 272. num. 1. & ſeq. reconciliatio noſtra principaliter Sanquini, & non vitæ Chriſti tribuenda eſt. p. 254. n. 9. & 10. quomodo intelligendum illud? *ſi enim, cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus per mortem filii ejus, multò magis reconciliati ſalvi erimus in vita ipſius. ibid.* an Deo reconciliati ſimus à Chriſto per ſolam non imputationem peccati? *ibid.* Chriſtus reconciliationis eſt Author ſoluto pretio, Apoſtoli autem per officium prædicationis. *ibid.* an Deus jam ante adventum Chriſti fuerit nobiscum reconciliatus? p. 262. n. 17. & 18. quomodo per Chriſtum omnia ſint reconciliata, quæ in Cælo, & in terra ſunt? p. 286. n. 14. & 15. Angeli boni per peccatum hominum irati reconciliati ſunt per mortem Chriſti? p. 286. n. 14. 15. & 16.

Redemptor: Chriſtus eſt propriè Redemptor, qui nos ſanquine ſuo redemit, & pro peccatis noſtris ſatisfecit. p. 251. n. 3. & 4. Moyſes in ſenſu improprio dicitur Redemptor. *ibid.* vid. *Chriſti ſatisfactio.* vel *Servator.* quando Chriſtus dicitur Redemptor mundi, intelligitur Redemptor hominum, non dæmonum. p. 286. n. 14. & 15. nec obeſt, quòd dæmon dicatur Princeps mundi. *ibid.*

Redimo: an hoc verbum nil aliud dicat, quàm liberare â captivitate ſinè ſoluto pretio? p. 251. n. 3. & 4. in quo ſenſu dicamur redempti ſine argento? *ibid.* quomodo dicamur gratis Redempti? pag. 237. n. 7. ac p. 155. n. 10. quomodo intelligendum illud? *frater non redimit, redimet homo.* p. 276. n. 3. etſi Chriſtus omnes homines

redemerit, multi tamen mortis, & Redemptionis beneficium non recipiunt. p. 280. n. 2. an Christus etiam fœminas redemerit? pag. 281. n. 4. vid. *fœmina*. an dæmones, & damnatos? p. 285. n. 12. & seq. vid. *dæmon*. vel *reparatio*. an Christus descenderit ad inferos, ut inde redimeret incredulos, & peccatores sine pœnitentia mortuos? p. 287. n. 17.

Regnum: in Davide, qui reprobato Saule constitutus est Rex, præfiguratum est Regnum Christo p. 218. n. 1. an Christus habuerit Regnum spirituale, & temporale? *ibid.* & seq. Regnum temporale Christo denegant Lutherani. *ibid.*

Religio: quibus argumentis ad Religionem Catholicam sint pertrahendi gentiles? p. 41. n. 1. tot. cap. X. probatur diversimodè, quod Religio Catholica sit vera. *ibid.* an hanc susceperit Pilatus? p. 45. n. 8. solvuntur Gentilium objectiones contra Religionem Catholicam. p. 47. n. 1. & seq. tot. cap. XI.

Remissio: peccator per contritionem non meretur remissionem peccatorum merito de condigno. p. 278. n. 6.

Reparatio generis humani an sit causa incarnationis? p. 49. n. 1. tot. cap. XII. vid. *Christi satisfactio*. noluit Deus in hominum reparatione peccata dimittere non exhibita Divinæ justitiæ satisfactione. p. 241. n. 1. sed intuitu meritorum Christi, & satisfactionis ejus salvi facti sunt. *ibid.* reparatio hominis non fuit condonatio, sed actus Judicii, ac justitiæ. *ibid.* solvuntur objectiones. p. 249. n. 1. & seq ac p. 272. n. 1. & seq. quomodo Incarnatio sit opus Trinitatis, & Redemptio opus Christi? p. 269. n. 10. cur Christus mortem acerbissimam perpessus sit, cùm unica guttula pretiosi sanquinis sufficiens pro nostra Redemptione fuisset? p. 274. n. 4.

Resurrectio Christi est firmissimum argumentum fidei Catholicæ. p. 43. n. 5. eadem non potest negari. *ibid.* Periodus Clementis XI. quòd in resurrectione forma Servi sit reversa in formam Dei, non est Eutychiana. p. 59. n. 1. & seq. cur reconciliatio nostra tribuatur morti, & cur non Resurrectioni, aut miraculis Christi? p. 238. n. 8. an Christus dicatur Salvator, quia per resurrectionem suam nos in fide confortavit? p. 249. n. 1. & seq. ac pag. 272. n. 1. & seq. arca Noë Christi incarnationem, mortem, & resurrectionem figurabat. p. 255. n. 11. & 12. fuit necessaria ad fidei confirmationem. p. 262. n. 17. & 18

Resuscitatio Lazari nequit in dubium vocari p. 341. n. 10. cur Christus jusserit in ejus suscitatione tolli lapidem? *ibid.* præter suscitationem miraculum fuit, quòd Lazarus ligatus ambulârit. p. 341. n. 10 an Petrus de Apono ipsemet, vel ejus statua sit combusta ob negatam Lazari resuscitationem? p. 341. n. 10.

Reus: an Sponsor possit puniri pro reo in pecunia, & corpore? p. 244. n. 4.

Rex: an tres Magi, qui venerunt adorare Dominum, fuerint Reges? p. 319. n. 6. & seq. contra Judæos probatur, Christum accepisse Damasci spolia, & Regum obsequia. pag. 321. n. 9. vid. *Magi*. Potestas Regis significatur in vaticinio Jacob per nomen *Virgæ*. pag. 5. n. 3. & p. 9. n. 1. & 2. vid. *Dux*. in Davide, qui reprobato Saulo constitutus est Rex, præfiguratum est Regnum Christi. pag. 218. n. 1. Christus est Rex. *ibid.* & seq. an habuerit Regnum Spirituale, & temporale? *ibid.* Regnum temporale Christo denegant Lutherani. *ibid.*

Roma: quo anno â Roma condita Christus natus sit? p. 308. n. 1. & seq. aera vulgaris Dionysiana incepit anno Romæ 754. *ibid.*

Romanus: Soldurii apud Gellos, Decii apud Romanos se morti tradunt pro aliis: propterea vocantur Antipsychi. p. 229. n. 2. octæteris Romanorum, & Judæorum lunaris. p. 352. n. 10. 11. & 12. Romani cives non puniebantur flagellis, aut fustuario. p. 356. n. 7. Christus flagellatus est more Romanorum, non Judæorum. p. 356. n. 7.

S.

Saba: cur tres Magi dicantur Reges Arabum, & Saba? p. 321. n. 10.

Sacerdos: in quo sensu verbum dici possit Apostolus, & Sacerdos? p. 134. n. 22. Christus est Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech. p. 210. n. 1. & seq. Melchisedech offerens panem, & vinum erat typus Christi instituentis Eucharistiæ Sacramentum. *ibid.* cur Christus non sit Sacerdos secundùm ordinem Abel, Noë, aut Moysis? p. 210. n. 12. solvuntur objectiones Hæreticorum. p. 213. n. 1. tot. cap. VIII. an Christus non sit potiùs Sacerdos secundùm Ordinem Aaron, quàm Melchisedech? p. 215. n. 7. 8. 9. & 10. Christus non potest dici Sacerdos Leviticus. pag. 217. n. 11. historia Suidæ circa hoc est fabula. *ibid.* Socinus negat, Christum esse functum munere Sacerdotis. p. 227. n. 11. Christus fuit simul victima, & Sacerdos. p. 234. n. 6. Christus fuit Sacerdos per Sacrificium, quod ùt homo obtulit in ligno crucis. p. 234. n. 6. ac p. 256.

256. n. 12. quodnam discrimen inter Christum Sacerdotem, & alios Sacerdotes? p. 234. n. 6. Christus in cælo non sacrificatur, ùt putant Poloni fratres. *ibid.* hoc probatur ex figura Sacrificii Aaronici. *ibid.* quòd Christus fuerit Sacerdos, probatur ex Patribus. p. 246. n. 1. & seq tot. cap. IV. solvuntur sophismata Socini. p. 249. n. 1. tot. cap. V. & p. 272. n. 1. tot. cap. VII. ostenditur, Christum verè pro nobis satisfeciſſe soluto pretio. *ibid.* quomodo intelligendum illud? *si ergo* (Christus) *esset super terram, non esset Sacerdos.* p. 256. n. 12.

Sacramentum: ut Passio Christi consequatur suum effectum, debet applicari per fidem, charitatem, fidei Sacramenta, & opera bona. p. 257. n. 13. & 14.

Sacrificium: Scriprura S. per peccatum subintelligit Sacrificium, quod pro peccato offertur, p. 232. n. 5. Christus factus est Sacrificium in ligno Crucis Deo sponte oblatum pro peccato. *ibid.* & p. 234. n. 6. hoc Sacrificium est præsignatum in victimis veteris legis p. 234. n. 6. an hæ per se delebant peccata? *ibid.* Christus fuit simul Sacrificium & Sacerdos. p. 234. n. 6. quid significet Sacrificium *in odorem bonæ fragrantiæ? ibid.* Christus fuit Sacerdos per Sacrificium, quod ùt homo obtulit in ligno crucis p. 234. n. 6. ac p. 256. n. 12. quodnam discrimen inter Christum Sacerdotem, & alios Sacerdotes? p. 234. n. 6. Christus in Cælo non sacrificatur, ùt putant Poloni fratres. *ibid.* hoc probatur ex figura Sacrificii Aaronici. *ibid.* per Sacrificium in cruce peractum reconciliati sumus Deo. pag. 237. num. 7. ac pag. 246. num. 1. & seq. tot. cap. IV. solvuntur sophismata Socini. p. 249. n. 1. tot. cap. V. & p. 272. n. 1. tot cap. VII. ostenditur Christum verè pro peccatis satisfeciſſe soluto pro nobis pretio. *ibid.* Sacrificia Veteris legis substituebantur pro peccatoribus ita, ut animalia locò horum mactarentur. p. 256. n. 12. cur Christus solùm semel se in Sacrificium obtulerit? p. 266. n. 3.

Sale: nomen Cainan est aliud à nomine Arphaxad, & Sale. p. 72. n. 8.

Salem primitus vocabatur Jerosolyma. pag. 208. n. 5. & 6.

Salomon: an ex Davide prodierint duo stipites, Regius scilicet per Salomonem, & Sacerdotalis per Nathan? p. 217. n. 12.

Salvator: vid. *Servator*

Salus: Pagani docent, non dari secundam Personam, quæ pro salute nostra passa esset, sed peccata, utpote quæ Deo non nocent condonari à Deo. p 226. n. 8. an Christus dicatur Salvator, quia nobis salutis viam annuntiavit? p. 227. n. 11. ac p. 249. n. 1. & seq. an Abel, Noë, & cæteri justi salutem sint consecuti sine satisfactione Christi? p. 257. n. 13. & 14.

Samosatensis Paulus: vid. *Paulus*.

Sanctifico: ob communicationem Idiomatum Christus dicitur sanctificatus, & sanctificans. p. 170. n. 2.

Sanctitas- hæc in qualibet creatura est creata, & accidentalis. p. 107. n. 2. quid præstet Sanctitas? *ibid.* an hæc in Christo fuerit creata, & accidentalis, vel increata, & substantialis? p. 107. n. 2. & seq. vel utraque simul? *ibid.*

Sanctus: an Christus ùt viator habuerit scientiam Sanctorum? p. 87. n. 5. ac p. 90. n 15. & seq. an cum hac in eodem stare possit summa tristitia? pag. 90. n. 15. & seq. cur Christus vocetur Nazaræus, id est, Sanctus? p. 107. n. 1. Christus est Mediator peculiari quodam titulo ad differentiam Sanctorum. p. 294. n. 12. & 15.

Sanquis: probatur decem propositionibus: Christum nos verè redemisse Sanquinis sui pretio. pag. 229. n. 2. & seq. & ideò Christi sumus. *ibid.* ac p. 230. n. 4. ac p. 246. n. 1. & seq. an Christus vocetur Salvator, quia Sanquine suo veritatem confirmavit? p. 249. n. 1. & seq. solvuntur sophismata Socini negantis Christum pro nobis satisfeciſſe soluto pretio. p. 249. n. 1. tot. cap. V. & pag. 272. n. 1. tot. cap. VII. in quo sensu sanquis Christi dicatur sanquis fœderis? p. 249. n. 1. & seq. Christus est propriè Redemptor, qui nos sanquine suo redemit, ac pro peccatis nostris satisfecit. p. 251. n. 3. & 4. ac p. 254. n. 9. & 10 cur Christus mortem acerbissimam elegerit, cùm unica guttula pretiosi sanquinis sufficiens fuisset pro Redemptione nostra? p. 274. n. 4. Sudor Christi fuit sanquine permixtus. p. 353. n. 1.

Satisfactio Christi variè impugnatur ab hæreticis. p. 223. n. 1. vid. *Christi satisfactio* noluit Deus in hominum reparatione peccata dimittere non exhibita Divinæ justitiæ satisfactione, sed intuitu meritorum Christi, & satisfactionis ejus salvi facti sumus. p. 241. n. 2. decebat quàm maximè, ut ob peccata nostra divinæ justitiæ condigna fieret satisfactio. p. 242. n. 3. in Satisfactione Christi videmus Dei justitiam ac misericordiam, & peccati turpitudinem *ibid.* quas homo alias ex satisfactione Christi hauriat utilitates? *ibid.* hanc à Christo esse datam, probatur ex Patribus contra Socinum. p. 246. n. 1. & seq. tot. cap. IV. solvuntur sophismata Socini negantis Christum pro nobis satisfeciſſe soluto pretio. p. 249. n. 1. tot. cap. V. & p. 272. n. 1. tot. cap. VII. cur non omnes

omnes homines salventur, cùm Christus pro omnibus satisfactionem præstiterit? p. 249. n. 1. & seq. Christus est propriè Redemptor, quia pro satisfactione peccatorum sanquinem dedit. p. 251. n. 3. & 4. Christus peccata nostra portavit, ea per satisfactionem delendo. p. 252. n. 5. & 6. an Satisfactio Christi hactenus explicata repugnet, & obscuret misericordiam Dei? p. 257. n. 13 & 14. an Abel, Noë, & reliqui justi veteres salutem sint consecuti sine satisfactione Christi? *ibid.* an Deus olim condonarit peccata sine ulla satisfactione, dumodo peccator doluerit de iis? *ibid.* sine meritis Christi non possemus pœnitentiam agere. pag 257. n. 13. & 14. quomodo Deus peccata condonet? *ibid.* quale emolumentum accreverit Deo per satisfactionem Christi? *ibid.* propter satisfactionem Christi non sunt supervacanea bona opera nostra. *ibid.* ut Satisfactio Christi consequatur suum effectum, debet applicari per bona opera nostra. *ibid.* si Christus satisfecit, cur patimur mortem, & hujus vitæ miserias? p. 262. n. 17. & 18. quomodo Christus satisfacere potuerit, cùm ipsemet sub lege fuerit? *ibid.* an satisfactio Christi fuerit finita, vel infinita? p. 264. n. 19. ac p. 265. n 1. tot. cap. VI. an fuerit rigorosa secundùm justitiam rigorosam, & juris apices? p. 265. n 1. tot. cap. VI. quid requiratur ad satisfactionem rigorosam? *ibid.* Satisfactio Christi nedum æquivalens est, verùm etiam superabundans p. 266. n. 3. & seq. an satisfactio Christi fuerit infinita propter unionem hypostaticam? pag. 267. n. 5. quomodo intelligendum illud? *adimpleo ea, quæ desunt passioni Christi in carne mea.* p. 268. n. 7. cur Christus mortem acerbissimam pertulerit, cùm unica guttula pretiosi Sanquinis sufficiens pro satisfactione fuisset? p. 274. n. 4. Christus quidem ùt homo satisfecit, sed natura humana, in qua Christus passus est, erat hypostaticè unita verbo. p. 274. n. 5. cur satisfactio Christi sit infinita ex eo, quia facta à Deo, & cur non ex eadem ratione productio mundi, & alia opera Dei sint infinita? p. 274. n. 5. quomodo Christus utpote Deus potuerit sibi ipsi satisfacere pro peccato? p. 224. n. 2. ac p. 275. n. 1. & seq. creatura rationalis obstricta peccato nequit vel pro se, vel pro aliis condignè satisfacere Deo. p. 275. n. 2. nulla creatura etsi gratia, & meritis ornata potest exhibere Deo pro mortali peccato coæqualem satisfactionem. p. 276. n. 3. quomodo intelligendum illud? *frater non redimit, redimet homo. ibid.* an nec Angelus satisfacere potuisset pro peccato? p. 276. n. 3. an nec homo, si à Deo constitueretur caput morale hominum? p. 277. n. 5. & 6. an per solam contritionem, aut charitatem perfectam sine satisfactione Christi Deo reddatur omne id, quod peccato ablatum? p. 277. n. 5. & 6. an creatura pura possit Deo satisfacere ad juris apices pro peccato veniali? p. 278. n. 6. Christus pro omnibus satisfecit. p. 279. n. 1. Calviniani, Jansseniani, Prædestinatiani, & Gothescalcus docuerunt, Christum tantùm pro Electis ante mundi constitutionem esse mortuum. *ibid.* refutantur. *ibid.* & seq. etsi Christus pro omnibus satisfecerit, multi tamen mortis ejus beneficium non recipiunt. p. 280. n. 2. Christus pro prædestinatis non solùm satisfecit, sed etiam iis applicat mortis suæ fructum. p. 280. n. 3. an Christus etiam pro fœminis satisfecerit? p. 281. n. 4. & seq. vid. *Fœmina.* an pro damnatis, & dæmonibus? p. 285. n. 12. & seq. vid. *Dæmon.* Origenes docuit, Christum satisfeciſse pro Angelis & Astris, & ideò pœnas inferni non esse perpetuas. p. 285. n. 12. & seq. an idem docuerint S. Hieronymus, & Tertullianus? *ibid.*

Saturninus tribuit Christo corpus phantasticum, & umbratile. p. 54. n. 1. vid. *Corpus.* refutatur. p. 76. n. 1. & seq. an census tempore Nativitatis Christi sit indictus à Saturnino. p. 310. n. 4. & 5.

Saul: in Davide, qui reprobato Saule constitutus est Rex, præfiguratum est Regnum Christi. p. 218. n. 1. an vocetur Silo, aut Messias? p. 11. n. 11. & 12.

Sceleſtus: vid. *Peccator.*

Sceptrum: quando Sceptrum de domo Juda defecerit. p. 4. n. 1. tot. cap. I. II. & III.

Scharioth: an Judas proditor sit natus in vico Scharioth. p. 340. n. 9.

Scytha: Monachi Scythæ, quid senserint de propositione: *unus de Trinitate passus, & mortuus est?* p. 200. n. 1. & seq. an fuerint Eutychiani, *ibid.* defenduntur p. 203. n. 12. 13. & 14. cur sint ex urbe ejecti. *ibid.* an fuerint Nestoriani. *ibid.*

Scientia: Christus præter scientiam Divinam habuit creatam, & infusam. p. 86. n. 1. & seq. quid sit scientia Divina, quid humana? quid acquisita? quid infusa? quid Beatifica? habuit Christus scientiam experimentalem, & acquisitam. p. 87. n. 4. Beatificam. p. 87. n. 5. ac p. 90. n. 15. & seq. non autem comprehensivam. p. 88. num. 6. & seq. quomodo Christus profecerit scientia? pag. 88. num. 8. & seq. quomodo salva hac scientia Christus ignorârit peccatores, peccata, Judicii diem? pag. 89. n. 12. ac pag. 90. n. 14.

an

an eum scientia Beatifica in Christo stare possit summa tristitia? p. 90. n. 15. & seq.

Scriptura S. per peccatum subintelligit Sacrificium, quod pro peccato offertur. p. 232. n. 5.

Sebaste quo anno condita? p. 306. n. 20. & 21.

Seditio in Orestem non est mota â S. Cyrillo. p. 127. n. 1. & 2.

Sejanus quo anno sit interfectus? p. 350. n. 6.

Sem: an Melchisedech erat Sem, qui fuit filius Noë? p. 208. n. 5. an Sem fuerit natu major, an Japhet? *ibid.*

Semen: Helvidius docuit, B. Virginem post Christum ex semine S. Josephi alios peperisse filios. p. 54. n. 1. refutatur. p. 57. n. 14. & seq. Judæi negant Messiam nasciturum sine semine virili. p. 54. n. 1. refutantur. p. 54. n. 2. & seq. ac pag. 58. n. 15.

Sepultus: vid. *Passus.*

Sergius favebat Monothelitis. p. 92. n. 2. & seq. an Honorius iisdem favebat in Epistola ad Sergium data? p. 98. n. 1. & seq.

Serpens æneus erat figura Christi in cruce exaltati. p. 255. n. 11. & 12.

Servator: an Christo hic titulus conveniat, quia nobis salutis viam annuntiavit? p. 227. n. 11. ac p. 249. n. 1. aut quia sanguine suo confirmavit veritatem? aut quia per mortem suam nobis exemplum præbuit? aut quia per resurrectionem nos in fide firmavit, aut quia vitam æternam nobis præbet? aut quia pro nobis satisfecit, & pretium solvit? pag. 249. num. 1. & seq. ac pag. 227. num. 11. solvuntur sophismata Socini. p. 249. n. 1. tot. cap. V. ac p 272. n. 1. tot. cap. VII. vid. *Redemptor.*

Servus: quòd in resurrectione Dominica forma Servi sit reversa in formam Dei, non est Eutychianum. p. 159. n. 1. & seq. an Christus possit dici Dei servus? p. 193. n. 1. & seq. quid sit servus naturalis, & legalis? *ibid.* unde hoc nomen proveniat? p. 193. n. 2. quid sit *servus peccati?* p. 193. n. 2. Christus non vocetur Dei servus. p. 197. n. 11. Servi soli, non autem liberi, aut Romani cives puniebantur flagellatione. p. 356. n. 7. in flagellatione Servorum non erat præscriptus certus verberum numerus. *ibid.*

Severita: hi hæretici progressi sunt â Juliano Halicarnasseo, & Gaino. p. 72. n. 1. docuerunt, Christum assumpsisse corpus incorruptibile. *ibid.* in suum errorem perduxerunt plures etiam Hierarchas primarios, & Monachos. *ibid.* imò & ipsum Imperatorem Justinianum, qui postea omnes Episcopos vi ad suam sententiam trahere voluit. *ibid.*

Siclus: quanti pretii erant triginta argentei Sicli, quibus venditus est Christus? p. 354. n. 2. 3. & 4.

Sidus: plures docuerunt, corpus Christi esse formatum de cœlo, æthere, sideribus. p. 54. n. 1. vid. *Corpus.* refutatur. p. 76. n. 1. & seq.

Silo: quid hoc verbum significet in vaticinio Jacob? p. 8. n. 9. ac p. 10 n. 5. & 6. item p. 11. n. 11. & 12. non alii hic titulus competit, quàm Messiæ. *ibid.*

S. *Simon Chananæus*: quid significet hoc nomen? p. 340 n. 8.

Simon Cyrenæus: non hic, sed Christus est crucifixus. p. 63. n. 8. & 9. ac p. 76. n. 1. & seq.

Simon Magus: hujus discipuli tribuunt Christo corpus phantasticum non solidum de Virgine, umbratile non verum. p. 54. n. 1. vid. *Corpus.* refutantur. p. 76. n. 1. & seq.

S. *Simon Petrus*: vid. S. *Petrus.*

Simon Samarita nequit comparari Christo. p. 47. n. 1. & 2. de statua ei Romæ erecta. *ibid.*

Socinianus: hi hæretici denegant Christo scientiam Divinam. p. 86. n. 1. contra eosdem Christo tribuitur æternitas. p. 197. n. 12. negant Christum potuisse satisfacere pro peccatis, quia eum purum hominem putant. p. 226. n. 8. negant Originale peccatum, & Redemptionis necessitatem. p. 226. n. 10. unde Christum passum affirmant, ut nobis exemplum daret. *ibid.* docent nullam Dei justitiam postulare, ut peccata puniantur, Christum dici Servatorem, quia nobis nostræ salutis viam annuntiavit, non tamen satisfeciisse pro peccatis, nec functum esse ante mortem munere Sacerdotis: sed Deum condonare peccata, cùm non potuerit Christus innocens mortis supplicio affici pro sceleratis sine summa injustitia. p. 227. n. 11. Sociniani refutantur decem propositionibus, in quibus demonstratur, Christum verè esse Redemptorem nostrum. p. 228. n. 1. & seq. quomodo Sociniani, & quomodo catholici explicent illud? *expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo.* p. 230. n. 4. & quomodo illud? *verè languores nostros* &c. p. 232. n. 5. quid per chirographum intelligant Sociniani? p. 238. n. 8. contra hos ex Patribus probatur, Christum esse Redemptorem nostrum, ac pro nobis passum, & mortuum, fuisse Sacerdotem: & pro peccatis satisfeciisse. p. 246. n. 1. & seq tot. cap. IV. solvuntur sophismata Socinianorum. p. 249. n. 1. tot. cap. V. & p. 272. n. 1. tot.

cap. VII. & ostenditur, Christum verè satisfeciſſe, & pro peccatis sanguinem fudiſſe. *ibid.* quomodo Socinianus, & quomodo Christianus explicent illud? *Personarum acceptio non est apud eum.* p. 272. n. 1. probatur contra Socinianos, adorationem Magorum fuiſſe religiosam, & indicantem Christi Divinitatem. p. 322. n. 13. 14. & 15. tres Magi Christum Deum contestati sunt muneribus suis. *ibid.*

Socrates: huic malè comparatur Christus. p. 47. n. 1. & 2.

Soldurius apud Gallos: Decius apud Romanos se morti tradit pro alio: unde vocantur Antipsychi. p. 229. n. 2.

Spes: an hæc virtus in Christo fuerit? p. 108 n. 7.

Spineus: an corona spinea Christi fuerit ex marinis juncis? p. 357. n. 9. vel ex rubo, aut Rhamno? *ibid.* coronatio Christi fuit figurata in ariete hærente vepribus, & ab Abrahamo immolato. *ibid.*

Spiritus S. an sciat judicii diem? p. 90. n. 14. Christus dictus est Sanctus, id est, Nazaræus ob Spiritum S. inhabitantem. p. 107. n. 1. Christus patravit miracula virtute propriâ non alienâ Spiritûs S. p. 134. n. 21. an etiam Spiritus S. potuisset eandem assumere carnem, ùt fecit Filius? p. 166. n. 14. & tamen unus dici homo? *ibid.* cur filius, & non Spiritus S. factus sit homo? p. 167. n. 17. cur Christus dicatur natus de Spiritu S. & cur non filius illius? p. 191. n. 1. & seq. Manichæus dixit, Spiritum S. esse passum. p. 202. n. 11. Hierax credidit, Melchisedech esse Spiritum S. p. 206. n. 1. refutatur. *ibid.* & seq.

Spiritus: quomodo intelligendum illud? *in quo & iis, qui in carcere erant, spiritibus vivens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, cùm fabricaretur arca.* p. 287. n. 17. & seq. vid. *Carcer.*

Sponsor: & vas est Christus, cui volenti peccata nostra sunt imputata. p. 244. n. 4. an Sponsor possit puniri pro reo, tam in pecunia, quàm corpore? *ibid.* ac p. 269. num. 9.

Stancarus humanæ solùm naturæ tribuit Mediatoris officium. p. 294. n. 13. sententia Auctoris. p. 295. n. 15.

Stipes: vid. *Salomon.*

Subsistentia: duas in Christo admisit Nestorius. p. 115. n. 4 & seq. an sine propria subsistentia Humanitas Christi sit perfecta? p. 122. n. 18. & 19.

Substantia quid importet? p. 122. n. 19. cur verbum *facio* in textu: *aquam vinum factam*: significet mutationem substantiæ, & cur non in textu: *verbum caro factum est*? p. 155. n. 6. & seq. an verbum per substantiæ mutationem factum sit caro, sicut panis corpus Christi? p. 155. n. 6. & seq.

Sudarium: quid dicendum de Sudario Veronicæ? p. 358. n. 10. & 11.

Sudor Christi fuit sanguineus. p. 353. n. 1.

Suidas quando narrat Christum fuisse Sacerdotem Leviticum, producit fabulam. p. 217. n. 11.

Suppedaneum: an crux Christi habuerit suppedaneum, cui corpus Christi quasi insidebat? p. 362. n. 17. & 18.

Suspensio: in Christo fuit indifferentia libertatis, non autem suspensionis. pag. 291. num. 2.

Synagoga quid? p. 6. n. 5. quis ei præfuerit? *ibid.* ex eo, quòd Christus legerit in Synagoga, non probatur, eum fuisse Ordinis Levitici. p. 217. n. 11.

Syncope: vid. *Morbus.*

Synedrion quid? p. 6. n. 5. quis ei præfuerit? *ibid.* tempore Machabæorum habuit magnam auctoritatem. *ibid.* & seq. quando defecerit? p. 7. n. 7. & seq. usque ad cap. IV.

Synodus: quid dicendum de sententia excommunicationis in Honorium I. lata â Synodo sexta? p. 98. n. 2. & seq. an Synodus possit errare errore facti? *ibid.* vid. *Concilium.* Synodus quinta damnavit ea, quæ contra S. Cyrillum scripsit Theodoretus. p. 130. n. 9. eadem damnavit Theodorum Mopsuestenum dicentem; Deum verbum, & Christum esse distinctos. p. 142. n. 5. item Ibam negantem Deum verbum factum esse hominem ex Virgine: *ibid.* hanc Synodum approbavit Vigilius Papa. *ibid.* alia notanda de hac quinta Synodo expenduntur. p. 142. n. 5. & seq.

T.

Tabernaculum: in quo sensu Christi humanitas comparetur tabernaculo? p. 121. n. 14. & 15.

Tango: cur Christus noluerit tangi â fœmina. p. 284. n. 9. & seq.

Temperantia: quomodo hæc virtus fuerit in Christo. p. 108. n. 7.

Templum irrito conatu Judæi sæpiùs reædificare tentârunt. p. 18. n. 9 quid dicendum de templo secundo, & tertio Judæorum. p. 32. n. 10. & seq. ante cujus templi eversionem venerit Messias. *ibid.* in quo sensu humanitas Christi comparetur templo. p. 121. n. 14. & 15. ex eo, quòd è templo ejecerit vendentes, & ementes, non probatur, eum fuisse Levitici Ordinis. p. 217. n. 11.

Tenebræ factæ sunt in morte Christi super universam terram, & non solùm in aliqua parte mundi. p. 365. n. 22.

Terra: quomodo â Christo omnia sint instaurata, quæ in terris, & in cœlis sunt? p. 286. n. 14. & 15. Tenebræ factæ in morte Christi super universam terram, & non solùm in aliqua parte mundi. p. 365. n. 22.

Tertullianus: an cum Origene docuerit, Christum etiam pro Angelis, & Astris mortuum? p. 285. n. 12. & seq.

Testamentum: vid. *Lex.*

Thabor quantum distet â Nazareth? p. 317. num. 1.

S. Judas Thadæus: quid significet hoc nomen? p. 340. n. 8. cur dicatur Lebbæus? *ibid.*

Tharsis: cur tres Magi dicantur Reges Tharsis, & Insulæ? p. 321. n. 10.

Theandricus: an in Christo sit una operatio *Theandrica*, id est Deovirilis? p. 93. n. 5. & seq.

Theodoretus: Synodus quinta damnavit ea, quæ contra S. Cyrillum scripsit Theodoretus. p. 130. n. 9. an Theodoretus se opponens S. Cyrillo adhæserit Nestorio, ac hujus dogmata tradiderit? p. 137. n. 6. & seq. Theodoretus tandem resipuit, & adiit partes S. Cyrilli. p. 138. n. 8. hujus Capitulum rejiciens S. Cyrilli anathematismos ùt nestorianum reprobatur. p. 141. n. 1. & seq. alia notanda de eo. p. 149. n. 22. & seq. Theodoretus anathematizans Eutychetem in suam sedem restitutus est â Concilio Chalcedonensi. p. 153. n. 2.

Theodorus Mopsuestenus fuit Magister Nestorii. p. 141. n. 1. docuit in capitulo â Synodo quinta damnato alium esse Deum verbum, & alium Christum. p. 142. n. 5. alia notanda de eo. p. 147. n. 14. & seq.

Theodorus cappadox Author Origenistarum fecit, ut Justinianus Imp. edictum ederet adversùs tria capitula. p. 141. n. 1. & seq.

Theodorus Argentarius an hic sit Author Melchisedecianorum? an verò Theodotus? aut Theodotiani? p. 206. n. 1. vid. *Melchisedech.*

Theodosius Imp. urgente Eutychete convocavit concilium prædatorium Ephesinum, in quo S. Flavianus vulnerum atrocitate obiit. p. 153. n. 1. & 2.

Theodotianus: vid. *Theodorus Argentarius.*

Theodotus: vid. *Theodorus argentarius.*

S. Thomas: quid significet hoc nomen? p. 340. n. 8. cur dicatur Didymus? & geminus? *ibid.*

Tiberius ob acta â Pilato in laudem Christi data voluit Christum inter Deos referre. p. 44. n. 7. Critici hoc negantes refutantur. *ibid.* & seq. quo anno Imperii Tiberii mortuus sit Christus? p. 345. n. 2. quo anno interfecerit Sejanum? p. 350. n. 6. quando adeptus sit imperium? p. 317. n. 1. & seq. quo anno imperii Tiberii Baptizatus sit Christus? *ibid.* & p. 329. n. 6. & seq.

Titulus: de forma Crucis Christi, & tituli. p. 361. n. 14.

Tribus: an Hasmonæi sint de tribu Juda, vel Levi? p. 4. n. 1. tribus Levi, & Juda fuêre conjunctæ, *ibid.* an Machabæi sint de tribu Juda? p. 4. n. 1. ex tribu Levi unus præfuit Synagogæ. p. 6. n. 5. ex tribu Juda unus præfuit Synedrio. *ibid.* an tribus Juda defecerit? p. 8. n. 8. & n. 9. n. 3. ac p. 12. n. 17. & 18. an Machabæi sint de tribu Juda? p. 13. n. 1. & seq. B. Virgo, & S. Joseph sunt ex una tribu. p. 67. n. 5. & seq. Christus fuit ex tribu Juda, & non ex tribu Levi? p. 217. n. 11. Urias fuit ex tribu Juda, non Levi, habuitque uxorem Bersabeam. p. 217. n. 13. ex quali tribu fuerit S. Elisabeth? *ibid.* an nulla filia potuerit accipere virum ex alia tribu, quàm sua? p. 217. n. 13. etsi nullam ipsi attulerit hæreditatem? *ibid.*

Trinitas: an omnes Personæ S. S. Trinitatis potuissent assumere naturam unam? p. 166. n. 14. & an in hoc casu adhuc unus homo dici posset? *ibid.* quid dicendum de propositione: *unus de Trinitate passus, ac mortuus est?* p. 200. n. 1. & seq. quid dicendum de propositione: *unus de Trinitate est incarnatus? ibid.* Monachi Acœmetæ negantes Christum esse unum de Trinitate tanquam Nestoriani sunt damnati. p. 202. n. 8. quando dicitur *unus de Trinitate:* vox *unus* non naturam Divinam, sed Personam denotat. p. 202. n. 9. quomodo Incarnatio verbi sit opus totius Trinitatis & quomodo Redemptio opus Christi? p. 269. n. 10.

Trisagium: cur huic non possit addi: *qui passus est pro nobis?* p. 202. n. 11.

Tristitia: an in Christo simul possit esse visio Beatifica, & summa tristitia? p. 90. n. 15. & seq. an mortis tristitia potuerit perturbare mentem Christi? p. 293. n. 10.

U.

Valentinianus docuit: corpus Christi non de Virgine: sed de cœlo, æthere, sideribus formatum. p. 54. n. 1. vid. *Corpus.* refutatur. p. 76. n. 1. & seq. ac p. 120. n. 13.

Vas & Sponsor est Christus, qui volens peccata nostra suscepit. p. 244. n. 4. an vas

vas posſit puniri pro reo in corpore, & pecunia? *ibid.* ac p. 227. n. 11. item p. 260. n. 15. & 16.

Vaticinium: quòd venerit Messias in lege promissus, demonstratur ex Vaticinio Jacob. p. 4. n. 1. tot. cap. I. quomodo illud interpretentur Judæi? p. 4. n. 1. & seq. quomodo Catholici? *ibid.* affertur, & explicatur. p. 5. n. 2. & seq. tot. cap. I. II. & III. probatur ex Vaticinio Danielis, iam adveniſſe Messiam. p. 15. n. 1. tot. cap. IV. V. & VI. quomodo numerandæ sint hebdomadæ? *ibid.* in hoc vaticinio vulgata nostra non discrepat â textu hebraico. p. 16. n. 3. ex silentio falsa vaticinia edentium Oraculorum probatur adventus Messiæ. p. 44 n. 6. ostenditur, quòd vaticinium Isaiæ non possit aliter exponi, quàm de B. Virgine: *Ecce Virgo concipiet.* p. 54. n. 2. & seq.

Ubiquitarius docet, humanitatem Christi fuisse immensam, ac omnipotentem. p. 169. n. 1. refutatur. p. 173 n. 8. & seq.

Velamen: cur fœminæ adhibeant velamen capitis? p. 282. n. 7. 8. & 9.

Vendo: in quo sensu Deus dicatur peccatores vendere sine pretio? p. 251. n. 3. & 4.

Venustas & forma corporis Christi qualis fuerit? p. 74. n. 6. & seq.

Verbum: vid. *Christus*: quòd assumpserit carnem, evincunt rationes catholicorum, non autem potest demonstrari. p. 47. n. 1. variæ objectiones contra verbum caro factum allatæ solvuntur. p. 48. n. 3. & seq. an verbum assumpserit naturam humanam ob peccatum Adæ, & reparationem generis humani? p. 49. n. 1. tot. cap. XII. cur verbi incarnatio tam serò facta? p. 52. n. 11. verbum prodiit sine virili semine. p. 54. n. 2. & seq. an natura humana verbo unita potuerit naturaliter pati. p. 76. n. 1. & seq. verbum & unigenitus est una tantùm Persona. p. 120. n. 13. in quo sensu verbum dici possit Apostolus, & Sacerdos. p. 134. n. 22. Deum verbum, & Christum distinctos dixit Theodorus Mopsuestenus damnatus â Synodo quinta. p. 142 n. 5. Capitulum Ibæ negans Deum verbum factum esse Hominem ùt Nestorianum rejicitur â Synodo quinta. p. 141. n. 1. & seq. cur verbum *facio* in textu *aquam vinum factam*: *uxorem Lot factam columnam* salis &c. significet mutationem, & cur non in textu *Verbum caro factum est*? pag. 155. num. 6. & seq. an Verbum per substantiæ mutationem factum sit caro, sicut panis fit corpus Christi? *ibid.* an verbum potuisset assumere natturam irrationalem? p. 167. n. 16. an de Divinitate Verbi ob communicationem Idiomatum possint dici ea, quæ dicuntur de humanitate illius? p. 169. n. 1. vid. *Idioma.* per eandem communicationem bene dicitur: Verbum acquisivit Ecclesiam sanquine suo, est crucifixum, mortuum. p. 170. n. 2. & seq. quomodo Incarnatio Verbi sit opus totius Trinitatis, & quomodo Redemptio opus Christi? p. 269. n. 10. Christus quidem ut homo satisfecit, sed natura humana, in qua passus erat, fuit hypostaticè unita Verbo. p. 274. n. 5. Christus non est Mediator, ut est homo à Persona verbi præcisus. p. 295. n. 14. Christus est Mediator in natura humana hypostaticè unita Verbo. p. 295. n. 15.

Verbum: de verbis Christi: in qua linqua ea Christus protulerit? p. 365. n. 23.

Veritas: an Christus vocetur Salvator, quia sanquine suo confirmavit veritatem? p. 227. n. 11. & p. 249. n. 1. & seq.

S. Veronica: quid dicendum de Sudario S. Veronicæ? p. 358. n. 10. & 11.

Vespasianus nequit comparari Christo. pag. 47. n. 1. & 2.

Vestimentum: de vestimentis Domini. pag. 364. n. 21.

Viator: an Christus ùt viator viderit Divinitatem? p. 87. n. 5. ac p. 90. n. 15. & seq. Christus ùt viator non habuit scientiam comprehensivam. p. 88. n. 6. & seq.

Victima: vid. *Sacrificium.*

Vigilius Papa: quid dicendum de hujus *Judicato* contra tria capitula edito? p. 141. n. 2. & seq. approbavit Synodum quintam. *ibid.* alia de hoc Papa, præcipuè de ejus exilio examinantur. p. 141. n. 2. & seq. quid sentiendum de hujus constituto? *ibid.*

Vindex: an in Deo sit justitia vindex peccatorum, & constans voluntas puniendi peccatores? pag. 240. n. 1. ac pag. 242. num. 3.

Vinum: vid. *mutatio*: aut *Eucharistia.*

Vir: vid. *Uxor.*

Virga: per hanc in vaticinio Jacob intelligitur regia auctoritas, non castigatio, & tribulatio. p. 5. n. 3. ac p. 9. n. 1. & 2.

Virginitas: an B. Virgo coluerit cum S. Josepho perpetuam Virginitatem? p. 58. n. 15. an non habuerit S. Josephus aliam conjugem ante B. Virginem. *ibid.* vid. *Virgo.*

Virgo: de Christi Incarnatione in utero intemeratæ Virginis peracta. pag. 54. n. 1. tot. cap. I. eidem integritatem denegant Ebion, Cerinthus, Carpocrates p. 54. n. 1. & seq. item Judæi negant nasciturum Messiam ex puella nesciente virum. *ibid.* Helvidius docuit, Beatissimam Virginem

alios

alios ex semine Joseph post Christum peperisse filios. *ibid* Valentiniani, Basilides, Marcio, Bardesanistæ, Apellejani putârunt, Corpus Verbi non de Virgine, sed de Cælo, æthere, sideribus formatum. *ibid.* Simonis Magi discipuli Menander, & Saturninus tribuunt Verbo Corpus phantasticum, & umbratile, non solidum de Virgine, ac verum. *ibid.* Verbum de Virgine absque virili semine prodùt. pag. 54. n. 2. & seq. cur Virgo in Scriptura dicatur *abscondita? ibid.* per verbum *Halma* demonstratur in Scriptura Mariæ Virginitas. *ibid.* ostenditur, quòd prophetia Isaiæ *Ecce Virgo concipiet &c.* non possit aliter exponi, quàm de Beatissima Virgine. *ibid.* etiam nomine *Mulieris* potest intelligi B. Virgo. p. 57. n. 12. & 13. propugnatur perpetua Virginitas B. V. Mariæ, ita ut non habuerit alios filios præter Christum. p. 57. n. 14 & seq. in quo sensu Christus dicatur *Primogenitus* B. Virginis? p. 57. n. 16. B. Virgo non Noverca, sed matertera erat Jacobi p. 58. n. 15. Christus sumpsit veram Carnem non de Cælo prolapsam, sed ex Virgine procreatam. p. 59. n. 1. tot. II. an Christus negârit, Beatissimam Virginem esse Matrem suam? p. 64. n. 10. & 11. an Beatissimæ Virginis Parentes fuerint Joachim & Anna? p. 67. n. 5. & seq. B. Virgo, & S. Joseph erant sanquine propinqui, & ex una tribu. *ibid.* quidam docuerunt, Christum assumpsisse corpus incorruptibile de Virgine. pag. 72. n. 1. & seq. S. Hilarius tribuit Christo verum corpus nostro consubstantiale, & ex Virginis carne susceptum. p. 79. n. 1. & seq. ac passionis capax. p. 80. n. 6. & seq. an B. Virgo benè vocetur *Deipara*? p. 100. n. 9. hoc negat cum Anastasio Nestorius. p. 114. n. 1. & seq. impugnatur. p. 123. n. 1. & seq. B. Virgo revera Deum genuit, & in utero suo formatum edidit. *ibid.* ac p. 179. n. 5. & seq. Capitulum Ibæ negans Deum verbum factum esse hominem ex Virgine ut nestorianum rejicitur à Synodo quinta. p. 141. n. 1. & seq. an promereri potuerit Incarnationem? p. 164. n. 7. & quomodo promeruerit? *ibid.* & seq. quomodo fuerit cognata Sanctæ Elisabeth? pag. 217. num. 13. annuntiatio B. Virginis contigit 25. Martii. pag. 313. n. 2. B. Virgo peperit Christum completis novem mensibus. p. 316. n. 8. Domus B. Virginis verè fuit è Syria translata Angelorum ministerio Tersactum: inde in agrum Picentinum, nunc Lauretum. p. 324. n. 16. & seq.

Virtus: quæ virtutes fuerint in Christo? an temperantia, continentia, Charitas, fides, spes? p. 108. n. 7. Christus patravit miracula virtute propriâ, non alienâ Spiritûs S. pag. 134. n. 21. Melchisedech non est virtus Christo Superior. p. 206. n. 1. & seq.

Visio: an Christus ùt homo fruebatur visione Divinitatis? p. 87. n. 5. ac p. 90. n. 15. & seq. an cum hac visione in Christo stare potuerit summa tristitia? *ibid.* an ob hanc visionem Christus peccare non potuerit? p. 109. n. 10.

Vita: an Deus habuerit Dominium & jus absolutum in corpus, & vitam Christi qua hominis? p. 244. n. 4. an Christus dicatur Salvator, quia nobis præbet vitam æternam? p. 249. n. 1. & seq. reconciliatio nostra principaliter Sanquini, & non vitæ Christi tribuenda est. pag. 254. n. 9. & 10. quomodo intelligendum illud? *si enim, cùm inimici essemus, reconciliati sumus per mortem filii ejus, multò magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius. ibid.* si Christus satisfecit, cur patimur mortem, & hujus vitæ miserias? pag. 262. n. 17. & 18.

Unigenitus & verbum est eadem Persona. p. 120. n. 13.

Unio: an ob unionem hypostaticam Christus peccare non potuerit? p. 109. n. 10. unionem hypostaticam negat Nestorius. p. 115. n. 4. & seq. an unionem hypostaticam S. Cyrillus benè dixerit *naturalem?* p. 127. n. 1. & seq. ac p. 131. n. 14. Eutyches docuit in Christo duas naturas, post unionem ita confundi, ut in unam transeant. p. 153. n. 1. & 2. refutatur demonstrando duas naturas etiam post unionem in eadem persona manere distinctas. p. 154. n. 3. & seq. an unio hypostatica sit modus ab extremis distinctus? p. 161. n. 1. & 2. quænam sint hujus proprietates? p. 163. n. 5. an sit substantialis, ac naturalis? *ibid.* an perpetua, ac indissolubilis? *ibid.* ultimum negant origenes, ac Marcellus Ancyranus. p. 163. n. 5. an unio sit facta in natura, an in Persona? p. 163. n. 6. an S. S. Patres, aut B. Virgo, aut Humanitas Christi promereri potuerit unionem hypostaticam? p. 164. n. 7. ac p. 190. n. 4. & quomodo promeruerint? *ibid.* & seq. Christo ob unionem hypostaticam convenit communicatio idiomatum. p. 169. n 1. vid. *Idioma* an felix Episcopus, & Elipandus dixerint, Christum esse filium Dei adoptivum in sensu Nestorii negando unionem hypostaticam? p. 177. n. 1. & seq. & admittendo duas Personas? *ibid.* an per unionem hypostaticam Christus sit filius Dei naturalis? p. 187. n. 27. an unio hypostatica

possit dici compositio? p. 199. num. 14. an satisfactio Christi fuerit infinita propter unionem hypostaticam? p. 267. n. 5. Christus quidem út homo satisfecit, sed inter naturam humanam, in qua passus est, & Divinam intercessit unio hypostatica. p. 274. n. 5. Christus est Mediator in natura humana Verbo per unionem hypostaticam unita. p. 295. n. 15.

Unus? quando dicitur *unus de Trinitate*: vox *unus* non naturam Divinam, sed Personam significat. p. 202. n. 9.

Voluntas: in Christo duæ dantur voluntates Divina, & humana. pag. 92. n. 1. & seq. Monothelitæ admissis duabus naturis unam tantùm concedunt voluntatem, & unam operationem. *ibid.* duæ voluntates in Christo sunt duæ *naturales*, & non una *personalis*, nec una *Gnome*, nec una *habitudine*. p. 93. n. 5. ac p. 95. n. 11. Honorius Papa non negavit duas in Christo voluntates, aut operationes. p. 98. n. 1. & seq. in quo consistebat libertas humanæ voluntatis Christi? p. 110. n. 14. quomodo hæc libertas possit stare cum impeccantia? p. 111. n 15. & seq.

Vossius quid senserit de Christo Redemptore? p. 228. n. 13.

Urias: an Nathan sit filius Davidis per adoptionem, vel per Generationem ex Bersabee uxore Uriæ? p. 217. n. 12. non fuit ex tribu Levi, p. 217. n. 13.

Utilitas: quas homo ex satisfactione Christi hauriat utilitates? p. 242. n. 3.

Vulgaris: vid. *Aera*.

Vulgata nostra in vaticinio Danielis non discrepat à textu hebraico. p. 16. n. 3.

Uxor: an nulla uxor potuerit habere virum ex alia tribu, quàm sua? pag. 217. n. 13. an neque, si illa nullam habuit hæreditatem? p. 217. n. 13.

Uxor Lotb: vid. *Lotb*.

W.

Witclefus: cur hæc ipsius propositio: *duæ naturæ Divinitas & humanitas est unus Christus*: sit damnata. p. 199. n. 16.

Z.

Zacharias fuit Pontifex. p. 315. n. 6. & Pater S. Joannis. *ibid.*

Zaleucus Locrensis an sit laudandus, quod, dum filio utrumque oculum eruere deberet, sibi unum, filio alterum effoderit? p. 260. n. 15. & 16.

Zebedæus: cur filii Zebedæi Jacobus & Joannes vocati Boanerges? p. 340. n. 7.

Zeno Imp. quid dicendum de Professione fidei Zenonis? p. 202. n. 10. & 11. an fuerit patrocinatus Eutychianis? *ibid.*

FINIS HUJUS TOMI QUINTI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
889a